

ORITA  
ndice  
atino

R-455

DE LA LIBRERÍA  
DEL  
MARQUÉS DE PIDAL.

C. X

M-3-18

Este tomo unido a la  
obra de Zurita colocada  
en este H.<sup>o</sup> local - B-22






R-455

40.

Na 1086446  
Nea 160 7984



**INDICES RERVM  
AB ARAGONIAE REGIBVS**

**GESTARVM AB INITIIS REGNI  
AD ANNUM MCDX.**

**A HIERONYMO SVRITA TRIBVS LIBRIS PA-  
RATI ET EXPOSITI.**

**ROB. VISCARDI** Calabriae Ducis, & **ROGERII** eius fratris Ca-  
labriae, & Siciliae Ducis Principum **NORMANNORVM**, & eorum fratrum rerum in  
Campania, Apulia, Bruttis, Calabria, & in Sicilia gestarum Libri IV. auctore **GAVFRE-  
DO MALATERRA** Rogerij ipsius hortatu.

**ROGERII** Siciliae Regis rerum gestarum, quibus Siciliae regnum in Cam-  
pania, Calabria, Bruttis, & Apulia usque ad ecclesiasticae ditionis fines constituit: Libri IV.  
Auctore **ALEXANDRO** Coenobij S. Saluatoris Vallis Celesinae Abbate: qui & hortatio-  
ne Mathildis eiusdem Rogerij sororis eam historiam conscripsit.

**GENEALOGIA** Rob. Viscardi, & eorum Principum, qui Siciliae re-  
gnum adepti sunt: ex **PTOLEMAEI LVCENSIS** Chronicis decerpta: qua Dyrrha-  
chinae domus Principum propagines certa, & constanti complexione appinguntur.

**CVM PRIVILEGIO.**

**CAESARAUGVSTAE.**

**Ex officina Dominica Portonarijs de Vrsinis,**

**S. C. M. & Regni Aragoniae Typographi.**

**M D L X X I I X.**

MICHAEL CERCITO SACRAE THEOLOGIAE  
Licentius, ac Ecclesiae beatissimae Virginis Mariae Caesaraugustanae,  
vulgo del Pilar Canonicus, Pio Lectori S.

**A**RAGONENSIVM rerum, ab initijs Regni ad Annum Domini MCCCCX, vsque gestarum historiam, quam Hieronymus Zurita grauis in primis auctor fultus olim in suis Annalibus Hispanae persecutus, nunc summorum Pontificum sanctionum aliquot, a viris doctis desideratarum accessione locupletatam in Indices quosdam Latinos congeisit, fidei meae ab Illustri domino Petro Cerbuna sacrae Theologiae doctore, & Vicario generali Caesaraugustana Sede vacante, eiusdemque Sedis Priore commissam perlegi sedulo. In qua, & si in paucas summas, rerumque solummodo capita, vniuersa Regum, procerumque Aragonensium gesta redacta esse ab auctore videantur, plurima tamen eius, summaque cum fide, ac diligentia coniuncta eruditio, vel ex hoc solo Aragoniae ditionis breuiario, sicuti ex vnguib; Leo, facile dignoscitur. Roberti quoque Guiscardi, Rogerij fratris eius rerum in Italia gestarum libros quatuor a Gaufrido Malaterra monacho Benedictino conscriptos, vna cum alijs quatuor de rebus a Rogerio superioris Rogerij filio in Sicilia gestis auctore Alexandro Celestini coenobij Abbate legi attente: opus sane sua vetustate reuerendum, & rei de qua tractatur, magnitudine commendandum. Debent autem hanc viri docti Hier. Zuritae rerum antiquarum scientissimo gratiam: quod eos libros per quadringentos plus, minusve annos inter tineas, & blattas puluere obfitos delitescentes ab earum iniuria primus afferuerit: & ne Aragoniae ditionis regnorum initijs aliquid deesse videretur, suis Indicibus appendicem adiecerit: aduentumque Normannorum in Italiam multis saeculis a plerisque ignoratum horum librorum editione fecerit communem. In quibus omnibus nihil omnino, quod aut religioni nostrae aduersari, aut virorum piorum aures offendere videatur, inueni. Quam ob rem superiora omnia opera digna esse quae prelo mandentur cenfeo: atque ita fiet, vt Hieronymi Zuritae clarissimi historici laboribus omnes facilius perfruantur. Caesaraugustae VI. K. Febr. MDLXXVII.

Michael  
Cercito.

**N**OS Petrus Cerbuna Liberalium artium Magister, & sacrae Theologiae Doctor, Prior, & Canonicus sanctae Ecclesiae Metropolitanae ciuitatis Caesaraugustae in spiritualibus, & temporalibus Vicarius generalis, pro Illustri Capitulo dominorum Prioris, & Canonice eisdem Ecclesiae, Sede Archiepiscopali vacante. Cum liber hic, cui titulus est, Indices rerum ab Aragoniae Regibus gestarum ab initijs regni ad annum MCCCCX, tribus libris apparati, atque expositi Hieronymo Zurita auctore &c. nihil contineat, quod vel fidei orthodoxae, aut religionis Christianae pijs moribus aduersetur, sicut ex censura & commendatione egregij Domini Licenciati, & Canonici Michaelis Cercito nobis fatis constat: idcirco eidem Hieronymo Zuritae viro omnibus bonis literis insigni, ac Regio historico celeberrimo, vt praefatum librum omni approbatione dignum in hac ciuitate & Archiepiscopatu Caesaraugustano, typis mandare possit, licentiam iuxta Decreta Sacri Tridentini Concilij concedimus. Dat. Caesaraugustae xxv r. Ianuarij MDLXXVII.

Doctor Petrus Cerbuna  
Prior, & Vicarius generalis.

Sebastianus Moles Notarius.

**I**OHANNI SANGORINIO ORDINIS,  
& Militiæ S. Iohannis Hierosolymitani in Aragonia pro Magistro:  
& Ampostæ Præfecto: Doct. Martino Aysæ Ecclesiæ Iacetanæ  
Canonico: Iohanni Francisco Arinio Oficerdenfis Baroniæ  
domino: Francisco Aragonio: Dominico Palatio: Mi-  
chaëli Omedefio: Petro Martinio Infaustio ciui Cæ-  
saraugustano: & Doct. Antonio Iohanni Mat-  
thæo ciui Oscensi I. C. maxime in-  
lustribus: & cla-  
rissimis

## VIII VIRIS

### ARAGONIAE REGNI PROCURATORIBVS.

**P**RINCIPVM NOSTRORVM ARAGONIAE Regum res gestæ, tam inçlyti decoris nomen sustinuerunt, vt præclaræ, atque summæ laudis diffusa, & dispersa gloria dignissimæ fuerint: quæ omni monumentorum genere percelebrarentur. Tamen, sicut rerum ipsarum dignitas, & amplitudo postulabat, vt ederentur, neminem existisse arbitror, is captus hominum est, quin suscepti officij maximis oneribus premeretur: & dum ea res in situi sine summa difficultate non posset, auctoritas vestri muneris euicit, vt studio earum rerum ex abditis penitus, atque retrusis tenebris eruendarum, & parendi desiderio incensus summo labore, atque animi contentione octingentorum annorum memoriam colligarem. Sed quo minus in his, quæ ad me delegata fuerant, ingenij præsidio assequi poteram, eam mihi viam muniendam longe in posterum prospexi, vt quasi quoddam subsidio, qui nihil dignum vestris auribus in eo genere omnino; aut dicendi artificio, aut cuiusvis litteraturæ præstantia consequi valerem, inexpectata tamen, & si id sperari vniquam posset, inexhausta diligentia compararetur: & quod incredibile rei magnitudo, atque difficultas impenderent: sic me honeste depacisci arbitrabar. Nam locuples illa, & referta continuatio, variataq; series rerum, & elaborata concinnitas, atq; ille verborum ambitus, ac demum insignis orationis ornatus ab ijs erat expetendus, qui tantum ingenio, & doctrina eniti poterant, vt his quasi luminibus admotis, magnum ornamentum rebus ipsis impertirent. Hæc mecum in vtramque partem versans non modo libenter, sed & audacter confirmo, si quam operam dare constituis, vt annalium nostrorum monumenta ex Regum commentarijs conquisita in lucem ederentur: peruulgarenturque: qui vobis in Octouiratu sufficientur, eandem adhibuerint, vt res gestæ rudi opere, & nullo artificio traditæ fluenti, & fuso orationis tractu siue leni, siue incitato cursu opus sit, ab erudito aliquo, & doctrinarum studijs exculto viro accurata, & exquisita scriptorum elegantia, & subtilitate inlustrentur, satis publicarum rerum memoriæ factum, atque consultum omnibus

omnibus iſum iri. Interevero, dum ea, quæ continentibus ſcriptis decem ſuperioribus libris annalium accommodare nitimur, in veritatis lucem patrio ſermone proferuntur, cum ex multiplici, & perpetuo annalium contextu ſummas quasdam ſubduxerim, atque confecerim, quæ in tam varia, ac pæne infinita rerum commemoratione origines ipſas, tamquam capita comprehenſione quadam deuincta, connexa temporum ferie indicarent, & eam rem magno mihi uſui fuiſſe ſæpe viderim, neque ex mea designatione, aut apparatu vberiores, vel præſtantioreſ prouentus quiſquam omnium aut exigat, aut certe capere poſſit, operam noſtram, quantulacumq; ea ſit, quaſi vniuerſi ſtudij mei teſtimonium ad vos deſero. Veruntamen ſi, quæ præſtari a me poterant, mei muneris officia diligenter, ac religioſe obſeruare, pro virili parte ſumme ſtudui: aut ſi qua reliqua mihi ſpes eſt pro merendi beneficij: qui nihil per triginta annos, niſi de huius regni laude, & gloria cogitaui: ne mihi vitio a veſtra circūſpectione vertatur, magno pre de poſco: quod rem eam, tenuem illam quidem, & valde puſillam tam vehementer amplexus ſim, vt omne id æuum, quod ab initijs regni, ad annum noſtræ redemptionis MCDX. peractum eſt, non tribus chartis, quod magnæ laudi a doctiſſimo poëta ſcientiſſimo rerum ſcriptori datum eſt: ſed tribus libris ſæduloſe hoc arido, & aſturo modo, crebris tum a primo repetitionibus temporum, tum in extremum non modo caſuum, & euentorum, ſed rationum, & cauſarum diſiecte, & ſolute nulla ſtructure recidentibus iterationibus explicarim. Non enim in minima, tenuiſſimaque opera futilem aucupari gratiam, & inanis rumoris popularem auram conſectari mei conſilij fuit: ſed quod maxime digna videbantur, ſi reſ ipſæ expenderentur, quæ ad exteros homines, & noſtrarum rerum penitus inſcientis aperta, & perſpicua, ſimplicique, ac probabili expoſitione peruenirent, opere pretium fore ſum arbitratus, cum tot inuoluta ſigna virtutiſ, & probitati emerſerint, ſi dignitati etiam ſuæ ſplendorem, quamuis non exſultanti, & geſtienti effigie, attamen quodammodo adumbrata imagine obtinerent: quantumuis minutis, & exilibus numeris conciſa, & depreſſa videantur. Ad D. Encratidis: ex ſuburbano Cafarauguftano. A. D. IV. Id. Mart.  
M. D. LXXIIX.

Hic. Surita.



## INDICES RERVM

AB ARAGONIAE REGIBVS

GESTARVM.

LIBER PRIMVS.



**R**EGNI GOTHORVM INITIA AB Aetaulfo in Hispania facta, cum huius gentis arma, maiestate primo Romani Imperij, mox opibus labentibus terra, marique late paterent, regio sanguine sunt polluta. Theudericus deuictis Sueuis, quorum furoris pars maxima Hispanias, vsque ad Oceani Gallaici oras peruaferat, e Narbonensi Gallia, quam Gothiam ipsi appellauere regni sede Pyrenæum traducta, primus regnum constituit. Suintilla demum exactis Romanorum armis, vniuersæ dominationi fastigium imposuit. Cum firmata iam, & stabilita in Hispania pace Gothica gens floreret, neque externo premeretur hoste, bellicosissima natio desidæ, atque ignauæ dedita, armorum cessatione, & inertis luxu bellis desue facta, non ab horridis, vt antea, Scytharum gentibus, sed à totiens deuictis Afris, & Numidis, qui intra aliena Arabum arma commigrauerant, prosternitur, funditusq; deletur.

SARRACENI, & VI Arabia partem, ab oriente in meridiem deflexi incolebant, Scenitæ Arabes antea nuncupati, vasto solitudinum recessu septi, & Mesopotamiæ adiuncti, altera totius Orbis pernicies, atque calamitas, regni Heraclij Imperatoris Anno Septimo, quem vetusta quædam monumenta in annum Incarnationis Christi DCXXXVI conferunt, Romanorum Imperio repugnantes stabili sede, ac proprijs, certisque domicilijs egressi, incursionibus vicinas regiones infestissime proterunt: adeoque instant, vt Heraclius ad eos arcendos Theodorum germanum fratrem præmiserit. Hi Mahmete duce, homine improbissimo, & perfidissimo, qui se se & genere, & prudentia suæ genti, vehementi plebis con- citatione vsus, fallacissimè venditaret, haud aliter, ac si sapientissimi viri animus multa in posterum præsentiret, & præfagitio eius menti diuinitus inclusa esset, cui uti veteratori, & callido duci eius belli administrandi dominatum, principatumque detulerant, Arabiæ, Mesopotamiæ, Syriæque prouincias inuaserant. Theodoro demum cum omni nobilitate, & militiæ robore ad Gabatham Syriæ oppidum ad internecionem redacto, omnium prouinciarum, quas inuaserant, potiuntur: & Damascum splendidissimam Syriæ urbem regni sedem, atq; arcem constituunt. Abubec- car Mahmetis locum, principatumque obtinuit: qui in Persas arma con- uertit: & Hamer eius successor vires Orientis omnes comouens, magnam Aegypti partem, Alexandriamq; metropolim Imperio subiicit: & cum post Hamerem Etheman Sarracenorum Imperio princeps admoueretur, Pentapolim, Libyam Marmaricam, & Aethiopiã, quæ supra Aegyptum vastis, ac desertis regionibus prætenditur, in suam potestatem, ditionemq; A redigunt.

AERA. NAT. CHR.

DCLXIV. DCXXXVI.

AERA. NAT. CHR.

redigunt, Mohabia tanti iam Imperij gubernacula tractans aduersus Con-  
stantem Augustū, qui ingentem classem ornarat, rem feliciter gerit. Ab-  
dalla duce Africam, & Mauritanias subigit: atque decursionibus mariti-  
mā oram deuasat: cum Vvamba, cui Gothi Hispaniarum, & Galliae pro-  
uinciae imperium detulerant, pie, ac sancte regnum administraret. Mo-  
habiae Izit: huic vero eius filius Mohabia Sarracenorū imperio substituitur.  
Mohabia iuniore vita functo, Sarracenorū exercitus duos ex cunctis  
sibi duces deligunt Abdallam, & Maroā, atq; eorum opes, ac vires in con-  
trarias distrahuntur partes: magnisq; vltro, citroq; inlatis cladibus Maroā  
nouem annorū indutijs cum Constantino Imperatore pactis, provincias in-  
ter filios partitus, Abdebmec natu maximo Persidem, Armeniam, Meso-  
potamiā, Osdroenem, Arabiā, & Syriae regiones dereliquit: Abdelazizio  
vero Aegyptum, Aethiopiae vltioris tractus, & Tripoleos, Africa, & re-  
liquas ad Gaditanum fretum adiacentes provincias attribuit: exercitibus,  
atque classibus Mahmetē filium praeficit: Sed Vvith Abdelmec filius, cū  
a patre Abdelazizius frater Regno deturbatus esset, Sarracenorū vniuer-  
so Imperio a patre praeficitur: qui hostes, ac vicinas omnes gentes contu-  
dit: atque confregit: & India, vt vetustus eiusdem aetatis scriptor perhi-  
bet, dominatur: atque idem auctor ita subdit. In occiduis inquit partibus  
Regnū Gothorum antiqua soliditate firmatū apud Hispanias, per ducentū  
fui exercitus nomine Muzam adgressus edomuit: & regno ablato vecti-  
gales fecit. Tam paucis res tanta, taleque, ac tantum, quantum alias nun-  
quā ea celeritate confectū est bellum, a vetusto scriptore perstringitur: &  
magnis tenebris incredibilis, & inaudita clades inuoluitur. Hi omnes qui  
summo Arabū imperio sunt potiti, suae gentis nomine, tamquā Regio, &  
imperatorio munere fungentes Miralmuminimi sunt cognominati. Sa-  
tis constat repentinam eam calamitatē non fuisse: sed regno malis ciuili-  
bus oppresso, Vvitzia Rege retum potiente, Zemam, quae alij Seniam vo-  
cant, Arabum Ducem

DCCXLV. DCCVII.

AERA DCCXLV

transmisso, Baticam inuasit: Tariffium autem Arabum itidem ducem  
vetustis monumentis Tarik vocatum comperio.  
Ruderico regnante AERA DCCXLVII, & Vvitziae Regis filijs arma cō-  
mouentibus, quos Rudericus, regni, quod ipse inuaserat, successione de-  
iecerat, & Iuliano Spathariorum Comite Vvitziae consobrino, & Egiciae  
Regis genero acerbissimo animi sensu patratum a Ruderico adulterij dolo-  
re percito: quod Rex uxori, Faldrinam vocatam memoriae proditur, pro-  
brum intulerat, siue Caiiae filiae illuserat, hostium vires concitante, ducto  
ribus Muza militiae principe Azuiri filio, & Tariffio Arabes ad Calpeni,  
non proedonum more, sed vt in propria emigrantes irrumpunt: ac tota  
se provincia Batica, & Lusitania repentinis incursionibus effundunt.

DCCXLVIII. DCCX.

Cum misera, & calamitosa tempora instarent Rudericus totius regni  
copias, non iam illo Getico, & Martio furore truces, atque insultantes, sed  
molles, atque eneruatas colligens, & inter Sericium, & Afsidonam urbem  
in extremum rerum omnium certamen, atque discrimen deueniens, non  
gentem modo, sed regnum in interitum, & exitium dedit: imperij enim,  
vitaeq; eius finis idem fuit. Incredibili impetu Arabes Hispaniarum po-  
tuntur: vt nō tam rerum publicarum prodicione, nefaria filiorū Vvitziae  
aut lu-

aut Iuliani Comitís, vt ferunt, regni proditoris, extinctorisq; patriæ scele  
re conciderit, quã cælesti ira regnũ Hispaniæ ipsius exitio partũ Gothi-  
cæ gētis internecone euerfum sit. Hostes, quod ex Mauritanijis in Hispa-  
nias transfusetint, a nostris Mauri vocati: vt hoc quoq; nomine vti, tēpo-  
ribus seruiētes cogamur: omnes eiusdē sectę homines Mauros appellādo.

Annorum præterea ratio æræ nomine adscripto diuisa tēporibus, & se-  
rie rerũ cōnexa intermitteri nō debuit: vt rei tot sæculis ab Hispanis vsurpa-  
re sua exstaret vestigia: quoad eius nominis memoria apud n̄ros exoleuit.  
Octo, & triginta annorũ interuallo Ch̄ri Saluatoris n̄ri natalē antecedit.  
Hispani enim Aegyptios imitati ex eo sua notare, & cōseruare tēpora vo-  
luerunt, quod eo anno in potestatē, ditionēq; p. r. venerint: C. Cesare, qui  
Augustũ nomē adeptus est, rerũ potente. Ciuitates enim quasdã Italiæ  
diem, quo primũ ad se Augustus aduentasset, initiũ anni fecisse, alias vero  
Asiæ annorum origines ab eius nomine, & dignitate duxisse cōperimus.

Maiores scriptorũ pars hoc anno de summa rerũ a Ruderico Rege de cer-  
tatũ prodiit: exstātq; vetusti annales, qui AERA DCCCLII Mauros ante diē  
iij. Id. Nouēb. in Hispaniã appulso referāt. Multo vetustiores prodidere  
eo ipso tempore Astures in Maurorũ potestate, ac ditione fuisse: & eodē  
anno Pelagiũ filium Fasilani Ducis ex Regia progenie ortum cælesti vi,  
diuinoq; numine ex spelũca Asseuuz mōtis egressum hostes profligasse;  
& regni initia in Asturum regione, inter ipsas gladij reliquias, & hostiles  
perfugas constituisse. Innumeri enim Ch̄rianorũ populi Maurorum im-  
peria perferētes, sub eorũ dominatu graue seruitutis iugum perpetiuntur,  
Mozarabes appellati: quod Ch̄iani mixti Arabibus essent. Ingens enim  
Maurusiorum, Numidarũ, & Afrorum, & earum gentium multitudo per  
Hispanias circũfusa immane quanta celeritate ad regiones quoq; longin-  
quas progredientes, populis ad interneconem p̄ne deletis late peruagã-  
tur. Ij; ex Christiano populo superfuere, qui captiui: aut deditiij manse-  
rant: aut quos refugia montiũ receperant. Nobilitas omnis ac Regio gene-  
re prognati ad Astures, & Fracos cōfugiunt: Pyrenēiq; claustra obsident.

Mauri Pyrenēi saltus transfressi Aquitaniam, & Narbonensem pro-  
uinciã eodem furore perciti adoriuntur. Ea tempestate Zema, siue is Se-  
nia est, Burdigalã, & Pictonum urbē expugnat. Volcarũ Tectosagũ, qui  
Gallia, quã nunc Gothiã vocant, continentur, potitur: & Francorũ natio  
nē bello lacepsit. Cum Mauri Tolosam obsiderent, Zema interēpto Dux  
Eudo magnã hostibus cladem intulit. Regio, quæ ad Aragonē amnē, vix  
tunc nisi indigenis cognitũ, & Pyrenēi culmina pertinet, xv. m. p. patens,  
& montiũ iugis, anfractibusq; conualliũ sepra, minima Vascitanę portio  
miseris, & afflictis reliquijs incolitur. Hi ab impijs gentibus ad fastidium  
perdomiti, spreti, & in mōtium vastas solitudines repulsi, in militaria mu-  
nera operas conferētes, in summa omniũ rerum inopia diuinos cultus ne-  
que deserunt: neq; intermittunt. Sacra, ac sanctorum veneranda corpora  
alia cauis mōtium, atq; humo cælantur: alia in finitimas vrbes, trans Pyre-  
næum, & in editissima castella arcentur: vt pie religio, ipsis etiã regiõibus  
ab impijs possessis, coleretur. Ex eo Aragonia terra ab amne dicta. Nã ne-  
quis exquisitius reconditã nominis rationē indagare velit, id magis verifi-  
mile vetustas ipsa edocet: cum Indiæ, Agypto, Hispaniæ vniuersę, olim  
Hiberiæ dictæ, & insigni prouinciæ Batiçæ a fluminibus imposita nomi-  
A ij na appa-

AERA. NAT. CHR.  
DCCXLIIX. DCCX.

DCCCLII. DCCXIV.

DCCCLIII. DCCXV.

AERA. NAT. CHR.

na appareant. Jam plures in iuga Pyrenæi abscesserāt: & castella rupibus indita. Bellum inde impeditum, arduum, cruentum, atque perpetuum.

Inter tot excisas, & funditus deletas vrbes, atq; ipsas in perpetuū euerfas prouincias Germanorū primo incurfionibus, qui xxi annis sub imperatore Gallieno Hispanias peruaftauere, postea Vandalorū, Alanorum, Sueuorū, atq; Gothorū, & Arabū bellis vastas, atq; desertas, vnā legimus, inter ipsa euerfionis incēdia, ab Aiubio Aboualibio Arabum Rege, supra Bilbilis vix relicta vestigia IIII. M. P. in Salonis amnis ripa conditā: Bilbilis enim Celtiberorū nobilis vrbis acri mōtis iugo sublata, atq; suspensa, siue Gothorū, siue Maurorū incendijs cōflagrauerit, præter nomen reliquæ nullæ mansere. Oppidum vero ab Aiubio conditum, & molli cliuo fitum, quod eius opus esset, & populo frequentatū Calataiubiū dictum.

DCCXCVI. DCCLYIII.

Quæ huic loco de Augerio Catalone, & magnis illis, siue Germanicæ, siue Francorū gentis, pceribus in Cataloniā transcensis, iusto coactō exercitu sacrū bellū gesturis fabula inseritur, qua ferme res antiqua alia apud vulgus nō est insignior, ne incertæ, vanæque rei auctor sim, reijci mihi digna visa est: cuius neq; p̄scis in annalibus, neq; testatis rerum gestarum monumētis vlla vestigia apparēt. Ne pro certo traderē, cum ipsius rei, de qua agitur dignitas, tum ipsi vetusti rerum Barcinonensium auctores efficiunt: qui nihil eorum gestū prodidere: propagatq; fabulā ex vana quadā Petri Tomichij ostētatione videm⁹. Scio homines prudētes, & graues, & rerum vetustarū gnaros his minime oblectari: & ab ijs, qui earum fabularū lenocinijs, & illecebris deliniātur mihi vitio verti nō posse, aut calūniā adhiberi, si res eas inanes, & fuciles homo peregrinus reiecerim: quæ a Hieronymo Paulo Barcinonēsi viro antiquitatis peritissimo, patrum nostrorum memoria, non sine conuitio exactæ, & explosæ feruntur.

Cum æqualis illis tēporibus scriptor nullus exstet, in summa obscuritate rerum gestarū versamur. Vetus rerum Aragonensiu auctor, qui ante ccc annos Regū facta cōposuit, in artificio, & opera quā tenui, & exili, quū alias nullā adhibuisse diligentiam videatur, in recensendis regni originibus lōge se, & cæteros omnes superat: sed falso quæ sita propria gentis laus leuiorem auctore facit: præsertim cum Rudericus Simenius Toletanus antistes propior tēporibus harum rerū scriptor, & longe vetustior, apud quē clariora, certioraq; domi, militiq; gesta exponuntur, Reges, quos ille noster cōmemorat, silētio prætermiserit. Hic vero prodit Garcia Simenium cum vxore Innica primum, ex quo Mauri Hispaniarū potiti sunt, in Vasconum regione regnum cōstituisse: quod Navarra posteri vocarunt: & hoc anno Aznarium Comitē Aragonēsisibus præpositū fuisse: Oscæ vero regnum Abdurrahamenē Maurū obtinuisse. Tamē hunc Regem Garcia, & v. ex ordine sequētes, cum a nullo alio vetusto scriptore cōmemorētur, & illa cōmentatio rerum obscuritate penitus inclusa in veritatis lucē, aut rerū gestarū, aut certa tēporū serie proferēda esset, cogimur nuda tātū nominū cōmemoratiōe recēdere. Ipsa vero regni primordia in Vascitania cis Pyrenēū facta idē auctor, vt Regni a Pelagio inter Astures, & Cātabros cōstituti initijs adæquarent, altius repetita hæc fuisse cōmemorat: vt Navarra regnū Garcia Simenio attribuat: Aragoniæ vero Comitātū Aznario.

Præterea, sicut ab eodē proditur, rē exponendā cenfeo: ne vetusto scriptori, & sacris cœnobij vetustissimi Ioannis Pinnatēsis addicō fides abrogetur.

getur. Mauris Hispanias debellatibus, qui eorū furori superflites fuerant, alios in Asturiā, Ordoniā, & Viscaiā, in mōtosa alios Suprarbī, Ripacurciā, & Aragoniē loca se abdidisse: arcesq; & castella ex ædificasse. Omnes eas regiōes a Maurorū se dominatu, & imperio liberasse. Astures Pelagiū sibi Regē adsciuisse. Tamē is auctor re ipsa, & superiori, & inferiori sententia satis sibi cōstare videt: ita em̄ subdit: Circiter ccc qui hostilia arma euaferāt, prope urbē Vasconū Iaccā in deuos saltus recessisse: Vroelū montē obsedisse: vicinū collē obijcibus viarum difficillimo ascensu, atq; aduersis montiū arduū, & infestum Pañon vocatū, vicatim habitasse: castellis, atq; arcibus cōmunisse: & oēs suas copias eo cōtraxisse. Ea tamē p̄sidia breui ab Abdemelico Abēcatano Abderrahamenis Abenmōzauia Cordubēsis Regis duce diruta: atq; euerfa fuisse cōfirmat. Eo tēpore virū in primis venerandū noīe Iohannē in spelunca delubrū D. Iohāni Baptistæ sacrū construxisse: cuius & viui, & mortui insignis sanctitatis fama ad oēs vicinas regiones fuerit peruagata. Eo se mox applicuisse Othonē, & Felicem fratres: Casaraugusta p̄fectos: tamquā in regiōnē, quā in oēs partes solitudines clauderent: eosq; cōsecutos fuisse Benedictū, & Marcellū: oēs sanctitate insignes viros: eiusq; sacri secessus solitudinē Garcia Simenio regnāte, p̄pter religionē loci pie, sancteq; ob omnibus fuisse habitā, cultaq;. Satis hæc fuerint manifesta indicia & hostilis furoris, & cōmunis exitij: vt nihī lominus Aragonia Regio a crudeli dominatu oppressa fuerit, quā reliquæ opimæ, fertilesq; nationes: & æquis, planisq; locis expositæ. Inde certe, & singulorum gesta, & publica monumēta rerum, si quæ existerāt, prorsus interiere: vt nō desint, qui propius fidem esse existimēt, eos sex principes, quorū is vetustus scriptor meminerit, Regiæ dignitatis apicem in Suprarbiēsi, & Pōpelonēsi regno minime fuisse adeptos: sed militari munere functos, earum regionum duces, et collecticiarū copiarum quasi signiferos fuisse: vt rerum maxime scitu dignarum memoria non modo vacillet, sed potius iaceat. Is rerū status erat: vt quicunq; siue duces, siue Reges summa rerū præfuerint, grauisima illa tēpora, quæ diu perpessi sunt, fortissime sustinerēt: loca idonea opportunaq; p̄sidijs occuparēt: ne hostes intrare ad se, atq; interiora munire possent: oppidaq; circumunire cōperūt.

G A R C I A S S I M E N I V S.

G A R C I A S I N N I C V S.

F O R T V N I V S G A R C E S I V S. S A N C T I V S G A R C E S I V S.

S I M O N G A R C E S I V S. G A R C I A S S I M. F. G A R C E S I V S.

Simone Garcesio, & Garcia eius filio mortuis idē auctor est regnū diu custode, gubernatoreq; Reip. caruisse: nulla ab eo Aragonensiu Comitū mētiōe facta, præterquā, quod Fortunio regnāte Aznarius Comes Aragoniē decesserit: cui hæres successerit filius Galindus. Ab eodē solo proditū est, penes quē fides sit, Sanctio regnū adepto, Mauros Gallaicis victorijs exultantes Pyrenæum transcendisse: ac Tolosam vsq; Galliam incurrisse, copias Ch̄ianorū, quæ ad S. Iohannis speluncā conuenerāt, dc. virorum numerū cōpleuisse: & Innicum Aragonensem Ep̄m cōnobiū cōsecrasse.

Carolus Francorū Rex, qui rerum gestarū gloria, & Imperatoris, & Magni nomē est cōsecutus, Ch̄ianorū populis Pyrenæi saltus obsidētibus, a quibus primū montiū claustra, iugaq; ipsa sunt perdomita, vt quisq; maxime opis indiget, opitulatur: fidei hostes bello persequitur. Ad eā diem Maurorū imperium, ac ditionē in Hispanijs Præfides obtinuisse, neq; Re-

ARRA. NAT. CHR.  
DCCXCVI. DCCLIIIX.

DCCXCVI. DCCLXXIIX.

AERA. NAT. CHR.

giam dignitatē antea fuisse cōsecutos a vetusto scriptore memoriæ proditū cōperio: Cordubæ vrbe Patricia, vt prisca tēpora tulerāt, tunc vero iam Regia, regni sede constituta. His in diuerfas factiones, & ditiones diffusis, atq; dispersis, vt intra suā cuiq; patriā regnū finiretur, hoc anno Carolū in Hispaniā trāsgressum, inter antiquos rerū scriptores cōstare video. Pōpelo vrbs Vasconū in primis nobilis, cum haud multū ab hostili expugnatione abesset, deditiōe irruptionē euasit. Cū Cæsaraugustā AEdetanorū celeberrimā vrbe castris circūsedisset, Mauri ingenti pecuniæ vi collata, & obsidibus traditis vrbe dedit: Ibnabala regulo, qui sub Regijs signis meruerat, Cæsaraugustanis præposito. Cū in Aquitaniā Carolus regredi, Pomponis muri euertuntur: atq; diruuntur. Franci Pyrenæum transcendentis a mōtanis male multantur: eorum copiæ funduntur: diripiunturque.

DCCCXXIII. DCCLXXXV.

Mauri, qui Gerundæ Aufetanorum vrbs potiuntur, sub Caroli imperium, ditionemque deueniunt. Barcino Laletanorum ciuitas illo sæculo amplissima, atque ornatissima Francis obtemperat. Hostes continentibus bellis Barcinonenses adoriuntur: atque vi expugnant.

DCCCXXIX. DCCXCI.

In eum statum Asturum Reges rempublicā adduxerāt, vt in ijs regionibus, quæ ad Oceanum pertinent, vsq; ad Ocaionem Pyrenæi promontorium late dominarētur. Cum Cātabris, & Vardulis Vascitanæ finitimis qui in eorum ditione erant, Pompelonenses, & Iaccetani adiungerentur, auxilia, & duces aduersus Mauros mutuo, vicissimq; arcessuntur. Alfonso cui Casto cognomentū perhibetur, ab Asturibus ad regnum deligitur.

DCCCXXX. DCCXCII.

Felix Vrgellitanus Epus, vt in annalibus rerū a Carolo Magno gestarū perhibetur, hæretica prauitate imbutus, cōposito libro impium, & execrabile dogma prodēte, cum eius erroris, atq; hæresis, præfente Carolo Rege in Baioaria ab Episcoporum concilio esset conuictus, & Romam ad Hadrianum summum Pontificem reiectus, in eius conspectum productus in Basilica S. Petri hæresim abiurat: scelerisque detestationem deprecatur.

DCCCXXXV. DCCXCVII.

Cum Zaëtus Maurorum regulus Barcinonem Caroli Regis Francorū ducibus tradidisset, Aquisgranum ad Carolum pergit: seq; Regi addicit.

Ludouicus Caroli F. Oscam Ilergetum vrbem oblidet. Azenius regulus se illius legibus, & Imperio subiectum tradit.

DCCCXXXVI. DCCXCIX.

Prædones Mauri clasibus ex Hispaniæ portibus in omnē oram maritimam peruagantes Baleares insulas incurrunt: & depopulantur.

Alfonso Rex Gallicæ, & Asturiæ regionibus Lusitaniam inuadens, & assiduo bello Mauros persequens, cum Olisiponem celebrem Lusitanæ vrbe oppugnasset, diripissetque, vt Regino, & Annonius prodidere, Fruelam, & Basilicum legatos ad Carolum cum Regijs donis mittit: & tam longo locorum interuallo disiuncti, magna armorum societate aduersus impios hostes, & in republica gerenda coniunctione coiere.

DCCCXXXIX. DCCCI.

Ludouicus Caroli F. Aufetanorū, & Ilergetū regiōibus Mauris bellū infert. Euerfione, ac populatiōe agros, ac tecta vastās Ilerdam vi expugnat. Oscam circumsidet: summaq; virium obstinatiōe à ciuibus propugnatur.

Barcino bienniū obfessa, quod Zaëtus a Rege defecisset, in Ludouici potestate redigē. Barcinonē sibus BERNARDVM Comitē præficit. Is, quæ comitū ratio, munusq; præcipuū erat iuridicūdo, & bello gerēdo dux creat.

DCCCXL. DCCCII.

Tarraco Cosetanorū vrbs nō modo primaria, sed totius puinciæ Hispaniæ citerioris caput, firmamētū quondā imperij, dignitatisq; ornamentū, Gothorum,

Gothorum, & Maurorum bellis exinanita Ludouico deditur: qui bellum Aufetanorum, Ilergetū, & Ilergaonum regionibus promouens Hiberum traicit: Dertofam urbem castris circūfessurus. Hifembardus, Hademarus, Bernardus, & Borellus Ludouici copiarum ductores mediterraneis locis pugnas, & strages edunt. Villārubeam Ilergaonū oppidum, quod vndique locorum natura continebatur, diripiunt. Nostri ex eo vastare, vrere, trahere praedas.

Vvigebertus Caroli copiarum praefectus hostes acri persequens bello, prope Dertofam signa conferens proelio cum hostibus decertat. Cum victor euaderet, vrbis tamen non est potitus.

GALINDO Comes Aragonensis Aznarij Comitis F. Is, vt memorent, cum culmina Pyrenaei iam quasi perpetuae possessionis causa occupauisset, iugaq; ac praerupta montium munisset, castellatimq; firmasset, Ataresiā arcem, & aliquot eius regionis oppida, quae Vasconū, & Ilergetū confinijs continētur, condit. A comūeri S. Martini Cercitenlis cœnobii construxit: alij D. Iohanni dicatum ferunt.

Pompelonenses, & Vasconū copia, qui saltus Pyrenaei obsederant, ad quos omnis aditus, qui pæne solis patuit, obstructus erat, cum à Maurorū dominatu defecissent, Francorum regno se, suaq; subiiciunt. Annonius.

Mauri ex Hispania praedones, cum in sinus interni maris incurfarent, in Sardinia praedas facientes profligantur. Cum in Corsicam traiecissent, deuictis, atque in naues compulsis magnam Corfi cladem attulerunt.

Ludouicus bellum in Ilergaonibus continenter gerens, cuius ductorū Heriberti, Luitardi, & Hifembardi virtus egregia enituit, Dertofam eius gentis primariam urbem vi expugnat.

Aurelius Comes, qui à Ludouico finibus praefectus Oscensium, & Caesaraugustanorum ditionibus imminet, à Mauris eluditur. Fraudibus enim atque fallacijs tempus ducentes, magnam Carolo Imperatori spem afferunt, in eius se potestatem redacturos.

Vasconum populi, quorum fines ad summum Pyrenaeum pertinent, qui ditioni se, & regno Caroli subiecerāt, ab eo deficiunt. Ijs turbantibus Ludouicus Pyrenaeum transcendit: & Pompelonem aduentat: maiorque eorum pars in eius se potestate tradit. Carolus Asturum regnum Bernardo nepoti appetit: & vti ab Alfonso Rege adoptetur, summopere contendit. Magno comparato exercitu cum Pyrenaeum esset transgressus, Astures, Gallaiciq; proceres externum dominatū formidantes Bernardo Carpio Regis Alfonso sororis F. ductore, & Marfilio Caesaraugustani populi Rege adiuncto, obuiam Carolo prodeunt, in ipso Pyrenaei transitu, vt praedicant, Francos calamitose illo, & nunquam satis decantato proelio fundunt. In eo certamine fortissimos quosque duces, & primarios viros interisse, & Rhollonem in primis Britanniae Ducem, in cuius persona, veteres heroum fabulas, & mirifica gesta, fictosque luctus imitantur, constans est opinio: ad vulgarem, popularemq; sensum mire accommodata.

Heribertus Caroli copiarum praefectus Oscam obsidione premit. Mauri acerrime propugnant.

Carolus Imperator Aquis degens K. Februa. euita excedit. Ludouicus Caroli Augusti patris morte ad Imperij gubernacula adscitus, rebus mox in Germania, & Gallia magno seditionum motu, atque impetu

AERA. NAT. CHR.  
DCCCLII. DCCCXIV.

ruentibus, à sacro bello inferendo, & à sperata gloria regni in Hispania cōstituēdi defistit. Hispaniē sibus bellis ductores in Septimania, & Catalonia, atq; Vascitania præficit. Cataloniā prius Catteloniā à Cattelanis populis, siue ij Ptolemæo Castellani sunt, dictā firma, & stabilis opinio mihi insita est: Gothalanorū nomine explorato: quo vsos nō fuisse veteres auctores, certo scimus. Ea Cattelananorū regio ab oriente Ausetanis, à meridie Laletanis cōtinetur: à septētrionibus vero, & occasa Lacetanis, & Ilergetibus terminatur: in cuius nomen vicinae regiones paulatim cessere.

Aragoniae Comites, qui ea tempestate Aragonis, & Gallici fluminum ripis, & Pyrenæi cōuallibus ditionem sibi cōstituerāt, castellaq; munierāt, & aditus omnes claustris, & præruptis mōtium obseptos tenuerant, incredibilem virtute Aspa, Suprarbio, & Ripacurcia auxiliaribus copijs cōtractis, & ciuitatib; socijs in spem prædæ traductis acre, & magnum bellum summa virium cōtentione Mauris inferunt: cum primo neglecti, & saxorum asperitate, atq; impendentium montium altitudine, ac mox incultorum locorum sterilitate, & vasta solitudine freti terribiliores virtute hostibus esse cœpere. Breui ingens coalita multitudo Gallici fluminis conualles occupat. Fons eius ex summo Pyrenæi cacumine aquarum diuortio defluens, & magno strepitu excurrens loco Salientis nomē indidit: & quasi ex ipsa Gallia maiore vi, ac mole agentem vndas, & Vascitaniam ab Ilergetum regione terminantem Gallicum appellauere: qui summa tellure flexu deuius Cæsaraugustano in agro in Hiberum influit.

Bernardus Comes Dux, atq; Marchio, ea enim cognomina rerū gestarū dignitate iure merito præfert, Ripacurciæ regione, quæ iugis mōtium cincta latis, & fertilibus agris culta, atq; referta est, dignus potestate, & dominatu habitus Theudā Galindonis Comitis filiā ducit. Is, vt ex vetustis annaliū monumentis eruiamus, Caroli Magni auorum stirpe ortus, eo genus ducebat: cuius virtute, cū maiore Suprarbij, Ripacurciæ, & trans Nucharīā fluiū Paliarēsis regionis partē Mauri potirentur, mōtosis, & præruptis munitionibus exturbātur: & lōge, lateq; eius regionis vrbes, oppidaq; sub Imperiū, ditionemq; suā subiunxit. Suprarbia terra supra Arbrem montē, qui Vero, & Cinga fluminibus terminat, ad Pyrenæi valles Ilergetum regione pertinens, & cæli tēperatione, & agrorū fecunditate, vbertateq; nobilis, merito his temporibus regni nomen sortitur. Eius regionis Ainsa est per vetus oppidum: & quodāmodo arx primaria: ipso situ loci præcellens. Quod supra Arbrem mōtem, Pyrenæum versus late patet, Suprarbium dictum. Nostri Calasancium vsq; saltus, atque aditus omnes a Gradu, quem Aras vocabant, in eum tractum, qui S. Christophori Gradus vocatur, & a fluuiō Isauena ad iugū, quod incolæ Ripacurciæ castellū vocant, & munitionibus, præsidijq; obstruūt, & regionis eius solitudinē incolarū cœtu frequentant. Plura a Bernardo Castella atq; arcescōstruant. Sub Ripacurciæ mōtis crepidine, in ipsa Isauenæ ripa cœnobiū qd̄ Ouarrā vocant, exædificat. Paliariensem in Lacetanis regionē, quæ Pyrenæo late fundit, & impēdētū mōtiū iugis cōtinet, ab impiorū dominatu vindicat.

Eodem tempore Comes alter Bernardus prouinciæ Narbonensis, & Septimaniæ præses, earum regionum finibus rem bellicam administrat: Comes, & Marchio Barcinonensis sub Ludouici imperio, eius auspicijs militans cognominatur. Septimania id temporis vetus nomen retinuit:

cuius



cuius quondam regionis caput Bliteræ exstiterant.

Frodoinum Ep̄m Barcinonensem Ludouicus Imperator fouendum, atque ornandum in sua ditione suscipit. Ecclesia Barcinonensis sacrosanctæ Crucis inuentioni dicata, qua in æde D. Eulaliæ corpus cõditum fuit, reficitur, cõsecraturq;: cærimoniæ sacræ summa cū religione instauratur.

Sexto regni Imperatoris Ludouici anno omnium Sanctõrum festa celebritate Sisebutus Vrgellitanæ ecclesiæ Ep̄scopus Vrgelleti tẽplo sacræ eius diocesis sedem cõsecrat, dedicatq;: asidẽte Seniofredo Vrgellitano Comite: qui Vrgellitani Comitatus ditioni, potestatiq; ab Imperatore Ludouico præfektus erat. Diocesis iisdẽ finibus cõstituitur, qui Caroli regno attributi fuerat: & ecclesiæ Bergens̄is, Cæretana, Paliariens̄is, Cardonens̄is, Riparcurciens̄is, Anabiens̄is, Erbiens̄is, & Gestabiens̄is eidem cõtribuuntur. Ea sanctio summorũ aliquot Põtificũ scito, atq; decreto, & Ludouici ope firmata.

Ermengaudus cis Pyrenæum Indigetum regione Emporitanus comes classe adornata Mauros Hispaniarum prædones piraticam facientes Gallico, & Hiberico mari felici euentu est persecutus: & gloriosam victoriã ab Abdurrahamene Mauro ductore consequitur: qui Cataloniæ oras continuis incurfionibus non destitit populari: & ferro, ignique agros vastauerat Barcinonensem, & Gerundenfium.

Berga, & Ausa incolis, atque habitatoribus frequentantur. Comites earum ditionibus Ludouici sacramento præficiuntur.

Cardona, aliæque arces earum regionum incolarum præsidio firman- tur. His, vt Annonius est auctor, Borellus Comes præficitur: quem Vrgellitanum principem illa ætas cognominat. Is ex Engelrada vxore Ermengaudum, & Engelradã liberos habuit. Castrum vetus ecclesiæ Vrgellitanæ condonat: quod sibi Caroli Magni successione quesitũ cõmemorat.

Res Aragoniæ a tam aduersis inijs, & exilibus pfecta, cū paullulũ iam roboris, ac firmamẽti inuastis, & desertis locis accessisset, fidei, & religiõis constantia, diuino noĩe omniũ virtutũ originẽ, & pgressiõẽ assequunt.

Bernardus Barcinonensis Comes clam aula Regia Francorum aufugit: quod ij, qui Bernardi Caroli Augusti nepotis regno summæ rerum consulunt, vehementes accusatores essent, cū Augusta eum fuisse adulteratum. Neque memoriæ proditur quis Bernardo in ea præfectura successerit.

Cum Ludouicus Imperator Lothariũ filium Vormaciens̄i cõuentu dimisso, in Italiã cū Imperio præmississet, Bernardũ Comitẽ Barcinonensẽ, qui Hispano limiti, Marchã vocabat, præfuerat, Regio cubiculo præficit: scilicet vt Francorũ annales memorat, camerariũ in palatio suo cõstituit.

A. D. XLI. K. Iul. Ludouicus Imperator decedit. Lotharius F. ad imperiũ adsciscitur. Bello inter fratres coorto, Frãcorũ regnũ Carolo Caluo cedit.

Carolus Caluus Francorum Rex Barcinonensibus siue Hispani, siue Gothi essent, immunitatem, libertatemque elargitur, qua Franci vt assueuerant: permittitque, vt Gothicis legibus iura inter se, foraque constituant.

Barcinonensis, Emporitanus, Ruscionens̄is, Cæretanus, Vrgellitanus, Paliariensis, Bergitanus, & Ripacurciensis Comites Francorum Regi Carolo vt præfektũ, copiarumque militarium ductores parent.

Ex Bigeronibus Aquitanæ ciuitate Innicum cognomento Aristam Simonis filiũ adscitum, & ad militaris Imperij ductum ab ijs, qui Pyrenæi claustra, præsidiaq; firmauerant, euocatũ, atque delectũ vetus, & publica opinio est:

ARRA INAT. CHR.

DCCCLIX. DCCCLXX.

DCCCLXVI. DCCCLXXIX.

DCCCLXXXIX. DCCCLX.

DCCCLXXXII. DCCCLXIV.

DCCCLXXXIII. DCCCLXV.

AERA. NAT. CHR.  
DCCCLXXXIII. DCCCXLV.

opinio est: quæ ex antiquissimis nostrorum litteris, atq; monumentis constat. Eum principem virum rebus præclare e dignitate Imperatoria gestis ad regnum merito arcesitum apparet: ut cui summa totius belli, omnium voluntate deferretur, is iure regnum obtineret: quod militari concursu, atq; consensu ad eum delatum esset Imperium: ut certo iure, ac legibus militariibus, & civilibus in Maurorum perniciem sub unius potestate convenirent. Nam non abnuerim eos Principes, qui in Asturibus, & Vasconibus Hispaniarum eversioe primi Regale munus, ac nomen usurpauere, maxime illis assimiles fuisse, quos perhibent, cum Regia dignitas primo constituta est, tamquam perpetuos militarium copiarum ductores, atq; imperatores a populis delectos fuisse. Bene enim gerendæ rei, ut ferunt, & iustitiæ fouendæ causa bene morati Reges olim & cognominati sunt: & constituti: ut plane regnum Innici Aristæ concessu, & beneficio militum, non ciuitatum, quæ nulla fere eo tempore cis Pyrenæum instituta, aut perdomita erant, constitutum esse videatur. Huius tamen initia regni, certaue tempora notare non asum: quod vetusti scriptores ea minime posteris prodiderint: neque incorruptis, quod sciam, monumentis innotuerit. Coniecturam tamen facere possumus exitiosa coniuratione aduersus Ludouicum Imperatorem a filiis summa impietate facta, & patre ab Imperio deturbato, & in coenobium incluso, postremo dissidentibus inter se filiis, & de regni ditionibus armis decertantibus aditum ad pauperis regni nomen Innico & pugnaci, & strenuo in primis viro cis Pyrenæum fuisse patefactum: quod ex horridis initiis, & abditis, & motosis sedibus, atque speluncis, cum bella finitimis, non tuendis, sed proferendi imperij causa iam inferratur, vi, & diuino numine mirabiliter in tantum fastigium euaserit. Pampelone Vasconum vrbe primaria sedem regni, atque Imperij domicilium collocatum memorat. Nostri in Suprabia terra Ainsæ constitutum arbitrantur: ac leges tunc latas ferunt, quibus fori Suprabienomine inditum sit: quas rudibus hominum animis, & militaribus ingenijs, utpote bello viuere assuetis, montanis, atque agrestibus simplicibus, & militares fuisse apparet. His legibus & in Nauarra Regno, & Guipuscoræ regione iura dici consueuisse vetustus scriptor refert. Iohannes præterea Simenius Cerdanus, qui Præfecturam, quæ vocatur iustitiæ Aragonum, plures annos aurore ætate gessit, cuius præstantissimi viri magna est apud omnes, & in primis grauis auctoritas, prodit eundem magistratum, cui nostri summam rerum deferunt, initio regni constitutum: ut quemadmodum apud Lacæ demonios Ephori Regibus oppositi fuerat, sic apud Aragonios is magistratus vim maiorem, atque impotentiam Regiæ potestatis coerceret: & quodammodo præses, atque custos libertatis haberetur. Inde eum magistratum introductum ferunt: præsidia comuni libertati suppeditantem: cuius vis in libertate retinenda emineat: ut nemo ius suum amittere posset, nisi qui eum gerat, auctor sit factus: & in posterum certum mansisse per fugi aut intermissam, aut retentam libertatis: adeoque integrum, purumque esse voluerunt, ut ipsius iustitiæ nomine insignitum produxerint. Aragonensium certe legum, atque institutorum serie liquido constat, magnis interditorum præsidij eam præfecturam septam fuisse: atque communitam: cum regno latius patente, de libertate retinenda maiores paulatim cautum sibi decreuere: ne in posterum extraordinarijs potestatibus libertas adimeretur: neue quid de eius magistratus dignitate minueretur. Huius principis præstanti virtute no-

te nostris animi adduntur: ac veluti e latebris, ac præruptis montiū se eripiunt. Cum maiestatem quæ sitæ dominationis firmasset, bellum aduersus hostes, qui Suprarbi, & Ripacuriæ arcem obsederat, magna viriū contentione infertur: & geritur. In plana Põpelonis loca, atq; conualles, Nauarâ incolæ vocauere, regni fines, terminiq; proferuntur: & regni nomē producit. Nostris inaccessi primo montibus, & inuis regionibus septi, mox veluti ex superioribus locis irruentes, tamquã turbine aliquo, aut subita tēpestate hostes proterunt: atq; peruertūt: neq; Mauri inuiti planis, & irriguis cõuallibus, delictisq; affluentibus montofas, & horridas cautes commutant. Diuinum numen, cœlestiaq; signa Christianorū exercitu proeliantē apparuisse, vetus opinio, iam vsq; a priscis tēporibus aucta Aragoniam oppleuit: indeq; regia insignia exorta argentea cruce in summo scuti cyanei coloris vmbone dextro appofita, & cuspidatim ab imo præacuta memorant. His insignibus prisci Reges militari, regioq; ornatu decora consueuerant: indeque defluxisse constanti fama, atque omniū sermone celebratur. Hinc enim perpetuū ornamentū regni effluxit: indicium verū, & insigne cœlestis numinis: cuius diuino munere tantæ res gestæ fuere. Inde generis, nominis, atque decoris insignia, & ornamēta a principibus nostris preferuntur. Iam vero Innico Aristæ Regi Simonem patrem Regem effingere, res plena futilitatis, summæq; leuitatis esse conuincitur. Aristæ præterea nomen inditum inde commemorant: quod is esset impetus animi, ea cupiditas manus cum hoste conferendi, vt veluti spiraculum aristæ ardore flammæ conflagraret.

**INNICVS ARISTA SIMONIS F. SVPRARBIENSIVM ET POMPELONENSIVM REX.**

**VVIFREDVS COMES BARCINONENSIS.**

Vetustus auctor rerum a Comitibus Barcinonensibus gestarum perhibet Vvifredum, qui hoc tempore Barcinonis gubernadæ, & finium tuendorum, & propagadorum munus obierat, castelli Arriæ Cæretanæ regionis ad confluentes Thelis amnis, eiusq; ditionis dominatum possedisse.

Senior Cæsaraugustanus Episcopus.

Vvilefundus Pompelonensis Episcopus firmo, & graui D. Eulogij testimonio præclari antiflites.

Vvifredus Barcinonensis Comes in regia Francorum aula Regi assidens a Salomone Cæretaniæ Comite interficitur.

Cum Innici Aristæ Regis obitus tempora mihi dubia sint, si pro certo, atque concessio sumerem, aut inanis operæ, aut confidentiæ crimen esset extinescendum. Eo fit, vt eius regni, & aliquot posterorum Principū tempora, qui regnum a iure sunt adepti, neque a me excutiantur, neque explicentur. Ad Saluatoris in Legiriensi cœnobio sepultum vetus rerum Aragonensium scriptor perhibet: & ex Theuda vxore Garciam Innicum filium susceptum patri successisse. Multo vetustior earum rerum auctor prodit anno Domini **DCCCXLXI** Garciam Innici Aristæ filium mortuo parente regnum obtinuisse.

**GARCIA SIMENIS F. II. SVPRARBIENSIVM ET POMPELONENSIVM REX.**

**FORTVNIVS SIMENIVS ARAGONIAE COMES.**

**GALINDO AZNARIVS ARAGONIAE COMES.**

Mahoma-

DCCCLXXXVII. DECCCLIX.

DCCCXCVI. DECCLVIII.

DCCCC. DCCCLXII.

AERA. NAT. CHR.  
DCCCXYI. DCCCLXIIIX.

Mahomades Abdurrahamenis F. qui Hispaniarum prouinciarum Imperium sub sua ditione constituerat, & in suam potestatem redegerat, ac regale solium Cordubæ collocauerat, ea namq; vrbs quōdam florentissima, ac potentissima Mauris victoribus, & summo eorum dominatui domicilium, ac sedem præbuit, exitiale bellum Vasconibus infert: qui Pyrenæi iugis effusi Hiberū attingunt. Nauarri postea cognominari cæpti. Pompelonensem tractum Mauri vastant: regionemq; circumcirca depopulantur. Tris insignes arces ea irruptione expugnatas ferunt: quarum nomina auctor Arabicæ historiæ suppressit. Is eam rem prodit hoc anno gestam: qui in c c x l v i regni Mahmetis incidit. Vna earum arce expugnata commemorat virum primarium Fortunium captum Cordubam perductum: & x x demum anno magnis cum donis, muneribusque dimissum: & adeo exacta ætate confectum, vt c x x v i annum compleuerit. Sunt qui arbitrentur eo tempore nostros se in speluncam ingenti montis crepidine, cui Pano nomen erat, abdidisse: atque in eo natuæ specus antro, quod omni aditu circumcisum, atque diremptum erat, veluti in religioso, ac sacro loco deserto, & ab hominum accessu semoto, templum S. Iohannis fuisse constructum. Ad d e præterea cum vxoribus, & liberis in eum locum vltima desperatione perterritos profugisse: atque non modo in diuinarum rerum contemplationem versos, in assiduas preces, suppliciaq; se effudisse, sed in propulsandis hostibus strenuam operam nauasse: & alijs aris admotis summam venerationem sacri secessus audentibus rem publicam ex eo instaurari cœpisse: & regni initia fuisse deducta. Temporum ratio nō discrepat ab ea re gesta, quam Rudericus Toletanus Antiltis prodit, Ordonij Regis, eius nominis primj regno accidisse: sed in quem annum conferri possit, haud quaquam liquet: Muzam Gothicæ gentis virum domo, ac factione Mahmeticæ sectæ additum à Rege Cordubensi defecisse: Toletum, Cæsaraugustam, Tudelam, & Oscam vi expugnasse: in Cataloniam, & Galliam Gothicam irrupisse: horribilesque cædes, ac strages factas: Carolum Francorum Regem, ne in rerum omnium discrimen veniret, donis, ac muneribus hostes deliniuisse: & tam aduersam, & turbulentam auertisse tempestatem.

#### VVIFREDVS VVIFR. F. COMES BARC.

DCCCXXII. DCCCLXXIIIX.

Vvifredus Barcinonensis Comes VVifr. F. vt à plerisque traditum est, ditionem omnem, quam antea præfecturæ munere, & militaris imperij auctoramento, & dignitate Comites Barcinonenses obtinuerant, proprii iuris, ac dominatus functione sibi, posterisque pacto conuento quietam retinet. Supremam vero iura dominatus, ac potestas integra Francorum regibus excipiuntur.

DCCCXXVI. DCCCLXXXIIX.

Garcias rex paterni decoris gloriam consecutus Innici patris regnum adipiscitur. Jam enim vsu inoleuerat, vt continua regna stirpi traderentur. Is & laude paterna concitatus, & diuino instinctu, promouendorum finium cupidine Mauros bello persequitur: nec suos modo fines ab hostilibus excursionibus tuetur, sed suorum virtute regnum auget: & rempublicam in dies amplificat: cuius dignitatis augendæ rebus prospere gestis impulsus, finitimos armis, aut metu sub imperium, ac ditionem cogit. Vrracam, siue vt alij volunt Enengam Fortunij Simenij Aragoniæ Comitis

Comitis F. vxorem ducit. Simillimum tamen veri apparet Endregoto Galindo patre, Galindi Aznarij Comitis F. fuisse genitum. Iam vero Aragonenses Comites nulla certa temporum complexione a vetusto auctore produntur. Tamen tabulas exstare video, non archetypo exemplari descriptas, quibus testatum accipi AERA DCCCXCV Galindonem Aznarium Comitem pietatis causa aliquot prædia donasse Ecclesiæ beati Petri, quæ in pago, qui Sirefia dicebatur, condita fuerat: regnante Carolo Rege in Francia, Aldefonso in Gallia Comata, & Garcia Ennecone WOOOON . . . . . Pompelone. Galliciam vero Gallix Comatæ nomine designari, aut per ridiculum, aut certe inauditum, reconditumque videri potest.

Cœnobium in Riupullensi pago ab Vvifredo Comite Barcinonensi D. Mariæ dicatur. Daginus Abbas monachorum conuentui præficitur. Eo in cœnobio Vvifredum seniore sepultum ferunt. XXXXX . . . . .

Elleca Cæsaraugustanus Episcopus A. D. II. Non. Mai consecrationi Sifnandi Compostellani Episcopi cum Naustio Comimbrensi, Argimiro Lamecensi, Recaredo Lucensi, Homando Egiditano, Theudemiro Vifensi, & Iacobo Auriensi Episcopis assidet. In ea enim condicione rerum respublica Christiana constituta fuerat, ex quo fidei hostes prouinciarum Hispaniarum potiebantur, vt in eum statum perueniret, quo & si oppressos seruiture, atque afflictos piorum cœtus tenerent, in his tamen ciuitatibus, quibus Episcoporum sedes stabilitæ fuerant, & Archiepiscopi, & Episcopi præsiderent: & terminatas dioceses ab Vvamba Gothorum Rege definitas obseruarent: pios, & sacros cultus retinerent: & piorum populi, quoad eius fieri posset, tamen aliqui a proprijs sedibus extorres in Gallias profugerent, aut apud immanes, & efferatos hostes in lautumijs, & ergastulis conficerentur, acerbissimumque seruitutis iugum perferrent, in religionis cultu tuendo, atque conseruando Maurorum conatibus obuiani ire niterentur. Quamuis septi, stipati semper, atque inclusi, & non quotannis modo, sed in dies tributa conferent, & sanguinaria impiorum iuuentus inimicissima esset, Episcoporum tamen sanctitas, & Christiani populi pietas Deum opt. Max. placatum efficere nitebantur. Statæ inde, sollempnesque cærimonie Pontificatu continebantur: & Christiana religio pio cultu a maiorum institutis non abhorrebat. Cæsaraugustæ satis constat, reliquis sacris ædibus, siue fartis tectis, siue de populatis sanctum, & religiosum templum D. Mariæ virgini dicatum, quod vulgus de Pilari nuncupat, miseris illis temporibus sanctitatis, religionis, & consilij publici tamquam sacram aram, & perfugij portum nostris fuisse. Vnde & Ellecæ, & Seniori, ac superioribus, posterioribusque Episcopis, Ecclesiasticoque cœtui sacrosancta ea ædes sedem, ac domicilium præbuit: atque inde amplissimos, & maximos honores eius fani antistitibus semper habitos, & verustis tabulis, & memoria superiorum temporum pro certo firmare possumus. XXXXX . . . . .

Garcias Rex ad Larumbem Nauarræ oppidum signa cum hostibus cõferens prælians interficitur. Eam pugnam in Aiuarua valle pugnatam vetus rerum Aragonensium scriptor memorat. Cum regina prægnans filiũ aluo contineret, siue eo proelio, siue vt idem perhibet, incurstantibus postea hostibus occisam ferunt: & infantem enecta parente genitum: & cefo vtero exectum. Is enim rerum statas erat, vt inter horridas cautes, ac mon

DCCCXXVII. DCCCLXXXIX.

DCCCCXXX. DCCCXCII.

AERA. NAT. CHR.

tium claustra, & perpetuas excubias e contubernijs hostis conspiceretur: & continentibus bellis, assiduisque incursionibus manus conferentur, cum non tirocinia solum, verum etiam incunabula in ipsis castris ponerent: quorum pueritia inter varios bellorum conflictus militia videri poterat. Nutricium pueri tali sorte geniti, alij ex Gueuara, ex Abarca alij familia fuisse commemorant: cuius prouido, & sagaci consilio, & educatus clam infans fuerit, & ad regni fastigium sit adscitus.

DCCCCXLIII. DCCCCV.

In peruetusto codice Conciliorum cœnobij S. AEmiliani Cogullensis nuncupati, quem AERA MXXXIX a Belasco Sisebuti Episcopi iussu descriptum Gothicis litteris vidimus, qui nunc in Regia S. Laurentij bibliotheca magna vetustatis veneratione asseruatur, memoriæ traditum eadem librarij manu comperimus, Sanctium Regem Garciae E. Pompelonenae AERA DCCCCXLIII regnum obtinuisse: eamque urbem suo subdidisse iuri: territorijque omnis Aragonensis dominatum tenuisse: ac regionis, quam Degensem nominat, cum oppidis potitum. Aliquot etiam monumentis testatum cõperio in conuentu procerum virtutis ergo ad Regiam dignitatem Sanctium fuisse euectum: ea vis animi, virtusque; egregia in eo enituit.

SANCTIVS GARCIAE F. III. SVPRARB.  
ET POMPELONEN. REX.

Sanctium Regem Garciae Regis F. Innici nepotem Garfeanem cognominatum vetusta monumenta testantur. Galindi etiam cognomen habuisse S. Iohannis Cœnobij Pinnatensis vetustis tabulis apparet: idque nomen Galindi Aznarij proauis Aragoniae Comitibus videtur hereditaria ditione fuisse partum: quod Aragoniae ditio Suprabienfi, & Pompelonenfi regno subiuncta esset. Nam Abarcae inditum cognomen non modo in castris, sed pæne profligata in acie genito, & in militum contubernio educato, militari vocabulo, siue ioco accidisse verisimile est: quod eo tegmine pedum, quod ex crudo perone Hispani Abarcas vocant, vteretur: quo pastores, rusticique homines montani niuibus maxime accommodato assuevere: neque eo nomine in litterarum monumentis fuisse appellatum quis non videat? haud aliter, atque prisca illis Imperatoribus contigit: quos Caligulae, & Caracallae nomina testatioribus posterioribus saeculis reddiderunt. Rudericus Toletanus antistes grauis in primis, & locuples auctor commemorat, quosdam qui Regio sanguine prognati fuere ab Abarca sua ætate cognomen retinuisse. Regi Sanctio fere initio regni diuina spe, ac fiducia rei bene gerendae non continens modo, sed naturale quoddam bellum, atque in animo insitum tantulis copijs cum Mauris fuit: quod magna contentione commotum, atque confirmatum calamitoso, & exitiabili exitu hostes proterit. Oppida omnia, quae paterna clade, & regno imperatore orbato in Ripacurciae, & Suprabij regionibus a Mauris direpta, & vindicata fuerant, in libertatem, & regiam ditionem asseruntur. In tam secundis rerum prouentibus virtus eminuit egregia Centulli: qui de communi libertate optime meritis, non virtute modo, atque animi praestantia hostes perpetuo afflixit, sed ratione, & consilio incredibili inuestigandi, & persequendi sagacitate peruertit: pluresque ex primoribus homines barbaros, qui acerrime nostros lacefsiue-

lacedsiuerant, insidijs circunuentos in Regis potestatem tradidit. Rege tot bellaverante, & operosis cōcursionibus distento, Mauri Pompelonem subita incursionem oppugnant: ipse vero accelerandum ratus, & exercitum eo conuertens, montium anfractibus discussa niue patefactis, in hostes irruens, gloriosam victoriam est consecutus: ad quem omnes vndique cis Hiberum copiarū congeruntur: & proximi quique populi in crescente multitudine fluxere.

ABRÆ. NAT. CHR.  
DCCCXLIII. DCCCCV.

S V P R A R B I I E T A R A G O N I A E  
S V B I V N C T I O.

Beronum, & Autrigonum regiones, regni arce Naiaræ vrbe Regia, atque primaria, haud procul Triti ruinis constituta, quæ Hiberis amne adluuntur, quas Cantabriæ Duces regere solebant, Rex in suam redigit potestatem. A Naiara enim, vti ex Belascone eius ætatis auctore, cuius supra mentionem fecimus, comperimus, in Tudelæ vsque fines, Vasconum ad Hiberi ripas oppidi, & Osæ vrbis vnam tandem piorum populorum, regni que formam perficit. Pleraque arces, castellaque ab eo constructa, ex illa rerum tenuitate in dies frequentantur: atque præsijs tenentur. Neque inculto, atque horrido regno contentus, plura Celtiberiæ, & Carpetaniæ oppida armis subigit.

Vvifredus Barcinonensis Comes e vita excedit: cuius sepulchri basim cum inscriptione neglectam, & humi ad D. Paulli in Barcinonensi suburbano iacentem inuenimus. Inscriptio tamē hæc est minime disertæ: utpote incondito illo dicendi genere, ac rudi sæculo conscripta.

DCCCLII. DCCCCXIII.

**P** SVB HAC TRIBVNA REQVIESCIT CORPVS CON-  
DAM VVIFREDI COMITI FILIVS VVIFREDI  
SIMILIMODO COMITI BONAE MEMORIAE  
DIMITTAT EIDNS AÑ. QVI OBIIT VI. KPS MA-  
DII SVB ER̄ DCCCLII ANNI DNI DCCCXIII. REG. KA-  
RVLO REGE POST ODONI.

Quattuor Vvifredo liberi superstites fuere. Rodulfus ex monacho cœnobij Riupullēsis Vrgellitanus antistes: Vvifredus vi veneni, ut ferunt, sublatus: Myro, qui in Barcinonis, Belaluni, Ruscinonis, & Cæretaniæ ditionibus heres factus est: & Seniofredus Comes Vrgellitanus.

MYRO COMES BARCIN.

Abenhaia CæsarAugustani populi regulus Ramiro Legionēsi Regi, cū Celtiberiā, & AEdetaniā ingenti coacto exercitu inuasisset, & aliquot arces, & castella vi expugnasset, se subijcit. Postea vero rebellioe facta ad Septimancas in Vaccaeis memorabili proelio ab eodem Ramiro deuincitur.

In obruta, & confusa temporum serie, & rerum a Sanctio Rege gestarū eius mortis memoriam in vetustis litteris extare video: quibus testatū accepimus magno ab hoc anno, tēporis interuallo, nempe A. D. VIII. K. Ian. ABRÆ MXXVIII fato perfunctum: sepultumque in D. Ioannis Pinnatensis cœnobio: atque in eius sepulchro Vrracam Reginā Ferdinandi F. vxorem fuisse cōditam: quæ aliquot annos post mariti mortē vixit. Contra vero Belasco eius ætatis scriptor magnopere dissentit: cuius verba in re tam dubia, & controuersa operæpretium erit, ni fallor, referre. De rebus enim Sanctij Regis, & morte ita subiunxit.

DCCCLXIII. DCCCXXVI.

De hinc expulsis omnibus Biotenatis, forte Biothanati cognomento, B ij hostes

AERA. NAT. CHR. ,, hostes designat, vicesimo regni sui anno migravit a saeculo. Sepultus S.  
 DCCCCLXIV, DCCCCXXVI. ,, Stephani portico regnat cum Christo in polo. Obijt Sanctio Garfeanis  
 ,, AERA DCCCC LXIII.

Cuius temporis ratio, si ab AERA DCCCC XLIII computes, quo anno regnum obtinuisse retulit, mirifice congruit: quæ res cogit, vt ad eam controuersiam asserendam satis idoneus auctor videatur. Rudericus Tolëtanus Antistes Theudam Sanctij Regis vxorem tantum commemorat: ex qua Garciam Sanctium filium sustulerat: & filias quattuor: Simenam, Mariam, Theresiam: quæ Ramiro secundo Legionēsi Regi nupsit: filium que genuit Sanctium Crassum cognominatum regni heredem. Filiarum minima natu fuit Velasquita: quæ in matrimonium Munioni Vizcaïæ Comiti collocatur. Recta, & a prudētissimis viris tracta ea ratio mihi semper visa est, nec culpæ, nec coarguere quemquam ex ijs, qui res gestas posteris tradidere. Fides inquit, penes auctorem esto. Pudenter sane, ac modeste. Sed eos potissimum præferri verum est, qui adhibita in rebus prodendis qualicumq; ratione, & diligentia, earum gentium, in quibus ipsi prodidere, facta domestica, atque quodammodo vernacula, non externa, & ab vltimis repetita terris commentantur. Gothifredus vetustus scriptor rerum illa ætate gestarum perhibet, Othonem III. Romanorum Imperatorem Mariam vxorem duxisse: mulierem adeo temerariam, & procacem, vt probri, atque flagitij insimulatam, atque conuictam viuam Imperator comburi iusserit. Eum auctorem Cuspinianus, & alij, quos à me recenseri non est necesse, ab Hiberno, & Aragonie amnibus longo terrarum tractu remotos, & seiunctos sequuti, Mariam Augustam Aragoniam nuncupant. De ea tamen re ne verbum quidem a nostris auctoribus proditum cõperio. Iam vero, si rem adeo miseram, & intestabilem prætermitteri nostræ gentis pudor cogeret, illud tamē silentio prætereundum minime videbatur, Aragoniã feminã Othoni Imperatori Max. Augusto nupsisse. Tempora tamen si Othonem, & Mariam Sanctij Regis filiam respicias, satis cõgruere videntur: neq; quid dissideat, apparet: præter ipsius facti atrocitatem: & nostrorum hominum incredibile indiligentiam.

GARCIA S. ANCTII F. IV. SVPRAB.

ET POMPELONEN. REX.

DCCCCLXVII. DCCCCXXIX. Moritur Myro Comēs Barcinonensis. Tres filios reliquit: Seniofredū Barcinonensem Comitem: Oliuam cognomento Capretam Besalunī, & Cæritaniæ Comitem: & Myronē Comitem: qui Gerundensis Episcopus fuit. Omnes a patre in tutelã Seniofredi Vrgellitani Comitis patruū tradunt: quorū ditiones, in eius virtutis bellicæ præsidio xx annos māsere;

DCCCCLXXVIII. DCCCCXL. Cum Tarraconis vrbs, quæ olim Hispaniarum florentissima, potentissimaque fuerat, siue potius illius vestigiorum, & tenuium reliquiarum Mauri dominarentur, & Ecclesia, quæ inter primarias excelluerat, pastore careret, Gothicæ prouinciæ Episcopi in concilium conuocantur: & in ædē sacram D. Iuliani martyris oppidi Fontis cooperti Narbonensis territorij conducuntur. Præfuit ei concilio Arnustus metropolitanus Narbonensis Ecclesiæ Episcopus: & ex prouincia frequentes assedere Antigisus Vrgellitanus, Eudericus Barcinonensis, Vvigus Gerundensis, atq; Adulfus Pallariensis Episcopi. In eo sacro coetu summa contentio, quæ inter Vrgellitanum, & Pallariensem, de tota dioccesum ditione impendebat, deciditur:



deciditur. Erat enim inter eos non de terminis, sed de tota possessione certatio: quod Palliariēsis XXIII annos Palliariam ditionem, ac diocēsim in ualisset: confiteratq; antea longo temporis spatio Vrgellitano fuisse attributam. De ea re patres decreuere, sanxereq;: uti Adulfus, quādiu uiueret, sacris Episcopi functionibus, atq; muneribus defunderetur: eaq; diocēsis illi assignaretur: eo vero fato perfunēto Palliaria terraveruste Vrgellitanæ diocēsi contribueretur.

AERA. NAT. CHR.  
DCCCCLXXXIX. DCCCCL.

SENIOFREDVS COMES BARC.

Seniofredus Myronis F. Barcinonēsis Comes, Seniofredo Comite Vrgellitano patruo libente ditionis suæ gubernacula, dignitatēq; cōsequit̃.

DCCCCLXXXIX. DCCCCL.

Seniofredus Comes Vrgellitanus moritur. In patris locum Borrellus F. succedit heres.

DCCCCLXXXIX. DCCCCL.

Bella inter Hugonem Ducem magnum Roberti F. & Ludouicū Francorum Regem de regno suscepta, & summa contētionē decertata principes Francos a rebus Hispaniēsis aliquot annos auerterant. Tandem A. D. XIII. K. Apr. ut paci publicæ cōsuleretur, res ad concordia deducitur.

DCCCCLXXXIX. DCCCCLIII.

K. Decembris tertio Lotharij Francorum regni anno Raimundus Comes ditionis Ripacuriæ potitur. Is ex Garfendi vxore Francorum gentis quattuor filios susceperat: Vvifredum, qui patri succedit, Arnaldum, Isarnum, & Odissendum. Hic cum Rotæ Ripacurciensi oppido ecclesiastica sedes constitueretur, in Basilica D. Vincētio martyri dicata eius ecclesiæ Episcopus consecratur: & ab Aimerico Archiepiscopo ea diocēsis Narbonensi prouinciæ contribuitur: quod Tarraco acerbissimum feruitutis iugum non repulisset.

DCCCCLXXXV. DCCCCLVII.

Garcia Regis strenui alioqui principis res gestæ nullæ magnopere illustri laude, vel summatim scriptorum incuria celebrantur: quem ferunt tremulum vocitatum: non animi mollitia, aut lenitudine, sed quod bellico quodam furore incitato, cum prælia inirentur, eius artus tremere totius corporis perturbatione, & conuulsatione viderentur. Ne illud quidem prætermittēdum. Cum Abdurrahamenus, qui Maurorum imperio terra, marique præpotens erat, adiunctis transmarinis militaribus copijs magnum exercitum conficiēs, Ordonio Regi Legionensi bellum magno impetu intulisset, in Celtiberiam inde traiecit. Vascones quantum uoluntatis adoritur: & in eum penetrat regni Pompelonēsis locum, qui Muezus Ruderici Toletani antistitis ætate appellabatur. Noster vero Garcia, cui tenues opes, exiguæque copiæ erant, non diffidens, aut rebus suis desperans, bellum ducit: arcesitq; Ordonij auxiliarijs copijs, cum Ordonius satis magnas cōparasset, & subsidio affectis rebus accurreret, Valle Iuncaria signis collatis exitioso prælio decertant. Nostri magna accepta clade funduntur: atque profligantur. Captiui in hostium potestatem uenere Dulcidius Salmanticensis, & Hermoigius Tydensis Episcopi: & in Hermoigij patruum locum Pelagius obles traditus, quod Christum Seruato rem Deum uiuum, & uerū detestari, & eiurare nollet, Cordubæ morte cū ingenti cruciatu afficitur: & in diuorum numerū refertur. Pelagium Episcopum AERA DCCCCLXV crudeli morte affectū quidā Annales testant̃.

M. DCCCCLXVI.

K. Septembris AERA EMLIII Garciam Regem decessisse uetustis aliquot monumētis proditur: quod auctoritate Belasconis falsum coarguit: & conuincitur. Illa enim ipsa ætate, ita ab eo memoriæ traditū cōperimus.

M. IV. DCCCCLXVI.

ABRA. NAT. CHR.  
MIV. DCCCCLXVI.

Nam cum de Sanctij Regis eius patris morte tēpus adnotasset, ita subdit. Item filius eius Garsea Rex regnavit annis XL. Benignus fuit: & occisiones multas egit contra Sarracenos: & sic decessit. Tumultus est in castro S. Stephani. Superfuit eius filij in patria eius: videlicet Sanctio. Reliqua desiderant in eo codice: at in peruetusto iudē codice Alueldesi, qui in Regia etiā S. Laurentij bibliotheca asseruatur, ita legimus. Superfuit eius filij in patria: videlicet Sanctio, & frater eius Raninirus: quos saluet omnipotēs per multa curricula annorū amē: discurrētī presentī æra (tēpus designat, quo hæc ab eo librario memorię prodebat) M X I I I. Si ab initio regni Garcia Regis, æra nēpe D C C C E L X I I I, ut idē auctor scripto prodidit, cōnumeres, in ærā hāc M I V incidat necesse est: nō M V I I: quod in codice Conciliorū S. AEmilianj, eiusdē Belasconis manu designatū legim⁹: ac multominus M L I I I: facili notatū similitudine: ac deprauatione. Ad D. Iohānis Pinnatēlis sepultū nrī referūt: sollēniq; Principū pompa funeratū: & gentili Regū monumēto conditū: quod futuris Regū sepulchris dicatū fuerat. Simenā vxorē duxit: ex qua natus est Sanctius F. qui regnū infans adipiscit: Maiorisq; cognomentū inuenit. Eum principē cū vxore Simena, & Vrraca Regina cōnobio Ciresiæ Verdunū oppidū, & saltus, quī Beraldo, & Aragonē fluujs continētur, quæ auorū Regū tempore quesita fuerāt, cōdonasse vetustis tabulis apparet. Qui tres alios Reges, vt superiorū Regum tēpora inter se cohæreāt, inter Innicum Aristā, & Sanctiū hūc Maiorem cōminisci ausus fuerit, nēpe Fortuniū, Sanctiū, atq; Garcia, & veluti in scenā immiserit, atq; produxerit, stuporis, ac quodāmodo amētia vetustissimos quosq; rerum scriptores, qui tot sæculis in Hīspania viuēbant, coarguens: quasi tres Principes, qui regnū adepti fuerāt, aut obliuione, aut ignorātia prætermiserint, nā ille verē cōmuni sensū carere videri potest. Ante hæc certe tempora, nē fando quidem est auditum, vt quispiam qui se res vetustas penitus perscrutari profiteretur, in ea versaretur ignoratione, vt intra trecentos, pximos annos, tres Principes domesticos, atq; vt ita eloquar, vernaculos, qui summæ rerū præfuerint, ignarus, atq; imprudens dereliquerit: atq; de statu regni deiecerit. Adde tot vetustissimorū, & grauisimorū scriptorum consensum: quē qui diuellere conetur, successiōes, vitas, atq; obitus Regū, qui iure ciuili certi, atq; constantes & ducuntur, & habentur, & rerum gestorū ordinem omnem perturbabit: ac vetustati, cuius magnam esse vim apparet, insignem notam inflixerit.

SANCTIVS MAIOR V. SVPRARB. ARAG.  
ET POMPELONEN. REX.

MV. DCCCCLXVII.

Barcinonensiu rerum veteres scriptores, quibus a me magna fides adhibetur, non cōperio tradidisse, quā nam vxorem Seniofredus Comes Barcinonēsis duxerit. Alicuius scriptis exstare video Mariā Regis Sanctij F. duxisse. Satis tamen cōstat nullis superstibus liberis decessisse. In eius locum Borellus patruelis frater Comes Vrgellitanus surrogatur: nā vt quidam tradidere Oliuam Capretam legitimum successorē proceres ditione Barcinonēsi euerterant: quē vt impium notatio, & animaduersio prudentissimorū virorum & decoris, dignitatēq; splendore indignum decernit.

BORELLVS COMES BARCINONEN.

MIIX. DCCCCLXX.

Raimundo Ripacurciæ Comite mortuo Vvifredus F. Palliariensis, & Ripacurciēsis ditionis fit cōpos: nulla iuris summæ potestatis Sanctij Regis, aut

gis, aut supremi dominatus habita ratione: seq; ditionēq; suam Francorū Regi Lothario subiicit: atq; addicit: cuius ope, atq; auxiliariis copijs, cū Sanctius regni iura nondū constituisset, stabilissetue, siue vt alij volunt se sacro bello implicuisset, & in interiorē Celtiberiam arma promouisset; totius fere Lacetaniæ, quæ montosis earum ditionum regionibus continēt, vī potitur: easq; posterī ex ipsius stirpe generati, non minore labore quā cōparauerat, tutati sunt: quoad Sanctius Rex ætate corroboratus, & Raimirus eius filius Ripacuriæ regionē in suā redigere potestati: & Regali nomine cohonestauere. Is fuit annus, quo Vvifredus earum ditionū potitur; Lotharij regni xv: qui in hunc annum incidit. Sanctiam vxorē duxit: nullisq; superstitibus liberis mortuus est. Ad D. Mariæ Alaonis, Ripacuriæ regiōis cōnobio sepelit: cui monasterio multa donarāt more maiorū. In Vvifredi fratris locum succedit Isarnus: qui ad Montionem Ilgeretum oppidum cum Mauris proelio decertans occumbit.

Palliariēsi ditioni antea præfuerat Comes Borellus, & Lupus eius F. Suniari<sup>o</sup> Comes Lupi F. Theuda Vvifredi, & Isarni Comitū sororē in matrimoniu ducit: qui & Comes, & Marchio Palliariēsis est cognominatus. Suniario vita functo Theuda ex Cantabris ad se arcesit Isarnū Isarni fratris F. qui apud auunculū Regem Sanctiū, vt quedā testantur monumēta, degēbat. Hic Ripacuriæ ditioni, & Comitatuī præficit: qui ab Aranzæ vallis incolis, quā Garumna amnis interfuit, interficitur: quod eorum dominatū, cuius pater, atq; auus, & Atho Ep̄s Bernardi Comitis frater potiti fuerant, palā appeteret. Isarno minori Guilielmus F. Comes heres succedit.

Plures eadem tempestate ditionum Ripacuriæ, & Palliaris potitos cōperio: siue ij hereditario iure, siue militaris muneris imperio fungerentur. Vetera enim monumenta Athonem Ripacuriæ Comitē ferme hoc ipso tempore, & Mariam eius vxorem commemorant.

Suniario Comiti, & Marchioni Palliariēsi ex Theuda vxore Raimū<sup>o</sup> dus F. Comes heres fuit: qui Raimundum genuit: ex quo auitæ hereditati succedit Petrus F. Comes.

His temporibus alterum Guilielmum Palliariensem Comitem prisca monumenta testantur: Myri Comitis, & Gemmonis eius vxoris filium: qui Palliariensem, & Ripacuriensem ditiones inuaserant: iugaq; ac culmina montium, & saltus a Gestabiensi, Lisata, & Benasca vallibus ad Anabiensem vallem, quam Nocharia fluius intra Palliariensem ditionem, infra Petriæ blancæ, & Valentia Anabiēsis saltus interfuit, circumfederat. Conualles vero, quæ claustris, faucibusq; Pyrenæi cōtinent, & Broti, Bionis, Puertolarum, Bielsæ, & Gistai cognomina sumpserunt, & supra Suprabium ad Pyrenæi iuga pertinent, Suprabienfi regno subiiciuntur.

A. D. III. K. Iulias in vetustis tabulis Endregoti Galindij fit mētio: quæ vna cū Rege Sāctio Garcia, quæ prolem suā nominat, & Vrraca Ferdinādi Regina eius vxore Exaberiū oppidū pietatis causa donasse fertur Sira-fienfi Ecclesiæ: eamq; rem gestam memorāt regnante Sāctio Garcia, & Vrraca Regina in Aragonē, & Pōpelonensi ciuitate: & scribēdo adfuisse Degium Ep̄m Aragonēsem, Blascum Ep̄m Pōpelonensem, & Benedictū Ep̄iscopū Naiarensem: sed ea temporū ratio mihi in suspicionem venit.

Borellus Barcinonēsis Comes, & Marchio cum Ledgardi vxore, & Raimundo F. & Ermeruefa Vicecomitissa, & Vvitaro Ermeruefæ F. Salla

B iij Ep̄scopo

ÆRA NAT. CHR.  
MXX. DCCCCLXX.

MXX. DCCCCLXX.

MXX. DCCCCLXXI.

MXX. DCCCCLXXI.

MXX. DCCCCLXXII.

MXX. DCCCCLXXIII.

AERA. NAT. CHR.

Episcopo Vrgellitano, & Vicecomite Guilielmo Solsonæ arcem, quæ Seniofredi Comitibus tempore cōstructa, & colonis frequentata fuerat, tamquam earum regionum propugnaculum, firmumque præsidium militarijs copijs confirmat.

MXXIX. DCCCCLXXXI.

Vuifredus Ruscinonis comes, à quo Ruscinonenses Comites fluxere, Lotharij Regis Francorum permissu Colliberim desertum, & dirutum oppidum, trans Pyrenæi promontorium maris litori impositum construendum, condendumque curat. Nomen ab Illiberis vetustæ vrbs reliquijs inuenit: quam etsi mediterraneam fuisse satis constet, cum vrbs ea opulentia floreret, haud longe tamen à mari sitam fuisse, vestigia ipsa testantur. Neque mediterraneum nomen eam vim obtinet, vt longo a mari spatio disungi conueniat. Satis enim constat Saguntum, & Valentiam insignes Aedetaniæ vrbes, quæ pertenui a mari discrimine, nempe III. M. P. separabantur, & Olisiponem, quæ pæne Oceano ipso alluitur, mediterraneas à præcis vocatas.

Lotharius Colliberim oppidum Vuifredo posterisque eius condonatum, quod & situs accessu, & portus appulsu plurimas, & maximas comoditates Ruscinonensibus repræsentat.

MXXII. DCCCCLXXXIV.

Myro Episcopus, & idem Gerundensis Comes Myronis Barcinonensis Comitis F. moritur.

Borellus Barcinonensis, & idem Vrgellitanus Comes, cum Mauros insultantes coercere conatur, qui fines Laletaniæ, & Cosetaniæ depopulantur, coacto exercitu in Vallefia regione, haud longe à Moncada castello in patenti Matabouio Campo prælio decertat: magnaque accepta clade funditur. Ad D. nobiles viros occisione occisos ferunt. Cum Barcinonem Comes ex prælio se reciperet, hostes vrbs obsident.

MXXIV. DCCCCLXXXVI.

K. Iulij I V. Feria Mauri, qui copias omnes commouerât, denuo Barcinonem castris circumfident. Copijs militaribus pæne omnibus, oppidanisque lōgo bello vrbe exhausta, cū Comes obsidionis periculo ciues liberare nō posset, ppugnationē deserit: & in Manrefanos mōtes sese abdidit.

A. D. II. Non. Iul. Mauri Barcinonem irrumpunt: propugnatores, ciuesq; omnes ad vnum cæduntur: capiunturq; Familiarum nobilium stirpes, quæ ante cc. annos ea in vrbe floruerant, ac nominis Francici memoria delentur. Qui gladio non conficiuntur, & de funesto patriæ exitio superfuere, Cordubam delatis, & in alia Maurorum regna dispersi miserandæ seruitutis iugum perpetiuntur. Ea tam terribili, ac truculenta clade accepta, arces, castellaq; omnia oræ maritimæ raptim, atq; turbate amittuntur: dedunturque hostibus: solæq; Moncadæ, & Ceruilionis arces natura, ac situ munitissimæ, vt fertur, à nostris propugnantur.

Borellus incredibili virtute, atq; animi magnitudine aduersis rebus incitatus copias omnes militares Manrefæ colligens in hostes irruens, re felicissime, celerrimeq; gesta Barcinonem, ingenti suorum strage, & publica calamitate ereptam horribili impetu, admirabiliq; conatu recuperat. Eo bello immunitas data ijs qui equo militaria stipendia merent. Ad nongentos fuisse traditur: quorum ex genere eorum effluerint familiae, quos de Paratico nominauere: quod non capitecensi, aut relati in ærarios, sed tamquam bene peculiati pro ingenuis ciuibus se gererent: censerenturque.

MXXV. DCCCCLXXXVII.

In donationū regiarū, & assignationū agrorum monumētis S. Petri Tabernæ,

bernæ, ex quibus minutatim rerum memoriã vetustarum decerpere cogimur, hoc anno K. Ian. Sanctij Regis, & Vrracæ eius vxoris, & trium liberorũ Garcia, Ramiri, & Gonzalui fit mentio. Vrracæ vero nomẽ ad Sanctium Abarcam Regem, liberorũ ad Sanctium eius nepotem rem referendam demonstrat: atque huius etiã anni ratio vitio non caret: cum nec dum nati ea tempestate esse videantur Garcias, Ramirus, & Gonzaluus: qui Sanctio Maiore patre mortuo, quisque regnum adipiscitur suum: vt plane ea res in annum incarnationis domini Mxxv, non æræ reijcienda sit: adeo in fallaci, & ancipiti, ac lubrica temporum serie versamur.

AERA NAT. CHR.  
MXXV. DCCCCLXXXVII.

Sanctius Rex Cœnobio S. Iohannis Pinnatensis, quod loci religione permoti illius sæculi principes auguste, sancteq; venerabantur, Martem, Bagesium, & Huertolum oppida condonat.

MXXVII. DCCCCLXXXIX.

Moritur Oliua Befaluni, & Cæretaniæ Comes. Bernardus Taliaferus F. quasi incisor ferri cognominatus, in Befalunensi succedit ditione. Minor natu Vvifredus Cæretaniæ hereditario munere præficitur. Oliua eorum frater monachus ex Riupulli Abbate Aufetanus fit Episcopus.

MXXVIII. DCCCCXC.

Borellus Comes Barcinensis e vita excedit. Hunc principem primo Ledgardim vxorem duxisse, & filium ex ea Raimundum suscepisse comperimus. Secundis nuptijs in matrimonium Aimerudim adiunxerat. A. D. VIII. K. Oct. eius testamenti tabulæ obsignantur: quibus Raimudum Barcinensis, & Gerundensis ditionis heredem scribit. Raimundum, Borellum, & Suniarium Comites fratris filios, & Guilielmũ Vicecomitem, vna cum Raimundo filio exequendo testamento præficit. Ermengaudũ natu minorem F. Vrgellitanæ ditionis heredẽ instituit: a quo Vrgellitani Comites fluxere, qui Ermengaudi sunt omnes nomine appellati: quod idem videtur, quod Erminigildi. Cœnobium Riupulli Borellum anno Dcccxc instaurasse memorant: atque in eo conditum arbitrantur.

MXXXI. DCCCXCIII.

RAIMVNDVS BORELLVS COMES BARCINONENSIS.

Mauri ad Albesam maximo, & memorabili proelio funduntur: & profligantur: magnaue clade illata ciuitates pæne omnes Laetanorum, Ilergetum, & Coletanorum, quæ ab hostibus obtinebantur, & nunc Cataloniæ finibus continentur, Raimundo Borello Comiti tributa conferunt. Berengarius Episcopus Helenensis eo in proelio occumbit.

MXLI. MIII.

Sacrum bellum Hispaniarũ principes summa viriũ contẽtione gerũt. Barcinensis magno exercitu instructo, & auxiliaribus copijs Paliariensium, Ripacurcensium, Suprarbiensium, & Aragonensium adiunctis, Castellanos, & Legionensium exercitus consequit. In Bæticiam prouinciã tanquã Imperij arcem, & propugnaculũ inuadũt: ac Cordubensem agrum incurrentes, haud longe ab ea vrbe maximo, & cruento proelio configunt. In ea pugna Ermengaudus Vrgellitanus Comes, & Marchio, quem Cordubensem, ob eius cædem postera ætas nominat, & Arnulfus Aufetanus, Aëtius Barcinensis, & Otho Gerundensis Episcopi mortem occubunt.

MXLVIII. MX.

Raimudus Borellus Barcinensis Comes morit: in cuius locũ BERENGARIUS RAIMVNDVS F. succedit Barcinensis ditionis heres.

MLV. MXVI.

Bernardus Taliaferus Oliuæ Comitis F. Befalunensis Comes Rhodanum traiiciens demerso nauigio perijt. Is Guilielmum Bernardum cognomento Crassum filium reliquit Befalunensis ditionis heredem.

MLVIII. MXX.

Vvifre-

AERA. NAT. CHR.

Vvifredus Cæretaniæ Comes Bernardi Taliaferri frater Raimundum Vvifredum F. Cæretanę ditionis heredem instituit. Huius quattuor alios filios commemorant: Vvifredum Narbonensem Archiepiscopū, Berengarium Gerundensem, & Guilielmum Vrgellitanum Episcopos. Vetus auctor rerum Barcinonensiu, qui eos recenset, vnam tantū vxorē Vvifredi Comitis Cæretaniæ commemorat: neque cuius gentis fuerit, traditur.

MLXII. MXXV.

A. D. VI. Id. Ian. Anno incarnationis Domini MXXV, AERA MLXIII. Indiēt. VIII. anno XXVIII Regni Roberti Francorum regis Berengarius Raimundus Barcinonēsis Comes libertatis tuendæ iura, possessiones, bonaq; ciuibus Barcinonensibus, & totius eius ditionis incolis confirmat: atq; sancit: vna cum vxore Sanctia: vt mos genti, & illorum temporum principibus fuit: vt is vxoribus honos adhiberetur: neq; sexum in imperijs discernent. Sanctiam Infantem nominat: & filiam potentissimi Comitis Sanctij esse asserit: vt Sanctij Castellæ Comitis filiā, aut Sanctij Guilielmi Vasconiæ Aquitanicæ Comitis fuerit: qui eadem vixere ætate. Vetusta enim monumenta, & priuilegia extare video a Sanctio Rege hoc ipso anno irrogata, quibus Simenæ Reginæ eius matris, & Maioris Reginæ vxoris, Garcia, Ramiri, Gonzalui, & Ferdinandi filiorum fit mētio: & Sanctius Guilielmus Vasconiæ, & Berengarius Barcinonensis Comites, qui scribendo adfuere, commemorantur: donationesque a Rege factas auctoritate sanxere.

Sanctio Castellæ Comite, & Garcia Infante eius F. vita functis, Sāctius Rex hereditario vxoris iure, quæ Garcia Infantis soror fuit, quā alij Maiorem, Eluiram alij vocant, Castellæ dominatum ditionemque obtinuit. Infantes vero vocari, non regum tantum liberos iusto matrimonio genitis, sed Regio genere ortos, vti de Carrionis, & Laræ Infantibus Petrus Portugallensis Comes confirmat, mos Hispanæ gentis fuit: quod vetusta consuetudine, & prisco more comprobatum comperio.

MLXIII. MXXVI.

Regnum Suprarij, Aragoniæ, & Pompelonense tam exiguis initijs constitutū, ditione ea, quā Sanctius Regis auus vi expugnauerat, & Cantabriæ Ducatus decorauerat cognomine, iam iusti regni, non finibus modo, sed decore augetur. Sanctius Pyrenæum transgressus, vti quidā auctores prodidere, magnam Vasconiæ partem imperio subijcit: quam Pictorum Comiti pretio, vti ferunt, addixit. Ex Suprarij montosis locis Comitem quendam, siue is Ripacurciensis, siue Paliariensis erat, qui vi plura castella expugnauerat, auertit. Ad eam potentiæ, & maiestatis amplitudinem, quæ illorum temporum erat condicio, euectus, nullam enim maiorem, a Gothici regni euerfione meminerant, Imperatoris nomen usurpat. Plura bella cum Veremūdo Legionēsi Rege gessit: plura confecit: donec reconciliatione concordiæ Veremundus Sanctiam sororem Ferdinando Sanctij Regis F. non natu maximo in matrimoniu tradit. Rex oppida omnia, atq; arces, quas vltra Pisoracā amnem expugnauerat, & suo imperio adiecerat, Ferdinandi, & nurus ditioni attribuit. Pisoraca enim Castellæ ditionē a Legionensi regno diuidit. Rex præterea S. Victoriāni cœnobiū in Assaniensi Ripacurcię regione situm, quod Gesaleci Regis Gothorū regno, religione loci, summa veneratione cultū, & amplificatū, & a Mauris postea violatū, ac funditus dirutū fuerat, instaurat: atq; exædificat. Id cœnobiū Rex ipse & antiquissimū, & religiosissimū appellat. In S. Iohānis Pinnatenfis

Pinnatenſis ſacra æde monachos, quos ex Cluniacenſi cœnobio D. Benedicti inſtituto addictos arceſſerat, collocat: & religioſo cœtu ad piam communitatem conſociantur Paterno Abbate præpoſito: eaque res permiſſu Mancij Aragonenſis, & Sanctij Pompelonenſis Epiſcoporum conſtituitur, atque ſancitur.

Filera, Rueſta, Villum, Penna, Sos, Lobera, Vncatellum, Lueſia, Librana, Elifo; Caſtelmanco, Agüero, & Morillum oppida, atque arces & conſtruuntur, & muniuntur: incolisque frequentantur.

Sanctius regnum ſanguine maiorum traditum, & ſumma virtute, & gloria depulſis hoſtibus partum, vt inter filios ſtirpem, ac ſemina malorum omnium reſcinderet, liberis diuidit. Grauiſſima inter eos ſuborta fue re diſidia: quæ eo proceſſerant, vt ipſius facti atrocitas, ſiue indignitas, aut omnino culpa augeti non poſſet. Garcias enim, & Ferdinandus domeſticis furijſ exagitati Reginam parentem probri, & adulterij inſimulant: & heroica quadam virtute Ramiri priuigni, qui aduerſus impioſ, & conſceleratoſ fratres, matris eorum innocentiam armis tueri, ac defendere audebat: eiufque flagitij poena, quam præſenti morte, quaſi in maniſeſto facinore deprehendam, patriſ legibus, & conſtituto iure dependere erat neceſſe, liberat. Garciae natu maximo Pompelonenſe regnum, & eam ditio nem, quam Cantabriae Ducatum illa ætas nominare aſſueuerat, & Vadũ Longum, ac tractum omnem, qui ab vrbe Naiara ad Aucæ montes eſt interiectus, & Rueſtam, atque Pitillam oppida, cum continenti vicorum diſtione attribuit. Ferdinando Caſtellæ regnum, ac Comitatum condonat: fuitque iſ primus, qui eius dominatus regale nomen uſurpat: nam Sanctius pater, non ſe Caſtellæ, & Aragoniæ Regem nuncupauerat: ſed in eisditio nibus regnare litterarum elogiſ tradebatur. Ramiro, ſiue Ranimiro, vt tunc loquebantur filio, quem ex primaria Aiuaræ veteris, & illuſtris familiae femina ſuſceperat, Aragoniam terram tradit: aliquot vero caſtella eius ditioſis Garciae contribuit: & Pompelonenſis regni alia Ramiro: quæ cum vterque, vt maioris coniunctionis pignora, & fraterni fœderis, atque fiduciae vincula ſua haberet in poteſtate, magnæ diſſenſionis inter fratres, atque exitialis diſidij cauſa fuit. Gonzaluo natu minimo Su prarbienſem, & Ripacurciẽſem ditioſes aſſignat: & a Troncedo Ripacurciæ oppido, ad Martinerum continentem ditioſem, & Loharij, & S. Emeteriij arces contribuit. Ea omnia Comitſ cognomine viuẽte patre obtinet: eo vero mortuo, ſunt qui teſtentur Regio cognomento fuiſſe uſum: cum vetuſtis etiam tabulis conſtet, Gonzaluũ viuente patre mortuum: & Regem Sanctium Ramirum filium in ditioſe Ripacurciẽſi Gonzaluo fratri ſubſtituiſſe. Reginam ferunt, vt inſigni caritate maternum officium ſe priuigno præſtaturam oſtenderet, & filioſ ex ſe ſe genitoſ, tamquam degeneres, & maioribus dedecori fuiſſe, veluti grauiſſimo iudicio, quoad eius fieri poterat, teſtaretur, Ramirum adoptaſſe: & Garciae natu maximum auita Caſtellæ ditioſe euertiſſe. Adoptionis ius, illorum temporum inſtituto more, rite ſancitum tradunt: qui iſ inoleuerat, vt quæ adoptaret, per ſtolæ fluẽtes ſinus eum, qui adoptaretur traduceret. Inde dotalis Aragoniæ hereditatem, nouerca indulgentia eam adoptionem fuiſſe ſecutam perhibent. Inde origo inteſtinorum inter fratres bello rum: & exitia rerum.

A. D. XV.

AERA NAT. CHR.  
MLXIII, MXXVI.

MLXXII, MXXXIII.

AERA. NAT. CHR.  
MLXXII. MXXXIV.

A. D. XV. K. Nou. Sanctius Rex summam, & perfectam gloriam consecutus illustri, & peruagata fama multorum in rempublicam meritorum imperio, & dignitate, & maiestate amplificato e vita excedit. Oueti vrbe Asturum regia sepelitur: & a Ferdinando F. Rege in D. Isidori coenobium ad Legionem VII. Geminam insignem Asturia urbem constructum infertur: quod sepulchrum ipsius, liberorum, posterumque eius Regum esset. Rotensis coenobij monumenta sexagesimo quinto regni anno Sanctium Regem AERA MLXXII decessisse testantur.

## RAMIRVS VI. AB IN-

NICO ARISTA ARAGONIAE REX.

MLXXIII. MXXXV.

Ex eo Aragonia Regni cognomentum obtinet. Rex finitimos omnes aut bello domuit: aut condicionibus sui iuris facit.

Berengarius Raimundus Barcinonensis moritur: cui succedit RAIMUNDVS BERENGARIVS F. Duos praeterea filios reliquit: Guilielmum Berengarium Manresanum Comitem, & Sanctium Berengarium: cui fratris Manresana obuenit hereditas. Berengarium Comitem imbecilem, & valde pusilli animi fuisse veteres prodidere auctores: atque eo rerum potente Mauros eas regiones incurrisse, atque vi expugnasse, quibus Catalonia noua cognomentum fuit: ea enim erant, quae cis Rubricatum fluium pater, atque auus armis vindicauerant: & imperio, ac potestate sua subiecerant.

MLXXIII. MXXXVI.

Ricardus Episcopus Bigeronensis, Garcias Ferto, & Guilielmus itidem Ferto ex proceribus Labadane regionis Aquitaniae Augusto mense Ramiro, Regi Gilbergam tradunt: Bernardi Rogerij Bigeronum Comitis filiae: & Garlenda eius vxoris. Eam Rex in matrimonium ducit. Vetus rerum Aragonensium scriptor Gilbergam nomen sacri fontis baptismate fortitam fuisse perhibet: & vocitatum Ermesendam: nomine tamen Ermesenda vsam vetusta monumenta testantur.

Turbatis rebus malorum extremum discordia accessit: nam dum induci non possunt, vt intra praescriptam portionem se quisque contineat, initia ipsa regnoru inter fratres cruenta fuisse, & ad caedem, & internecionem inter se contendisse satis constat. Inter Garciam praesertim, & Ramirum non finium modo tuendorum, aut propagandorum causa, sed de tota ditione magna belli contentione est decertatum. Cum Garcias viuentis, vt ferunt, patre, pia peregrinatione Romam profectus esset, vt Apostolorum Petri, & Pauli basilicas videret, & sacra limina veneraretur, & Ramirus foedere Casaraugustanum, Tudelanum, & Oscensem regulos sibi adiunxisset, vt facile appareret bellum parari, nec vltra ad arma ire dilatarum: in regnum fratris irrumpit: & Tassalianam oppugnat. Frater peregre reuersus coacto exercitu obviam illi procedit: & proelio magna virium contentione decertato, Ramirus turpi fuga, cum castra hostes diripiissent, magna accepta clade profligatur. Aragoniae parte totius Garcias potitur: Ramirus in Suprarbium, & Ripacurciam se abdidit: & destitutum se videns caesis suorum cateruis in montes concessit.

Ermen-



**E**rmengaudus Vrgellitanus Comes, quem Peregrinum vocitauerunt, sacra peregrinatione religionis causa obita, Hierosolymis decessit. Ermengaudus F. annos V. natus ex Constantia vxore in patris locum succedit heres,

AERA. ANAT. CHR.  
MLXXXV. MXXXVII.

**R**aimundus Barcinonensis erepta patris tempore armis vindicat: atque adeo feliciter rem gerit, vt laudem, & gloriam bellis partam, & imperij fines propagatos summi decoris honoribus amplificauerit. Satis constat XII. Maurorum Reges ex latis Hispaniarum prouincijs tributarios, ac stipendiarios sibi reddidisse.

MLXXXIX. MXL.

**R**aimundus Fulcho Vicecomes Cardonensis Guila matre genitus Cardonensem sacram ædem D. Vincentio dedicat: Eribaldo Episcopo viro sanctitate insigni Vrgellitanæ Ecclesiæ præside. Eribaldo Ermengaudus succedit Episcopus: cuius religionis, & sanctitatis splendor, quasi magnum lumen per omnes Hispaniarum oras nostris gentibus eluxit.

XIIXM. IIVXXXIM

**H**ugo S. R. E. nuntius Apostolicus in Hispanias legatus Barcinone prouinciale munus rerum sacrarum administrat: eoque assidente Raimundus Barcinonensis, proceresq; Cataloniæ ex Gothicis legibus, quibus fora, & iudicia in terra Catalonia indici, & constitui superioribus sæculis consueuerant, & in Castellæ, & Legionis ditionibus Reges iura statuebant, quas Ferdinandus Rex Ramiri frater in sua ditione firmarat, aliquas tollunt: & exceptionibus leniores efficiunt: nouasque condunt: easq; quod vsu cottidiano, communique consuetudine, quæ vim legis obtinet, collocarentur, ac sancirentur, Vfatia appellauere. Dignitatum, honorumque ordines Raimundum primum distinxisse, atque in Vicecomitum, Baronum, & Valuatorum gradus collocasse, edita, & corroborata opinio est: eaque ex antiquissimis litteris, & munimentis constitit: quæ sola Petri Tomichij de Augerio Catalone, & nouem illis proceribus, cum innumerabilibus copijs Arana, & Anabienfivalle in Catalonia irruimpentibus commentum, & ea, quæ tamquam veteri opinione, & omnium firmata consensu prodidit, neimpe a Carolo Magno Imperatore nouem Comitum, Vicecomitum, & totidem Baronum ordines distinctos, atque constitutos, plane conuellit. Nam quod persuadere nititur nouem etiam dioceses Episcopatum, Rotens adiecta, quæ Ilerdensi cesserit, ab eodem Carolo terminatas, quæ tot ante sæculis definitæ fuerant, incuriam hominis satis refellit: atque coarguit.

IIIIIM. IOVM

**A. D. X V. K. Oct.** Rege in arce Laquerénsi assidente, cum Eribaldus Vrgellitanus antistes conquestus esset, Sanctio Rege Ramiri patre annitente Ripacurciensem, & Gestabiensem dioceses ab Vrgellitana ecclesia fuisse diremptas, quæ Ludouici Imperatoris regno illius Episcopo contributæ fuerant, vetustæ iurisdictioni restituuntur. Rota Ripacurcensis, cuius Mauri longo tempore potiti fuerant, & Sanctius Ramiri pater ab eorum dominatu vindicauerat, & Narbonensi prouinciæ contributa fuerat, Vrgellitanæ diocesi adiungitur.

VIIM. IIIXM

**RIPACVRCIAE SVPRARBII ET ARAGONIAE SVBIVNCTIO.**

MLXXXIII. } MLXLV.

**G**onzaluo Suprarbiensi, & Ripacurcensi, siue Rege, siue Comite, vt supra memorauimus, interempto, quem Ramonetus Vasco ad Monclufi pontem insidijs circumuentum interfecerat, Ramirus fratris ditione potitur: Re-

C

ASRA. NAT. CHR.

tur: & Regem se Ripacurcia, Suprarbij, & Aragonia appellat. Gonzalus ad D. Victoriani sepelitur.

Hoc ipso anno Sanctij Ramiri Regis filij fit mentio: quem ex muliere suscepit, cui conubij cum eo ius, fasque non erat: & alterius item Sanctij ex Ermesenda iusta vxore eodem hoc anno geniti: qui patri regni succedet heres. Vetustæ præterea tabulæ exstare in cœnobio S. Iohannis Pinnatensis Gothicis litteris inscriptæ feruntur, quibus Ferriolus Bolea, qui se cum Nuennone fratre ei sacro cœtui addixerat, dum hostium feritatem, atque immanitatem deuitat, & Paganos vocat, perhibet hoc anno Ramirum Regem in Aragonia, Suprarbio, & Ripacurcia, Almugdadiriũ Casaraugustæ, & Almudafarem Ilerdæ regnare.

MLXXXVII. MXLIX.

Sanctius Episcopus Iaccetanus. Paternus Abbas Pinnatensis. K. Dec. obiit Ermesenda Regina: & ad D. Iohannis Pinnatensis sepelitur. Ex ea Rex alterũ filium nomine Garciam habuit. Is Iaccetanus fuit Episcopus. Duas ex eo coniugio filias suscepit: Sanctiã, quæ Tolosati Comiti nupsit: & Theresiam Guilielmi Bertradi Prouincia Comitiss vxoræ.

Sanctium filium maiorem natu Aiuaris, Xabierris, & Latris heredem instituit: & vti ferũt Comitatus dignitate decorat: & Ripacurcia præterea dominatum attribuit.

MXCI. MLIII.

Stabile, & perpetuum bellum inter Nauarræ, & Aragonia Reges fratres germanos permanferat: quod reprimi nisi alterius internecone non potuit. Cum tandem summa externarum virium contentione Garcias, & Ferdinandus armis decernerent, Ramirus ereptam Aragoniam recuperat. Cum enim non mitioribus furijs Garcias, & Ferdinandus iactarentur, & Ferdinandus iam præpotens, & excellēs Castellæ ditioni Legionense, & Gallaicum regnum adiecisset, de Riogjæ, & Burueuæ ditione, quæ ad Hiberum pertinet, decertâtes, Garcias, vt frater vltra Aucæ montes se reciperet, cogit. Ad Ataporcam, id vico nomen est, collatis signis prælio cū decertarent, Garcias contumacis, & superbi animi princeps, & qui iuniorum fratrem regnorum imperio superiorem sua inuadere equo animo pati non posset, in ea pugna mortem occumbit. Ex eo Ferdinandus regni fines Hiberi ripis terminat: & Pompelonense regnum, quod Hiberico, & Pyrenæi iugis contineretur, Sanctio Garcia fratris F. reliquum esse voluit. Aragonia, Suprarbium, & Ripacurcia Ramiro libera remanent. Non tamen his finibus Ramirus contentus, mense Ianuario non Aragonia modo, Suprarbij, & Ripacurcia se Regem, sed Pompelonensis ditionis appellat. Tres filios Garciam Regem suscepisse veterum scriptorum testimonio apparet: Sanctium, quem regno destinatum ad Pennalenem Nauarræ vicum, viuentem patre interemptum tradunt: & alterum itidem nomine Sanctium: qui patri regni successit heres: tertium Raimundum: qui postea sibi regnum appetens Sanctium Regem fratrem interemit.

Mauris, qui Ripacurcia penitus exacti nondum fuerant, acre bellum a Rege infertur. Benauarrium ab eis receptum vi expugnat.

MXCII. MLIV.

In Commentarijs rerum a Ruderico Biuario gestarum, quem Cidum sua ætas appellauit, & heroum veteres casus imitatum illa memorant carmina, quæ multis sæculis de clarorum virorum laudibus in conuiujs cantantur, scriptum reperimus summa contentione, & disidio inter Ferdinandum, & Ramirum Reges de Calagurris vetustæ Vasconum vrbs ad Hiberum

Hiberum sitæ iure, ac dominatu fuisse concertatum: armorumq; discrimi ni eam controuersiam, vt gentis prisca mos fuit, commissam: vt Cidus Castellæ Regis, Martinus Gometius, quem totius Hispaniæ acerrimum, & fortissimum virum idem auctor gestorum commemorat, Aragoniæ Regis iura, & partes armis vindicent: & pro suo quisque regni decore ferro dimicet: vt qui certamine victor euaserit, eius nationis regnum vrbi imperitet. Martino ex prouocatione deuicto, atque interempto de Calagurri Ferdinando Ramirum concessisse. Eum virum, qui in publica causa mortem oppetijt, cui tantus honos, etiam ab inimicis defertur, regia Pomponensium Regum stirpe ortum, & ab eo proceres illos maiorum gentiũ, qui Lunæ cognomẽto agnationibus tot illustrium familiarum distinguntur, generosa propagine profectos apud veterem scriptorem comperio.

Ramirus, & Sanctius Garcia Regis F. pactione arcium tradendarum foedus sanciuunt: & eæ arces veluti obsides vtrinque acceptæ. Pacto eo conuento Ruesta, & Pitilla a Ramiro Sanctio traduntur: arx vero Sanguetana, Lerda, & Onduesium pactione auxiliij aduersus Ferdinandum Regem conferendi Ramiro, posterisque eius a Sanctio sunt attributa.

Raimundus Berengarius Barcinonensis Comes, & Almodis eius vxor Senescaliam Cataloniæ Raimundo Myroni tradunt: quod genus imperij præcipua rerum bellicarum administratione adiuncta ad strenuos in primis viros, & virtute, potentiaque præstantes, & Comitum Barcinonensium propinquitate coniunctos deferri consuevit: summæque rerum præficiabantur: penes quos opes, & arcana regni in Gallia spectarent. In Aragonia vt in Galliæ regno Maiores domus appellabantur: quod aula Regiæ præfecti essent: quorum vis, ac potestas domi, militiæque plurimum pollerent. x xv. anno regni Henrici Francorum Regis eam rem gestam vetusto monumento perhibetur.

A. D. XVIII. K. Febr. AERA M X C I V. in concilij decretis a Cresceno Apostolicæ ecclesiæ Iriensis Episcopo, & Vistrasio Lucensi Metropolitanano, & Suario Dumienfi Episcopo Compostellæ factis in Basilica beati Iacobi Apostoli apparet x xi. annum regni Ferdinandi connumerari: vt eadem temporis ratio Ramiri eius fratris regno adæquetur: & apposite conueniat.

Ali Sarracenus qui Dianij, & Balearium insularum dominio potitur, earum ditionum ecclesiastica iura hoc anno, vt in vetustis tabulis apparet, Ecclesiæ S. Crucis, & Sanctæ Eulaliæ Barcinonensis, & Guilaberto Episcopo. VII. K. Ian. contribuit. Guilabertum tamen Episcopum Barcinonensem VIII. Id. Octobris Anno domini MCXX. a Sarracenis in proelio interemptum vetusta quædam monumenta testantur.

Cum Ferdinandus Rex, qui gestarum rerum gloria Magni nomen est consecutus, Cæsaraugustanum enim, Toletanum, Portugallensem, atque Hispalensem Maurorum Reges sibi parere, atque tributa quotannis pendere coegerat, immemor malorum, quæ tot per annos illa ætas fraternis disidijs tulerat, regni ditionibus a patre disunctis, & inter filios diuisis, ipse itidem Sanctio, Alfonso, & Garcia liberis regna & tradita, & bellis parta diuidit: & perpetuum odium, atq; disidium, summamq; inuidiam, & infamiã opera sua illis conflauit. Sanctius adepto regno fratres in expiabili odio persequitur: eius vero frater patruelis Sanctius Pompelonensis

C ij Rex,

AERA. NAT. CHR.  
M X C I I. M L I V.

M X C I I I. M L V.

M X C I V. M L V I.

M X C V I. M L I I X.

M X C I I X. M L X.

AERA. NAT. CHR.  
MXCIIIX. MLX.

Rex, quoad eius fieri poterat, fratribus implicitis bello, erepta vindicat. Ramirus Rex paulatim proferendo fines, praesidiaria castra extollens altius, & castella, turreaque frequentes opportunis locis construens Mauris bellum infert: omnique Suprarbio, & Ripacurcia pellit: aut suo imperio subijcit. Almugdadirium Caesaraugustanum, & Almudafarem Ilerdensem Reges, quotannis tributa conferre cogit. Bis signis collatis, ut erat acer, & pugnax, Oscensem Regem maximis proelijs devincit. Palliariensem ditionem, cum sibi virum praepotentem, & naum Regia cognatione adiunctum Rigolfum Florentium conciliaffet, ac foedere devinxisset, imperio adiungit. Rigolfus castellum ad Toris ripas obstructum opere, ac natura munitum Palliariensis regionis arcem, atque receptaculum constituit. Castellionem appellat. Ex Eincelina primaria femina Bernardum, & Amatium filios reliquit: qui arcem eam Regi, patre Rigolfo vita functo tradidere: & Eincelinæ Beranuium Castellum ad Isauenæ ripas situm condonatur. Palliariensis regionis ex eo Rex se potiri sperat.

Hoc ipso anno Sanctius Ferd. F. in Popelonis, Alauæ, & Castellæ ditione regnare traditur: Ramirum vero Sanctij patruum Aragoniæ regni potiri. Sedes Episcopalis Rotæ constituitur: diocesisque Palliariensis, & Ripacurciensis illi contribuuntur.

Sanctius Episcopus Aragonensis.

Paternus Episcopus Caesaraugustanus.

Arnulfus Episcopus Rotensis.

Hi antistites, & Guilielmus Vrgellitanus Vvifredi Cæretaniæ Comitum F. Heraclius Bigeronensis, Stephanus Olorensis, Gomecius Calaguritanus, Iohannes Lectorensis Episcopi Austindo Auxitano Archiepiscopo assidentes Iaccæ vetusto Vasconum oppido concilium eius provinciae celebrant: quam & cis Pyrenæum, & ea Aquitaniæ regione, quæ Vasconia illis temporibus dicta est, nunc Gascunia vocatur, aut Regi Ramiro paruisse, aut foedere fuisse adiunctam, non opinione solum, sed etiam plane ad veritatem hoc vno monumento mihi persuadeo. In primo Concilij confessu Rege vna cum filijs, ac regni proceribus assidente maxima frequentia, atque applausu in Dei opt. Max. laudes populus erumpit. Regem benignissimum, ac serenissimum principem compellat: prosperaque acclamatione diuinum implorat numen, ut hostium, ac gentium victor existeret. Summa religione, ac pietate eo in concilio caerimoniarum sacra, magna corruptella, propter assiduos bellorum tumultus intermissa sanciuntur: deprauatique mores patrij in ordinem rediguntur: & perfecta instituta maiorum reuocantur. Ne quid ex sanctorum patrum ritu, negligentia, fraudeue praetermitteretur, sacra omnia pie, riteque ex Catholicis sanctæ Romanæ ecclesiæ decretis, atque sanctionibus instaurantur: ne inter ipsas clades, ac feros bellorum exitus, aut continuum armorum usum, sacra religionis viderentur nostri negligentiores. Data Sacerdotibus lex, ne quo alio more, quam Romano precarentur: neque Gothica, utpote peregrina piacula, exsoluerentur. Ecclesiastica sedes Iaccæ constituitur: quæ priscis temporibus Oscæ collocata fuerat: decernuntque, ut quandoque diocesis caput ab impiorum dominatu eriperetur, illi Iaccetana sedes subijceretur: & tamquam filia parentem pie, sancteque coleret. Fines diocesis terminantur: ac circumscribuntur. Paternus Caesaraugustanus Episcopus per-

missu

missu sacri concilij ecclesiam sanctarum Massarum Cæsaraugustæ vrbis, quæ innumerabilium martyrum cineribus compactæ erant, ad Orbæ, & Hiberi confluentes ripas vetustis temporibus constructam, quæ sacris reliquijs consecrata fuerat, & D. Encratidi dicata, regio honori tribuens, atq; gratificans Iacetanæ ecclesiæ contribuit: eamq; rem, ac terminatos fines Gregorius VII. Pont. Max. decreto suo postea confirmat. Præter decimas tertia tributorum portio, quæ Cæsaraugustani, & Tudelani populi reges Mauri pensitant, ecclesiasticis muneribus assignatur. Ex eo Episcopi, qui ad eam diem Aragoniæ cognomento vsi fuerant, Iacetani etiam appellantur.

Sanctius Castellæ Rex cum Carpetaniæ, & Celtiberiæ regionibus bellum intulisset, quarum regulos Ferdinandus pater suo subiecerat imperio, Cæsaraugustâ circumludet: & eius fines incurrit: quoad Mauri se, suaq; illi traderet: ea conditione, vt ab hostium incursionibus vindicerentur: nam eam urbem Rex Ferdinandus Sanctio F. & eius regno cum appendicibus attribuerat. Inde de regnorum finibus summa inter Reges contentio: dum hac fertilitate, atq; amœnitate Cæsaraugustani agri vterque perfrui cupit: atque eo gradu terminos promouere, vnde si porro anniterentur, ad oras maritimas, ac lætas cultu regiones aspirare possent: & magnis Regibus tam decore, quam virtute æquarentur. Sanctius summa implacabilis iracundiæ acerbitate in patrum graue bellum conuertit: illata causa, quod Nauarris opitularetur: suaq; ac Cæsaraugustanorum copias colligens in Suprabium improuisus, ac repentinus inuadit: circum circa cuncta depopulatur, & vastat: patris arcem Gradus obsidente: quam Mauri ad Esera: ripas sitam munierant. Subita hostium irruptione nostri funduntur: & Ramirus Rex preelians interficitur. Vetustis annalibus perhibetur pugnam eam A. D. VII. Id. Mai fuisse pugnatam. Ad D. Ioannis Pinnatensis sepelitur: gentilicijq; tumuli sepultura corpus humatur. Gregorius VII. Pont. Max. præclaro impertito testimonio regem summis laudibus extulit: Christianissimum appellans: & sedi Apostolicæ adeo deditum, atque addictum, vt vna cum liberis sese, regnumque tributarium illi constituerit: eius pietatem, ac religionem collaudat: quod tamquam alter Moses primus post deuastatas a Mauris Hispanias Romana sacra, canonicaque instituta pie, sancteque adscuerit: & Toletanam superstitionem pergens resusam, sunt qui his verbis Magorum portenta innui arbitrentur, cuius illusione hominû mentes imbuebantur, amouerit: atque proiecerit. Quæ eo a summo Pontifice extolli, atque prædicari videntur, quod Rege annitente, atque instante vetustis sacrorum ritibus more Romano, rebus diuinis opera daretur: preces consecrarentur, sollempnia, stataque sacrificia rite peragerentur: ac vota persoluerentur. Magnas enim sollempnium preces diffimilitudo in Hispaniarum prouincijs turbas, ac contentiones excitauerat.

SANCTIVS VII. ARAGONIAE ET SUPRARBII REX.

Sanctius duodevicesimum annum agens patri succedit heres. Arnaldus Myro Myronis F. in Palliaria, ac Ripacurcensi regione præpotens ea tempestate late ditionem continuat. Agerensi castello præsidio firmato regionem omnem, quæ Nocharia Ripacurcensi, & Palliariensi

C iij item

ABRA. TANAT. CHR. MXCIIIX. MLX.

MCI. MLXIII.

VIKXIII. IIVOM

VIKXIII. IIVOM

ABRA. NAT. CHR.

item Nocharia fluminibus, & a Septentrionibus montis Sicci iugo, & meridie S. Liciniæ arce continet, impijs expulsis hostibus, armis vindicat.

Casteldassum castellum Maurorum irruptione, atque impetu vi expugnatur.

MCII. MLXIV.

In initio regni Iaccam vetustum Vasconum oppidum, & ciuium frequentia, & situ, & Beneharnensi saltu, nunc Aspensem vocant, celebrem, Galliarum commercio, atque comiteatu, externisque commoditatibus opportunum Rex vrbs appellatione cohonestat. Habitari enim tamquam urbem, frequentarique, quod totius regni præsidium, atque propugnaculum esset, corpusque ei ciuitatis, senatus, & plebis concilium attribuit, & magistratus ad iura reddenda quotannis creari e dignitate regia censuit. Leges ciuibus sancit: militaribus, incultis, atque horridis illis hominibus consentaneas: forumque indicit, Iaccetanum nuncupatum: quo & ciues, & regni incolæ, colonique firmum ius tenerent. Leges in iustum postea volumen, quod hodie exstat, referuntur: eaque a Rege, in Nauarra regni populorum institutis scitæ fuere.

Rex Sanctio Pompeloniensi Regi patrueli fratri fœdere adiunctus, patris vlciscendi causa Sanctium Castellæ Regem patruelimitidem fratrem bello persequitur. Proelio ad Vianam commisso Castellæ Rex profligatur.

Hugo Candidus presbyter Cardinalis S. R. E. ad Hispaniarum Reges ab Alexandro II. P. M. de summa Christianæ reipublicæ legatus, quod de summo Pontificatu controuersia esset, maximaque impenderet contentio, summo cum honore a Rege exceipitur. Verum Christi Vicarium Alexandrum tamquam rite ad eam dignitatem adscitum Rex, omnisque regia, ac populi profitentur: & legato Alexandri nomine parent: atque obedientiam adhibent. Cœnobîa, eorumque vectigalia, quod ab Episcopis vindicarentur, Rex potestati, atque arbitrio summi Pontifici subijcit: vt a sede Apostolica conferuentur.

MCIII. MLXV.

Cum Aragoniæ, & Castellæ Reges ab armis recederent, & Sanctius Ferd. F. in fratres germanos omnem conatum, atque impetum vertisset, Aragonius Abdurrahameno Oscensi Regi bellum infert: Barbastram nobile Ilorgetum oppidum ad Veri fluij ripas situm vi expugnat. In ea obsidione occumbit Ermengaudus Vrgellitanus summæ potentie princeps: cuius filiam Feliciam Rex in matrimonium duxerat. Mauros tamē postea eius vrbs potitos comperimus. Barbastrensem ecclesiam Salomoni Rotensi Episcopo attributam quædam monumenta testantur: cum factis constet Arnulfum Episcopum aliquot annos post urbem eam primo captam vitam perduxisse.

MCVI. MLXXIX.

Raimundus Berengarius Comes Barcinonensis, & Almodis eius vxor de controuersia, quam cum Vicecomite Raimundo Bernardo Trencavello habent hereditaria comitatus, ac ditionis Rhodensis Gallia prouincia, & vicecomitatus Conseranensis, & Conuenatis, & iurisdictionis ciuitatū Carcafonensis, & Narbonensis, Minertinæ, ac Tolofatis transigunt: atque decidunt. Trencavello Comitibus sese obstringit: supremumque eorum dominatum, & summam potestatem sancit. Ea pactione Carcafonis Comitatus Trencavello mancipatur: recipiuntque Comites Carcafonensem ciuitatem: & eas possessiones, quæ Episcopi iuris erant. His constitutis

stitutus Raimundus Arnaldus Carcafonensis Vicecomes, & Raimundus Iazbertus Vicecomes Rhodensis Comitibus Barcinonensibus, posteriq; eorum se, suosque subijciunt: atque addicunt.

Raimundus Vvifredus Cæretaniæ Comes moritur. Guinardus Ruscinonensis Comes Perpinianum oppidum, haud procul Ruscinonis vetustæ vrbis vestigijs condit: eo in loco, vbi duæ tabernæ, & diuerforia erant, quæ Bernardi Perpiniani nuncupabantur.

Sanctius Regis frater Ripacurciæ ditioni præficatur.

Hoc ipso anno, quæ regno Philippi Francorū Regis Henrici filij octauus fuit, Arnaldus Myro Monasterium S. Petri Agerensis condit. Hic clarus, ac præpotens vir prole virili oratus Valeitiam filiam Raimundo Raimundi F. Sunarij Comitis nepoti Comiti Palliariensi in matrimonium collocat: & Ledgardim alteram filiam Pontio Vicecomiti Caprariensi vxorē tradit: quorum filius Gerardus Capraria Agerensis item Vicecomitatus fit heres.

Sanctius Rex Ferd. Regis. E. cum non Alonsum modo, & Garciam fratres hereditarijs regnis expulisset, sed sorores Vrracam, & Eluiram vrbiscisci, & persequi statueret, & Vrracam in Zamoranam arcem compulisset, atque eam obsidione premeret, & nulla spes esset diutius obsessos inopiam laturos, a Belidio Atraulphio Zamorensi optimate, qui ad stationes regias dolo peruenerat, perfidia, ac proditione interceptus, crudeli morte maectatur. Certum auctorem eiusdem ætatis ex stare comperio, qui prodit, Vrracam summi consilij feminam cum Petro Ansurio Comite, & Zamorensi ciuitate ab Rege descivisse: ac rebellionem fecisse.

In aliquot annalibus, quibus memoria publica retinenda causa, res insignes singulorum aunorum litteris consignabantur, qui complures exstant, testatum comperio: Rudericum Biuarium Cidum cognominatum, postquam Sanctius Rex interemptus fuit, & Simonem Garcesium Torrelliam ex prouocatiōe singulari certamine armis decertasse: & Torrelliam virum in primis strenuum, atque primarium a Biuario deuictum: neque de qua controuersia conflixerint, memoria proditur: sed causam Alfonso Regis Castellæ, Sanctij Regis fratris Biuarium tuendam eo certamine suscepisse. In iisdem præterea annalibus traditum est, eundem post ea Biuarium singulari itidem certamine Farzium Sarracenum vehementer bellatorem ad Medinā Zelimi nobile oppidū, deuictum contrucidasse.

Rudericus Biuarium Cidi cognomentum fortitus, cuius animi magnitudinis, & rerum gestarum commemoratio ea est, vt supra hominis priuari fortunam esse videatur, ab Alfonso Castellæ Rege desciscens, qui indemortui Sanctij Regis fratris locum successerat, Celtiberiæ arces munitissimis locis a Mauris obstructas vi expugnat: & in Valentini regni fines irrumpens, firmissimo robore copiarum suarum acre bellum aduersus Mauros gerit: & suis, sociorumque viribus in hostes confurgens totam belli molem in eam regionem avertit. Eodem conatu in intimas hostium regiones penetrans plura oppida, castellaque expugnat: quorum excidijs militem præda locupletat. Mauri deliciarum luxu fluentes a militaribus copijs externis, & armorum vsu obduratis funduntur passim: cadunturque.

Gregorius VII. P. M. Regi nrō tota mente, atq; omni animi impetu

C iij bellum

ÆRA NAT. CHR.  
M C V I . M L X I X . M

. I V X X I M . V I X O M

M C X . M L X X I I .

M C X I I . M L X X I V .

ABRA. NAT. CHR.  
MCXII. MLXXIV.

bellum sacrum meditati, atque molienti gratificaturus, tribuit, atq; con-  
donat: vt prouentus, ac decimas ex agris vectigalibus attributas ecclesijs,  
delubris, sacellis, & cœnobijs quæ construerentur, atque a Maurorum do-  
minatu vindicarentur, suo arbitrato ipsis ecclesijs, delubris, sacellis, atque  
cœnobijs assignare, atque adnectere posset. Idius a Gregorio firmatum  
Urbanus II. P. M. postea Aragonensibus Regibus, posterisque eorum  
firmum, ac ratum sancit.

MCXIV. MLXXVI.

Sanctius Rex Garcia Regis F. ad Rotam interficitur. An Rudericus To-  
letanus Antistes necis auctorem sciens, ac prudens reticuerit, affirmare  
non ausim: satis enim ex vetustis monumentis constat, a Raimundo fratre,  
seu dira regnandi cupidine, siue cæca, ac temeraria sui vlciscendi insania  
fuisse interemptum: & Raimundum regium nomen inuasisse.

XXXXIM .XDM

Ea occupata tyrannide Raimundus non diu oppressum seruitute re-  
gnum obtinere potuit. A Pompelonensibus, enim regni finibus est expul-  
sus: Sanctiumque Aragoniæ Regem sibi deligunt, atque adsciscunt: qui  
ex eo tempore regni Pompelonensis, Nariæ Regiæ vrbis, & totius eius  
ditionis, quæ Hiberamne, & Aucensibus montibus continetur, conui-  
uente Alfonso Castellæ Rege Ferdin. Regis filio potitur: cuius supre-  
mum potestatis ius, atque dominatum eidem Alfonso recipit: atque sancit.  
Raimundus fraterno sanguine pollutus extorris a Cæsaraugustano  
Rege Mauro excipitur: & in summa miseria, atq; aerumna vixit. Neptē  
reliquit Marchesiam Aznarij Lupi vxorem. Regis Sanctij Pompelonen-  
sis F. Ramirus, ea in conuersione rerum, & perturbatione ad Cidum dedu-  
citur: cuius filiam in matrimonium duxit.

#### ARAGONIAE ET POMPELONEN.

#### REGNIS VBI VNCTIO.

Bellum a Rege ad Ripacurciæ confinia geritur: Maurique cæduntur  
& coercentur. Arcem munitissimā Munionem vocatam ad Secastellam  
oppidum III. M. P. a Gradibus magna virium contentione expugnat.  
Adfuisse eo in proelio Garcias Iacetanus Regis frater, & Arnulfus Roten-  
sis Episcopi traduntur. Insigni, & cruenta victoria parta, ad D. Victoriani  
principē arā mense Augusto, summa cum pietate Rex vota persoluit. Is  
rerū status erat, vt perpetuæ stationes agenda continētibus bellis essent.

Raimundus Berengarius Barcinonensis exacta ætate, summa, & perfe-  
cta gloria perfunctus e vita excedit: & in æde maxima Barcinonensi sepē-  
litur. Duos reliquit filios: Berengarium Raimundi: quem natu maiorem  
priscus auctor confirmat: & Raimundum Berengarij: quibus Cataloniam  
omnem, vt omnis controuersia dissensio tolleretur, diuidi voluit: sineq;  
imperij singulis constitui. Carcafontensem ditionem Raimundo attribu-  
tam comperimus. Hunc Guilielmi Tolosatis Comitum fratrem ex Almo-  
di matre memorant.

#### BERENGARIVS ET RAIMVNDVS

#### COMITES BARCINONENSES.

Sanctia Regis soror, Tolosatis Comitum vxor D. Mariæ cœnobium in  
S. Crucis finibus constructum affluentibus copijs ditat. Sororum, id est fe-  
minarum pie, sancteque degentium receptaculum esse voluit: indeque  
nomen inuenit. Sanctia in eo sacello sepelitur.

VIXXIM

IIIXDM

Aimericus Vicecomes Narbonensis Mahaltis F. Raimundo Barcino-  
nensi



nenſi, quem germanum appellat, ego veterinum fratrem fuiſſe ſuſpicor, iura poteſtatis arcis, ac ditionis Fonolletia, & Petra Pertuſa recipit: atque auctoramenti ſacramento ſancit. Huius egregia opera enituit, quod Raimundo opem, atque auxilium tulerit, in eo bello, quod aduerſus eos proceres geſit, qui Rhodenſem, & Carcaſonenſem ditionem inuaſerant.

AERA NAT. CHR.  
MCXIV. MLXXVI.

Couinum, & Pitilla arces a Rege vi expugnantur. Ad Caſarauguſtam Gradum vocant, incurſione hoſtili deſagrat. Poſt finitima vi, vel metu ſubacta caſtrorum, & caſtellarum munimentis oppleta Aragonia eſt: & iam aſſuefacta terrori eſſe accolis omnibus, quos antea formidauerat: & deuicti paulatim in amplitudinem gentis conſeſſere.

MCXIX. MLXXX.

Rerum Barcinonenſium vetus ſcriptor Raimundum Barcinonenſem perhibet Roberti Viſcardi Apulia, & Calabria Ducis potentiſſimi Principis filiam in matrimonium duxiſſe: neque de eſſe video, qui vereatur, ne falſo memoriae proditum fuerit. Gauſfredus enim monachus, qui ei uſdem Roberti, & Rogerij Siciliae Comitis eius fratris res geſtas, iplius Rogerij rogatu poſteris tradidit, cum de ea re mentionem nullam fecerit, Mathildem tamen Rogerij F. Raimundo Prouinciarum Comiti nupſiſſe, com moſtrat: Rem dignam ceſeo in qua animaduertenda eius uerba apponant.

Anno dominicae incarnationis MLXXX Raimundus famoſiſſimus Comes Prouinciarum famam Rogerij Siculorum Comitis audiens propter ſtrentuitatem, qua de ipſo referebatur, legatos dignos, qui a tanto ad tantum dirigerentur, mittens, Mathildem filiam ſuam, quam de prima uxore, admodum honeſtae faciei puellam habebat, ſibi in matrimonium copulandam expoſtulat.

Apponit praeterea, ne plura ſubtexam, Raimundum in Siciliam profectum, digno exceptum apparatu, pactiones renouatas, dotem dictam, ſponſalia celebrata: & inconditis etiam carminibus faces nuptiales decantat: ut qui in ea re praesens adfuerit: ac falli minime potuerit. Iam uero, quod Prouinciarum Comitem appellet, & rerum ſtatus, & illarum ditionum Galliae prouincia condicio, & temporum ratio ſubinnuere uideri poterant, Raimundum Comitem Barcinonenſem fuiſſe, cui Mathildis nupſerit: cui & media Catalonia, & Narbo, & Carcaſo primariae ciuitates Prouincia ea tempeſtate parerent: atque eius ſupremum ſuſtinerent dominatum. Cum uero idem Gauſfredus ſexto poſtea tranſacto anno, Raimundo Barcinonenſi Comite, interempto ei uſdem Raimundi Prouinciarum Comitis mentionem fecerit, & Mathildis ſororem ab eodem Raimundo Claramontio Comiti collocatam, qua claſſe ad S. Egidium prouincia Galliae oppidum appulerat, ut Philippo Francorum Regi nuberet, cuius fuere diſruptae nuptiae, haud abſurdum fuerit, ſi aſſerere auſim Mathildem Raimundo S. Egidij, & Tolofatum Comiti nupſiſſe: qui Prouinciarum Comes ab eo auctore ſit appellatus: ut uere Barcinonenſis Raimundus Viſcardi filiam in matrimonium duxerit.

Garcia Iacetano Epifcopo Regis fratre, & Raimundo Dalmatio Rotenſi Epifcopis de dioceſum finibus contendentibus certi limites terminantur: ſcribendo ad fuiſſe Sanctium Galindiū Comitem, qui Boltagna, Atareſij, & Soſij dominabatur, & Centullum Bigeronenſem Comitem, & Sancti uſdem Ramiri Regis filium uetuiſtis tabulis Rotenſibus coperimus.

Cum regni

AERA. NAT. CHR.  
MCXXIX. MLXXXI.

Cum regni tenues opes, atque exiles essent: ac virium, & armorum firmamento, ac robore constaret, atque easpe nostris animi adderentur, si ex montosis saltibus, & asperis, præruptisque locis in vberes, ac fertiles regiones, quarum hostes potiebatur, arma transferrent, ac bellum ipsos aleret, Rex, quod in decumas ecclesiarum, atque eos agrorum fructus, qui sacris functionibus assignabantur, primitias vocant, manus iniecisset, atque in militares vertisset usus, magna se religione obstrictum videt: tantaque vis fuit poenitendi, ut in D. Victoriani cœnobio, ad D. Vincentij aram, Raimundo Dalmatio Episcopo assidente, eius noxæ religionem expiarit.

Bolea in Vasconum, & Illegetum confinibus sita, & opere munita, ac fitu, a nostris vi expugnatur. De ea re Gonzaluus Garcias, cui Sanctæ Mariæ cognomen fuit, Cæsaraugustanus ciuis, & in primis iuris scientia clarus, qui de rebus gestis Regum Aragoniæ opus latino sermone cõtexit, hæc prodidit. Anno vero millesimo Octogesimo primo debellauit Bolearum: unde egressi sunt, originemque duxerunt duo generosi viri: quorum cognomen ante nuncupabatur a Turribus: sed quia in expugnatione loci, ultra vires humanas conflixerunt, cognomen eis mutatum: ac a villa expugnata sumptum. Hæc eadem, ferme totidem verbis, a Gauberto monacho, earum itidem rerum scriptore, qui eiusdem Gonzalui ætate opus suum concinarat, traduntur.

MCXX. MLXXXII.

A. D. VIII. Id. Dec. Raimundus Berengarius Comes Barcinonensis ad Astoris perticam, is locus est inter Gerundam urbem, & S. Celedonij oppidum, ab impio, & conscelerato fratre Berengario trucidatur. Raimundo filius A. D. III. Id. Nouemb. natus fuerat: qui patris nomen tulit. Is diuina ope seruatus, & patris, & patruus ditione, qui meritas paricidij poenas dedit, potietur: & ad summum perueniet imperium.

Bernardus Guilielmus Comes Befalunensis.

Guilielmus Raimundus Comes Cæretanus.

MCXXI. MLXXXIII.

Gradus Ripacuriæ oppidum vi expugnatur: quod cum Ramirus Rex, si eius esset potitus, D. Victoriano se dicaturum vouisset, votum a patre nuncupatum pius Rex soluit: & cœnobio D. Victoriani attribuit.

Magnam ab hostibus Christianorum stragem hoc anno editam ad Rotam oppidum, prope Salonis ripas situ munitissimum memorant. Eam rem Alfonsi Castellæ Regis ope, atque consilio gestam comperio: qui suas opes, atque copias Mauris adiunxisset, quod cum Aragonio Rege de Pompelonsi, & Nauarræ regno certarent: fratrumque discordia prope ad vltimum dimicationis ventum. Eo in prælio Ramirum Infantem Sanctij Nauarræ Regis filium occubuisse ferunt.

Aierbium oppidum a Rege conditur: & cõmunitur: haud procul Gallici fluminis ripis: eo situ quo Ebelinum vetus oppidum via consulari, quæ Cæsaraugusta Beneharnum ducit, constitutum apparet. Proximis gentibus perdomitis, virium accessione robustior, aduersus finitimos bella gerens, totius Vasconianæ populos, aut subigit, aut in fœdera cogit.

MCXXII. MLXXXIV.

Festo natiuitatis Domini die Rex prælio cum impijs hostibus ad Pe-trampisadam decertat.

Non. Apr. sacro cænæ domini die, & item postero VI. Feria sancta corpora Indaletij, & Iacobi eius discipuli Vrgitanæ Ecclesiæ Episcoporum, quos ex sacro illo collegio discipulorum beati Iacobi, & aliorum Apostolorum

Iorum in Bætica oras appullisse comperimus, frequentissima celebritate a Rege, & Petro eius filio, in cœnobio S. Iohannis Pinnatenfis conduntur: quæ Almeria vrbe aduecta pie, sancteque a nostris coluntur.

AERA NAT. CHR. MCXXII. MLXXXIV.

Arguedas oppidum Rex paulopost vi expugnat.

A. D. X. K. Iun. Siccastellæ arcis Rex potitur. Eodem mense ad Tudelam cum Mauris signis collatis prælio dimicat. Nostri adeo fidenter bellagerunt, vt iam non prærupta tantum collium, montiumque ardua occupauerint, sed in immissa, ac vasta camporum se effuderint.

Hoc anno A. D. VIII. Id. Febr. ab hora sexta, vsque ad horam nonam, trium horarum spatio defectione solis facta, adeo obscurato sidere diem obductam memoriæ proditur, vt quasi nocte offusa, tetrus in tenebris, & obscura caligine omnia iacerent. Commutationem rerum, periculumq; Principibus portendisse, morte trium maximorum Principum subsequuta, sæculum illud quodammodo agnouit. Eo enim ipso anno obiit Gregorius VII. P. M. & Guilielmus, qui primus ex Normannorum ducibus regnum in Britannia, quam Angliam vocauerunt, multa virtute cepit: & Rob. Viscardus eiusdem gentis: qui Apulis, Calabris, Campanis, Bruttis, & Siculis a se, & Rogerio fratre perdomitis, cum Macedonia, & Græciæ arma intulisset, & Constantinopolitano imperio cum Boamundo F. strenue immineret, summa, & perfecta gloria vitam amisit.

Rex, cuius victoriæ longe, lateque diffusæ magnum hostibus terrorem iniecerant, Petro F. natu maximo Suprarij, & Ripacurciæ ditiones attribuit: & regale nomen, dignitatemque impertit. Cum primogenitum Regij nominis appellatione dignatus esset, patria virtute, & maiestate polentem, Sanctio Petri fratri Benauarri ditionem, & comitatum recipit, atque tradit.

MCXXIII. MLXXXV.

PETRVS SANCTII REGIS F. SVPRARBII ET RIPACVRCIAE REX.

A. D. VIII. K. Iun. D. Urbani festo die Toletum vrbs regia, & totius Hispaniarum imperij veluti arx, quam Alfonso Rex castris circumfederat, postquam imminentes colles firmis præsidij occupasset, & hostes a comitatu, & reliquis copijs interclusisset, Regi traditur: qua re feliciter gesta, maiorum suorum victorias ingenti laude superauit.

A. D. VIII. K. Mai. Felicia Regina moritur. Tris ex ea Rex liberos suscepit: Petrum, Alfonso, & Ramirum. Omnes regiam dignitatem consequuntur.

MCXXIV. MLXXXVI.

Artallus Palliariensis Comes Artallis Comitum, & Lucia F. Luciam Almodis Barcinonensis Comitum F. memorant.

Mauri, qui Almorabides vocabantur, cum ab Abenhabeto Hispalensi Rege, vltro & Africa, & Mauritanæ prouincijs essent arcessiti, vt Alfonso Regi genero opitularentur, magnisq; copijs ex delectu Africano comparatis strepitum traiecissent, Abenhabetum ipsum regno deturbant: atque eo interempto, pæne totius Bæticae potiuntur: & magno impetu per Hispaniarum oras effunduntur.

MCXXV. MLXXXVII.

Bernardus Toletanus Archiepiscopus, quem rebus sacris in Hispaniarum prouincijs Gregorius VII. P. M. præfecerat, & omniū antistitū primarium constituerat, Tolosæ concilium celebrat: cui ad sedere Narbonensis Archieps, & Gallia Gothica Episcopi. Mox ecclesiæ Tarraconensis instaurandæ

randæ

AERA. NAT. CHR.

randæ præfuit: eoque administro Tarraconense, & Toletanum templum dedicatione consecrantur. Urbanus P. M. Tarraconensi Ecclesiæ Berengarium Aufetanum Episcopum præficit.

MCXXVI. MLXXXIX.

Mense Maio ad Moreliam cum Mauris à Rege dimicatum vetus auctor memorat: & in eo prælio Cidum deuictum. In quibusdam annalibus. A. D. XIX. K. Sept. res gesta traditur.

MCXXVII. MLXXXIX.

Non iam repens bellum, sed acre, & magnum à Rege ad Cingæ fluminis ripas geritur. Festo S. Iohannis Baptistæ dominica die vna cum Petro F. Rege Montionem validum Ilergetum oppidum, & ad omnia opportu- num, arce septum, & situ munitum vi expugnat: præsidioque firmat. Rudericus Toletanus antistes insigni laude Titonis primarij iuri id oppidum irruptum fuisse, atque expugnatum commemorat: & mox dolo amissum Barcinonensi Comiti fuisse traditum.

MCXXIX. MXX.

Abderrahmenus Oscanis Rex tributarium se Regi, ac stipendiarium constituit.

Alfonso Regi bellum aduersus Almorabides Mauros, qui in Hispanias irruerant, gerenti difficilimo tempore a Rege subuentum est: cuiusq; sub fidij causa Toletum proficiscitur. Stella oppidum intra Nauarræ regni fines constitutum populo, & ciuitate incolitur.

MCXXIX. MXXI.

Castellare ad Iberi ripas XX. M. P. supra Cæsaraugustam loco præcelso, atque edito, velut arcem suis finibus impositam condi, atque muni- ri Rex iubet: vti eo munimento, crebris ad Iberum dispositis præsidijs Cæsaraugustani, non incursionibus modo, sed continenti veluti obsidio- ne premerentur: cuius præsidium, vacuos per agros, cuncta infesta com- meatibus hostium fecerat: idq; receptaculum nostris exercitibus patuit.

Ad Arbris montis radices S. Eulaliæ, Almenara, & Nauale oppida a nostris irrumpuntur. Collis supra Oscanam vrbi imminens, quem Sanctij vocitauerunt, communitur: atque obstruitur: & ad eius vrbis obsidionem animi omnium conuertuntur. Loharri, Marcuelli, & Alquezaris muni- tissimæ arces in angustijs montium præsidijs firmantur: vicinæque, & fini- timæ regiones illis claustris continentur. Ex eo castella, quibus hostes in Iberi, Gallici, Canadris, Veri, Guatazulemæ, ac Cingæ ripis præsidia sua propugnationis constituerat, maiore vi, atque incitatione expugnan- tur. Oscanæ primaria vrbe circumfessa, omnia loca superiora, atque itinera a nostris obsidentur.

Iunio mense Rex copias omnes dispersas in Montionis arcem cogit: vti Ermengauda Vrgellitano affini aduersus Mauros, qui Ilerdæ, Fragæ, & Dertosæ dominantur, bellum gerenti subsidium comparetur. Tot per idem tempus ciuitates propagatæ, conditæque fuere, vt maxime auctum iuris communionem Aragonium nomen sit.

Luna oppidum in Vascetania conditum, & coetum incolarum frequen- tari coeptum. Eius oppidi ditio Bachallæ, ex proceribus primario viro a Rege attribuitur: vnde eius posterum Lunæ cognomen inuenere. Gens in primis longo stemmate insignis.

Berengarius Barcinonensis Comes, cum Cataloniae partis dominaretur, & reliquam post fratris necem tyrannide appeteret, totius ditionis potiundæ furore incitatus ingens bellum orsus fuerat: cuius Vrgellita- nus & fautor, & adiutor exstitit.

Ermen-

Ermengaudus Comes Vrgellitanus summae potentiae princeps moritur. Is Gerpus est appellatus: quod ex Gerpo Castello Balaguerim urbem ad Sicoris ripas sitam, & arce, & ubertate agrorum in primis nobilem, aliaque plura Hergetum oppida, & Maurorum praesidia ad deditio- nem compulisset. Herdensem, & Caesaraugustanum Reges ingentem pecuniam quotannis pendere cogit. Ex Luciae uxore Ermengaudum filium genuit. Adelaidam praeterea uxorem prouinciae Galliae Comitem, & Sanctiam filiam in testamenti tabulis commemorat.

AERA NAT. CHR. 1111  
MCXXX. MXCII.

Rex Ramirum E. minimum natu sacris, & diuino cultui dedicat: sacra- que vota suscipere, eorumque sponcione apud Frotardum abbatem ob- stringi, & pie, sancteque profiteri curat: & Coenobio S. Pontij Tomer- jensis Galliae prouinciae, in territorio Narbonensi ad Iauri ripas, Arau- rium esse arbitramur, addit: quem ex pueris non excessisse eo tempo- re arbitrator. Res digna, quae litteris consignaretur: mandareturque monu- mentis: atque ideo concepta litterarum verba hoc loco adponere opera- pretium visum: ut Catholicum Principem maximis, & periculosissimis bellis vota victorij suis nuncupantem audiamus.

MCXXXI. MXCIII.

IN NOMINE summi, & aeterni Dei omnipotentis Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Notum sit omnibus sanctae Ecclesiae filijs: praesentibus scilicet, & futuris: quod ego Sanctius gratia omnipotentis Dei Rex Ara- gonensium, necnon Pompelonensium Regis Raimiri filius: qui fuit quon- dam: memor verborum Domini nostri Iesu Christi Nazareni, quibus ipse dicit: Date eleemosynam: & ecce omnia munda sunt vobis: & quoniam eleemosyna a morte animam liberat: & sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum: facio donationem ex alodibus meis proprijs omnipotentissimo, ac clementissimo Deo: & almae genitrici Dei Mariae: atque gloriosissimo martyri Pontio: necnon Tomerjensi coenobio: quod est situm in pago Narbonensi super fluuium Iauri: & domno Abbati Frotardo: seu successoribus eius: & monachis: moder- no tempore degentibus: & in antea futuris. Igitur ego volens praefatus Sanctius Rex placare in omnibus Diuinitatem, ob immensa benefi- cia a Deo conlata: quoniam debet felicitas hominis beneficijs respon- dere Creatoris: calore Sancti Spiritus succensus offero amabile mihi pi- gnus scilicet Raimirum filium meum Deo: & gloriosissimae semper Vir- gini Mariae, & glorioso martyri Pontio coenobij praescripti, atque Abba- ti praescripto, & monachis ibidem degentibus in perpetuum: ea vide- licet fideli deuotione, quatenus sit monachus secundum regulam san- cti Benedicti praescripti coenobij: & impleret Domini bonitatem pro me: & matre sua: cunctisque propinquis suis. Post hanc itaque dona- tionem, atque oblationem carissimi filij mei in primis dono praelibatis sanctis, ac praescripto coenobio monasterium Sancti Vrbicij de Ser- rauol: cum omnibus suis pertinentijs: & cum omnibus decimis suis: cum villis, & mansis, & palatijs suis, & possessionibus: & cum omni- bus hominibus, & mischinis suis, & posteritate illorum: cum terris, vi- neis, pratis, pascuis, boscis, siluis, garricis, arboribus fructiferis, molen- dinis, aquis, aquarumque exitibus, & regressibus earum, viae ductibus, & reductibus earum: tam vrbano- rum, quam rusticorum: montosum, siue decliuum: quidquid dici, vel nominari Romano ore potest: om- nia, &

ÆRA. NAT. CHR.  
MCXXXI. MXCIII.

nia, & in omnibus sicut ego vnquam habui: vel tenui, seu habere debui  
per qualescunque voces: sine vlla re. Similiter dono illam Ecclesiam  
Apostolorum Christi Simonis, & Iudæ: de Castro, quod dicitur Laua-  
tella: cum omnibus Ecclesijs: & capellanijs suis: quæ ibidem fuerint  
cum decimis, & primicijs suis, & cœmeterijs: simulque alodibus suis: &  
pertinentijs suis. Simili tenore dono omnes primicias, & decimas, &  
oblaciones, necnon alodia de ipsis Ecclesijs, & villis, quæ ad prædi-  
ctum castrum transmigrarunt: idest Morraes, Bastares, & Banizi: cum  
omnibus suis pertinentijs. Dono & Ecclesiam Sanctæ Cæcilie cum dec-  
imis, & primicijs: & cum oblacionibus suis: siue cum omni Ecclesia-  
stico suo: & cum cuncta medietate de suo termino, cum suis pertinent-  
ijs. Insuper dono Deo, & præscriptis Sanctis, ac cœnobio Tomerienti  
illud Castrum, quod vocatur Villelas: cum suo, & alodibus suis cun-  
ctis, siue affrontationibus, pertinentijs liberum, & ingenuum: cum Ec-  
clesijs, & Capellanijs, quæ ibidem fuerint: si Deus concesserit: cum om-  
ni Ecclesiastico earum: sine vlla reseruatione cum suis pertinentijs. Si-  
militer dono ipsam pariam, & tributum, ac fabricam, quæ mihi soliti  
erant facere ipsi Ismaelita: cum omnibus seruitijs suis: quæ debent fa-  
cere. Dono etiam casas in Iacca: quæ fuerunt de Garzia Arceiz: qui  
fuit Marinus de prædicta Iacca: & sunt in medio supradictæ ipsæ ca-  
sæ. Adhuc etiam dono ipsam turrin cum ipsas casas de Castro, qui vo-  
catur Mons Aragonum iuxta casas filij mei Petri: & ante casas caput  
Ecclesiæ cum ipso alodio, & molendino: quod dedi prædictis Sanctis:  
in campo qui vocatur Floren iuxta flumen inter Teirch, & Chiluert. Do-  
no etiam capellam Zudæ de Osca: si Deus eam mihi dederit: vel filio  
meo. Sunt autem hæc omnia in territorio Oscensi. Adhuc etiam ego  
Sanctius præscriptus gratia Dei Rex amore Christi prouocatus dono  
Sanctæ Mariæ, & Sancto Pontio Tomerientis cœnobij prælibati, &  
monachis ibidem commanentibus Ecclesias, & Capellanas de Castro,  
quod vocatur Arguedas: quæ ibidem sunt modo: & in antea erunt: &  
in omni termino suo: cum decimis, & primicijs: simulque oblacioni-  
bus suis: & cum omnibus pertinentijs suis: atque vniuersis, quæ ad præ-  
dictam Ecclesiam, vel Capellaniam pertinent: seu pertinere debent:  
vel aspiciere videntur: totum ab integro sine vlla reseruatione. Simili  
modo dono decimam de paria prædicti Castri: & de termino suo: & de-  
cimam, ac primiciam de Puliera: necnon de omni termino suo. Simi-  
liter dono ipsam decimam de illa paria de Castro, quod dicitur Valtera:  
& Quatrete: & de omni termino suo: cum Ecclesijs, & Capellanijs  
suis, quæ ibidem erunt: si voluntas Dei fuerit: cum decimis, & primi-  
cijs: simulque oblacionibus: & pertinentijs suis: cum omni Ecclesia-  
stico suo. Insuper dono Deo, & præscriptis Sanctis illud Castrum,  
quod nuncupatur Morel: iuxta Hiberum fluuium: cum suo termino:  
& alodibus omnibus: cunctisque affrontationibus: & vniuersis suis per-  
tinentijs: vt sit liberum: & ingenuum: cum Ecclesijs, & Capellanijs:  
quæ ibidem fuerint: si Deus auxilium præbuerit: cum omni Ecclesia-  
stico suo: & cunctis suis pertinentijs. Dono etiam Ecclesiam, & Capel-  
laniam de Tutela: si Deus omnipotens eam mihi dederit: quæ ibidem  
sunt: aut erunt: vel in omni termino suo: vbicunque fuerint: intus:  
aut foris:

aut foris: vt proprium alodem Sanctæ Mariæ: & Sancto Pontio: cum  
 omni Ecclesiastico suo: vna cum omnibus pertinentijs suis. Sunt autem  
 hæc superius iam dicta in termino de Tutela. Addo etiam, & dono Ec-  
 clesias, & Capellanas de Castro, quod vocatur Saloi: quod est iuxta  
 Terragonam: cum omni Ecclesiastico suo: & pertinentijs suis. Oves ve-  
 ro S. Pontij, & ceteræ bestiaæ volo vt sint liberae, & ingenuæ: scilicet  
 ipsæ bestiaæ, quæ in præscripto honore, quem ego dono Sanctæ Mariæ,  
 & Sancto Pontio ob remedium animæ meæ, & aliorum propinquorum  
 meorum. Dono etiam Ecclesiam, & Capellaniam de Tortosa ciuitate,  
 si Deus omnipotens eam mihi dederit: scilicet ipsas Ecclesias: quæ ibi-  
 dem sunt modo: & in antea erunt: cum capellania: vel Capellanijs: quæ  
 ibidem sunt: aut erunt: cum omni Ecclesiastico suo: & cunctis suis per-  
 tinentijs. Hæc autem omnia dono Deo, & præscriptis Sanctis: & præli-  
 bato cœnobio: cum medietate insulæ, quæ vocatur Aiaceca: cum suis  
 omnibus pertinentijs: & appendicijs. Hæc autem omnia iam dicta su-  
 perius, ego Sanctius præfatus Rex vna cum carissimo filio meo Petro, qui  
 est Rex in Suprario, & in Riparcurcia, & in Montefono, vno animo,  
 vnaque bona voluntate, atque consensu nos ambo simul donamus, con-  
 cedimus, atque confirmamus domino Deo, & almæ genitrici Dei Ma-  
 riæ, sanctissimoque nostro Pontio, ac præscripto cœnobio Tomerien-  
 si: & monachis ibidem degentibus ad proprium alodem: & honorem  
 possidendum in perpetuum. Amen. Igitur hæc omnia superius scripta  
 ego Sanctius præfatus gratia Dei Rex bono animo, & voluntate dono  
 Deo, ac prædictis Sanctis, cœnobioque præscripto pro remedio animæ  
 meæ, patris, matrisue, ac filiorum meorum, necnon aui mei Sanctij,  
 omniumque propinquorum meorum, siue parentum: vt ipsi monachi  
 Sancti Pontij, quos speciali amore præ ceteris diligo, deprecantur Do-  
 mini pietatem pro statu regni mei: & pro peccaminum meorum absolu-  
 tione: & hæc mea oblatio acceptabilis sit Deo: quatenus det victoriam  
 contra inimicos nominis Christiani: & de isto regno transitorio valeam  
 transire ad regni cælestis gaudia: & in die tremendi examinis merear in  
 electorum numero aggregari: atque audire illam desiderabilem, & opta-  
 bilem vocem: venite benedicti patris mei: percipite regnum, quod vo-  
 bis paratum est ab origine mundi. Vos igitur confratres mei de S. Pon-  
 tio miseremini amantissimo filio meo Raimiro: quæ dono, & offero Deo:  
 & prædicto cœnobio: ea videlicet deuotione, & fide, qua obtulit Abra-  
 ham filium suum Isaac Deo: & Anna Samuel filium suum sacerdoti Heli:  
 in conspectu Dei: quatenus in templo Dei semper deseruiat: atque eius  
 exemplo, & vita, ac doctrina prouocatus, necnon precibus prædicti filij  
 mei, ac vestræ adiutus valeam peruenire ad virentis paradisi gaudia. A-  
 men. Si quis vero Regum, Imperatorum, Sacerdotum, Clericorum, Iudi-  
 cum, ac sæcularium personarum, siue aliquis posteritatis meæ, aut aliqua  
 persona vtriusque sexus contra hanc chartam, vel donationis scripturam  
 meæ venerit ad dirumpendum, non valeat hoc vindicare quod requirit:  
 sed componat ista omnia in duplo: & meliorata. Et in antea ista charta,  
 vel scriptura firma, & stabilis permaneat. Facta ista charta, vel scriptura,  
 V. Non. Maij AERA MCXXXI: in anno Dominicæ incarnationis MXCIII,  
 Regnante me Sanctio Dei gratia Rege in Aragone: & in Pampilonæ  
 D ij Petro

AERA. NAT. CHR.  
 MCXXXI. MXCIII.

VIXIM JIXXXOM

VIXIM JIXXXOM

VIXIM JIXXXOM

AERA NAT. CHR.  
MCXXXI. MXCIII.

„ Petro autem filio meo prælibato regnante in Suprarbio : & in Ripacur-  
„ tia : & in Montefono. Signum Sanctij Regis : qui hanc chartam fieri  
„ iussi : & manu mea propria firmaui : & testes rogavi firmare. Signum Ai-  
„ merici Abbatis : Signum Aldefonsi. Arnaldus monachus, & Sacerdos  
„ rogatus scripsit.

Cui hæc perpendenti, atque æstimanti non vere admirabilis fama in-  
credibilium virtutum huius Principis esse videatur? qui maiorum suo-  
rum exempla persequens, ita se pro augenda, & amplificanda religionis  
causa deuouerat, & quodammodo in ipsas hostium armatas acies immise-  
rat, ut Oscensibus continens bellum inferens, cui propinquis locis adesse  
celerrime poterat, quos tanta molitionis opus erat sub imperium subige-  
re, cum omnia inimica, & infesta essent, Dertosanis, & Tarraconensibus,  
fatis longo a mari ad Pyrenæum tractu remotis, iam iamque se imminere  
arbitraretur: filium sacris, se vero pro religione, ac fide insigni pietate  
hostibus offerret.

MCXXXII. MXCIV.

Abderrahamenes Rex, qui Oscæ vrbs dominatur, cum nimia iam Re-  
gis potentia, & eius se premi victorijs videret, ab Alfonso Rege contra  
tantam vim longinquum subsidium expetit. Comitem Sanctium magnis  
equitum, & peditum copijs præmittit. Huic cum longissime Rex Pe-  
tro, & Alfonso filijs comitatus ad Biturium Vasconum oppidum obuiam  
processisset, Sanctius vnde venerat regreditur. Nulla interposita mora,  
omnibus circumquaque collibus occupatis, Rex Oscam vrbs circumsi-  
det: ab omni que comiteatu se hostes interclusurum confidit: & noua  
auxilia arcere. Cum moenia, & situm, descriptionemq; vrbs obequitans  
exploraret, eoq; progredetur, vnde in omnes partes circūspectus esset,  
aditusque acri, & attento animo circūspiceret, sagitta latus configitur:  
letalique vulnere cum traiectus, exanimatusque concidisset, A. D. II.  
Non. Iun. occidit. Pulcherrimi iurifurandi religione iam moriturus Pe-  
trum, & Alfonso filios deuincit: ne vrbs, nisi deditam obsidione exi-  
merent. Corpus tandiu manet insepultum. Postea Montaragonis coeno-  
bio, quod construi curauerat, tumulo infertur: atque incursionibus Mau-  
rorum virgulentibus ad S. Iohannis Pinnatensis conditur. Princeps vere  
magnus: & qui primus videri possit, firmissimis viribus contra hostium  
potentiam regnum constituisse: nec gloria magis rerum gestarum, quæ  
ingens erat, quam religione insignis.

PETRVS VIII. ARAG. ET POM-  
PELON. REX.

MCXXXIII. Mxcv.

Guilielmus Raimundus Cæretaniæ Comes moritur. Filium reliquit  
Guilielmum Iordanem: qui eius ditionis potitur. Is sacro Hierosolymi-  
tano bello ordines duxit.

Gaufredus Ruscinonis Comes. Is stirpe ortus erat Vvifredi: qui Lotharij  
Francorum Regis ætate Cæretaniæ est dominatus.

MCXXXIV. Mxcvi.

Rege Sanctio interempto, Oscenses adeo obstinatis animis vrbs pro-  
pugnant, ut omnia ferre, ac pati tolerabilius ducerent, quam se in nostros  
ditionem dedere. Cum neque externorum auxiliorum apparatus  
intermitteretur, vndique contractis viribus signa cum Rege conferre spe-  
rant: & proelijs interdum lacescentes nostros obsidione auertere conan-  
tur. Tandiu propugnatum, ut vix a quibus obsideri vrbs cœperat, expu-  
gnari



gnari posset crederetur: itaque iam nostris maior spes in obsidione, quam in oppugnationibus erat: & consilium fuit hiemando bellum ducere: nec obsidionis radio victos abscedere. Biennium obsidionem protraxere.

## PROELIUM ALCORACENSE.

Abderrahamenes Oscensis Rex ad externa, & longinqua Christianorum auxilia profugiens, magnis, aduenticijsque copijs Gonzalvi Comitis, & Garcia Ordonij Capræ Comitis Naiarensis est adiutus. Almoza benius præterea Cæsaraugustanus, siue præses is erat, siue militiæ princeps, Almorabides enim omnem dominatum in suam ditionem vertebant, cum de summa rerum deuictis Oscensibus, confligendum etiam sibi videret, innumerabiles copias ex Maurorum delectu cogit. Cum in auxilium Oscensibus multæ, ac validæ gentes commearent, & in tanto rerum discrimine ad extrema ventum esset, atque summa reipublicæ in eum statum adduceretur, Rex magni, & excelsi animi Princeps suis animos addit: & potius in diuinæ virtutis auxilijs, quam in humana potetia spem sibi derelictam videt: & non aliunde petendum esse, quam a diuino numine præsidium. Rudericus certus in primis auctor firmat, D. Victoriani martyris corpore iussu Regis ad statua castra perlato, diuinum numen, cælestemque vim præsentem adfuisse. Rex itaque ad gloriam erectus, diuinam opem contestatus, vt ea res sibi, regno, exercituique feliciter eueniret, vna cum Alfonso fratre inuicti animi adolescente, properantibus hostium copijs, qui maximam victoriæ fiduciam in numero reposuerant, ad Alcoracium, id loco nomen est, quo magis festinantes videt, eo impensius retinet agmen: emissisque equitibus, libero cursu in hostes inuehitur: summaque contentione nostris decertantibus immensæ hostium copiarum funduntur: & profligantur. Maximi, & summi discriminis dies: quo desperata ab hostibus victoria, in mortem dimicatur. Ad XL. M. hostium caesa prisca, & incorrupta monumenta testantur: & Garcia Comitem mansisse captiuum. Nostris vix M. desiderati: vt omnibus apparuerit diuino numine hostium potentia, & ferociam fuisse reuictam. A. D. XIII. K. Dec. sacro dedicationis basilicarum Petri, & Paulli Apostolorum die proelio hoc maximo, quod Alcoracense illa ætas appellat, dimicatum comperio. Tunc vere vinci pertinacia Maurorum cœpta a nostris est: ac longe auerti: quæ res tam recisi operis serie a vetusto auctore digne exprimi non potuit: cum nihil illa victoria mirabilius, magnificentius, clariusue fuerit. Insignem laudem eo in proelio sibi peperere præstâtissimi Aragoniæ proceres Gasto Bielius, a quo Corneliorum familia in primis ampla, & præpotens originem duxit: qui in vexillis, & militaribus paludamentis Cornicum insignibus decorari eo cœpere tēpore. Barbatuerta, Ferricius Lizana, Bachalla, qui Thahuisti, & Lunæ oppidorum potius est, Garcias Atrosilius, Lupus Ferrencius Luna, Gometius itidem Luna, Fortunius Maza, Latro, Simon Aznarius Oteicia, & Sanctius Penna.

Profligatis, ac pæne ad exitium deductis externis hostibus, perditis rebus, ac spe omni dempta, & diuina a nostris victoria parta, Oscenses munitionibus diffidentes, quod sola temeritate niti non possent, urbem dedunt: quam olim Romani exterarum nationum, & gentium victores vrbem  
 HIS VICTRICIS cognomento cohonestauere. A. D. V. K. Dec. Regi Felici, Pio, Victori, Maximo deditur.

ABRA NAT. CHR.  
MCXXXIV. MXXVI.

A. D. XVI. K. Ian. templum vetustate, & opere insigne, priscis etiã sæculis sanctum apud Oscenses, & religiosum, ex sacro a Maurisfero, atque impio cultui dicatum iisdem vestigijs expurgatum sistitur: atque restituitur: & reliquiæ prioris delubri instauratur. Christo Nazareno Deo, Opt. Max. D. Mariæ genitrici, Petro Apostolorum principi, Iohanni Baptista, & Iohanni Euangelistæ diuis præsidibus, quorum in tutela populus, ciuitasque Oscensis esset, consecratur: Berengario Tarraconensi, & Amato Burdigalensi Archiepiscopis, Petro Iacetano, Fulchone Barcinonensi, Petro Pompelonensi, Sanctio Lascarensi Episcopis assidentibus. Petrus Iacetanus Episcopus ex eo Oscensis cognomentum habuit.

Re maxime memorabili, ac pæne cælesti a Rege gesta, insignia Regia, ornamentaque militaria vexillorum, quæ labaris adiungi consueuerunt, variantur: & tamquam perpetuæ felicitatis monumenta distinguuntur. Scuto argenteo punicea crux apposita index præsentis numinis, quattuor capitibus in quadrum redactis, & sanguine delibutis discernitur: capitaque ipsa fascijs cretatis, tamquam diademate deuincta fatis indicant, quattuor eo prælio Reges Maurorum mortem pugnantem oppetisse. Inde scuta, trabes, atque ceteri paludamentorum apparatus, & ornamenta regia nouis præfulgent insignibus.

Habuit hic annus insigne quiddam ad decus, & gloriã Christiani nominis: cum vires omnes, armaque occidentis aduersus impias gentes, non sine cælesti quodam mentis instinctu commouentur: sacra Hierosolymitana expeditione suscepta: qua Guilielmus Careraniæ, & Guitardus Ruscinonensis Comes, & Guilielmus Canetius ductores nostri, ad non dubiam laudem ex vltimis gentibus cucurrerunt.

Post eam rem fauste, feliciterque gestam Rudericus Antistes confirmat, Regem a Cido prælio deuictum in eius potestatem fuisse redactum: sed continuo liberatum. Neque id semel scripto prodidit: adeo se certum auctorem eius rei profitetur. Inde Valentiam urbem a Cido obsessam perhibet. In nostris annalibus tota ea res prætermissa est. Noster enim varie rem differit: & Petrum Regem Cidum aduersus Alfonso Regem enixe iuuisse: eiusque adeo indultrix, & gloriæ fauisse, vt Buchare cum transmarinis auxilijs aduentante, cum Valentia a Cido arcta obsidione premeretur, a Rege, & Alfonso fratre, magno Aragonensium, & Nauarrorum comparato exercitu, ex ipsius belli ore, ac faucibus fuerit Cidus ereptus. Ea pugnatâ pugna, ingentibus hostium copijs interemptis, Valentiam Cido traditam Rudericus perhibet. Neque satis certis auctoribus asseruerim Regis filium Cidi filiam in matrimonium duxisse.

Attaldus, siue is est Arnaldus Comes Palliariensis, & Eiflonzis eius vxor, cum præstanti, ac florenti rerum omnium statu pollerent, & incolarum negligentia delubra sanctissimis religionibus antiquitus consecrata depeculara essent, funditusque interissent, dum in pristinum statum summa pietate redigi curant, præ ceteris nouere cœnobium vetustissimum D. Mariæ Dei genitrici, & Michaeli, Iohanni Baptista, & Vincenzio Gersensi ad Nochariam fluuium in Vrgellitana diocesi dicatum nobile, antea, & sacra suppellectili abundans a regulari ordine ad sæculi conditionem omnino reiectum, atque deuolutum: & Richardi abbatis cœnobij S. Victoris ad Malsiliam urbem in Gallia prouincia maxime celebris, &

bris, & clari consilio ad pristinam formam, ac regulam redigunt reuocantque. A. D. VI. Id. Iul. ædem sacram, & cœnobium cum sacello D. Petro dicato inſtauratur: & renouatas fani reliquias in amplitudinis fastigium postea promouent: & abbati, & cœnobio S. Victoris tradunt: infor mandumque conuentum perpetuo committunt: vt abbates D. Benedicti institutis & cœnobij S. Victoris regulis addictos deligant: sufficiantque: & in ordinem redigant.

Noua a Rege continuo bella cū finitimis populis, & potentissimis suscipiuntur: gerunturque: & in Cæsaraugustanos omnis vis, tempeſtasque belli vertitur. Ex quo Maurorum præsidibus, qui rebus præficiantur, parere desitum est, primum ex Maurorum gente ferunt Mudirim Cæsaraugustanum regnum inuasisse Hyheix filium. Huic successisse tradunt filium Yram Almudafarem: atque eo mortuo populos earum regionum, quæ Christianorum finibus terminabantur, se, suaque Zulemæ Abenhucio Hamatis filio subiecisse: qui Cæsaraugustanum regnum Hamati filio tradidit: cui filius succedit heres Iuceffius. Huius Iuceffij hereditarium regnum Hamat filius suscipit cognomento Almuzacimus: & huic successisse memorant filium Abdelmelc: qui tradidit regnum Hamati filio cognomento Almuzacayto: cui Almorabides Arabes adeo horrificum bellum intulere, vt tanta mole mali oppressus regno fuerit depulſus: & ditio ea omnis ducibus, & militarium copiarum præfectis traditur: quibus Sanctius Rex acre bellum intulit.

Calafanctium caſtellum prope Boleam a Rege obsidetur. Acerrime Mauris repugnantibus, & desperatione accensis inceptam obsidionem deserit. Eodem anno. VIII. K. Sept. vi expugnatum fuisse Rotensia monumenta testantur.

MCXXXVI. MXCIIIX.

Cum Barbaſtrenſes Mauri deuicti maiore conatu, quam aliasvquam defecissent, omne certamen eo vertitur: magnaue contentione id geritur bellum. Septembri mense arcem obſtrui Rex curat, quam Trabem appellauere.

MCXXXVII. MXCIX.

Pertusa peruetus Illegum oppidum ad Canadris ripas situm, vi a nostris expugnatur.

Rex Barbaſtrum caſtris circumſidet. Mauri urbem dedunt. Villulæ caſtellum prope Vallem Lupariam, ea oppidis nomina indita, a nostris recipitur.

MCXXXIX. MCI.

Cum Rex operam dedisset, vt Barbaſtrenſi Eccleſiæ Episcopus præficeretur, eiusque honoris sedes, & dignitatis conſtitueretur, & ob eam rem Pontius Rotensis Episcopus Romam legaretur, re impetrata Barbaſtrenſis Episcopi cognomen suscipit.

Quod Regis gloria victorijs non solum præclaris, sed perpetuis ingens eſſet, & Aragonia iam adulta viribus exultaret, Princeps se regnare a confinij regni Caſtellæ, ad vltimos Pallarienſes fines reſtat.

RAIMVNDVS BERENGARIVS COMES  
BARCINONENSIS.

MCL. MCII.

Berengario Raimundo fratricida imperium totius Cataloniæ occupare conante, Catalanis veterem laudem, libertatemque afferentibus, quam a maioribus acceperant, & impotenti dominatui reſiſtentibus, Raimundus fratris F. a patruj tyrannide vindicatur: eiusque imperium suorum

D. A.

D iij fide,

ABRA. NAT. CHR.  
MCXL. MCII.

fide, ac iureiurando sancitur: rebus ingenti incremento auctis. Berengarius manifesto numine supplicia miserima pertulit: nam vix mente consistens, lingua inhaerente, vt loqui non posset, instabilis, & inuisus Hierosolymis per summum dedecus vitam sustentat. Raimundus princeps, validus, & prae potens, non tam precario, quam summa virtute imperium adeptus Dulciam Giberti Prouinciae, & Aimiliani Comitis F. in matrimonium ducit: quae patri earum ditionum succedit heres.

Atho Carcafonensis Vicecomes, qui eius ciuitatis dominatum occupauerat, a ciuibus armis fugatus, pulsusque est. Urbem, arcesque Raimundo, vt iusto, & legitimo domino tradidere.

Ermengaudus ccc equitibus, magnoque peditatu ad Mulieruciam decertans A. D. XVIII K. Oct. mortem occumbit. Neque vetustis annalibus perhibetur Christiani, an impij hostes essent. Is Mariam Petri Ansurij Comitis, qui Vallisoleti in Vaccæis dominabatur, & Elonis eius uxoris filiam duxerat: ex qua genitus est Ermengaudus, qui in Castella ab auo est educatus. Huius soror Maior nomine Petro Fruelæ Filio Trauensis Comiti, viro in Gallecis primario nupsit.

MCXLI. MCIII.

Guilielmus qui Iordani cognomentum sumpsit, Cæretaniæ Comes in facto Hierosolymitano bello, cum fortem, & strenuam operam nauasset, & eximium consilij, animique specimen, & nequaquam vulgatae laudis dedisset, prope Tripolim urbem Syriæ arcem obstruens sagitta ictus occumbit. Eius ditionis Bernardus Guilielmus frater succedit heres.

MCXLII. MCIV.

K. Febr. siue vt alijs proditur annalibus A. D. XV. K. Sept. Sanctius Regis F. decedit nullis superstitionibus liberis. Vxores Petri Regis duae memorantur: Agnes: & Bertha: quam Tuscam fuisse coniectura ducimur: quod eiusdem nominis uxorem ex eadem gente, ea ipsa tempestate Alfonso Castellæ Rex duxerit: & Henrico Imperatori eodem ferme tempore Bertha Othonis Marchionis Italici filia nupsit: quae mater fuit Conradi Regis: & Henrici Imperatoris. Verus auctor memoriae prodit, eadem, qua Regis filius decesserit die, Isabellam eius sororem vitam functam.

A. D. IIII. K. Oct. Rex amplissimis rebus perfunctus, omnia summa sperans, quo regnante, omnis de republica cura, aut metus resederat, in cursu gloriae e vita decedit. Ad D. Iohannis Pinnatensis sepelitur. Regni frater Alfonso succedit heres: sollempniaque regni capessit.

Cum Urbanus P. M. Regi, posterisque regibus, atque regni proceribus condonasset, vt in ditionibus à dominatu Maurorum vindicandis decimas perciperent, sedes, dignitatesque Episcoporum excipit.

ALFONSVS VIII. ARAGONIAE ET POMPELONEN. REX. HISP. IMPERATOR.

MCXLIV. MCVI.

Initia regni Alfonsi Regis, cum alioqui acerrimum se, & acerbissimum hostem dum frater regnaret, Mauris praestitisset, & longae pacis insolens esset, pacata fuisse comperio: siue accisis Alcoracensi proelio hostium rebus, tamdiu indutiary iura rite seruarentur, dum ad praesentis quietem status, rebus publicis consuleretur: siue ad Castellanas res conuersus, propagandi imperij cupidine concitatus, nuptias Vrracæ Alfonsi Regis F. ambiens, eo progressum est, vt grauiora mala, contra quam fas, iusque erat, vnde minime decuit, exorirentur.

A. D.

A. D. III. K. Iul. festo Apostolorum Petri, & Pauli die Iudæus quidam, qui cognitione disciplinarum, & ingenij sollertia, in ea natione longe antecelluit, & Hebræis, Chaldaicisq; arcanis, atque institutis omnibus eiusdem ætatis præstitit, non sine diuino afflatu impiam sectam eiurans, sacrum baptismum in æde maxima Oscensi a Stephano Episcopo suscepit: sacroq; fonte à Rege exceptus est. Petri Alfonsi nomen editum. Is meditatione commentario edito Iudæorum perfidiam, vanissimæ nationis opinione, ob ingenium gentis, & superstitionis pernicitiam, penitus mentibus insitam, atque comprehensam conuellit. Neque Iudæorum modo fraudes ab intelluctu scelere vitus est, sed Sarracénorum impiam sectam, atque institutionem labefactauit.

\* Alfonsus Castellæ Rex exacta ætate filio Sanctio orbat, Vrracam nam maiorem filiam, quæ Raimundo Guilielmi Burgundiæ Comitis filio nupta fuerat, & in viduitate manserat, consilio primatis, & antistitum regni, Alfonso Aragoniæ Regi despondet: neque, vt Rudericus perhibet, viuo socero in Aragoniam ducitur. Nam Munio Alfonsus, qui illa ætate regestas Didaci Gelmirij primi Compostellani Archiepiscopi composuit, sponsalia viuente patre minime data fuisse confirmat: qui mihi fidem facere videtur: nam regni proceres, vt ipsemet testatur Rudericus, renuente, atque inuito rege, externas nuptias auertere nitentur: contenderantq; vt potentissimi, clarissimiq; Regis filia Comiti Gometio homini subdicio enuberet.

Castellæ Rex Alfonsus moritur: Vrracæ filiarum herede relicta: ea, vt ferunt condicione, vt si nuptura esset, Gallaicum regnum Alfonso nepoti traderetur: & parente mortua regnum omnium hereditatem cerneret. Procerum omnium vno consensu Aragoniæ Rex ad nuptias, & regnum adsciscitur. Sed quod legitimæ ex nuptiæ non essent, cum sacris sanctionibus soluti non fuissent, res in contentionem venit. Proauus enim utriusque Sanctius Rex fuerat: cognomento Maior. At vero & Regi forti, & magnanimo latissimi, & opulentissimi regni possessione adepta, antiquam rem laudem, & gloriam quam regnum ipsum fuisse, casus, euentusq; rerum docuit: cum procerum factiosorum insanas euerterit.

Regina vni nupta & Regi, & fortissimo viro, cum neque famæ pudore, neque timore viri deterreretur, quin pluribus videretur proposita, & matrimonij vinculo, vt præ se ferebat, soluta, remota turpitudinis verecundia, & metu, suo tantum ingenio vteretur, & optionem suam esse condiciones quotidie legendi arbitraretur, Rex arcibus, atque propugnaculis regni Castellæ, atque præsidij Aragonenses viros egregie fideles præficit.

Coloniæ, atque veterani Bilforadum, Valeranicam, Soriam, & Almazanum deducuntur. Ea oppida a Rege in Castellæ regno populis, ac ciuibus frequentari, incolique iubentur: primū in Beronibus, reliqua in Arenacis: quod vasti, ac deserti earum regionum tractus essent.

Petrus Anfurius Comes, qui ex Castellanis proceribus in magna potentia erat, Balaguerim se, cum Elone vxore recipit: vt Ermengaudi pueri nepotis ditionem Mauris oppositam tueretur, ac sustineret. Balagueris arcem, Azudam nominant, ac tris vrbes regiones Regi condonat: & cum Castellæ, propugnaculaque suæ ditionis Castellæ regni à Rege suscepisset, se Regi ea irato, aut pacato traditurum sacramento spondet.

Cum

ÆRA NAT. CHR.  
MCXLIV. MCVI.

MCXLIX. MCVI.

MCXLVII. MCIX.

MCXLIX. MCX.

AERA. NAT. CHR.  
MCXLVIII. MCX.

Cum satis pacatæ foris res viderentur, acerbè bellum aduersus Mauros à Rege geritur. Exeam nobile Vasconum oppidum vi expugnat. Ea refelicitè gesta, Exeæ Imperatoriæ maiestatis insignem titulum regiæ dignitati adiungit: quem focer rerum gestarum gloria sustinuerat: & gener eo dignissimus visus est, Francorum exercitus eo in bello regiæ stipendia meruit. Proceribus Gallis Imperator gratificaturus ecclesias, atque facella, que Exeæ construenda curauerat, monachis S. Benedicti monasterij Magnæ siluæ in Aquitania celebris apostolico priuilegio Petro regi fratri irrogato attribuit.

Ad Valterram Rex cum Abuhazaleno Cæsaraugustano Rege confligit: qua in pugna Maurus Rex occumbit.

MCXLIX. MCXI.

Bernardus Guilielmus Besalunensis Comes senectute confectus, lxx. enim annis eius ditionis potitus fuerat, nullis superstibus liberis decedit. Eam hereditatem Raimundus Barcinonensis adit.

Garcias Sanctij Comitiss Ramiri Regis nepos, Alfonsi Regis frater patruelis, qui se Infantem nominat, Ataresij, & Xabierij ditionum, paterni nominis patrimonij, dominatur.

Mense Iunio Rex cum Vrraca Regina vxore in Castella, & Legionensi ditione regnat: neque dum dissidio, atque dissensione facta eam in potestate habet. Paulo post vis improborum compresso odio collecta, vt iam iam prægrauè Regis esset imperium, erumpit. Rege vxorem coërcente, ac reprimente magnæ rerum commotiones excitantur: & Regina in intimâ Castellaris arcem, cum à Rege abdita esset, clam euehitur.

Gallaici proceres fœdera inter se icunt: arma capiunt: vt Regem totali dominatu pellât, conspirant: summoq; opere nituntur, vt Regina a viro diuertat. Paschalis Pont. Max. Didaco Gelmirio Compostellano Episcopo committit, vt Reginam incesti flagitio obstrictam, quod propinquitate adiuncto Regi nupsisset, coërceat: & matrimonij ius, quod neque castum, neque legitimum esset, eo decreto sublatum iudicat. Contenderat enim Regina asseuerans, quamuis nuptiæ consensu procerum regni, patre facto functo, celebratæ fuissent, inuitam, atque abhorrentem nupsisse. Pontifex enim ita statuerat, atq; decreuerat: vt in Apostolicis apparet litteris.

PASCHALIS seruus seruorum Dei venerabili fratri D. Compostellano Episcopo salutem: & apostolicam benedictionē. Ad hoc te omnipotens Deus populo suo præesse constituit, vt eorum peccata corrigas, & domini anunties voluntatem. Stude igitur, secundum datam tibi diuinitus facultatem, tantum incesti facinus, quod a Regis filia perpetratum est, debita vltione corrigere: vt vel a tanta præsumptione desistat, vel ecclesiæ consortio, & sæculari potestate priuetur. Huius rei noxa, nō in belli modo euentum, quod varie gestum est, sed in summam dedecoris infamiam Reginam peruerter.

Siue fieri diuortium, & affinitatis dissidium Rex doleret, seu quod nouas res moliretur: satis constat Burgensem, & Legionensem Episcopos ab ecclesijs pulsos, Pallantinum captum, Archiepiscopum Toletanum sedis Apostolicæ legatū biennium extra diocesis fines exulasse: S. Facundi Abbatem de cœnobio deductum: & Ramirum Regis fratrem in eius locum suffectum, Cum hæc omnia Regina conquereretur, & deploraret, qua erat dementissima temeritate, & audacia etiam confirmat, Regem

Alfonso

Alfonso priuigno necem struere, atque moliri.  
Proceres regnorum Gallicie, & Legionensis populi deliberant, an Alfonso puerum ad regnum adsciscant: quæ res non minus vehemens in matrem, & inuidiosa fuit, quam in vitricum.

Cum remoto pudore in dedecora prorumpens Regina procaciter sibi indulgeret, & in Gallicia palam omnia turbarentur, ac veluti pro republica proceres, populique arma cepissent, Rex magno comparato exercitu Aragonensium, & Nauarrorum in Galliciam irrupit: arcem Monterosi vi expugnat: earum urbium, & arcium, quæ Pallantinis Campis continentur, & regionum, quæ Durij ripas, & extremas oras attingunt, potitur.

Interuentu Episcoporum, & aliquot procerum pugna non ciuile modo, sed domestica, & vxoria sedantur: pacem inter virum, & vxorem conciliant. Regina enim ita abhorret, ne proceres, quibus filius in tutelam traditus erat, summæ rerum admoueantur: vt virum auersata fuerat: in cuius potestate diu esse non poterat: ea erat feminæ leuitas, & inconstantia.

Petrus Traua Comes Fruelæ filius summæ homo potentia, & magnæ cognationis Henricum Portugaliæ Comitem, qui Theresiam reginæ sororem in matrimonium duxerat, in Galliciam vltro arcessit: externarum copiarum ductorem: bellumque ipsi infert, qui Alfonso puerum, ad regnum adsciscere recusat. Traua Reginam commouet, vt à viri potestate secedat: & filium ad regnum euehat: atque vt id consequi possit, Regina Ferdinandum Comitem cognatione sibi propinquum, virum, cum potentia inter suos, tum factis clarum, & virtute præstantem ad se se allicit.

Alfonso puer Regis priuignus in Compostellana æde maxima more gentis leuatus, sollempni apparatu Rex salutatur: & ab Episcopo Compostellano sacro oleo perungitur: Rex Vrracam, quam in Sorianam arcem abdiderat, liberat: nuntium remittit: & condicionem eius repudiat.

Castellani proceres Imperatoris dominatum, & regnum, vt iniquum ciurant: arces, & propugnacula Reginæ tradunt. Ea patrata re Castellani, & Legionenses, quali natura, & genere disiuncti inter se dissident: & armis dimicant.

Gometius Comes, qui reginæ nuptias patre regnante ambierat, cum carior illi, quam filius esset, ac se iam pro marito palam gereret, Aragonios regno pellit. Petrus Gonzaluis Larenis Comes non inimicus tantum, sed rualis, & competitor cum Gometio haud aliter, ac si certamen regniæ dignitatis esset, maximas turbas facit.

Imperator audaciam, & conatum furentis Gometij, & Petri Larenis compressurus, magno Aragonensium, & Nauarrorum coacto exercitu in Castellam inuadit. Immensum exarserat bellum, cum ad Sepuluegam Areuacum oppidum signis collatis, in campo, cui Spinæ nomen est, maximo proelio decertat. Vix ferrum, ac manus contulerant, & Larenis relicto vexillo, & insignibus Imperatorijs detractis, se ex acie eiecit: & Burgos, ad Reginæ græmium citato equo contendit. Gometius fufis: ac profli gatis Castellanos copijs prælians mortem occumbit. Adfuit Imperatori

ÆRÆ NAT. CHR.  
MCXLIX. MCXI.

tori eo in prælio Henricus Portugalliæ Comes, non vt affini; sed vt patriæ perduellium vindici.

Temeritate Castellanorum compressa, Imperator Legionenses, & Gallicos vlturus, Durio transmissio, per Pallantinos campos Legionem contendit. Arma iam, viresque Aragoniæ late pollebant: victore Aragonio exercitu omnia deuastante, atque diripiente. Ad fontem Anguiû, id loco inter Asturicam, & Legionem nomen est, denno contra hostium conspirationem confligitur: qui Alonsum puerum Regem adsciuerant: & suæ temeritati præfecerant: atq; in castra pæne infantem perduxerant. Fufis, & fugatis hostibus, & interneccione deletis Comes Ferdinandus interficitur: & Petrus Trauensis pueri Regis nutricius, summæ inter Gallicos existimationis, & auctoritatis vir, qui Ermengaudi Vrgellitani Comitis filiam nomine Maiorem, in matrimonium duxerat, in acie dimicâs captiuus remanet. Didacus Gelmirus Compostellanus Antistes paruulum Regem secum ex acie educit: & ad parentem, quæ in Orzilonis arcem se abdiderat, perfert. Non alias illis temporibus pugna clarior fuit.

Regina magno comparato Legionensium, & Asturum exercitu, & eorum oppidorum, quæ Pallantinis continentur campis, Asturicâ bellû in staurat: quod Imperator Carpetanis iugis transcensis, Toletanum regnû, suæ ditioni subijceret. Cum Carpetanos in suam ditionem redegit, A. D. XIII. K. Mai. vrbe regia triumphali pompa excipitur.

Cum Imperator Tritenses, Burgeneses, Pallantinos, Zamorenses, atq; Legionenses, qui se illi addixerant, suis adiunxisset, Asturicam castris circumfider. Martino Munione regiarum copiarum ductore, cum ccc. locis equitibus ex Aragonia in castra properante, insidijs, loci iniquitate circumuento, turmæ omnes funduntur: atque cæduntur. Munio interclusus in hostium potestatem venit. Ea re male gesta, Imperator intempesta nocte castra mouet: & Carrionem se recipit. Effusis copijs, & præfidiorum collocandorum, & muniendorum causa diductis, plures dies Carrione obsidionem pertulit.

Abbatis Clusensis sedis Apostolicæ legati interuentu aliquot dierum indutiæ fuere pactæ. Cum indutiæ dies exisset, acre bellum in oppida, atq; arces Petri Larenfis geritur. Vir minime bellicosus amore, & delicijs flagrans sese Montionis arce prope Pallantiam, vna cum Regina abdit: cum ea nihil, quod facere, aut pati turpiter femina posset, inausum, infectumque relinquit.

Vincentium Cæsaraugustanum Episcopum Lunense templum hoc anno consecrasset Ferdinandus Aragonius eiusdem Ecclesiæ Archiepiscopus memoriæ tradit: & eius consecrationis monumenta vetustis, & exolestentibus litteris insculpta apparent: & supremo Dominico die mensis Septembris huius anni rem gestam fuisse proditur.

MCL. MCXII.

Reginæ exercitus Burgorum arcem circumfider: Castellani regni propugnaculum, atque præsidium. Nostri diuturna obsidionis perpersione confecti, ac fame perdit, de se, & de auxilio desperantes arcem Reginæ tradunt.

Cum Petrus Larenfis Comes Reginam multarum nuptiarum mulierem in matrimonium ducere speraret, a Guterio Ferdinando Castro captus, in Mansillæ arcis regni Legionensis custodiam includitur.

Infestum



Infestum renatum bellum inter Reginam, & eos, qui filium ad regnū adscuerant, geritur. Cum sese Regina Legionem recepisset, & turribus, & propugnaculis vrbs se, ac fortunas suas tueretur, grauem obsidionem pertulit. Periculo obsidionis liberata, in Soberosi arce a Theresia Regina Portugalliaē sorore, & Petro Fruela F. Trauensi obsidetur: & cum denuo erepta ex eo discrimine esset, Compostellam aufugit.

Summa omnium consensione Alfonso Regina F. ad regnum adsciscitur. Petrus Larenis Comes extorris ad Barcinonēsem profugit Comitē.

Gibertus Prouinciæ, & Aimiliani Comes decedit: cui earum ditionum succedit hæres Dulcia filia: Raimundi Barcinonensis vxor. Raimundus Marchionis prouinciæ cognomentum suscipit.

Sanctium Franconem Præfectum iustitiæ Aragonum in aula Regia hoc anno ius dixisse, sunt qui testificantur.

BELLVM BALEARICVM.

MCLI. MCXIII.

Raimundus Barcinonensis cum adiuncta ditione Prouinciæ imperium auxisset, bellum aduersus Balearium incolas Mauros suscipit. Tum primum Catalanę classes nostris in maribus pollere incipiunt: & in vltimos nostri orbis terminos præteruehuntur. Pisanorum etiã classem accessit: quorum, & Genuensium, Arelatensiumque eo tempore late mari patebat potestas. Mauri continentis Catalanæ, qui sub eius imperio, atque tributo pacati erant, raptim arma capiunt: & in Barcinonensem tractum incurrunt: vt Raimundum à maritimo bello, & Balearium pernicie auerterent.

Guitardus Comes Ruscinonensis, sororis Guilielmi Raimundi Caretaniæ Comitis filius, qui Vallespiriæ ditionis, & Iliberitanæ arcis dominabatur, interficitur. Is Perpinianum oppidum iuxta Ruscinonis vetustæ vrbs monumenta collapsa condiderat.

CAESARA VGUSTANVM BELLVM.

MCLII. MCXIV.

Imperator vltro, citroque per longa spatia discurrens, dum bello, & armis rempublicam attollere nititur, vicinarum gentium crebris victorijs insignis, cum intestinorum bellorum pertaxum esset, regni Aragonij statui prospiciens, bellum aduersus Cæsaraugustanos gerit: qui opima, & fertili regione dominabantur. Ianuario mense Castellari oppido militares omnes manus cogit: veteranorum præcipue, quos Almogauares nuncupauerant: quod firmatus vsu miles esset: & belli domitor externi. Ij enim in statione prope perpetua infestarum regionum stipendia merebantur. Ex Castellarensi arce Cæsaraugustanos incursionibus, & populationibus vexat: & diutina obsidione premit.

Tahustum nobile ad Hiberi ripas situm oppidum, virtute præstantis ducis, & proceris expugnatur Bachallæ: qui rem optime ductu suo gessit.

Magnæ ab Imperatore copiæ Francorum ex delectu Galliaē comparantur: vt veterano nostro, & externo milite cum præpotenti hoste bellaret. Duxere ordines in eius exercitu Gasto Beneharniæ ditionis dominus, Conuenarum Comes, Rotro Perticarum, & Centullus Bigeronum Comites: Gabarreti Vicecomes, Lescarensis Episcopus, Augerius Miramonius, Arnaldus Vicecomes Labadensis: qui Oriam Palliariensem Comitem in matrimonium duxit: ex qua Raimundum Rogerium suscepit.

E Magnò

AERA NAT. CHR.  
MCLII. MCXIV.

Magno ij consensu declarati externarum copiarum duces: qui haud dubie tum primi omnium ductores habentur: omnesque inter se illustres viri noti erant: & potentia inter suos praestantes. Proceres ex Aragonia, & Nauarra adfuere, qui ordines duxerant, Didacus Lopezius Latro, Simenius Fortunionius Lehetius, Simon Fortunionius ex Podio Castello, Petrus Momezius, Almoravidius, Lupus Simenius Torrelas, Lupus Sanctius ex Ogabre, Caxal, Petrus Simenius Iustitiae Aragonum Praefectus, Iohanes Galindius Antilionius, Lupus Fortunius ex Alberto, Titio, Berengarius Gombaldus, Petrus Myr Entenza, & Raimundus Perecius Erilius.

Petrus Simenius Praefectus Iustitiae Aragonum.

Is magistratus primo Maior iustitia appellatus fuit: quod supremum ius, ac potestatem a Regibus obtineret. Postea vero legibus ita septus fuit, atque munitus, ut libertatis, a supremo dominatu vindicanda, atque tuenda commune per fugium, atque praesidium esset.

Rotro Perticarum Comes ab Imperatore cum delecta militum manu praemissus Tudelam nobile Vasconum oppidum, ad Iberi ripas munito loco situm Augusti mensis fine expugnat. Imperator supremo dominatu regio excepto, eius ditionis dominium Rotroni, posterisque eius attribuit.

Raimundus Barcinonensis magna suarum ditionum, Pisanorumque classe comparata, in Maiorem Balearium insulam opibus claram, copias e nauibus educens bellum infert: urbem operibus claudit: & commeatu priuat: atque obsidione premit. Raimundus Barcinonensis Episcopus in ea expeditione decedit.

MCLIII. MCXV.

Cum Maioris Balearium insulae coloni, atque indigent, militaresque manus se & vrbe, atque oppidis, aut montibus tenuissent, acriterque repugnassent, vrbs a nostris expugnatur: atque in arcem natura munitam nostri concessere.

Bernardus Atho Vicecomes a Carcafonensibus vrbe exactus Guiljelmo Pictonum Comiti foedere adiungitur: qui in Tolosarem ditionem inuaserat: cuius ope a Carcafonensibus recipitur. Cum Rogerius Bernardi F. in urbem introisset, in ciues summo supplicio excruciatos crudeliter animaduertit. Pater supremum eius ditionis ius, & dominium Raimundo Barcinonensi Comiti fidelitatis auctoramento cauet: atque recipit.

Oldegarius ex Barcinonensi Episcopo ad primam Tarracensis Ecclesiae dignitatem adsciscitur: vir pietate, & sanctimonia in diuorum numero venerandus.

MCLIV. MCXVI.

Moreliae arcem & natura, & situ munitissimam nostri expugnant.

Bertrandus Tolosatium Comes Raimundi Comitis F. qui in Tripolitanae Phoeniciae nobilis vrbs obsidione mortem occubuit, & Eluire Alfonso Castellae Regis filiae, Maio mense Barbastri Imperatorem visit: & sub eius potestatem se, suaque tradit. Subijcit eius imperio, atque supremo dominio Comitatum Tolosarem, & Rhodensem, Narbonem praeterea, Narbonensemque ditionem: & Bliterensem comitatum: Agathenses: Cadurcios: Albeneses: & Carcafonenses: atque eam ditionem, honorem vocabant, quam a Tolosatibus Comitibus Fuxensis obtinuerat Comes. Imperator ditiones eas omnes, atque ciuitates Comiti tradit: atque addicit: supremo

supremo dominatus iure sibi, posterisque suis recepto.

Bernardus Guilielmus Cæretanæ Comes Guilielmi Iordanis frater germanus, nullis superstitiis liberis decedit: cui Cæretanæ ditionis Raimundus Barcinonensis succedit heres.

Toletana ciuitas, quæ ab Imperatore defecerat, Alfonso Regi Vrracæ F. se addicit. A. D. XVI. K. Dec. regio apparatu, vt iure legitimo ad regnum adscitum excipit.

Imperatore cum Alfonso Rege in Castellæ regno bello implicato, & armis decertante, neque parte ex altera sacri belli curam remittente Francorum exercitus, qui in Cæsaraugustana expeditione meruerat, Idibus Mai exactis ad Aterbij Lacunam venit: & eo loci castra metatur. Mox Al mudeuarem Illegretum oppidum, Burtinam veteres appellauere, traducitur. Cum satis firmo præsidio à Mauris teneretur, vi expugnatur. Eodem impetu, atque incursum Sarinienam, Salcium, & Roboretum expugnant: & duo præterea ad Gallici fluminis ripas oppida in eorum potestatem deueniunt, Zuera, & Gurra: quæ vetustis sæculis Gallorum Fori nomen est adepta. Cum iam ipsi vrbi Rex terribilis adesset, intra octauum diem, ex quo nostri Cæsaraugustam circumfederant, regionem vrbis transflumen, Atabahas appellabant, irrumpunt: & cõtinentia omnia ædificia, extra vrbis moenia expugnauere. Ad Mezimezeriũ vicum castra metantur: & loco Dei volũtatis nomen imponit. Cum aspera montiũ iuga, nudosq; colles, & perpetuo gelu rigentes ditibus AEdetanorum, & vberibus campis, agrisq; mutarent, nihil veterano militi ad bella præoptius fuit.

Cæsaraugustani plures annos à nostris exagitati, qui per tot antea annos imbelles egissent, obsidione premuntur. Eius regni, vt Arabum annales memorant, Almorabides dominabantur: qui ex Mauritanij in Hispaniam transmittentes diuisa regna, & suæ sectæ regulos crudeli dominatu opprefferant. Hi cum vrbem totius Hispaniæ opulentissimam, beatissimamque ab Imperatore summa virium contentione circumfederi viderent, transmarina auxilia arcessunt. Teminus Maurus Rex magno comparato exercitu, vt opem obsessis ferret, ad Orbæ fluminis ripas, supra vrbem XII. M. P. ad Mariæ arcem, quam hostes loco edito præsidio munierant, castra metatur. Cum se robustissimo nostrorũ exercitui æquari, & rem confici Teminus diffideret, in intima Celtiberiæ loca aspera, & iniqua regreditur.

Anno circum acto Decembri mense, cum magnas copias ex totius Hispaniæ Maurorum delectu hostes coëgissent, & Cordubensis Rex, cuius imperio omnes parebant, filium præfecisset, cuius patrum Teminum Regem fuisse vetustis monumentis proditur, idque subsidium extremum, atque vltimum esset comparatum, Imperator eo intentior in hostes versus, ad Cutandam vicum prope Darocam obuiam progressus, ingenti certamine signis collatis configit. Hostes funduntur: & cum magna intereicione cæduntur: eorumque dux in Regis potestatem venit. Adfuit proelio Pictonum Comes: qui eo in bello sexcentorum equitum ductor militauit. Insigni ea victoria parta, cum Imperator Cæsaraugustæ toto animo immineret, eam enim regnorum caput, eam omnium bellorum originem esse videt, rem maxime vrguet: consilij ab obsidenda vrbe ad oppugnandam versis.

AERA. NAT. CHR.  
MCLV. MCXIX.

Alagonum, & Vrrrearū familia nobilissima in primis, & potentia praestantes ex honoraria oppidorum Alauonæ, & Vrrreæ ditione primarijs proceribus attributa nomen inuenere. Satis constat Artallum hoc tempore Alauonæ dominatum obtinuisse: qui se Artautum cognominare assueuerat: feruntque ex Vandrensium clarissima gente, & in Aquitania præpotenti ortum. Posterij Alagones dicti. Primariorum enim procerum familia eo tempore, tamquam maiorum gentium florere Corneliorum, Lunarum, Azagarum, Vrrrearum, Alagonum, Romæorum, Fociorum, Entenzarum, & Lizanarum. His & nobilitate, & potentia pæne æquales Verguæ, Mazæ, Tramacetij, qui ex Entenzarum gente in Tramacetiam familiam se inseruere, Atrosillij, Antilionij, Orticij, a quibus Atorella, qui Quincti dominabatur, originem duxit: Ataresij stirpe regia orti, Titiones, Caxales, S. Crucis, Pardi, Castellitoli, Hortæ, Podij, Peralta, Vidaurij, qui Podiorum hereditatem adire, Pennæ Rodenis, & aliorum oppidorum domini, Sefesij, Ahonesij, Naia, Beneuentani, Aierbij vetusta, nec tamen regia familia geniti, Stadæ, Alcalani, & Artufellæ. Minorum vero gentium viri, quos Mesnadarios vocauere, quod regia in domo educati, essent, eo tempore clari habebantur, atque illustres Fontouæ, Pinæ, Alberi, Gudales, Pomarij, Lirij, Vallimannæ, Gurteæ, Valtoresij, Abarcæ, Embuni, Azlorij, Tobia, Rotæ, Vrosij, Fuñes, Lihorij. Hos postea consequuntur Zapata, Vriesij, Nuzæ, & Veræ.

Ut equitatus, copiasque externorum auxiliorum pulsas Cæsaraugustani nouere, atque deleras, & eum exercitum, cui maxime confidebant, fufum, ac cæsum animaduertunt, alijs diffisi, oppressi, & ab omnibus desperati, urbem A. D. XV. K. Ian. Imperatori dedunt: condicionibus, legibusque parent. Ea regio infesta antea, breui pacata imperium accepit: regni que vrbiū princeps, & clarissima sedes Cæsaraugusta, atque caput exstitit. Ex eo vrbs cum frequentia crescere: tum tota simul ædificijs exurgere cœpit: ac postea in summam amplitudinem euehitur, Regibus impensas adiuuantibus: & eo regni fastigium, atque arcem transferentibus.

Ecclesia Cæsaraugustana primis propagata Christianæ religionis sacculis sacra, & S. S. Valerij, & Braulij infulis, ac Vincentij martyris illustrata doctrinis, sacrorumque conciliorum sanctionibus orbis Christiani celebratione commemorata, a nefarijs impij cultus vestigijs sollempni carimoniarum religione expiatur: & Deo Opt. Max. Seruatori ex voto, quod Imperator pulcherrimæ, florentissimæ, potentissimæ que vrbs esset potitus, festis laudibus instauratur: & consecratur.

Petrus Librana Episcopus Cæsaraugustanus: qui vrbe nondum à Mauris erepta adscitus, atque consecratus fuerat.

Galtoni Beneharnensi Vicecomiti eæ vrbs regiones ab Imperatore sunt attributæ, quæ sub impio etiam dominatu a Christianis incolebantur: quas longo tempore, & Theresia vxor, & Centullus Galtonis F. Honorario iure possedere: dominique Cæsaraugustæ, vt priscus mos tulerat, appellantur. Rotroni Perticarum Comiti alia vrbs pars virtutis, atque honoris ergo condonatur: cuius regionis vici ab eo principe nomen inuenere.

Ad Villulam

Ad Villulam signa promota. Id in Ilergetibus oppido nomen est ad Hiberum flumen xxxvi. m. p. ab vrbe sito: quod Iulia quondam Romanorum colonia, cognomento Celsæ tenue nunc exstat vestigium: vbi extinctæ, & funditus deletæ vrbs solum nomen permanfit. Nam vicinum oppidum Mauri supra ipsam Villulam, propius Cæsaraugustam millia passuum tria Xelsam appellauere. Inde nostri incurfione, atque impetu armorum Ilergetum, atque Ilergaonum regionibus hostes diuebant: qui terrore, & periculo repulsi, Dertosam vsque, & Ilerdam, & ad ipsas interni maris oras fugantur, atque auertuntur.

ÆRA. NAT. CHR.  
MCLV. MCLX.

K. Febr. Vido Archiepiscopus Viennensis Raimundi Comitum, Alfonso Castellæ Regis patris germanus frater, Guillelmi Burgundiæ Comitum F. Francorum Regum stirpe ortus Cluniaci, ab ijs Cardinalibus, qui iustis funeribus Gelasij Papæ interfuerant, ad Pontificatum maximum Gelasij successor adsciscitur. Calistus secundus dictus: cuius respectu, fuit enim non minus religione, & sanctitate venerandus, quam regio genere clarus, à bello, quod in fratris filium Castellæ Regem gerebatur, Imperator sibi discedendum constituit: ab eoque, patrum dignitatis reuerentia, longo interuallo destitit.

MCLVII. MCLX.

BELLVM CELTIBERVM.

Cæsaraugusta dedita, & imperij sede in eam translata, non finitimo modo reguli animos summisere, sed longinqui etiam Reges: neque ad indutias tantum petendas, sed ad fœdera magnis tributis facienda, vt Imperatori se subijciant, conueniunt. Totam belli molem in Celtiberiam auertit asperam, & montosam regionem. Ab AEdetania profecti in agros, atque oppida Celtiberum bellum inferunt. Tamen cum hostes, ne signis collatis de summa rerum decernerent, funestis successibus deterrentur, Imperator eam inferendi belli rationem instituit, idque superesse vidit bellandi genus vrbium, arciumque expugnandarum: quarum irruptionibus, atque excidijs militem præda allicere, & hostem paulatim conficere posset, atque longius repellere.

Turiaso, quam Chalybs amnis ex Cauni montis radicibus ortus interluit, opima, & fertili regione, & amœnitate, vbertateque agrorum diues ab hostium dominatu eripitur. AEdes sacra, ecclesiæque sedes Gothicis temporibus clara instauratur. Michael Episcopus præficitur: eiusque diœcesis magna Celtiberiæ parte effunditur.

Rota, & Riela ad Salonis ripas sitæ à nostris expugnantur: olim Segontia, & Nertobriga nominibus in Celtiberis vrbes in primis nobiles: quarum incolæ, & si non latissimos, feracissimos tamen agros possident: aquas enim Salone fluuiio emissas per agros rigant: dissipatasque magno prouentu riuus diducunt: quarum deductionibus mirabilem terris fecunditatem impertiunt. Cum ea loca situ, & natura munita hostibus opposita essent, & velut claustra inde, angustique aditus arcerent, & illis recuperandi ea superioribus ex locis, & nostris, cum quid noui molirentur, propugnandi, tuendique ingens, & diuturnum certamen erat.

Cum ebellandi ratio esset, vt ad singulas vrbes bellum circumferre-

MCLVIII. MCLX.

ABRAMAT. CHR.  
MCLII. MCXX.

tur, & Mauri oppidis, arcibusque se tenerent, aut deficiendo sæpius nostros sollicitarent, & publicis, priuatisque consilijs, quo se verterent, hærent: & complurum regulorum imperium diuisum inutile bello esset, disiecti, & dissipati, ad sua quisque tendendo consilia, opprimuntur.

Sacro D. Iohannis Baptistæ die Calataiubium nobile in primis Celtiberiæ oppidum Imperatori deditur: quod nostri, veluti propugnaculū, atque arcem, præsidiumque prouinciæ Maurorum incursionibus, & vicinis regni Castellæ regionibus opponunt.

Darocenses, qui ad Silocæ ripas, angustijs Celtiberiæ, & difficili aditu continentur, & imminentiū collium castellis muniuntur, Imperatori se, arcesque suas dedunt. Is oppidi situs est, vt claustra earum regionum tenens aduersus Molinenses, & Conquenses, & Valentini regni opposita castella, magno nostris exercitibus præsidio, & ad rem benegerendam adiumento fuerit. Quod agri coloni essent, milites veterani, eo deducti: & in his Auxiorum ex Aquitania nobilis familia effloruit.

Rex, quem iure, & merito summum, atque perfectum Imperatorem illa ætas appellare potuit, cum in magno nomine, & gloria esset, & omnem regni conatum in Maurorum perniciem comparasset, multorumque annorum cladibus domiti essent, & imperij fines maris nostri litoribus terminare, & maritimas vrbes suo aditu, atque aduentu patefacere cuperet, & AEdetanorum, Celtiberūque tractus Valentini regni finibus continentes, & bellis infesti, & assiduis incursionibus vasti vltra Sagunti vetustos muros essent, vulgo Moruedrum vocant: inexuperabili mœnium ambitu, munimentisque veteribus cognitum, vnde nomen inuenit, ad Silocæ amnis salientes edito loco urbem ædificat: cui Montis regalis nomen est inditum: & conuentui sacre militiæ dedicat: illius instituto, quæ Hierosolymitano templo, sacro bello dicata fuerat. Magna vestigalia, & tributa huic ordini a Rege consignantur: Guilielmo Auxitano Archiepiscopo ad sacram expeditionem Hispaniæ populos adhortante: & scelorum, atque impietatum, quarum pœnituisent, culpas expiante. Ex ea veluti communi earum regionum arce, recuperata pæne omni Celtiberia, quæ tot per annos in ditionem concesserat hostium, & præsidia defensionis regni constituantur, & calamitas, perniciesque longinquis etiam hostibus comparatur: qua regio deserta excipit.

MCLIX. MCXXI.

Cum præcis sæculis in præstanti, atque florenti Romani Imperij fortuna C A E S A R A V G V S T A colonia immunis esset, merito iure, cum ab impio dominatu erepta fuit, ciuibus immunitas data: & ingenuitatis ornamenta sunt attributa: & Infantiones Ermunij, quasi immunes dicti. Priuilegium præterea ab Imperatore irrogatur, xx. virū a iuratis magistratibus, & decurionibus, quotiens vis maior vrgeret, creandorum: quibus potestas a Cæsaraugustano concilio dari consuevit, vt videant, operamque dent, ne quid detrimenti res publica capiat: ne plus paucorum vis, atque impotentia, quam plebis libertas possit: & eorum virorum ductu, atque prouisione omnes in sua causa publicis commodis adsint: iusque datum eos, qui non paruerint, con-

strin-

stringendi: atq; comprimendi: quoad ciuitati cedant: seque submittant.

Imperatore Morlanis in Aquitania commorante Maio mense Centullus Bigeronum, & Lordæ Comes se illi subiicit: ditionemque eam, & quæ acquirere posterum in tempus posset, Imperatori accepta refert. Rota oppido, & Rotensi arce, ad Salonis ripas munitissima, & media Turiafonis vrbs, eiusque agri parte Imperator Centullum donat. Albarrazinum præterea nobilem vrbs, in capite Celtiberiæ ad Turiam amnem sitam, simul a dominatu Maurorum liberasset, se illi attributurum spondet: stipendiaque cc. equitum pollicetur honoraria ex earum ciuitatum vectigalibus, quæ sacro bello vindicarentur. Beneficia ea militaria erant: quæ proceribus attribuebantur: proceresque ea suis equitibus partiri consueuerant: vnde nomen inuenere.

Iunio mense Rex, qui se Hispaniæ Imperatorem appellat, ex Aquitania reuersus, cum in claustris Pyrenæi arcem exædificasset in ea regione, quam Caput de Sobala nominat, in eo loco residens his, qui Vallem Beiam ex saltu, quem Angustum appellabant, versus culmina Pyrenæi incolebant, posterisque eorum tributa omnia remittit: modo sibi in incursionibus, & exercitiis assistant: ingenuitatisque munus condonat: & scripturæ vectigal, herbaricum ea ætas appellabat, ne a Montione ad Caunum montem pensitent, elargitur. Quod eorum hominum maxime fideli opera ipse, superioresque Reges vli fuissent, cubias, & custodias sui capitis & nocte, & die illis tradit.

### BELLVM ILLERGETICVM.

In Ilergetibus acre bellum ab Imperatore geritur: & nostris angustias omnes locis asperis, & montosis occupantibus, regiones eas depopulantur, quæ Cinga, & Sicori fluminibus continentur.

Alcolea oppidum vi expugnatur.

Septembri mense ad Ilerdæ vrbs muros Imperator castrametatur: tumulumque paulo editiorem occupat, communitque: qui vrbi, & flumini imminet: Almoaliam Gardeniæsem illa ætas nuncupauerat: quem locum Cæsariana obsidio, & res præclare a summo Imperatore aduersus Pompeianos duces gestæ in primis effecerant memorabilem.

Eodem tempore Imperator bellum ex Celtiberia in AEdetaniam, & Contestaniam conuertens, quod inde subministrata hostibus auxilia intellegebat, Valentini regni regiones percurrit. Sucrone amne transmissio Alcaracium nobile Contestanorum oppidum oppugnat. Ab eius oppidi expugnatione maiore conatu, ad perdomandas vicinas regiones exercitum circumducit. In Almeriense postremo regnum, & Bæticæ vberimos tractus inuadit: omnium gentium, locorumque, quos adierat, victor: Longius penetrata Bætica, quam quisquam priorum peruaserat. Nec quicquam, quod inimicum nostris crederetur, non euersum, atque vastatum reliquit. Finitimi populi vltro ad eum pacem petentes accurrere: ac ne vastarentur agri, tributum pacti dant fidem pacis: & ab Rege accipiunt.

Cum Cordubensis Rex ad Arinzolum, ingentibus copijs, tumultua-

E iij rio dele-

AERA. NAT. CHR.  
MCLXI. MCXXIII.

rio delectu coactis obuiam nostris processisset, & pro aris, & focis certamen esset: magna contentione vtrimque decertatur. Hostes, cum omnibus copijs in campum descensum esset, & ingens hortamen, ad omnia pro republica audenda, animos accenderet, conserta pugna caduntur, sternunturque: & magna eorum iactura victoria constitit. Vetus etiam rerum Castellanae monumentis memoriae proditur, ingenti proelio Imperatorem ad Arinzolum cum XI. regulis Maurorum conflictasse: eosque profligasse AERA CLXI. Ea in expeditione affuisse traditur vir singulari virtute Gasto Beneharnensis Vicecomes. Tot regionibus infestis signis peragratis, & hostilem in modum incursum praedae ingentes aguntur: & hostium multa millia trucidantur. Demum nullo accepto detrimento, & ingenti gloria parta, summa exercitus salua nostri in Celtiberiam reuertuntur. Eam Imperator ea expeditione laudem est consecutus, ut hostium non agros, sed regna victricibus copijs inceserit, & perlustrauerit: ac paene subiecta, atque obnoxia sibi fecerit.

MCLXII. MCXXIV.

Julio mense Medina Zelimi, in sine in Celtiberum, & Carpetanorum confinij oppidum maxime edito, & praecelso colle situm, ab Imperatore vi expugnatur.

Raimundus Barcinonensis Comes Alfonso Tolosati, & S. Egidij Comiti bellum infert. Imperator pacificatorium interponens munus ad colloquia cum Barcinonensi congredditur.

Mense Decembri Calistus P. M. Alfonsi Castellae Regis patruus decedit.

MCLXIII. MCXXV.

Barcinonensis Tolosatem vrguet: & acri bello insectatur. Neque parua de re inter eos contentio vertitur. Tolosas oppidum, arcemque Belicadri, Argentiae territorium, Prouinciae Comitatum tanquam erepta repetit. Ad eam tandem pacem deuentum est. Barcinonensis, & Dulcia eius vxor Belicadri arcem, Argentiae ditionem, & eam Prouinciae Comitatus partem, quae Druentia, & Isara fluminibus continetur, & Valobregae arcem Tolosati condonant. Mediam Auenionis vrbis partem, & castelli, oppidique Pontis Sorgae amnis, & eius vrbis territorij, aliquotque arces sibi recipiunt. Eo pacto conuento Tolosas, & Faidida eius vxor Barcinonensibus Comitibus, posterisque eorum reliquam Auenionis partem, & Comitatum Prouinciae, cum Messoagae arce, iisdem finibus, quibus a Druentiae fluminis ortu, qui ex Iano monte profluit, terminatur, & eius fluminis regione in eum locum, quo in Rhodanum influit, & in mare effunditur, remittunt. Pacificuntur uti alter in alterius locum, nullis relictis liberis, earum ditionum heres succedat. In ea pacta conuenta descensum est A. D. XVII. K. Septemb.

Honorius II. ad summi Pontificatus dignitatem adscitus Humberum presbyterum Cardinalem S. R. E. legatum ex latere in Hispanias prouincias mittit. Is Legionem regiam Asturum urbem concilium earum prouinciarum indicit: cui adfuere Alfonso Castellae Rex, & Didacus Gelmirus Compostellanus Archiepiscopus: cui a Calisto Emeritensis prouincia contributa fuerat. Res in primis digna, quae publica memoria retineatur, eo in conuentu accidisse fertur: nam cum Alfonso Rex Beren-



Berengariam Raimundi Barcinonensis filiam in matrimonium duxisset, veritus fuit, ne in eo Episcoporum consensu decreto sanciretur, vt ab ea, tamquam non iusta vxore diuerteret: quod illi propinquitatis vinculo coniunctus esset. Ex paterno ne, ea propinquitas Raimundi Comitis, Vrracæ mariti genere, an Constantiæ Reginæ Vrracæ matris, quam Alfonso Rex ex Gallia terra in matrimonium duxerat, aut ipsius Alfonso Regis stirpe; qui Tolosatis auus erat, deducta fuerit, quum ab antiquis scriptoribus tacitum, prætermisumque sit; inter cetera vetustate incomperta, hoc quoque in incerto, & abdito positum. Berengariæ matrimonium stabile, ac certum permansit.

AERA NAT. CHR.  
MCLXIII. MCXXV.

Sanctius Lopezius Praefectus Iustitiæ Aragonum.

Vrracæ Regina, quam suum flagitium de sanitate, ac mente deturbauerat, cum grauida esset, ex partu filio edito, in Saldaniensi arce A. D. VI. Id. Mart. decessit: cum liberius viueret, quam Reginam deceret.

MCLXIV. MCXXVI.

Alfonso Rex Vrracæ F. arcis, & oppida, quæ Imperatori parent, oppugnat: & Petro Gonzaluo Latensi Comiti bellum infert: se, exercitumque suum Imperatoris exercitui opponit: statiuæque castra facit: ac res in vltimum venit discrimen.

Mense Junio Imperator ad Hiberum amnem iuxta Pharam oppidum castra metante, Christianis, qui sub Maurorum ditione, ac dominatu commorantur, quos Mozarabes appellabant, & Aragoniæ urbium fines incolunt, quibus incolendi causa apud hostes remanere licebat, immunitas, & libertas data: pluresque ex diuersis locis, in Aragoniæ vrbes confluxere. Ea tempestate Imperator se in Castella regnare, publicis monumentis testatur. Nam cum neque Reginæ obitus concordiaæ foedera conciliasset, prope ad vltimam dimicationem deuentum est: veteri inter se regnorum odio stimulante.

Cum castra Alfonso Regis, Imperatoris castris collata essent, pceresque regni Castellæ se in pacificationem interponerent, Rex demissa, & humili prece ab Imperatore deposcit, vt regnum a se hereditate partum, pro auita necessitudine, & coniunctione, & singulari fide, ac religione deponat. Ea prece, & obsecratione, princeps animi excelsi, & inuicti commotus protinus arcis, & propugnacula, quæ a nostris tenebantur, libera tradi imperat. Tantum absuit ab insolentia gloriæ, vt commiseratus sit fortunam Regis, qui suorum prauis consilijs pæne concidisset. Ex eo Imperator, ex tanti belli terrore illato, Castellæ Regem, quasi paterna necessitudine coniunctum semper habet: & præsidia ab urbibus deducit.

A. D. XI. K. Iul. moritur Raimundus Barbastrensis Episcopus sanctitate venerandus.

Hoc anno cum Mauris in Catalonia ad Coruini castellum cruento, & calamitoso proelio a nostris fuisse decertatum, magnaue clade accepta, in maximum periculum, & summum prope discrimen rem publicam fuisse perductam vetusta monumenta testantur. Imperator vt præsidium labantibus, & inclinatis rebus ferret, in Catalonia ad Barcinonensem, cum delectis militum copijs accurrit.

Stephanus Casaraugustanus Episcopus.

Imperator Castellano bello extincto, in tanto fastigio regni collocatus, rebus ingentibus gestis, Molinensem ciuitatem tributa pendente ad deditio-

MCLXVII. MCXXIX.

AERA. NAT. CHR.

deditionem redigit. Oppida enim omnia, aut vi capta, aut in deditionē recepta praefidijs nostris tenentur: cunctaque ea Celtiberiæ regio Aragonio Imperio paret: & stipendiaria efficitur.

MCLXIIII. MCXXX.

Septembri mense cum Imperator Taffaliæ comoraretur, in Pompeionis, quæ Iruniam indigenæ illa ætate nominant, continentes vicos, Burgum vocant, ad S. Saturnini plana, & æquata suburbij loca veteranorum Francorum coloniam deduci imperat. Eadem iura sancit, ac leges describit, quæ a Sanctio Rege patre Iaccetanis promulgata fuerant: & forum indicit. Scribendo adfuere, auctoritateque deducendæ coloniæ tribuere Stephanus Oscensis, Sanctius Irunienfis, Sanctius Naiarenfis, Michaël Turiafonensis, Petrus Rotensis Episcopi: Retro Perticarum Comes, qui Tudelæ dominatum obtinet, Gasto Beneharnensis, Atorella, qui Riclæ, & Sanguessæ, & Francus Lupius, qui Sorix, & S. Stephani oppidi ad Durij ripas in Areuacis siti dominantur.

Vetustis annalium monumentis proditur Gastonē Beneharnensem, & Stephanum Oscensem Episcopum, hoc ipso anno, cum prælium cum Mauris commisissent; fuisse interemptos: neque quo loco conflixerint, commemoratur. Locus honorificus sepulchro in sacello Ecclesiæ beatæ Mariæ Cæsaraugustæ designatur: quo Beneharnensis inferretur.

MCLXIX. MCXXXI.

Moritur Raimundus Berengarius Barcinonensis: omnium, qui in eisdem ditionibus sunt dominati, longè princeps. Ex Dulcia vxore liberos suscipit maximum natu eiusdem nominis, & cognomen. Huic Barcinonensis ciuitatis dominium, & iura ditionum, ac finium, quæ Hispaniensibus expeditionibus bello vindicarentur, attribuit. Tarraconensem præterea, & Ausetanum Comitatum illi addicit: & Ceruariensem ciuitatem, quæ Ausetanis erat contributa. Ad hæc Manresæ, Gerundæ, Besaluni, Vallespirij, Petræ Pertusæ, Cæretaniæ, Confluentis, & Bergæ Comitatus applicat: & Carcafonensem, & Rhodensem item Comitatus adiungit.

Berengario Raimundo natu minori F. Comitatum Gallix provincix, & Aimiliani, maternæ hereditatis bona, atque iura condonat. Gabaldani præterea Comitatus, & Carladensem ditionem, vt in eius potestate esset, attribuit.

Filiam natu maiorem Berengariam Alfonso Castellæ Regi despondeat: & Cæciliam Rogerio Bernardo Fuxensi Comiti in matrimonium collocauerat. Ex ea nascitur Raimundus Rogerius eius ditionis heres. Has duas filias, si filij nullis superstitibus liberis decederent, in eorum locum heredes earum ditionum substituit. Alias præterea reliquit filias: quas in tutelam Berengario Raimundo F. tradit. Ex in Gallia nupsere: & earum vna Aimerico Narbonensi Vicecomiti in matrimonium collocatur: quæ mater fuit Ermengaudæ Vicecomitis.

#### RAIMVNDVS BERENGARIVS COMES BARCINONEN.

Cum bellicosissima natio semper in armis esset, Imperator Pyrenæi saltu transcens, Baionam in Tarbellis ad Oceanum situm oppidum, mense Octobri castris circumsidet: neque quis eius obsidionis exitus contigerit, memoriæ proditur: etsi coniectura ducimur, id oppidum vi fuisse expugnatum, aut in deditionem acceptum: nam regnare paulo post vetustis monumentis traditur ab Bilforado Beronum oppido ad Palliarientem di-

sem ditionem: & a Baiona Montem regalem vsq; & ijs finibus imperium eius terminari: atq; is annus magis nouo, quam magno bello erit insignis.

Decembri mense Calataubiensibus Imperator immunitatem, & libertatem largitur: propriumque forum irrogat. Decreto Apostolico ecclesiastica beneficia, vt indigenis conferantur, sancitur: eamque sanctionem Lucius II. P. M. cōfirmat. Haud parua regni accessio ea ciuitas fuit: quæ neque oppidi amplitudine, neque agri vbertate, vlli cederet populo.

Garcias Guerra Cæsaraugustanus Episcopus.

Colonia ab Imperatore Malienium deducitur: quam militiæ sacræ Templariorum, & eorum conuentui dedicat. Templarij id oppidum postea cum Hospitalarijs Hierosolymitanæ militiæ Nouilliarum oppido permutauere.

Martio mense classem longarum, atq; actuariarum nauium ad ipsa vt bis Cæsaraugustæ mœnia Hiberò amne deductam, in veteribus reru barbararum monumentis inuenimus: rem, si hæc tempora spectentur, æque difficilem operosa concursatione, atque incredibilem: nec ætate alto factis amne, & pontium, moliumq; substructionibus, riuorumq; deductionibus artiore alueo. Desinemus tamen mirari, si perpenderit, Vespasianis principibus, cum amnem per c c l x . m . p . a Varia oppido nauium cā pacem fuisse. Secundo flumine Mequinenciam, ad confluentes Hiberi, & Sicoris, Etobifam, siue Octogesa ea est, vetus oppidum esse arbitramur, edito loco sitam Iunio mense nostri vi expugnant. Egregiam operam eo in bello nauarunt Perticarum Comes, Centullus Vicecomes Bigeronum, Garcias Ramirius qui Montione dominatur, Lupus Garcesius, Peregrinus Alagon, Sanctius Iohannius, qui honorariæ ditioni Oscēsis ciuitatis præfectus erat, Caxal, Petrus Titio, Gasto Bielius, & Iohānes Galindus. In Mequinenciana vero expugnatione virtus egregia enituit Petri Biotæ, qui antecursorū copias ducere consueuerat, Adalides eos duces Hispano nomine vocant, & Innici Fortunionis, & Simonis Garcesij: quibus Rex oppidū Nonaspe, ad Mataraniæ ripas situm, & eius arcem attribuit.

Ea tempestate magna ex parte Africanis, & Mauritaniæ clasibus maria obsidebantur: & extra Herculis columnas Lusitaniæ, & Galleciæ regiones depopulantur. Interno mari Arelatenfes, Genuenses, & Pisani nauticarum rerum scientia præstantes feruntur.

Imperator Mequinencia potitus, oppido ad bellum aduersus Ilgeretes, & Ilgerones prosequendū, & cōmeatu, & reliquis copijs intercludendū maxime apposito, Scarpium in Cingæ ripa situm, & opportunum oppidum exercitu tenet: atq; inde Fragam Augusto mense circumsidet.

Cum diuturna obsidione Fragam in decliui, & præcipiti loco sitam, & Cingæ flumini impositam Imperator premeret, magnoq; virium conatu propugnaretur, quod Mauri externis, & transmarinis auxilijs numquā diffisi essent, & claustris, faucibus collium, & excelsis vndique anfractibus sepirentur, cum Abengama Ilerdensi Rege, qui obsessis opem tulerat, Iustæ, & Rufinæ festo die cruento proelio dimicat: magnaue clades nostris est allata.

Fragensem obsidionem nostris vrguentibus, cum ad famam eius, delectus haberi coeptus esset, & Imperator Soriæ finibus accurrisset, vt non modo ex propinquo, sed externo delectu exercitum suppleret, & hostium

AERA NAT. CHR.  
MCLXIX. MCXXXI.

MCLXX. MCXXXII.

MCLXXI. MCXXXIII.

MCLXXII. MCXXXIV.

AERA. NAT. CHR.  
MCLXXII. MCXXXIV.

stium palantes copiam Montionem usque regionem cum incurrissent, & ccc. equitum turmis Imperator subsidio suis aduentaret: circumfusis in manibus copijs Maurorum equitum, tumultuario certamine pugnam conferens, & in acie dimicans mortem occumbit cum gloria oppetitam: haud aliter, atque pater, & auus oppetierant: ut vere familiare fatum illis principibus constitutum fuerit: ut luendis publicis cladibus piacula hostibus opponerentur. Nam dum acrius, quam cautius dimicat, confossus undique obruitur. Vita omnis imperatorie acta, & que venerandum, ac ipsius regni maiestas effecerat. Ita per xl. annos bella gesserat, ut militaria opera semper obiret: & longa aetas inuictum Imperatorem vertenti fortunam praebuerit. A. D. VII. Id. Sept. eam pugnam ante Sarinienam oppidi muros decertatam ferunt. Periere vna Centullus Beneharnensis, & Aimericus Narbonensis Vicecomites: Gometius Luna, & Lupus Caxal magni nominis ex nostris proceribus. Cum plurima bella ductu, ausuque suo & gesserit, & confecerit: nam cum hoste nouies, & vicies signis collatis dimicasse, vetustus auctor confirmat: quasi desultorio certamine occubuit. Ad Montis Aragonum sepultum fuisse, quidam prodidere: alij vero eius cadaver nusquam comparuisse commemorant: siue obrutum superstratis caesorum tumulis, aut alio casu neglectum, aut dilaceratum inueniri non potuit: ut summus Imperator, atque animi vigore praestantissimus, principum illius saeculi maximus & honore sepulturae, & iustis funeribus caruerit. Pietate longe ceteris eius aui principibus excelsit: qua vna virtute, aut aequauit magnorum superioris aetatis Regum gloriam, aut excessit. Ad partem tot bellis, atque victorijs laudem acceperat, quod cum illo simul iusta, ac legitima regna ceciderant. Hierosolymitani sepulchri custodibus, & Hospitalis, atque Templariae militiae conuentibus regnum testamento dedicat. Plura oppida, & ingentes vectigalium prouentus ecclesijs, & coenobijs largitur. Iureiurando ea Regio iussu sanxerant Lupus Lupezius, qui Riciam dominabatur, Rudericus Peresius Vrrera, Lupus Garceus, Peregrinus Fortunius, Orticius Focius, Lupus Sanctius Bellitanæ ditioni praefectus, Artallus Alagon, Quadratus Praetor urbanus, Comes Fortunius Aznarius Turiasonensis, Petrus Myr Entenza, Petrus Gisbertus, Berengarius Gombaldus, Petrus Raimundi F. Erilius, Arnaldus Myr Comes Pallariensis, Petrus Raimundi F. Stata, Titio, Iohannes Antilionius, Lupus Fortunius ex Albero, Fortunius Azlorius, Fortunius Lopezius Aierbius, Galto Bielius: compluresque alij ex Nauarrorum, & Aragonensium nobilitate viri.

Nauarri, & Aragonij super adsciscendo Rege, Borgiae cum conuenissent, & consilijs, & studijs disident. Alfonso Castellae Rege palam regnum armis, & castris, legitimo successione iure appetente, Nauarri Garcia Ramiri filio, & Sanctij Regis, qui Rotae occisus fuerat, nepoti Pompelonense regnum deferunt.

Cum Aragonij Alfonso Castellae Regem regno euertere conarentur, & quis nam deligeretur, perquirerent, atque omnium ore Petrus Ataresius Garciae Infantis, uti coniectura ducimur, & Theresiae Caxalis filius, Sanctij Comitum nepos, & Ramiri Regis pronepos celebraretur, & se intempestiua superbia stolide elatum, atque insolentem in Borgienfi conuentu, haud aliter, ac si regnum esset adeptus, praebisset, Petro Titio, &

tioni, & Peregrino Castellitolo, studio in partes discedentibus ludibrio fuit. Regem clam alium efflagitant: atque ordines Regni, ac conuentus arbitrium deligendi Principis sibi permittunt: quo lenius ea competitorum contentio acciperetur. Plures ex proceribus occulta spe, prout quis fautor, amicus, aut contubernalis hunc, vel illum vulgi rumoribus antetulerant. Demum Montionem conuentu translato Titio, & Castellitolo, ne Castellano subijciantur imperio, si Alfonso ad Regnum, cui legitimo iure deferendum erat, adscisceretur, consilia exquirentes, quibus Regni status maxime contineretur, Ramirum Alfonsi Imperatoris fratrem, qui instituto D. Benedicti, ac cœnobio Tomericensi a patre pæne infans puer dicatus fuerat, & sacerdotij, & Episcopi infulis honoratus ex Burgenli, Ponpelonensi, & Rotensi electo Episcopo ad Regnum euehere summopere adnituntur. Rem dignam admiratione gestam fuisse apparuit: quãdo duo hi proceres suo pte consilio iura Regni transferenda suscipere: extra studia ordinum flagrantibus iam vulgi animis: summaque grauissimorum viro- rum auctoritate, alio, quam conuentus ordines primo destinabant, Regnũ est translatum. Tam festinanter ea comitia & habentur, & geruntur, vt Ramirus Octobri mense Barbastri, se in regno paterno, & Cæsaraugustano, publicis tabulis regnare testificetur: & se Regem, & sacerdotem nuncupet.

#### RAMIRVS II. ARAGONIAE. X. REX.

Aragonij veriti, vt ferunt, ne deficiente Ramiri Regis stirpe. externo dominatui parendum esset: adnituntur, vt Ramirus a Pontif. Max. sanctionibus Canonicis solutus, quod pæne infans votorum damnatus esset, & ita e republica videretur, neue plura detrimenta publicis rebus, si ad arma descensum esset, importarentur, vxorem in matrimonium duceret. Ducit acta ferme ætate Agnem Guilielmi Pictonũ Comitum, Aquitaniae Ducis forem: Leonorã, quã Ludouico iuniori Francorum Regi nupsit, & Petronillã eius sororis, vt ego existimo amitam. Apud vetustum annaliũ auctorem comperio Mathildem vocatam: & matrem fuisse Vicecomitis Toarzensis: & Ramiro canonicis institutis a Pont. Max. soluto eam in matrimonium collocatam: quod confirmare liquido haud possum.

Nauarrã regnum ab Aragoniã Regum ditione, quorum in potestate fuerat, disiungitur. Sanctij enim Rosã Pompelonensis Episcopi, & Latronis Innici velã filij, Guilielmi Aznaris Oteiciã, Simonis Aznarij Torresij, & aliorum procerum consilio Garcia Ramiri Infantis filio, & Cidi nepoti Regnum deferunt: quem Montione Guilielmus Aznarius, & Fortunonius Innici filius Lehetius in Nauarram deduxerant: & Pompelone Regijs insignibus decoratur.

Decembri mense Alfonso Castellã Rex, cum cis Hiberum amnem ditionum, & ciuitatum omnium esset potitus, Raimundo Barcinonensi affini, Ermengaudo Vrgellitano, Alfonso Iordane Tolosate, & Fuxensi, Palliariensi, Conuenate, & Ruderico Gonzaluo Comitibus, & Guilielmo Montis pefulani domino affectatoribus, regioque comitatu, vt iustus, & legitimus Rex Cæsaraugustam ouans introijt. Ramirus Cæsaraugustano regno exactus, ad montosa regna, & eos, qui iure iurando fidem fecerant, se recipit.

Garcias Cæsaraugustanus Episcopus in Ecclesia Beatã Mariã Con-

F uentui

ABRA NAT. CHR.  
MCLXXIII, MCXXXV.

uentui canonicorum sæcularium præfider. Cum omnia infida, atque inimica nostris essent, nec ita multo post Ramirus in Suprarbiensem regionem se recepisset, Monclusi arce, Februario mense Aragoniæ, Suprarbij, & Ripacurciæ ditionibus se regnare contestatur: vt pacto conuento Cæsaraugustano regno celsisse præseferat. Garciam Ramirium Nauarræ Regem subditicium, id est, vt illa ætas consuevit, vassallum nuncupat.

Castellæ Rex Aragoniæ, & Cæsaraugustani populi Regem se per vulgari, atque edi imperat: atque ea tempestate Legionem imperatorijs insignibus decoratus sollempnia imperij capessit: & Augustæ maiestatis cognomentum, quasi Hispaniarum prouinciarum supremum dominatum consecutus, suscipit.

A. D. V. K. Oct. Pradiliæ oppido ad Hiberum amnem Alfonsus Imperator, & Garcias Nauarræ Rex congregiuntur. Cum Nauarrus fidelitatis iura Imperatori obstrinxisset, ac se illius dominationi deuinxisset, & Imperator statuisset incepto abistere, Cæsaraugustano regno ab Imperatore donatur. Ramirum bello persequi statuunt. Adfuit eo incongressu Berengaria Regina. Proceres Aragonij, Caxal, Ferricius Oscensis, & Petrus Ataresius earum controuerfiarum arbitri iudices dati: & ex Nauarræ regno Latro, Guilielmus Aznarius Oteicia, & Simon Aznarius Torresius alienigenam Regem perhorrescentes, cum ad Vadum Longum, id vico nomen est, conuenissent, id subsidium contra maiorem vim comparauere, vti Garciam, & Ramirum inter se dissidentes ad colloquium deducerent. Pompelone congressi, regnijs regionibus terminauere: quibus Sanctius Maior definierat. Ramirus Garciam, quoad viuat, ea regione, quæ Roncaualle Biozalem vsque continetur, donat: adiungitq; oppida Alafos, Quadreitam, & Valterram. Cum officia sua, quæ fuerant, omnia præstitisse viderentur, Ramirus occultas infidias indicio Innici Aiuarij veritus, quas ab inimico Rege paratas delatum est, cum Pompelone commutata persona noctu, ne captus, & comprehensus teneretur Caxale, Ferricio, & Petro Ataresio Comitibus aufugisset, in eodem dissidio Reges mansere. Latronem Innici Velæ filium Comitibus titulo, atque honore decorat.

MCLXXIV. MCXXXVI.

Crudele, & inauditum facinus a Rege, & monacho, & sacerdote, & qui clandestinis consilijs, & pæne precario in pusilli regni possessionem venisset, consciscitur. Nam siue ludibrio, & despectui se omnibus esse videns illustre exemplum edi voluit, siue maior procerum pars ab eo defecisset, & ea lege obsides traditi essent, vt capite luerent, si pactis non staretur, in omnem ferme nobilitatem sæuijt. In xv. enim primarios proceres, quorum peruulgata sunt nomina, summo iure agens, Oscæ adeo crudeliter exarsit, vt capitis omnes cõdemnaret: & præsentem mortem, aut suam, aut alienam perfidiæ poenas penderint. Vetus rerum Aragonensium auctor memoriæ prodit, consilio Abbatis S. Pontij Tomeriensis ad id faciendum facinus prorupisse. Nam cum plura oppida, atq; arces proceribus regni condonasset, & contempti, & abiecti regni nomen illis esset, summaque eorum dissensione, atque audacia regni partes labefactarentur, & Abbatem Tomeriensem regnandi insolens consulisset, homo versutus, & veterator ad exemplum Thrasibuli Milesij Perianthro Corinthi tyranno propositum, & a Tarquinio ultimo populi Romani Rege repetitum deuenit.

Nulla

Nulla namq; responso nuntio reddito, hortulū ingressus, prægrandia, & luxuriosa proceritate diffluentia caulium cacumina deculsit: vti ea imagine admonitus Ramirus regnare disceret: & in eos, a quibus se contēptum videret, regio iure animaduertet: ac desertores merita pœna afficeret. In xv. regni proceres crudeliter animaduersum, & quinque primarios ex eadem gente viros, vltimo supplicio punitos memorant: ex quibus diuersæ Lunarum familiæ in primis amplæ, & illustres distinguntur. Eos apud vetustum auctorem cōperio Bachallē filios, & nepotes fuisse Lupum Ferrencium, Rudericū Simeniū, Petrum Martinium, Ferdinandū, & Gometium Lunas. Reliquos cōmemorat Ferriciū Lizanam, Petrum Verguam, Egidium Atrosiliū, Petrum Corneliū, Garciam Pinnam, Raimundū Focium, Petrū Luesiam, Michaelē Azloriū, & Sanctium Fontouam: viros genere, atq; auctoritate præstantes. Ne rem eam futilem, aut eius vanum auctorem arbitremur, qui primus scripto prodiderit, vetustæ tabulæ efficiunt: quibus testatum cōperio Ramirum Regem apud generū conquestū fuisse, se a proceribus contemptum, & delusum: & posteris traditur hoc ipso anno obsides vltimo supplicio Oscæ affectos fuisse. Nam quæ vulgo feruntur, Ramirum adeo rebus gerendis ineptum, & quodāmodo stolidū fuisse: vt cum hostibus decertaturus clypeo, & hasta præpeditus, habenas mordicus tenens, equum moderaretur, ac sustineret, ineptijs pæne anilibus similia videntur ijs, qui nouere, illius ætatis viris, qui sacris præficiēbatur, quos domesticis insultibus hostiū quotidie occurrere erat necesse, nullos potiores duces habitos: insignesq; ante milites, quam antistes fuisse: nec dum Reges: regumq; filios: qui iam inde ab incunabulis bellis imbuti, atque assueti erant. Iidem cōmenticię rei fidem adhibere cogūt, qui memorant, cum Ramirus Oscam conuentum indixisset, suos cōuentos voluisse, quod cymbalum fundere vellet tam late, plenumq; sonans, vt totius regni cymbalum haberetur: atq; in eam procerum carnificinam fuisse progressum: quæ per Hispaniæ regiones, haud inanes sonos effuderit.

Cum is rerum status esset, vt Ramirus Rex instituto potius pristino, & antea actæ vitæ assentiri, quam præsentibus regni tumultibus conuenire posset, turbatis rebus, temporari succumbendum ratus, Raimundo Barcinonensi Alfonso Castellæ Regis affini pacis auctore, & Caxali internuntio Alfonso Regi se, suaque tradit. Paciscuntur, vt Ramirus tamquam Alfonso subditicijs vrbes, oppida, arcesq; omnes, quæ Alfonso cis Hiberum tradita fuerant, honorario iure teneat, atque possideat. Alauonæ, ad Hiberi amnis ripas xv. M. P. supra Cæsaraugustam, ad colloquiū sacro D. Bartholomæi die congressi Alfonso Cæsaraugustanum, regnum Regi Ramiro tradit: atque noster Cæsaraugustani se regni compotem, Alfonso vero Imperator Legionē, Toleti, Soriæ, Calataiubij, & illo ipso Alauonæ oppido regnare publicis monumentis testantur. Vti ea ratæ, firmæque pactiones essent, Petronillam Ramiri F. obsidem Imperator accipit: deliberantque, vt Raimundo in matrimonium collocetur. In ea re transigenda Guilielmum Raimundum Cataloniæ Senescallum officia, & partes, pro dignitate Barcinonensis suscepisse, magna quod apud Ramirum gratia polleret, proditur.

Carrione Vaccæ ornm oppido inter Imperatorem Alfonso, & Barcinonensem conuenit: pactioneq; fit, vt Cæsaraugusta, Turiaso, Calataiubiū, F ij & Daroca,

ARRA NAT. CHR.  
MCLXXV, MCXXXVII.

& Daroca, aliaque oppida quæ cis Hiberum a Castellanis præfidijs tenebantur, fidelitatis sacramento, & honorario iure Barcinonensi tradantur. Iureiurando Barcinonensis obstringitur, supremum dominium earum ciuitatum, ac summam potestatem Imperatori liberam permansuram. Præterea fœdus icisse traduntur, vt vna bellū Garciae Nauarræ Regi inferant.

Cum Garcias omnes, quæ in Nauarræ partibus erant, copias militares, & quas trans Pyrenæum arcesierat, collegisset, & Imperator præpotenti exercitu eius regni fines esset inuasurus, & in Gallurem, & Cortes oppida signis collatis acies vtrinq; cõcurrissent, Aprilis mensis dominico die, qui octauus celebrationis Resurrectionis Domini fuit, pugna destitit. Nauarri dignitati, & honori Ludouicus Francorum Rex, magno commodandi studio fauet. Garcias excelsi animi princeps Pompelone, Naiaræ, Alauæ, Vizcaia, & Guipuzcoæ regionibus dominatur: & cum Margaritam Rotronis Perticarum Comitis F. duxisset, Tudelam dotalem tulit.

Non. Iul. Anno XXVIII. regni Ludouici Francorum Regis Raimū dus Barcinonensis Guilielmo Raimūdo Cataloniæ senescallo Moncada ditionem, qua plures arces, & oppida continebantur, honorario iure condonat: dignam scilicet mercedem eorum sponsalium, quæ eo arbitro, atq; auctore cum Petronilla Ramiri Regis F. fuere depacta. Hinc maxime illustres, & amplissimæ Moncadarum familiæ fluxere.

A. D. III. Id. Aug. Ramirus Rex Raimundo Barcinonensi Petronillam F. quam in matrimonium ducat, vna cum regno tradit: eamque regni condicionem, & statum illius constituit, quibus sanctius pater, & Petrus, atq; Alfonso fratres obtinuerant: liberum nempe: & immunem. Leges, quæ Aragonensibus promulgatæ fuerant, iuraq; eadem, ac fora integra, ac sancta permanere statuit: & certos regni fines terminat.

A. D. VI. K. Sept. cum Ramirus Rex Gerpiensi arce desideret, omnia, quæ in scio genero, ex quo ei filiam tradiderat, a se donata fuerant, rescindit: & irrita facit.

Mense Octobri Raimundus Barcinonensis Cæsaraugustam, regium dominatum, & principatum adeptus ouans introijt.

Id. Nou. cum cum Ramirus Rex ad urbem esset, edicit, vt ij, qui arces, castellaque præfidijs suo nomine tenent, a genero obtineant: & eius mandato repræsentent: illi pareant: atque illum obseruent. Cum omnia tamen concessisset, excipit, & genero denuntiatum esse voluit, vt i regnum subdominatu, potestate, ac fide sua obtineat: sua iussa, & vetita rata, atque firma habeat.

Ferunt ijs omnibus collocatis, atque constitutis ad pristinum vitæ institutum, & sacrorum ritus obeundos se retulisse: & religionis studia, quæ re tanta animo, & totius vitæ cõstituto spatio, tam paruo temporis intervallo intermissa fuerant, reuocasse: & D. Petri sacra æde Oseni abditum, regali tamen habitu latuisse. Ab vxore diuertisse simillimum veri apparet: neq; cum longius ætate prouectus fuerit, ad publicas se res in posterum applicuisse, pro certo firmare possumus. Illud tamen omnibus dignū admiratione videri debet, tam celeri conuersione rerū peragi hæc potuisse: vt vix trium annorū spatio decurso, Ramirus & regnum hereditarium adierit, vxorem duxerit, filiam ex eo matrimonio susceperit, genero nupti tradiderit, & regni administratione cesserit.

CATA-



CATALONIAE PRINCIPATVS ARAGONIAE REGNO ADIVNGITVR.

AERA. NAT. CHR.  
MCLXXV. MCXXXVII.

Explicatis ordinibus temporum, ad nostrorum annalium rationem factis apte, conuenienterque congruit series ea, quae ex initijs regni Ramiri Regis eius nominis primi ad haec tempora ducitur. Nam vt in veteribus rerum Barcinonensium comentarijs scriptum est, quorum auctor ea tēpeltate est commētatus, CIII. anni, ex quo Ramirus Ramiri auus regnare coepit, ad hanc Cataloniae, cum Aragoniae regno adiunctionē cōnumeratur.

RAIMVNDVS BERENGARIVS ARAGONIAE PRINCEPS COMES BARCIN.

PETRONILLA XI. REGINA ARAG.

Vt satis constiterit Raimundum Barcinonensem Principis, non Regis cognomentum vsurpasse, ita confirmare possumus Petronillam, quae regio cognomine semper vsa fuit, nūquam se ad publicas pacis, aut belli rationes, siue domi, seu foris, marito viuente adiunxisse. Insigni vero militaria Comitum Barcinonensium, quae aureo scuto, quattuor tēnijs puniceis virgato praefulgent, regijs Aragoniae insignibus ex eo praelata fuere: & Catalonia terra principatus nomen adipiscitur.

Pontius Hugo Emporitanus Comes Hugonis F. Raimundo Principi aduersus Rocabertinium Vicecomitem conciliata gratia adiungitur. Castra Carmenzonis, & Rocabertini oppidorum delentur: diruunturque.

Oldegarius Tarraconensis Archiepiscopus, cuius & illo, & posteris saeculis sancta religio, & pietatis memoria fuit, e vita excedit. Huius sanctissimi viri commemoratio in diuorum numero consecratur.

Petrus Tarrogia Casaraugustanus Episcopus.

Alfonsus Henrici Portugalliae Comitis F. qui Ducis cognomentū suscepit, summis principibus, & animi magnitudine, & nominis, generisque splendore merito equandus, Imperatoris Alfonsi frater, cuius animos ad regnum capessendū Alfonso Rex auus, & Henricus pater, non modo exsuscitant, sed maiores etiā faciunt, quā suis finibus contineri posset, cū regionē, quae Durio, & Minio fluminibus terminatur, obtineret, sub imperium, potestatemque suam magnā Lusitaniae partē redigit: & glorioso praecelliorū exitu ad Vrichium campum hoc anno cum Mauris decertans diuina ope victor euadit. Pridie quam signis collatis decerneret, regio cognomento ornatur. Princeps maxime dignus, cui ab Eugenio III. P. M. sancti rae regia, regaliaque insignia decernerentur: eaque posteris repraesentaret: eiusque nominis memoria amplissimis consecraretur monumentis.

MCLXXVII. MCXXXIX.

A. D. IX. K. Mart. Carrione Imperator Alfonso, & Raimūdu Principis eius affinis Garciae regnū, ditionesque omnes inter se partiuntur: paciscunturque, vt Marañio, & oppida omnia, quae Alfonso Rex Imperatoris auus cis Hiberū possederat, Imperatori tradant. Princeps ea, quae Garciae ex Aragoniae regno receperat, optimo iure, vt Sanctius, & Petrus Reges obtinuerāt, teneat: reliquorum vero oppidorū Nauarrae, quae Sanctius, & Petrus Reges ab Alfonso Imperatoris ayo honorario iure obtinuerāt, tertia pars Imperatori cū arce, & oppido Stella attribuitur: reliquae vero Principi honorario iure cū Pōpelonensi ciuitate cedūt: iisdem cōdicionibus, quibus Reges Sanctius, & Petrus ab Alfonso Rege obtinuerāt. Sed virtus egregia Garciae pernicit, ne villo pactionū, aut conspirationis genere, vi. frau-

MCLXXXIX. MCXL.

ABRA NAT. CHR.  
MCLXXIIX. MCXL.

deue regno euerteretur. In comitatu Principis adfuere Petrus Ataresius, qui Borgie dominabatur, Artallus Alagon, Bernardus Guilielmus Entenza Aragonij proceres: Catalani vero Raimudus Folchius Vicecomes Cardonensis, Guilielmus Raimundus Moncada, & Galcerandus Pinofius.

A. D. I X. K. Nou. Imperator, & Berenaria Augusta, atque Garcias Rex ad Hiberi ripas inter Calagurrim, & Pharū congressi sponsalia Sanctij Imperatoris filij, & Blancæ Garcia filia paciscuntur: Garcia Rege, & Raimundo Principe in pristina contentione, & disidio permanentibus.

MCLXXIIX. MCXLI.

Chalamera, & Alcolea oppida, ad Cingæ amnis ripas, quæ Mauri præfidij munierant, abijs, quos Princeps propugnandis, & tuendis regni finibus præfecerat, expugnantur.

Guilielmo Hierosolymitano Patriarcha adnitente, & Raimundo Hospitalarium ordinis magistro internuntio, superioris anni Septembri mense, permissu Folchij Hierosolymorū Regis, & Andium Comitum cum Aragoniæ Principe, super eo iure, ac ditione de pactū est, quam Templi, & Hospitalis Hierosolymitani magistri in Aragoniæ regno, ex Imperatoris Alfonso testamento repetunt. A. D. IIII. K. Sept. Hierosolymis pacta conuentua Hierosolymitano Patriarcha rata fiunt.

Ordo, & conuentus Sacerdotū Regulariū S. Sepulchri Hierosolymitani in Aragonia, & Caralonia a Gerardo S. Hierosolymitani Sepulchri canonico institutus: & Calataiubij bonis prædib<sup>9</sup>, fructuosisq; prædijs, & nobilissimis possessionibus fana, cōuentusq; ditantur. Societas, & militia ordinis Templariorū in eisdē ditionibus constituitur. Eum ordinem Princeps Montione, & alijs oppidis, atq; arcibus donat: & affluentibus copijs, atq; vectigalibus ditat: haud indignū tantæ virtuti præmiū fore ratus. Lōge enim nō initia modo regni, sed progressus ipsos ea superat cōpensatio. Sollemni præterea voti religione obstringitur, ad conciliādā cum Mauris pacem, numquam operam, nisi Templariorum permissu nauaturum.

MCLXXX. MCXLII.

Raimundus Princeps Aragonēsis Darocam oppidū magnis munitionibus firmat: & Aragoniæ propugnaculum, præsidiumq; regni exteris nationibus opponit: obijcitque. Regio oppido contributa latius excitatur: & certi fines a Principe, terminique constituuntur.

MCLXXXI. MCXLIII.

A. D. V. K. Dec. cum Princeps Raimundus Gerundæ conuentus ageret, Vidone Cardinali S. R. E. Apostolico legato assidente, pacta cū Templarijs conuentui iurifurandi sacramento sancit: atque confirmat: quæ ab Hadriano IIII. P. M. postea stabiliūtur. Ad sedere conuentui, scribendoq; adfuere Bernardus Casaraugustanus, Dodo Oscensis, & Guilielmus electus Rotensis Episcopi, Gregorius electus Tarraconensis Antistes, Arnaldus Myr Palliariensis, Bernardus Conuenarū, & Petrus Bigeronum Comites: Raimundus Dapifer, Galcerandus Pinofius, Guilielmus Corbera, Raimundus Tarrogia, Berengarius Agerius, & Raimundus Villademullius. Princeps id iurandum iurat inter positis iudicibus, testibusque ali quot Tēplariorum militia primarijs viris Eberardo, Ostano S. Ordonij, Hugone Borraio, Petro Anticho, & Bernardo Reginolio.

Garcias Nauarræ Rex, cū Princeps in extremis regni finibus commoraretur, vltro Casaraugustanū agrum incurfat: egressiq; hostes repētino, tanto tumultu inuasere fines, vt ad urbem quoq; terrorē pertulerint: late, longeq; omnia depopulerentur. Garcias enim dum hæc in hostico geruntur, non

tur, non solum fœdere, atq; amicitia, aut affinitate, sed gemina cognatione Imperatori adiungitur: & mortua Mergellina vxore Rotronis Perticarū Comitis F. Vrracā Alfonsi Imperatoris F. vxorē ducit: ex Cōtruenda concubina & Didaci Aprici sore natam. Ex eo matrimonio Garcia Sanctia F. suscipitur: quæ Petro Molina Comiti, Ermesendę Vicecomitis Narbonēsis F. nuber. Hi vero Aimericū Narbonēsem Vicecomitē progenerunt.

Bernardus Cæsaraugustanus Episcopus.

Cū acre, & magnū bellū Berēgarius Raimūds Prouinciæ Comes cum Raimūdo Baucio, qui Stephaniā Giberti Aimiliani Comitis natu minorē filiā duxerat, gerit, Princeps Raimūds fratri cū exercitu subsidio acurrat: & Mōpelleriū expugnat. Baucius, & eius filij, Bauciorumq; gētis familiæ præpotentes copijs, atque opibus firmæ, & amplæ in terra Gallia, qui illustres clientelas splendidæ prouinciæ ad se traduxerant, audacius, exsultant: magnosque motus, & mutationescient.

Berengarius Prouinciæ Comes in Melgorienfi portu a prædonibus interficitur. Is Raimundum Berengarium F. heredem dereliquit: ex qua vero coniuge non proditur: quem patruus Princeps summis affectum difficultatibus tuetur, ac sustinet: arcesque omnes, ac præsidia retinet. Prouinciæ Marchionis cognomentum patruus suscipit. Princeps Raimundus ex Prouincia regressus Turiasonem urbem recuperat: quam Imperator Alfonsus cuiusdam proceris nomine Portolis fidei commiserat.

Atho Sanctius Præfectus Iustitiæ Aragonum.

Alfonsus Imperator cū Raimundo Principe, & Garcia Nauarræ Rege ad S. Stephani oppidum ad Durij ripas in Areuacis Nouēbri mense congressus, cū ad pacis cōditiones eos accessuros speraret, indutias fieri curat.

Expeditioni sacrę Imperator intētus magnū exercitū cōficat: & auxilia ribus Nauarræ Regis copijs adiūctis in Bætica cū Mauris belligerat. Abengamia Rex Cordubensiu in deditiōē coactus urbē tradit. Beata vi expugnatur. Almeriā in Bassetanorū, & Cōtestanorū cōfinijs nobilē urbē, & regni ueluti arcē mari impositā terra, mariq; oppugnat. Princeps Raimundus classe cōparata, maritimi belli partes sustinet, Genuensiu classe adiuncta: qui Imperatoris stipēdia meruere, A. D. XVI. K. Nou. ad motis machinis, & irruptione facta, urbem expugnant: & qua moliti erant aditum irrupere in arcem. x. Maurorum M. qui in arcem confugerant, in deditiōnem rediguntur: & amplissima pecunia redimuntur.

Olisiponem celeberrimā Lusitaniæ urbē Alfonsus Rex Portugalliæ XII. K. Nouembris expugnat: ingenti classe Germanorum, Anglorū, & Flandresiu ad Portugalliæ litus appulsa. A. D. XVII. K. Sept. Ramirus Rex e vita excedit. Osca in D. Petri æde, S. Georgij facello sepelitur.

Raimūds Princeps bellū in Ilergaonibus terra, mariq; aduersus Mauros gerit: magna; suorū cōparata classe, & Genuensiu adiūcta Barcinone A. D. III. K. Iul. ostio Hiberi aduersis fluctibus eos portus tenet, qui in fauces, aditumq; fluminis projiciūtur: & castris Dertosam urbē circūfidet. Cum milites urbem vetere fortuna opulentam sibi ad diripiendum tradī sperarent, xv. dierum cum hostibus pactæ sunt indutiæ: & in deditiōnem accipiuntur. Urbem, arcem, & propugnacula omnia A. D. II. K. Dec. dedunt. Interfuit huic bello Guilielmus, qui Mompellerij dominabatur: & virtus enituit egregia Guilielmi Raimundi Moncada Catalo-

- AERA. NAT. CHR. MCLXXXVI. MCXLIIIX.** *nia Senescalli: cui a Principe Raimūdo tertiavrbis pars honorario iure est attributa: atq; tertia itē portio Genuensi populo cōdonatur. Sedes, & Episcopalis dignitas instaurant. Ea victoria parta, & recepta vrbe natura, & situ in primis nobili, & nauigabili cōmercio per opportuna magnū Raimūdi nomē in principib<sup>9</sup> fuit: & Dertofani Marchionis cognomēto decorat.*
- Raimundo Ilergaonenſi bello, & Dertofanæ obſidioni intento Garcias Nauarræ Rex bellum in Aragoniam infert: & magna concitatione Thauſtum, & Faios in Cauni montis radicibus ſitum oppidum vi expugnat.*
- MCLXXXVII. MCXLIX.** *Berengaria Auguſta Alfonſi Hiſpaniarū Imperatoris vxor, & Raimundi principis ſoror Februario mēſe decedit. Imperator Richam vxorem ducit: Boeſlai Polonorum Ducis, & Frederici Imperatoris amitæ filiam.*
- Princeps Raimundus, qui omnem ſui regni conatum in Maurorum perniciem parauerat, Ilerdam Septembri mēſe caſtris circumſidet.*
- A. D. V. Non. Oct. Princeps Raimundus cum Ilerdam obſidione premeret cœnobio D. Chriſtinæ ſummi ſaltus Aſpæ, veteres ſummum Pyrenæū appellauere, & peregrinis hoſpitibus prouentus opportunos elargit.*
- A. D. I X. K. Nou. Ilerda, & Fraga deduntur: illa nobilis, & præpotens vrbs: hæc ſitu natura ſepta, atq; munita: & regia quoq; clade inſignis. Ilerdā honorario iure, & fidei ſacramento Princeps Ermengaudus Vrgellitano Comiti attribuit: poteſtate, & ſupremo dominatu recepto: & ſatis magno equitū, peditumq; præſidio præſicit: vt hoſtes præruptis Pratēſiū mōtib<sup>9</sup> præſidētes aſiduis incurſionibus inſeſtet. Sedes, & Episcopalis dignitas Ilerdēſis iſtaurāt: & in Guilielmū Perēſiū Rotēſem Episcopū cōferūt.*
- MCLXXXIIX. MCL.** *Vetuftis monumentis memoriæ proditur AERA MCLXXXIIX. Ilerdæ Raimundum Barcinonenſem Comitem, Principē Aragoniū nuptias ſuas coniunxiſſe: nā Petronilla Ramiri Regis filia infans ei tradita fuerat: quæ cum iam nubilis eſſet, poſt mortem patris Raimundo Comiti nupſit.*
- A. D. XI. K. Dec. Garcias Nauarræ Rex Lorcæ Nauarræ vico repentina morte decedit.*
- MCLXXXIX. MCLI.** *Garcia Rege vita functo, Imperator fœdere rupto, quod tot affinitatis, & cognationis vinculis iſctū erat, eius regno imminet. A. D. VI. K. Febr. Tudileni prope aquas cū Raimūdo Principe ad colloquiū congregitur: & nouorū fœderū pactione aduerſus Sanctiū Garcia F. cōiungūt. Denuo ad regni partitionē, quā Carrione cōſtituerāt, deueniūt. Quæ neq; Alfonſi Regis Imperatoris aui, neq; Principis poſſeſſione quaſita fuerant ex Nauarræ regno, & Sanctiū, & Petrus Aragoniæ Reges obtinuerant, pro rata portione inter ſe partiuntur: Stella oppido Imperatori, & Pōpelone vrbe Principi addictis. Princeps honorario iure, atq; fidelitatis ſacramento portionē illā ſibi attribui agnoſcit. Tudelā præterea vrbe, atq; eius fines, arceſq; oēs, atq; oppida, quæ Garcias Rex cis Hiberū verſus Caunū mōtem poſſederat, æquis partibus diuidunt: eaque excipiunt, quæ Principis iuris, poteſtatis, atque ditionis erant. Regiones etiam, quarum Mauri dominabantur, quas quiſque iure belli repetere, & obtinere poſſit, vt cum iuſto, & legitimo hoſte res geratur, definiūt. Valētia, inter Hiſpaniarū vrbes celeberrima, & portio AEdetanorū, & Ilergaonū a Sucrone amne ad Dertofani regni fines, Dianiū præterea, & Dianiēſis ager, iſdē finibus, quibus a Mauris cōtinebātur, eodē honorario fidelitatis iure Principi attribuunt: quo Sāctiū, & Petrus Reges ab Alfonſo Imperatoris auo Nauarræ regnū obtinue-*

obtinerant. Murcienſis etiam populi regnum eodem iure Principi contribuitur. Ilorci, & Baream oppida, eorumque fines Imperator recipit: & earum paſſionum veluti obſides Alauonam, Riclam, Mariam, & Bellitaniam arcem, quæ in ſua poteſtate, ex quo Aragoniæ regnum inuaſerat, attinerat, opponit. Vt vix credibile ſit, eam illorum temporum fuiſſe malitiã, vt a principe maximo per fidẽ religio violetur: eiufque regno inſidia tendãtur, qui gener fuerat, & filij focer. Nã Raimũdus inimicitias hoſtiles deponere, reipublicæ nomine ſuſceptas, quas inſitas, & habere, & gerere decebat, minime poterat: quin totius regni ordinibus permiſſurus eſſet.

Princeps Narbonẽ contendit: qua in vrbe Trencauellus Biterenſium, & Carcaſonenſium Vicecomes, qui a Principe defecerat, ſe illi Nouembri mense addidit: & ab eo Carcaſonem, & Rhodam vrbes, & earum arces, atq; ditiones, & Lauracenſem arcem honorario fidelitatis iure retinet: vt Bernardo Athoni condonata fuerant.

Huius anni fine Princeps Raimundus Lupo Valentini populi Regi ſtipendiario, atq; foedere ſibi adiũcto, cũ exercitu aduerſus Mazmutes Mauros eius hoſtes, nimia potentia audacius exultantes proficiſcitur.

Petrus Atareſius Garcia Infantis F. Sanctij Comitis N. qui certus regni competitor fuerat, A. D. I X. K. Mart. nullis ſuperſtitibus liberis decedit. Verolæ Cœnobio, quod ipſe D. Bernardi monachis conſtruxerat, ſepelitur. Princeps Thereſiam Caxalem Petri matrem Turiaſone vrbe, & oppido Borgia donat.

A. D. II. Non. Apr. cum Petronilla Regina grauida eſſet, & iam partus appropinquaret ſucceſſioni, & ſtatui regni proſpiciens, regnum filio, ſi eo partu ederetur, hereditarium relinquit: ea ſcilicet condicione, qua Alfonſus Imperator patruus obtinuerat: liberum nempe, & nullius dominationi deuinctum, neque Caſtellæ Regibus obnoxium. Tradit enim Alfonſum patrum, numquam hereditaria regna, aut bello parta Caſtellæ Regibus accepta tuſiſſe: vt Raimundo Principi viro ſuo acciderat: ſed imunitia, & libera vindicaſſe. Naſcitur Regina filius, qui, quoad pater vixit, Raimundi cognomentum tulit.

Petrus Villabeltranus Cæſaraugustanus Epicoſus. Iohãnes Diacius Præfectus Iuſtitia Aragonum.

Montani Pratenſes impendentium montium altitudine, atque aſperitate conſiſti, diutius repugnantes a comœatu, & reliquis copijs intercluſi Principi deduntur. Arx Siurana edito in loco, & natura, & ſitu munitiſſima expugnatur: omni que ea Coſetanorum regione Mauri exterminantur.

A. D. X VI. K. Apr. Cœnobium Iuncarienſe Ciſterciienſis ordinis, & inſtituti Cæſaraugustano in territorio ſitũ fundatur: quod poſtea in amœnum locum e regione Scatronis oppidi, quod Hiberi amnis ripis adluitur, eſt tranſlatum: & Rotenſe cognominatur.

A. D. I X. K. Sept. Mirabetana arx expugnatur: quam, cum tot ſæculis Mauri aduerſus noſtrorum irruptiones retinuiſſent, & in ea regionis eius incolæ AEdetani ſua defenſionis præſidia collocaſſent, Princeps Petro Roueiræ Templariorum magiſtro tradit.

Populus, ciuitasque Genuenſis Dertofæ vrbis, & territorij partem bello partam X VI. M. nummorum morabetinorum Marroquinorum, quos marinos illa ætas vocare conſueuerat, pretio addictam Principi venum

MCLXXXIX. MCLT.

MCXC. MCLII.

MCXCI. MCLIII.

MCLXXXIX. MCLT.

MCLXXXIX. MCLT.

AERA. NAT. CHR.  
MCXCI. MCLIII.

numdedere: Hérico Guerchio, Martino Moro, Guilielmo Nigro, & Guilielmo Lufio rempublicam administrantibus. S. Laurentij insulam Genuenses excipiunt, ac retinent: ea condicione, qua antea obtinuerant: & uti quotannis festo natiuitatis domini die ecclesia S. Laurentij tapete decoretur. Ad hæc princeps illis condonat: ut nemo ex Genuensibus, qui eius ciuitatis loca, a portu Veneris ad Monæci portum incoleret, quoduis vectigal, portoriumve Dertosa penderet. Nostris Dertosa potitis in Valentiniõrum fines aditus recluduntur: quæ res Alcaniciensium, & Peniscolensium animos vehementius fregit.

Pontius Hugo Emporiarum Comes decedit. Ad Populetum in Cosetanis cænobium D. Mariæ Cisterciensis ordinis insigni, & Regia ædificiorum magnificentia dicatur: & præclaris, excelsis, & splendidissimis operibus adornatur à posteris Regibus. Princeps locum construendo cænobio designatum, & terminatos fines A. D. VII. Id. Sept. Sanctio Abbati monasterij Fontisfrigidi Narbonensis dicecesis donat: & Gerardus Abbas monachorum conuentui præficitur.

MCXCII. MCLIV.  
JIIJOM IOXOM

Ludouicus Francorum Rex sacram D. Iacobi ædem Compostellanam inuisit. Ab Imperatore Alfonso socero, cum Toleti conuentus ageret, magnificentissimo apparatu, & amplissimis muneribus, exquisitissimisque honoribus excipitur. Adfuere in maxima illa congressus celebritate Princeps Raimundus, Regina Francorum auunculus, & Sanctius, & Ferdinandus Reges fratres: quos Imperator pater ad regni dignitatẽ euexerat. Princeps Ludouicũ domum regredientẽ Iaccam vsque urbem est profecutus.

A. D. III. K. Iul. Ermengaudus Vrgellitanus Comes Petri Ansurij Comitis N. in Castella moritur.

MCXCIII. MCLV.

Princeps magno comparato exercitu in Galliam Prouinciã inuadit: & Hugoni Baucio, & eius fratribus, qui rebellionem fecerãt, acre bellum infert. Hi eius ditionis dominari contendunt ex priuilegio, quod ab Imperatoribus Conrado, & Frederico Conradi fratris filio Hugoni irrogatum fuerat: quo ditionem omnẽm à Giberto Comite, & Gisberga Principis auis possessam concesserant. Contendit Hugo eo priuilegio Marcham, & Prouinciã comitatum contineri. Baucium oppidum, pluresque arces expugnantur. Trencataiarum castellum acerrime a nostris oppugnatum, hibernis tempestatibus ingrauescentibus in rebellionem permanet.

Mozarabes Aragonij, Casaraugustani præsertim, & Calataiubienses ab Imperatore Alfonso in Zoritam oppidum, ad Celtiberiã, & Carpetaniã confinia, iuxta Tagum situm, coloni deducuntur.

MCXCIV. MCLVI.

Raimundus Princeps Roncaualle potitus Nauarris bellum infert. Garciam Almorauidium primarium ex Nauarris proceribus virum, qui egregiam eo in bello operam nauauerat, Vrrazio, & Ouaniõ Roncaualis oppidis donat.

Pacta ad Tudilenias aquas aduersus Sanctium Nauarræ Regem conueta a Principe Ilerdæ firmanantur. Sponsalia Raimundi Principis filij, & Sancti Imperatoris, & Richæ augustæ eius coniugis filia sanciantur. Imperator, & si pacta ea rata habuerat, clandestinis tamen consilij Sanctij Regis partes fouet.

MCXCV. MCLVII.

Princeps Narbonem contendit: ut Hermengardam Aimerici Narbonensis ex sorore filiam patre vita functo, tueatur: atq; sustineat. Ea se, ditia nemque

netq; Narbonēsem, arcesq; omnes Februario mense auunculo cōmittit. Altonfus Imperator, cuius memoriæ felicioris ad posteros nomen fuit, decedit: eoque vita functo, princeps Raimundus, & Raimundus Berengarius Comes Melgoriensis Berengarij Raimundi prouincię Comitıs F. magno procerum comitatu in Carpetaniam proficiscuntur.

Petrus Monio Præfectus Iustitię Aragonum.

Berengarius Bardaxinus in Ripacurcia terra vir præpotens, atque primarius societati se Monasterij D. Marię, & S. Victoriani addicit: possessionesque nobilissimas, & carissimas donat, quę in Bardaxina valle, & ad S. Maurę a rapinis, ferro, flammisque latrocinantium, & grassantium hominum a se armis vindicati consueuerant. Ab eo Bardaxinorum splendida familia eo nunc robore, & his fulta radicibus effluxit.

Februario mense Naxamę Sanctius Castellę Rex, & Princeps Raimundus eius auunculus ad colloquia congressi, cum inter eos, non de finibus, sed de totius Cęsarugustani Regni, cis Hiberum possessione, quod ab Imperatore Alfonso Ramiri Regis fratre bello partum fuerat, summa impenderet contentio, & iniquis condicionibus ex libero, & iusto regno subditicium, & alienę fidei obnoxium a se constitutum fuisse Princeps obtruderet, de ea controuersia statuunt, atque decidunt: uti vrbes, oppida, atque arces, ditionesque cis Hiberum omnes Principi, posterisque eius addicerentur: supremum dominatum Castellę Regibus, uti subditicij deferrent. Excipiunt, ne iratis, aut pacatis castellę Regibus arces, castellaue tradantur: sed fidei sacramento obtineantur. Conuentum est, cum Castellę Reges diadema suscipiant, selto celebritatis eius die, si Princeps, posteriq; arcessiti essent, gladium vagina vacuum in pompa præferant: ut ea summisio index sit, Castellę Reges summam imperij tenere.

Princeps e Carpetanis regressus Nauarrę finibus acre bellum infert. Nostri Buretam, arcesque aliquot a Nauarris ereptas recuperant: adeoq; hostem commouent, ut Sanctius Rex ad colloquium ex ipsis castris cum Principe congressus sit: belloque sibi super sedendum constituerint.

Richam Augustam, & Sanctiam nurum Princeps in Aragoniam deducit: eaque cognatione domus Aragonia Frederico Imperatori, & Austrię, & Sueuię principibus summo necessitudinis, & propinquitatis vniculo coniungitur.

Lupus Murtiensis populi Rex, & alij finimi reguli Raimundo Principi tributa quotannis conferunt.

Augusto mense Princeps Henrico Anglię Regi amico, & affinitate cōiuncto aduersus Raimundum Tolosatem auxiliares copias mittit. Bellum ambo vna gerunt: & Tolosam oppugnant.

Henricus Anglię Rex, & Princeps Raimundus ad Blauię castellum congressi artioribus fœderum vinculis adiungi cupientes constituunt, uti Ricardus Regis Henrici F. Principis filiam in matrimonium ducat. Anglus doti Aquitanıę Ducatum dicit. His collocatis in Normanniam bellum infert: Princeps vero, & Trencauellus Biterensis in Tolosatibus belligerant.

Ordo sacre militię Vclensis D. Iacobo dicatę institutus. Princeps Motalbanum oppidum, atq; arcem eius societati, atque conuentui dedicat.

Bellum aduersus Baucienses in Gallia Prouincia a Principe geritur. Hostes suis, sociorūq; viribus ad id certamen confurgunt. Turres, & propugnacula

ARRA. NAT. CHR.  
MCCXCIX. MCLXI.

gnacula Arelatis vrbis a nostris diruuntur. Trencataiarum castellum rebellium receptaculum, & totius Prouinciæ præsidium nostris obiectum, machinis Rhodano amne admotis expugnatur, & euertitur. Baucienfes copiaz, atque clientelæ comminuuntur: & dissipantur.

Frederici Imperatoris legati ad Principem missi nuptias Raimundi Berengarij, fratris Principis filij, & Richæ Augustæ Castellæ Reginæ Frederici consanguineæ paciscuntur. Vtrique dominatus, & ditio Prouinciæ honorario fidelitatis iure ab Imperatore attribuitur. Statuit, vt ea obtineant condicione, qua maiores a Druentia flumine, ad nostri maris oras, & Alpium iugis ad Rhodanum possederant: iisdem finibus, quibus terminata fuerant, pacto cum Alfonso Iordane Tolosæ Comite cōuento. Ad hæc adijciuntur eis Druentiam arces: & quæ Auenione obtinuerant. Arelatem præterea vrbem, eodem iure attribuit: receptis ecclesiæ Arelatensi, & Archiepiscopo vectigalibus, & possessionibus, quas intra c. annos obtinuerant. Folcalquerij Comitatus Prouinciæ Comitatu eadem subijcitur cōdicione: & qui eius ditionis dominatur, quod Imperatori non paruisset, neque eius dicto audiens esset, ea deiicitur. Quod Prouincia, & Regnum Arelatense in ditione Romani imperij essent, tributum XV. Marcharum auri ponderis Colonienfis in singulos annos indicitur: eaque vt Imperatori pendantur, paciscuntur. His cōstitutis conuentum est, vt A. D. K. Aug. proximas Fredericus, & Princeps, & Prouinciæ Comes Taurini in congressum, colloquiumque deueniant. Fredericum in Italiam ad ea colloquia proficiscentem comitantur Conradus electus Archiepiscopus Maguntinus, Hermānus Fardensis, Henricus Leodiensis, Vdo Licensis, Hermannus Hildenechumensis, & Vuicio Vercellitanus Episcopi: Hermannus Abbas Helisfeldensis, Fredericus Dux Sueuiæ Conradi Regis filius, Conradus Frederici item Imperatoris frater Comes Palatinus Rheni, Ladislaus Dux Poloniae, Vdalricus Dux Bohemiæ, Albertus Saxoniae Marchio, Otho Palatinus Comes Vvitelinesbachius, Burchardus arcis Magdeburgensis præfectus, Vlricus Hurmingensis, Guilielmus Monferratenfis Marchio, & Manfredus Vasti item Marchio. Cum summa id temporis in Ecclesia Dei, de Pōtificatu maximo orta esset dissensio, pactio ea omnis eo spectat, vt Alexandrum III. Pont. Max. rite ad summū sacerdotij fastigium euēctum sacra apostolatus sede Fredericus deturbet: & Octauiano competitori obtemperetur.

MCC. MCLXII.

Raimundus Princeps, & Raimundus eius fratris F. Prouinciæ Comes quod Taurini cum Frederico Imperatore congressuri erant, cum classis Ligustinam oram teneret Genuæ commorantur. Princeps in grauē morbum cum iter faciens, incideret, ea ægritudine confectus prope Taurinorum vrbem, S. Dalmatij suburbio, Burgum appellant, A. D. VIII. Id. Aug. gloria ingenti naturæ concessit: cuius mortis, cum desiderio principis magni, tum incommoditate temporis, tristis nuntius fuit. Iusta funera, quantum militatibus elogijs funus vllum celebrari potuit, decorantur: & Imperator luctu, non minus quam debitis laudibus, memorabilis principis mortem est profecutus.

A. D. XV. K. Sept. Fredericus Prouinciæ, & Folcalquerij ditiones, vrbemque Arelatensem, priuilegio irrogato, Raimundo Prouinciæ Comiti, posterisque eius confirmat. Insigni, & alte petito procenio vsus testatur,



statu, se pro summis in Richam Reginam consanguineam Principis eius patris meritis gratiam eam referre: perpetuamque illius virtutis esse primum: qui Reginam singulari exemplo, & fouisset, & in honore habuisset. Vetus etiam monumentis proditur Raimundum Comitem Barcinonensem, & Aragoniam Principem ab Imperatore Comitatu Prouinciae donatum: quod Augustam falsae criminationis oblatam suspitione heroica virtute liberauisset.

Raimundi Principis corpus in Cataloniam relatum, in Riupulli coenobio maiorum tumulo sepelitur.

Petronilla Regina cum tutelam filij, & regni administrationem suscepisset, Oream conuentum indicit: vti vltima Principis voluntas, & testamentum pro palam proferantur. Adfuerunt in conuentu Martinus Turiafonensis, & Petrus Casaraugustanus Episcopi: Arnaldus Myro Palliariensis Comes, Peregrinus Castellitiolus, Palazinus Alagon, Marcus Ferricius Lizana, Petrus Lupius Luna, Simon Vreia, Blasus Mazza, alijque proceres. Ex Catalonia in eum conuentum aduenere Bernardus Tarraconensis Archiepiscopus, Guilielmus Barcinonensis, Petrus Aufetanus, Guilielmus Gerundensis, Artallus Helenensis, Guilielmus Perefus Ilerdensis, & Vvifredus Dertofanus Episcopi. Proceres autem Catalani quos Barones ipsi vocant, adfuerunt Raimundus Pogij alti, Guilielmus Ceruera, Geraldus Iorba, Guilielmus Casteluellius, Raimundus Folchius Vicecomes Cardonensis, Bertradius Castelletius, Arnaldus Lercius, Otho Bernardus Roccafortius, Raimundus Tarrogia, & Guilielmus qui Mompelleriae ditionis dominabatur. Regina consensu publico de toto rerum statu consultat: vti certiora omnia de ciuitatum statu sciscantur: & rebus compositis, regni successio fundetur. A. D. II. Non. Aug. Princeps Raimundum Berengarium natu maximum ex liberis regni Aragonij, & Barcinonensis Comitatus, ditionumque omnium a se possessarum instituerat heredem. Caeretaniam terram excipit: quam Petro filio attribui iubet: eo iure, quo Bernardus Guilielmus obtinuerat. Carcafonensem praeterea ditionem, & quam Trencauellus Biteris a se fuerat consecutus, & Narbonensia iura, Ermengardae Vicecomiti sororis filiae a se addicta Petro filio contribuit, ea condicione, vti Raimundo fratri supremum earum ditionum dominium, fidelitatemque deferat: cui ea omnia committuntur, quoad Petrus militiae sacramento, atque auctoramento obstringatur. In Petri demortui locum Sanctium F. earum ditionum heredem supponit: & eos Raimundo, si fato perfungeretur, in hereditate regni, maiorem natu anteferens, substituit. Dulciae F. mentio facta non est: quae Sanctio Portugalliae Regi nupsit. Filios, regnum, ditionesque omnes Henrici Angliae Regis tutelae, atque praesidio subijcit: & quod eius amicitia bona, atque honesta sibi permanisset, & Leonoram Petronillae Reginae consanguineam in matrimonium duxisset, eius fidei committit. Petronillae vero Reginae praestantissimae, & optimae feminae consilio, cum puero tradere statim imperium ausa non esset, omnem regni molem aqua rerum gubernatio, atque procuratio consequitur. Cataloniae rem publicam Raimundus Prouinciae Comes gerit: atque administrat: quoad pueri Regis aetas rebus publicis subuenire possit: cui Raimundi nomine deposito, Alfonsi nomen imponitur.

AERA. NAT. CHR.  
MCC. MCLXII.

Regina, vt regnum filio stabiliat, cum Sanctio Nauarræ Rege XIII. annorum inducias paciscitur.

Lararum, & Castrorum familiæ magnas in Castellæ regno turbas mouent. Sanctio Rege Imperatoris F. fato perfuncto, Alfonso Sanctij F. puerili ætate Malricus Comes, & Aluarus, & Nunnus Peresius ei<sup>9</sup> fratres Larenfes Sorix asseruant: ne Ferdinandus Legionensis Rex patruus puerum in suam deducat potestatem: aut gubernaculis regni manus iniiciat.

Cum extitisset quidam longa peregrinatione transacta, qui in Imperatoris Alfonso nomen inuaserat, quod prælio ad Fragam commisso, nusquam comparuisse ferebatur, & communi fama, atque sermone opinio ea petre bruisset, & clandestinis primo cœtibus celebraretur, mox pluribus, aut rerum nouarum cupidine, aut odio præsentium, ad celebritatem nominis erectis, summo Reginx consilio de medio tollitur: & dementis, & turbulentæ temeritatis poenas reipublicæ luit.

Petrus Metalla Præfectus Iustitiæ Aragonum.

MCCI. MCLXIII.

A. D. XVIII. K. Iul. Barcinone procerum consilio, Regina Alfonso F. qui XII. annum attigerat, Aragoniæ Regni gubernacula tradit. Principis vltimam voluntatem ratam, atque firmam esse statuit. In Besalunensem Comitatum, & Ripensem tractum, quibus à viro donata fuerat, secedit. Regnum filio ad puberem ætatem Reginx matris animi magnitudine incolume mansit: vt plane eius consilij res Aragonia, & paternum, aut tumque regnum puero Regi constiterit.

#### ALFONSVS. II. REX XII. ARAGONIAE.

Aragoniæ regni nomine Oscense, & Cæsaraugustanum regnum cœsentur: & regiones omnes, quæ cum in Maurorum ditione essent, continentibus finibus bello partæ fuere, Dertosani, & Valentini regni ditionibus terminantur.

Conuentus a Rege Cæsaraugustam, in festum D. Martini diem indicitur. Iureiurando sancit, se ex ea die, quoad militiæ auctoramentum profiteatur, quemcunque, qui arces, Castellæue regia tradere renuerit, regno exterminaturum: & honorarijs hereditatibus, & iuribus euerfurum. In eos præterea, qui pacis, aut induciarum iura violarint, maiestatis lege animaduersurum, & bonis eos, & honoribus multaturum edicit. Proceres omnes vt id ratum, firmumque maneat, pro virili parte operam durospondet.

Vuifredus Ruscinonis Comes moritur. Guinardus Comes eius ditionis succedit heres.

Blasco Romæus aulæ reginx præfectus.

MCCIII. MCLXV.

Octobri mense Raimundus Prouinciæ Comes, & Raimundus Tolosæ, & S. Egidij Comes Belicadri congressi, consiliorum omnium, viriumque societate, ac foedere, coniunguntur. Comitatum Folcalquerij, & quæ à Tolosate in posterum bello parta fuerint, certis condicionibus partiuntur. Ditionem eam excipiunt, quam Comes Delfinas mortis tempore obtinuerat. Paciscuntur, vt filia Comitis Prouinciæ Tolosatis filio nubat: mediaque Folcalqueriæ, & Melgoriensis ditionis pars dotis nomine assignantur: cum ea portione, quæ in Auenionensi vrbe Folcalqueriæ ditioni contributa erat.

Guilielmus Despugnolus, bonaque Catalani equitatus pars, cum Murcienfis regni fines incurrisset, Id. Oct. cum hostibus prælio congressi fundun-

funduntur: cædunturque. Equitatus robur, & Guilielmus ductor occumbunt.

ABRA NAT. CHR.  
MCCIV. MCLXVI.

Raimundus Prouinciæ Comes moritur. Vetus rerum Aragonensium auctor tradit, prælio cum Nicensibus commisso, ex acie faucium elatum, ac cepti vulneris plaga fuisse confectum. Rex illico Marchionis Prouinciæ cognomen procerum consilio suscipit: uti a patre, Berengario Raimundo fratre fato functo, factitatum fuerat: & in Prouinciam proficiscitur.

A. D. XVI. K. Sept. Arelate Hualgerius Miliariensis arcem, propugnaculaque Miliariensia tradit. Proceres Prouinciæ se Regi addicunt: quod Raimundus Tolosas ditiones eas omnes inuadere, & uti sponsalia filii Comitis Prouinciæ, ex pacto conuento filio tradantur, summopere adnititur. Nuptias præterea Richæ Reginae ambit. Ea spe commotus, magna belli contentione cum Rege dimicat.

MCCV. MCLXVII.

Trencauellus Vicecomes Biterensis a suis proditus in æde D. Magdalene interficitur. Is Carcafonem urbem a principe Raimundo honorario iure fidelitatis obtinuerat. Rex, quod mortuo Petro fratre eam hereditatē adierat, Carcafonensem ditionem Rogerio Biterensi Vicecomiti eadem fidelitatis conditione tradit.

Iunio mense, Cæsaraugustæ priuilegia omnia Ecclesijs, proceribus, & ciuitatibus, a superioribus principibus irrogata, a Rege sanciantur, atque firmantur.

Sanctius Garcesius S. Eulaliæ Præfectus iustitiæ Aragonum.

Magno conatu Rex bellum aduersus Mauros adornat: ijsque inferitur, qui prope ripas Algafij, Matarraniæ, Lupi, & Calandæ fluminum confederant: & Illegaonum, A Edetanorumque regiones incolunt. Caspe nobile prope Hiberum amnem oppidum, aliquotque castella expugnantur. Alcanicij præsidia, equitatusque firmantur: & fines ad Martini, & Alhambra fluuiorum conualles promouentur.

MCCVI. MCLXXIX.

Pelagius Peresius Vclensis magister A Edetano, & Illegaonensi sacro bello ordines ducit. Petrus Ferdinandus Montalbano præsidio præficitur: præsidiaque ciuitatibus ijs deducuntur, quæ procul a finibus hostium ab erant: & de regionibus hostium depopulandis agitari cœptum.

MCCVII. MCLXXX.

Rex statim K. Ian. religionem Rotensi cœnobio pro cultu suscipit sollempniaque incipientis anni D. Vincentij facello sacris precationibus celebrat. Ab Guilielmo Peresio Ilerdensi, & Rotensi Episcopo, sacerdotumque collegio impetrat, ut D. Valerij caput, qui Diocletiani Imperatoris sæuiente furore, verus Christianæ fidei Antistes, & propugnator inuidus mortem pro Christo sæpe appetiuit, Cæsaraugustam, cuius ecclesiæ diuinus pastor, & Pontifex præfuerat, deueheretur: sacraque ea in æde, eius præfens numen, atque auxilium ciues venerarentur: atque supplices implorarent. Eius voti religione Rex obstrictus Rotense cœnobium Montero oppido donat.

MCCVIII. MCLXXXI.

S. Iohannis Apostoli, & Euangelistæ festo die Regis, & procerum precibus, & eiusdem Episcopi, collegijque consensu corpus beati Raimundi Rorenensis Episcopi, cuius sanctitas viui, & mortui diuinitas, cum diuis enim memoria eius consecratur, quasi quoddam lumen eluxit, festa celebritate dicatum in locum transfertur.

Iaccam Maria Vicecomes Beneharnensis aduenit. A. D. II. K. Mai  
G ij eius



ABRA NAT. CHR.  
MCCIIIX. MCLXX.

eius ditionis, & terræ Gasconia iura, quarum Petrus Gauarretus pater, & Gasto frater obitus tempore potiti fuerant, Regi desert: & fidelitatis sacramento suo, posterumq; nomine sancit: neq; in vllâ familiâ nupturam, ni Regis permissu spondet. Rex se eam regijs subsidijs sustentaturum pollicet. Hereditatē, & honores, quos Mariæ maiores in Hispania a nostris principibus obtinuerant, cōfirmat. Bernardus Oloronēsis, & Guilielmus Lascaresis Episcopi, Beneharnensesq; aliquot proceres iureiurando Mariæ promissa, pactaque firman: eademque Oloronenses, Morlanenses, Aspenses, & Orsalenses populos obseruaturōs, & Gabarrieriam, Mancietiam, & Cadeloniam arces, earum pactionum veluti obfides tradituros pollicetur.

Nondum sopitæ erant inter Castellanos, & Aragonios simulatū veteres offensæ, & bellum inter Alfonsos Reges Turiasonis, & Phari finibus repente commouetur. Calagurrim cum noster castris circumfedisset, Guterrius Ferdinandus Castro, cuius in tutelam Castellæ Rex venerat, obuiam magno comparato exercitu procedens, & Calagurritanis subsidio accurrens, proelio nostros cædit, funditque.

Et si bellū exitiosum à Regibus potentissimis susceptū videbatur, procerū tamē consilio ad S. Facundifesta pace congressi summis fœderum, & amicitia vinculis coniunguntur. Cæsaraugustâ Iunio mēse Castellæ Rex contendit: eaque in vrbe pacta conuenta sanciuntur: obfidiibusque arcibus firmantur. Iura pacis, & belli aduersus principes omnes vna constituunt: & Henricum Angliæ Regem excipiunt: eumque vnū obseruant.

Turiasone Septēbri mēse nuptiæ Alfonsi Castellæ Regis, & Leonore Hærici Angliæ Regis F. summo apparatū, ornatuq; celebrant. Nouam nuptiam ex Aquitanis comitatur Bernardus Archiepū Bardipalensis, Elias Agennensis, & Pictauiensis, Engolismensis, Sanctonensis, Petrogorius, & Vasarēsis Epī: & cōplures proceres ex Anglia, & Aquitania, & Venetia regione, quā Britanniam vocant, & Normānia: quorū hi ceteris præstant. Rodolfus Faya Senescallus Aquitaniæ, Elias Comes Petrogorius, Guilielmus Vicecomes Castri Eraldi, Raimūdu Vicecomes Tartariēsis, Bertrādu Vicecomes Baionensis, Rodolfus Mortinerius, & Ruellus, Vicecomes Castellonēsis, & Bedomēsis, Folchus Engolismēsis, Amaneus Lebretēsis, Arnaldus Guilielmi F. Marzanus, Petrus Motta, Thibaldus Cabotus, Guilielmus Maēgotius, Iaufredus Taunna, & Fulcandus Archiacensis.

Lupum Murtiensem Regem, qui simulatque in Prouinciā Galliā Princeps Raimundus profectus illo arma verterat, ab eo defecerat, & Regi Castellæ se addixerat, tributum dependere renuentē, veterem pactionem obseruaturū, & fœderū iuri pariturum Rex Castellæ repromittit: & stipendia representaturū Guilielmi Raimundi Moncadæ, & Guilielmi Iorbæ procerum arbitrato: qui Principi Raimūdi mandato ea receperant. Rex, si Maurus pactis stetisset, Mazmutorum eius rebellium partes deserturum, neque eis auxilia submissurum pollicetur.

Petrus Ruizius Azagra a Lupo Maurorum Rege, cui magnis fœderū, & amicitia vinculis coniunctus erat, Albartazinō vrbe montosis locis, & situ præmunita, & eius ditione, quæ Turia, & Tagi ripas attingit, donatur. Eam vrbe, eiusque propugnacula firmissimis præfidijs tenet: nullo eius ditionis supremo dominio, potestateve Regibus Aragonia, aut Castellæ recepta: seque summa confidentia, quod nullius imperio pareret, subditi-

cium

cūm hominem D. Mariæ Albarrazini appellat. Auctore Hiacinto Cardinali S. R. E. apostolico legato, & Episcoporum Toletanæ provincie consilio Episcopalis sedes ea in vrbe constituitur: quæ haud longe à Segobrigensis vetustæ sedis vestigiorum ruinis disiungebatur.

Bellum aduersus Mauros Alhambra, & Turia fluminum continentibus Celtiberum, & AEdetanorum regionibus geritur. Multa castella aut deleta hostiliter, aut expugnatis præsijs integra in Regis potestatem venerunt. His in fidem acceptis, ad alias deinde gentes peruentum est: & earum finibus in deditiōem redactis, arcibus præsidia imposita. Magnæ inde prædæ actæ sunt, pecorum, armentorumque. Turolium nobile in primis oppidum Turia flumini impositum Regi deditur.

Mauri Pratenfes, qui montibus, & siluestribus locis dissipati, eorū asperitate freti rebellionem fecerant, cæduntur: atque pelluntur.

Guilielmus Aquilonius Roberti Principis F. qui Oldegario, & Bernardo Archiepiscopi honorario fidelitatis iure Tarraconis vrbis, eiusque territorij principatum obtinuerat, quinta parte antistiti, & ecclesiæ recepta, cum ab Hugone Ceruilionio Archiepiscopo de principatus ditione, ac contentione disideret, A. D. X. K. Mai consceleratus, & impius Hugonem obruncat.

A. D. V. Id. Aug. cum subita cælo, & Cauni montis iugis imbrium tempestas coorta esset, sæuique procellarū turbines existissent, & cōtinui imbres cæpis omnibus inundarēt, strages magna edita Turiasonenfi agro cladem intulit. Postero die D. Laurentio sacro à monachis Verolensibus nouum cœnobium a Petro Ataresio conditum incoli ceptum.

Cum profligatū bellū esset, qua Aragonij regni finibus hostes continebantur, & alterius belli fama, & cura exoriretur, quo Valentini regni regiones nostri persequerentur, Turolin AEdetanorū regione, incurrendis hostium finibus tamquam propugnaculū, præsidiumque eius provincie à Rege constituitur: & veteranos milites, coloniamque eum in locum deduci imperat. Oppida Turolia ciuitati contributa Valentiam versus sine Aragonij imperij statuit. Berengario Entenza de more Turolium honorario iure attribuit. Incolis vetustum Sepuluegæ Areuacorum oppidi forum a Comitibus Castellæ irrogatum sancit: easdemque leges condit. Victi omnes in ditionem, nomenque Aragonium concessere.

Sanctius Garcesus S. Vincentij Præfectus iustitiæ Aragonum.

Extrema cūm hieme bellum Rex apparasset, & Lupus Murtiensis Rex decessisset, incunte huius anni vere suscipit. Exercitum Cæsaraugusta Februuario mense in expeditionem educere parat.

Mense Martio Cæsaraugustæ Guilielmus Moncada fidem suam Regi se præstaturum spondet, & supremi dominatus ius delaturum in Benecharnensibus ditionibus, quas suo, aut liberorum iure assequi posset. Rex Guilielmo repromittit in eis ditionibus adipiscendis opem laturum: & sub ditionem, potestatemque regiam Guilielmum suscipit.

Rex ad expeditionem paratus, cum exercitum AEdetanorum finibus eduxisset, Valentiam, cum aliquot oppida improviso nostrorum aduentu opprimerentur, circumfidet. Cum ante mœnia Rex castris permunitis cōfedisset, equitatus opimam, & fertilem regionem, quæ varietate fructuum, & amœnitate, & maritima, & mediterranea ab Pyrenæis montibus ad Ga-

G iij ditanum

AERA. NAT. CHR.  
MCCCLXX.

MCCIX. MCLXXI.

MCCX. MCLXXII.

AERA NAT. CHR.  
MCCX. MCLXXII.

ditanum fretum, fama sui nominis implet, igni ferroque depopulatur. Ci-  
uibus se Regi addicentibus, vrbs per pactionem integra, atque inuiolata,  
ab omni clade belli manet. Stipendijs exercitui persolutis, tributa in sin-  
gulos annos pendere pollicentur. Rex in Setabitanum agrum omnem bel-  
li molem transfert. Urbem Maio inito mense oppugnat.

Sanctius Nauarræ Rex, cum copiæ regiæ omnes Aragoniæ, & Rex ipse  
in intimam Contestanorum regionem penetrauisset, adductaque res pu-  
blica in maximum periculum, & extremum pæne discrimen videretur,  
indutiari iure violato, magno cõparato exercitu Aragoniæ fines incurrit.

Rex pactis cum Mauris indutijs, ac solutione tributorum Murtiensium  
non impedita, cum de ea re Murtiensium Rex cauisset, atque idem obse-  
quium Regibus Aragoniæ se præstaturum spondidisset, in Aragoniam re-  
greditur. Catalanorum vexillis dimissis, quod Regis Nauarræ auxiliari-  
copijs bellum augetur, militares omnes Aragoniæ manus cogit: & hosti  
obuiam procedit. Nauarrus eo cõ cursu cauet, ne prælium ineat: & dimis-  
so exercitu præsidia firmat. Nostri Tudelæ finibus incurfantes, quacum-  
que incedunt, vastitatem efficiunt: oppidum, arcemque Arguedarum ex-  
pugnant: præsidium illis, & confinibus oppidis relinquitur.

Petrus Ruizius Azagra bellator in primis dux, non apud suos solum,  
sed etiam apud externos clarus, & in omni fortuna pace, belloq; princeps,  
Albarrazini oppidi, arciumq; potitus, singulari, & incredibili virtute præ-  
stans, se, suaque inuitis Castellæ, & Aragoniæ Regibus tuetur: neque vlli  
eorum aut addicitur: aut obtemperat. Reges alioqui potentissimi, & maxi-  
mi, vt eum ditione pellant obsidibus, castellisque traditis inter se compa-  
rant: & foederum pactione adiunguntur: ac bellum vna priuato homini in-  
ferunt. Albarrazinum pacto inter eos conuento, ditioni, & Aragonio re-  
gno contribuitur. Reliquæ vero arces, atque oppida. Castellæ dominatui  
addicuntur. Præterea aduersus Nauarræ Regem, qui Azagræ studet, foedere  
quoque vincuntur. Harum pactionum causa Farizam oppidum, atque ar-  
cem eorum finium munitissimam Rex Alfonso Castellæ Regi tradit.

Hugo Emporitanus, & Guinardus Ruscinonensis Comes decessere.  
Guinardo Gerardus Comes succedit heres: eoq; fato perfuncto; ea ditio  
Regi obuinit.

Bertrandus Melgoriensis Comes Decembri mense fidelitatis sacramen-  
to se, ditionemque Melgoriensem, atque arcem Regi addicit: quæ res ma-  
gno adiumento Prouinciali bello fuit: quod Rex aduersus Raimudum Co-  
mitem Tolosatem, super eius ditionis iure, atque hereditate gerit.

Petrus Ferdinandus Castrensis Præfectus Iustitiæ Aragonum.

MCCXI. MCLXXIII.

A. D. III. Id. Octob. Petronilla Regina Barcinone e vita excedit. In  
æde maxima Barcinonensi sepelitur.

Raimundus Folchius Cardonensis Vicecomes subita defectione, & alie-  
natione eorum, qui ab eius dominatu descuerant, interficitur.

MCCXII. MCLXXIV.

Aragoniæ, & Castellæ Regibus disinctis, & animo, & voluntate dissi-  
dentibus, cum conuentum esset, vt Rex Emmanuelis Constantinopolita-  
ni Imperatoris filiam in matrimonium duceret, & Mompellerium regio-  
comitatu deducta esset, Rex ad pactas antea a patre Sanctiæ Alfonso Im-  
peratoris, & Richæ Augustæ filia nuptias deuoluitur: & Emmanuelis F.  
Guilielmo, qui Mompellerij dominabatur, nubit.

A. D.

A. D. XV. K. Feb. Casaraugustæ sollemnia nuptiarum, quibus Rex Sanctiam Imperatoris Alfonfi, & Richæ Augustæ F. duxerat, magnificentissimo apparatu, & gratulatione innumerabilium legationum celebrantur. Ea die militibus insignibus, & militiæ sacramento, assidente Hiacintho Cardinali S. R. E. legato, qui in summi apostolatus principatum euectus Cælestini nomen edidit, auctoratur.

AERA. NAT. CHR.  
MCCXII. MCLXXIV.

Cum lacesiti nostri causam belli haberent, aduersus Sanctium Navarra Regem Iulio mense geritur. Milagrū oppidū expugnatur: diruiturq;

Simon Artufella Aulæ Regiæ Præfectus.

Aragonæ, & Castellæ Reges, qui Pompelonenfi regno imminet, cum aut ipsi bellum semper mouissent, aut inferentibus tulissent auxilia, aut causa armorum essent, delectu intentius, quam ad finitima bella habito, duraque conquisitione cum exercitus conduxissent, Navarra fines inuadunt: omnia vastant, atque diripiunt. Leguinam arcem munitissimam vi expugnant.

MCCXIII. MCLXXV.

Rex de procerū suorum sententia Manfredo Marchioni Buschæ, Mobilis Comitis Buschæ filio Drolam, eiusque ditionis fines, & supra Drolam quidquid Longobardiæ finibus terminatur, honorario fidelitatis iure, atque sacramento attribuit. Manfredus se Regi pacis, ac belli iuribus subijciens, uti Prouinciæ Comiti addicit.

MCCXIV. MCLXXVI.

A. D. XIII. K. Mai Rex, & Raimundus Tolosatum Comes in insula Gernica Tarasconi, & Belicadro interiecta ad colloquia congregiuntur. Super eo iure Prouinciæ, quod Tolosas sibi dotis, ac nuptiarum filia Comitis Prouinciæ nomine, quæ Tolosatis filio Regis permissu nuptura erat, sibi arrogauerat, inter se pepigere. Neque de Prouinciæ tantum ditione, & Aimilianensis Comitatus iure contenderant: sed Gabaldanâ etiam ditionem, & Carladesiam Tolosas repetit: quarum dominatum filia Prouinciæ Comitis, & Richæ Augustæ matri attribui debere Rex contendit. Apud Hugonem Iaufredum Templariorū militia magistrum committunt: arbitris honorarijs adiunctis Raimundo Moncada, & Arnaldo Vilademulio, qui regia iura tueantur: & Narbonensi Vicecomite, quæ Tolosatis partes sibi tuendas susceperat. Deciditur ea contentio: ac Tolosas ius omne Prouinciæ a se repetitum remittit: partitionisque eius iura agnoscit, quæ Alfonsus Comes Tolosas, & Raimundus Berengarius Comes Barcinonensis Regis auus vti fuerant: recipiuntq; Tolosas Gabaldanam terram, & Rex Comitatum Melgoriensis: uti ius suum quilibet repetere, & lite, atque iudicio persequi possit. Huius concordie causa Rex se III. M. C. argenti marchas Tolosati persoluturū spondet. Dum pecuniæ dies venerit arcem Alberonis, atq; Comargem insulam, quæ in vtriusque ostij Rhodani aditum proiecta est, pro pignore tradit. Neque Tolosatis filius Comitis Prouinciæ filiam ducit: sed Beatricem Trencabelli Biterensis Vicecomitis sororem in matrimonium sibi collocat.

MCCXV. MCLXXVII.

Maiο mense, ut in antiquis annalium monumentis inuenimus, Sanctia Regina, viro in Prouinciā Gallia pacanda, ac moderanda distento, propugnacula, atque arces omnes Ripacuriæ terræ, in suam potestatem, ditionemque redigif.

Castellæ, atq; Aragoniæ Reges Concham Celtiberū nobilem urbem, excelso, atq; arduo colle sitam, ad Sucronis ripas obsident. Oppugnâdo,

G iiij quod

AERA. NAT. CHR.  
MCCXV. MCLXXVII.

quod neq; commeatus ex montibus inuedi, neque auxilia intromitterentur, & subsidia firma, ne qua eruptio fieri posset, opposuissent, ad ditionem subegere. Vrbs a Mauris Regi Castellæ traditur. Ex ea tempestate Aragoniæ regnum liberum, atque immune Regi, posterisque, ab eò dominatu, quem Raimundus Princeps Regis pater Sanctio Castellæ Regi detulerat, permanfit: atque in sua potestate, ac ditione, & imperio versantur.

Cum super Molina oppido, summa inter Aragoniæ, & Castellæ Reges contentio suborta esset, atque Malricum Larensem Comitem, vtriq; magna necessitudine coniunctum arbitrum delegissent, & is ex vtriusq; regni finibus partes subduceret, atque subtraheret, vtrunq; siue probroso, siue urbano iudicio illudens, urbem, ditionemque eam sibi adiudicat. Iura, leges, agri, libertas Molinensibus ciuibus relicta. Malricus, vt Petrus Portugalliæ Comes Dionysij Regis F. est auctor, Hermefendam Aimerici Vicecomitis Narbonensis filiam vxorem duxerat: liberosque suscepit Petrum Molinæ Comitem: & Mofaldam, quæ Alfonso Portugalliæ Regi nupserat.

MCCXVI. MCLXXIIIX.

Capta Concha pari subinde periculo, gloriæque euentu Rex bellum in Contestanis intermissum aduersus Mauros gerit: & Ilorcitanū agrum incurrit. Octobri mense Turolium regreditur. Comes Alfonso Siculus Siciliensem classem Guilielmi Siciliæ Regis nomine Regi pollicetur: qui Balearicum aduersus Mauros bellum parat. Gerardus Ruscinonenfis Comes nullis superstitiis liberis decedit. Rex Perpiniarum Iulio mense contendēs, omnibus iureiurando adactis, arcium eius ditionis potitur: & Aragoniæ se Regem, Barcinonensem, & Ruscinonensem Comitem, & Marchionem Prouinciæ appellat.

MCCXVII. MCLXXIX.

Cum bellum passim, & AEdetanorum, & Contestanorum regionibus aduersus Mauros Rex circumferret, Moruedrum oppidum, ad Sagunti veteres muros obsidet: validum in primis, & arcium propugnaculis, quo se regionis eius fusæ copiæ contulerant, munitissimum. Inde Contestanorum regionem incurrens in Baticam traicit. Cazola cum Castellæ Rege Alfonso congregitur. Ne noui fines statuerentur, sed obseruarentur veteres bellicis in expeditionibus aduersus Mauros, A. D. XIII. K. Apr. eo in oppido, nouis foederum vinculis adiuncti, paciscuntur, vt Valentini regnum, Setabis, Biarium, Dianienseq; regnum Aragonio cedant: vltra Biarientem vero saltum oppida, atque ditiones Regi Castellæ attribuantur. Aduersus Nauarræ Regem, eius regni pactione foedera icunt. Ea foedera Regis Castellæ nomine spondent Petrus Arazurius, Gomecius Garcias Regius signifer, & Tellus Perefus: Aragonij Regis iusurandum sacramento sanciant Sanctius Horta Aulæ Regiæ Praefectus, Artalus Alagon regius itidem signifer, & Cæsar Augustanus, Episcopus. Castellani Logronium, Nauarretum, Granionem, Virouelcam, aliaq; oppida, quæ Nauarræ ad Aucenses vsque montes obtinuerat, expugnant.

Vix foedera iunxerant, cum pacta conuenta a Castellæ Rege franguntur: & cum Aragonio acriter decertat.

Quod Castellæ Rex Farizam inuito Rege retineret, & nomine pacis bellum inuolutū esset, & Osca cōuentus agerentur, Berengarius Ilrdenfis Epus, & Montis Aragonū idem Abbas Regis frater, & Raimūdu Moncada ad



cada ad Castellæ Regē legantur: atq; id oppidū repetunt. Hortantur præterea, vt ab inferendo bello Ferdinando Legionensi Regi patruo desistat: alioqui se bellum repetitis rebus denūtiare testantur: indicuntque: atq; prouocant. Legionensis non Aragonij modo Regis auxilia, sed Portugalensis, & confinium Maurorum vires, atque arma concitat. Castellani finibus nostris excedunt. Fariza Regi in antiquum statum restituitur.

Sanctius Hortæ aulæ Regiæ Præfectus.

Sanctius Tobias Præfectus iustitiæ Aragonum.

Rogierius Biterensis Vicecomes Sauræ filius, qui Trencabello patre vita functo summa leuitate Carcafonem urbem Raimundo Tolosani traderat, Regi se, ditionemque omnem dedit: atque addixit. Mineruæ præterea arcem tradit.

A. D. IIII. Non. Nou. Rex Carcafone honorario fidelitatis iure Carcafonem, & eius ditionis arces, Lauracum, & Lauracensem tractum, Rhodam, Linosum, Saltum, & eius territorij propugnacula, Thermas, & Mineruæ arcē Rogerio condonat. Si Rogerius nullis supersticibus liberis decederet, Rex illi in his ditionibus Raimundum Trencabellum fratrem eiusdem condicionibus substituit.

Nouembri mense nostri Bilielem arcem Turix flumini impositā vi expugnant. Oppida omnia, atq; confinia, quæ Aragoniæ Regū imperio continebantur, & Mauri ad eam diem armistueri poterāt, ab impijs hostibus vindicantur: atq; in eos fines, quibus Rex imperiū protulerat, tractū omnem a Pyrenæi iugis Aragoniæ nomine censuere: cum regni initio Aragonia terra tam angustis finibus contineretur, vt vix xvi. M. P. ab Aragonis annis ripis includatur.

Farizæ Martio mense Rex Alcaniciū militiæ Calatrauensi, & Martino Ruizio Azagræ eius ordinis magistro donat: ea lege vti eius ordinis viri aduersus Mauros regiam militiā obeant: eiusq; pacem, atq; indutias obseruent. Ea res procerū regni Blasci Romæ, qui Casaraugustæ dominatur, Artalli Alagonis, Blasci Maza, Simonis Romæ, Petri Ortizij, Simonis Vrræ, Petri Castellitoli, Michaelis S. Crucis, Petri Latronis, Petri Sosij, Gombaldi Beneuentani, Marci Ferricij, Fortunij Stadæ, Peregrini Castellitoli, Sactij Hortæ aulæ Regiæ Præfecti cōsilio, ac cōsensu sancit.

Rex ad externū bellū profectus, in prouincia Gallia, aduersus Arnaldum Athonem Nemausensem Vicecomitem, vniuersam eam gentem ad arma conciuuit: quod supremū eius ciuitatis dominatū, & arcū eius ditionis potestatem Regi non deferret: vt maiores Barcinonensibus Comitibus detulerant: atq; præstiterant. Is cum respuisset, Biteris Octobri mense Nemausum urbem, & eius ditionis arces Regi tradit.

Sacro resurrectionis domini die Bertrandus Baucius ex insidijs, scelere a suis interimitur: qui in terra Gallia præpotēs, prouinciali bello Regi se, aduersus Raimundum Comitem Tolosatem, & S. Egidij addixerat: atque inasserenda, atque vindicanda ea ditione egregiam operā nauauerat. Nam cum Alberonensi in arce Rex esset interclusus, fidei, & præstanti eius opera ex periculo est ereptus: bonāq; eius ditionis partem Regi traderat. Eius vlcisē di causa, vt supplicium de sceleratis proditoribus sumat, Rex in Prouinciā proficiscitur. Morullū castellū obidet, atq; expugnat. Acre bellum aduersus Tolosatem geritur: pluraque oppida diruuntur.

Tertia

ABRA. NAT. CHR.

Tertia Dertosa vrbis pars a Rege Templariorum militiæ, & eius magistro condonatur.

MCCXXII. MCLXXXIV.

A. D. III. Id. Aug. cum Ermengaudus Vrgellitanus Comes, & Galcerandus Salas eius frater Valentini regni oras, magno comparato equitatu incurrisent, neq; præda parta, equitum turmas retinere possent, dissipati, & palantes prope Requenam cæsis, profligatisq; copijs a Christianis interimuntur. Stephania soror eorum, Arnaldo Myroni Palliarenfi Comiti nupsit.

MCCXXIII. MCLXXXV.

Februario mense Raimundus Tolosatum Comes pactiõnem eam firmat, quam Regi in insula Gernica sanxerat: adiicitq; bona fide ei præsto ad futurum aduersus omnes, qui ex saltu Clusensi ad Alpes, & in Cadurcorum, ac Tolosatum regione rebellionem facerent. In prosequendo iure, quod ambo in Auenionensem ditionem obtenderant, fœdere adiunguntur. In eo fœdere ita edicunt, vt Francorum, & Legionensium Reges, & Folcalquerius Comes nominatim amici excipiantur.

Mense Aprili Rex, & Ricardus Pictonum Comes Angliæ Regis F. magno propinquitatis vinculo coniuncti Naiaco ad colloquia congregiuntur. Sua aduersus Tolosatem fœdera icunt. Ricardus id ius, quod in Carcafonensem ditionem prætenderat, & in eam regionem, quam Rogerius Biterrensis, ac Trencauellus eius frater obtinuerat, Regi remittit, atq; cõdonat.

Alfonfus Portugalliæ Rex, cum supra nonagesimum annum vitam perduxisset, summam & bellicarum rerum laudem, & regni a se fundati gloriam consecutus A. D. VIII. Id. Dec. e vita excedit.

MCCXXIV. MCLXXXVI.

Petrus Ruizius Azagra incredibili animi virtute, ac robore, & laudis gloria concitatus Albarraziniensem ditionem, inuitis, & repugnantibus Aragoniæ, & Castellæ Regibus armis tuetur, ac sustinet: neq; in animum inducit, vt alterutri eorũ, regij sue imperijs, & potestatibus pareat: adeoq; se in vtramq; partem strenue versat, vt alterius ope, aduersus alterum bellum gerat: & vtriusq; fœderatam potentiam inuictõ animo propulset. Ianuario mense Agredæ Reges congregiuntur: atq; in ter se comparant, ne auxilia Azagræ clam, palamue submittantur: neque eum, fratresue eius recipi patiantur: & Gonzaluum Ruizium Azagram eius fratrem excipiunt, Castellæ Regi subditicium hominem.

MCCXXV. MCLXXXVII.

Februarij mēsis initio Gasto Beneharnēsis Vicecomes Regē Osce inuisit: seq; , ac Beneharnēsem, & Gasconię ditionē Regi fidelitatis sacramēto subijcit: & ab eo dominatu aliquot oppida excipit, quæ Ricardo Pictonũ Comiti parēt: qui Henrico patri Angliæ Regi paullo post succedit heres.

A. D. VI. Non. Oct. Saladinus Vidone Lusiniانو Hierosolymitano Rege prælio deuictõ, & capto, Sanctæ Hierosolymorum ciuitatis potitur: nam cum hostis rerum omnium præpotens vndique vrgueret, pij circumuenti, cæsiq; sunt.

Raimundus Castellitiolus Cæsaraugustanus Episcopus.

MCCXXVI. MCLXXXVIII.

Osce conuentus a Rege anni initio peraguntur. Sanctij Portugalliæ Regis legati Cæsaraugustæ Regem conueniunt: vetustorumque fœderum, ac pactiõnum commonent.

Petrus Sefesius Præfectus iustitiæ Aragonum.

MCCXXVII. MCXC.

A. D. VII. Id. Sept. Aragoniæ, & Nauarræ Reges Borgië in cõgressum, colloquiumq; deueniunt. Fœdera aduersus Castellæ Regem oppidis, atq; arcibus

arcibus traditis icunt: quæ Petro Ferdinandio Azagræ cõmittenda erant.

AERA NAT. CHR.

Montanianam Ripacurciæ arcem Rex obsidione ad deditiõnem cogit: coactique incolæ præsidia in loca munita accipere.

Legati Sanctij Portugalliæ, & Alfonsi Legionensis, & Galleciæ Regum Oscæ Regem Sanctij affinem conueniunt. Fœdus inter Reges istum Maio mense iureiurando sanxere: eorumque amicitia, ac societate fides deuincitur. Aequo pactionum iure aduersus Alfonsum Castellæ Regem astringuntur.

MCCXXXIX. MCXCI.

Cum Rex Pontium Capreram, aduersus Ermengaudum Vrgellitanum Comitem, in hereditaria controuersia enixe fouisset, Comitem ad sepellit. Tarracone Aprili mense ditionis Ilerdensis iura, & oppida a Principe Raimundo Comitis patri condonata sancit, atque confirmat.

MCCXXX. MCXCII.

Septembri mense Rex Gastoni Beneharnensi, qui Bernardi Conuenarum Comitis filiam, Centulli Bigeronum Comitis neptem in matrimonium duxerat, ea Regis erat confobrina, Comitatum Bigeronum, ditionisq; eius suprema iura dotalia, tradit. Ea condicio, ac lex constituitur, uti Regi integra restituantur, si Gastonem nullis superstibus liberis decedere contingeret. Vallem præterea Aranam, suis terminis circumscripam, quam Garunna amnis præterfluit, quæ Pyrenæi iugis continetur, Rex sibi, posterisq; suis Regibus recipit, atq; addicit. Lerdx castelli potestas, ceterarumq; Bigeronum arcium, a Vicecomitibus Beneharnensibus Regi, posterisque eius, siue irati, siue pacati sint, ut Hispano more tradantur, sanxit.

Rex Oscæ Martio mense Caspe, ad Hiberi amnis ripas nobile AEdetanorum oppidum Hospitalis Hierosolymitani militiæ, & Ermengaudo Aspx eius ordinis Magistro donat.

MCCXXXI. MCXCIII.

A. D. XI III. K. Apr. Guilielmus Raimudus Moncada, sacrilegæ inmanitate efferatus Berengarium Vilademulium Tarraconensem Antistitem interimit.

MCCXXXII. MCXCIV.

Sanctius Nauarræ Rex summa virtutis præstantia princeps, qui sapientis cognomen habuit, Iunio mense decedit.

Rem Hispanam nouus circũsteterat metus totius Maurusiæ, & Numidæ gentis Baticam licentius pertupentis. Iucessus Mahozemutus Abdelmonis nepos, qui Almohadum Sarracenorum in Africa ductor totius gentis imperium obtinuerat, cum exactis Almorabidibus & ad internecionem reductis, expugnata Hispali, Baticæ prouinciæ late, longeq; potiretur, Marianis montibus transcens in Oretanos, & Carpetanos bellum pijs gentibus infert. Alfonsus Castellæ Rex, magni alioqui animi princeps, cum se plures annos ignauitæ, atq; desiditæ dedidisset, & luxu animum infecisset, omnibus imminetis periculi metu defixis, subito ad tantam belli molē confurgens, ut hostium impetus, ferociamq; cõprimeret, ad Larcurim vicum, urbem opulentam quondam, & nobilem prælio decertans, A. D. XV. K. Aug. victus, ac profligatus in extremum pæne discrimen seq; reque publicam deduxit.

MCCXXXIII. MCXCV.

Hoc anno cœnobium Cistertiensis ordinis in Celtiberis Petrinum nuncupatum summa loci amœnitate cõstitui, quo cataractæ fluuium insigni spectaculo excipiunt, qui per arduas, excisasque rupes insurgit, a Ferdinando Aragonio Casaragustano Archiepiscopo, qui se ei conuentui expresso Alcaniciensi dicauerat, memoriæ traditur, Fluius inde Petrinus cognominatus infra Bilbilitanorum aquas in Salonem influit.

Ilerdæ

AERAE NAT. CHR.  
MCCXXXIV. MCXCVI.

Ilerdæ Aprilis mense Rex Gilberto Horallo Templariorum militiae transmarinis in prouincijs Magistro, & Pontio Rigaldo Franciæ, Arnaldo Claramontio Galliæ prouinciæ, & aliquot Hispaniarum prouinciæ eius ordinis præfectis, & eorum militari conuentui Alhambræ, & Horreorum castella, & Cidiarcem, quam Pennam Cidi vocabant, donat.

Cum superiores Reges ex minimo, tenuissimoque regno robustum, & valens, florensque reliquissent, Rex in Gallia Aragonum nomen & vrbi- bus, & nationibus ingenti gloria propagauit. A. D. VII. K. Mai. Perpini moritur. Petrum ex liberis natu maximum Regni Aragoniæ, Cataloniæ principatus, Ruscinonensis, & Paliariensis ditionum heredem instituit: ciuitatesque eas omnes attribuit, quæ Biterensium finibus, & Aspèsi saltu continentur. Alfonso Prouinciæ, Aimiliano, Gabaldano, & Rhodensi Comitibus donat: atque id ius contribuit, quod in Mompellerensis ciuitatis ditione obtinuerat. Ferdinandum sacris initiari instituto D. Bernardi Cisterciensis ordinis, in Populeti cœnobio, sepulchris Regum dicato, quod ipse ex ædificauerat, & pater condiderat, iubet. Quatuor filias susceperat: Constantiam, quam Emerico Hungariæ Regi collocauerat: Leonoram, & Sanctiam, quæ Raimundis Tolosatibus comitibus patri, ac filio nupsere: & Dulciam, quæ Xi Xenensi cœnobio, ad Canadris fluminis ripas constructo inter virginum cœtus colendis sacris præfuit. Petrum, quoad xx. annum ageret, Sanctiæ Reginæ parenti in tutelam tradit. Ad Populeti sepelitur.

Pestis, & fames funesta calamitosa hoc anno magnam in Catalonia vastitatem efficiunt.

#### PETRVS. II. REX. XIII. ARAGONVM.

A. D. XVII. K. Iun. Cæsaraugustæ Petrus, & Regina mater ex equis funeris Regij profecuntur: supremisque illius funeribus plures, exquisiti que honores additi. Illo ipso die iustis funeribus cōfectis Petrus fora, vsus, mores patrios, institutaque maiorum, & irrogata priuilegia regni ab Imperatore Alfonso, Ramiro Rege eius fratre, & Raimundo Principe sancit: atque confirmat.

Septembri mense Darocam conuentus indicitur: cui Regina Sanctia cū Petro præfuit. Regina, & totius conuentus permissu, maximoque applausu Petrus regiam hereditatem adit: & regale nomen suscipit. Deno fora, mores, atque priuilegia iureiurando, de more sancit. Adfuere eo in conuentu Raimundus Castellitius Cæsaraugustanus, Garcias Frontinus Turiafonensis, Gombaldus Ilerdensis, & Ricardus Oscensis Episcopi: & ex proceribus Ferdinandus Ruizius Azagra, Guilielmus Castellitius aulæ Regiæ Præfectus, Petrus Latio signifer, qui Turoli dominabatur, Artallus Alagon, Petrus Cornelius, Simon Cornelius, Berengarius Entenza qui Calataiubij dominatum obtinuerat, Petrus Simenius Virea, Simon Rada, & alij proceres. Fortunio Capitoni Hospitalis Hierosymitani in Aragonia magistro oppidi, atque arcis S. Petri prope Calandam donationem firmat: quæ ab Alfonso rege patre testamento sancita fuerat.

Rex honores, ac militaria beneficia, & arcium præsidia, ac potestates suscipit: & in manus sumit: vt in quos proceres deceret, quemadmodum sibi libitum erit, partiatur: cum propter ætatem alieni etiam tum arbitrius esset.

Iuceffus

Iuceffus Maurorum Imperator ad perniciem profligatis Larcunitano proelio, ac p̄ne ad exitium deductis rebus, horribilem belli formidinem, atque impetum in Carpetanos infert. Cum plura castella expugnasset, pluraque vastasset, & eam regionem depopulatus esset, Toletanique diutius obsidionis damna sustinuisent, in Celtiberiam transgressus Cōcham obsidet. Obsidione omissa, depopulata Carpetania, & magna illata calamitate hostes finibus nostris excessere.

ÆRA NAT. CHR.  
MCCXXXIV. MCXCVI.

Rex copias omnes militares Darocæ cogit: vt affecta, & prostrata republica, cum exercitu subsidio accurrat. Ambo Reges pulsus Mauris Carpetanos montes transeuntes, bellum Alfonso Legionensi Regi inferunt: & Vettones, atque Astures incurrunt.

Guilielmus Castellitiolus Regiæ aulæ præfectus.

Ermengaudus Vrgellitanus, & Raimundus Rogerius Fuxensis magna armorum contentione inter se decertant. Non Pyrenæi impendentis vasti saltus obstitere, quo minus Fuxensis Vrgelletum obsidione premat: vi expugnet: atque diripiat: quorū etiā factionibus Catalonia bello flagrat.

MCCXXXV. MCXCVII.

Simon Cornelius aulæ regiæ præfectus.

Initio regni, cum magna inter Regē, cuius alioqui mirifica indoles virtutis apparebat, & Reginam parentem & obtrectatio inuidiæ, & malevolentia coorta esset, summeque inter se disiderent, A. D. II. K. Oct. Farizæ cum Castellæ Rege ad colloquium perueniunt. Paciscuntur, vt Regina Farizæ, Embiti, & Epilæ arces filio tradat: quæ cum externi regni finibus propinquæ essent, haud leuis causa suberat, vt inde grauis oriretur suspicio: & intestinū odium cum acri disidio existeret. Apparebat enim Reginam liberos aditus, atque exitus ex Castellanis regionibus cōparauisse.

MCCXXXIIX. MCC.

Leonora Regis soror Raimundo Tolosati nubit.

Cum Rex pacta cum regina conuenta, fœdera que, siue mobilitate, & leuitate animi, seu iuuenili licentia, aut prauis consultoribus inductus, fregisset, & rursus intestinis seditionibus lacerarentur, interuētū Berengarij Entenze, Guilielmi Castellitioli, Garcia Romæi, Guilielmi Cardonæ, Alberti Casteluellij, Raimundi Vilademulij, Raimuudi Gurbij Templariorum Magistri, Simonis Labatæ Magistri Hospitaliariorum Ampostæ præfecti, Simonis Cornelij, Garcia Orticij, Artalli Alagonis, Petri Sefesij, Michaelis Luesiæ, Arnaldi Palatini, Arnaldi Foxani Darocæ Nouembri mense ad colloquium congregientes, obsidibus vltro, citroque datis, fides reconciliationis firmata est: & in pristinam concordiam reducuntur. Iuris iurandi religione proceres ij obstringuntur, Regem, parentem, vt parerat, obseruantia, cultuque, & honore reueriturum: neque oppidorum, aut arcium, quæ a Rege viro traditæ illi fuerant, possessione exclusurum: atque in ea, regio præsidio perman suram. Arcium earum præfecti Regiæ iussu, Regi se irato, aut pacato parituros, atque eius imperio obtemperaturos, fidelitatis sacramento obtestantur.

MCCXXXIX. MCCI.

A. D. XIII. K. Iul. Agramontensi campo Raimundus Ceruera, ex proceribus Catalanis vir primarius, & Agramontensis ciuitas armis confligunt. Ceruera cum IIII. M. peditum ordines duceret, & aliquot equitum loricatorum turmis decertaret, ab CCC. peditibus profligatur: atque deuincitur.

MCCXL. MCCII.

K. Nou. monachi instituto D. Bernardi deuoti, qui prope Iuncariam,

H Cæsarau-

AERA NAT. CHR.  
MCCXL. MCCII.

Cæsaraugustano in agro Cœnobium condiderāt, Rotam, ad Hiberi ripas, e regione Scatronis oppidi, quo ab Alfonso Rege donatiferant, emigrāt.

A. D. IIII. Non. Nou. Guilielmus, qui Mompellerij dominabatur, decedit: Maria vnica filia herede relicta.

MCCXLI. MCCIII.

A. D. III. K. Mart. Raimundus Rogerius Fuxensis, Arnaldus Castell bonus, & alij eius factionis Catalani proceres ab Ermengaudō Vrgellitano cæduntur: atque ex proelio ducuntur captiui.

Nondum perfunctum cura Regem rerum suarum, aut expeditionis bellicæ aduersus Mauros, tumultus Gallici fama atrox inuasit: quod Alfonso Prouinciæ Comes frater, & Guilielmus Folcalquerius Comes Garfendæ patruus, quam Alfonso Rege patre adnitate vxorem duxerat, inter se magna armorum contentione præliarentur. Guilielmus Rege defuncto, aliquot oppida, atque iura ditionis Garfendæ interuerterat: ad seque transtulerat. Sanctius Regis patruus, cui Rex ditionem Ruscinonensem tradiderat, Alfonso fratris filium deserens, Folcalquerij partes fouet: pluresque Franci proceres eas sustinent. Rex in Prouinciam profectus ad fossas Marianas, A quas mortuas vocant, indutias fieri contendit: & uti se arbitro, & Narbonensi, & Tolosate proceribus, Episcopisque aliquot adiunctis, res, quæ in disceptationem vocabantur, constituerentur, & collocarentur: impetrat. Cum de Sistarici oppidi, atque arcis ditione controuerfarentur, Rex amborum nomine in manus suscipit. Paciscuntur, uti Alfonso, & Garfenda, nullis superstitibus liberis vita functis, Sistaricum, Sistaricique arx Guilielmo cedant. Salinæ, portusque Tarafconis Alfonso contribuuntur: & reliqui portus ad Longobardorum fines, amborum ditioni adiudicantur.

Ad Campillum, Sufanum vocabant, quasi superiorem nomines, Agredæ, & Turiafonis finibus interiectum vicum, Castellæ, & Aragoniæ Reges congressi, finium controuerfias componunt: eisque terminandis arbitros adijciunt. Aragonij Garcias Romæus, & Petrus Sefesius dati. Communi sententia Caunum montem aquarum diuortijs Aragoniæ regno attribui edicunt.

MCCXLII. MCCIV.

Haud parua expeditio hoc anno a Rege facta est: si regij apparatus, sumptusque spectentur: frequentissima celebritate, & totius Italiæ clarissima luce expositi. Rex Gallia ex Prouincia soluens, classe Genuensem portum tenet. Nouembri mense Tiberis ostio inuectus, ab aliquot Cardinalibus, & Senatore, populoque Romano in urbem deductus, Innocentium P. M. de more veneratur: & in Vaticano, Pontificijs in ædibus Regi paratur hospitium. Perendino die præsentationi D. Mariæ dicato, summus Pontifex in ædem D. Pancratij traductus Regem sollempni pompa vrbis regionibus ouantem excipit: atque in ea æde a Petro Portuensi Episcopo sacro oleo perungitur. Regium diadema capiti Regis ab Innocentio imponitur: atque regijs insignibus decoratur. Rex fidelitatis sacramento se Pontifici Maximo, atque sanctæ Romanæ Ecclesiæ addicit. In Vaticanum reuersus, in sacello D. Petri regijs insignibus depositis, & gladio Pontificis manu accepto, militiæ auctoramentum profitetur. Regnum tributarium ecclesiæ constituit: & c. l. Mahozemutinorum aureorum nummorum tributum in singulos annos, ab Aragoniæ Regibus conferendum indicit: summa a se propofita mercede, quod Pontificis manu diadema sumpfisset. Ij numi a luceffio

Iuceffio Mahozemuto iactati, nuncupatique, qui summum in Mauros imperium in Hispania obtinuerat, finguli sex solidis regalium expendebantur: æstimabanturque. Pontifex priuilegium irrogat, vt ab Archiepiscopis Tarraconensibus coronæ, in posterum Regibus Cæsaraugustæ imponantur: modo caueant, se id ecclesiæ præstituros, quod a Rege sancitum fuerat. Grauius proceres mox, populiq; conqueruntur: quod ex libero Regno, & ab omni munere soluto, Rex stipendiarium constituerit. Res digna visa est, quæ vti vetustis monumentis gesta perhibetur, commemorari debeat. Anno v 11 Pontificatus domini Innocentij Papæ 111 Mense Nouẽ, bri Petrus Rex Aragonum ad Apostolicam sedem accessit: vt ab eodẽ domino Papa militare cingulum, & Regium acciperet diadema. Venit autẽ per mare cum v. galeis. Applicuit apud Insulam: inter portũ, & Ostiam: adducens secum Archiepiscopum Arelatensem, & Præpositum Magalonnensem: cum quibus interfuit electus Montis maris: & alij quidam clerici, nobiles, & prudentes. Proceres quoque secum adduxit Sanctium patruũ suum: Hugonem de Baucio, Trogelinum de Massilia, Arnaldum de Fociano, & alios multos nobiles, & potentes. Missis autem ad illum equitaturis, Romanis pæne cc, fecit eum apud S. Petrum ad præsentiam suam idem dominus Papa venire: mittẽs in occursum ipsius quosdam Cardinales: Senatorem Vrbs: & multos alios nobiles: & magnates: fecitque illum apud S. Petrũ, in domo Canonicoꝝ honorifice hospitari. Tertio vero die: in festo videlicet S. Martini præfatus dominus Papa cum Episcopis, Presbyteris, & Diaconibus Cardinalibus, Primicerijs, & Cãtoribus, Senatore, Iustitiarijs, & iudicibus, aduocatis, & seriniarijs, multisque nobilibus, atque populo copioso ad monasterium S. Pancratij martyris prope trans Tiberim est profectus: ibique præfatum Regem per manus Petri Portuensis Episcopi fecit inungi: quem postmodum ipse manu propria coronauit: largiens ei Regalia in ligna vniuersa: mantum videlicet, & Colobium, sceptrum, & pomum, coronam, & mytram: corporale ab eo recipiens iuramentum: cuius tenor est talis.

EGO PETRVS REX Aragonum profiteor, & polliceor quod semper ero fidelis, & obediens domino Papæ Innocentio: eiusque Catholicis successoribus: & Ecclesiæ Romanæ: Regnumque meum in ipsius obedientia fideliter conseruabo: defendens fidem Catholicam: & persequens hæreticam prauitatem: libertatem, & immunitatem ecclesiæ custodiam: & earũ iura defendam. In omni terra meæ potestati subiecta pacem, & iustitiam seruare studebo: sic me deus adiuuet: & hæc sancta euangelia.

Deinde præfatus Rex cum multo laudis præconio, & fauoris applausu coronatus redijt iuxta dominum Papam: ad Basilicam S. Petri: super cuius altare sceptrum, & diadema deposuit: & de manu eiusdem domini Papæ militarem ensẽ accepit: Regnumque suum S. Petro Apostolorum principi obtulit: illudque sibi constituit censuale per priuilegij paginam: quam eidem domino Papæ tradidit super ipsum altare: cuius tenor est talis.

Cum corde credam, & ore confitear, quod Romanus Pontifex, qui est beati Petri successor, vicarius sit illius, per quem Reges regnant, & Principes principantur, qui dominatur in Regno hominum, & cui voluerit donabit illud: EGO PETRVS Dei gratia Rex Aragonum, Comes Barci-

H ij nonensis, ..

ÆRA NAT. CHR.  
MCCXLII. MCCIV.

nonensis, & dominus Montis Pefulani cupiens principaliter postea beati Petri, & Apostolicæ sedis protectione muniti, tibi Reuerendissime pater, & domine summe Pontifex INNOCENTI, & per te Sanctæ Romanæ ecclesiæ offero regnum meum: illudque tibi, & successoribus tuis in perpetuum diuini amoris intuitu, pro remedio animæ meæ, & progenitorum meorum constituo censuale: vt annuatim de camera Regis c. Ma. cemutinæ Apostolicæ sedi reddantur: ac ego, sicut & successores mei specialiter ei fideles, & obnoxij teneamur: ac lege perpetua seruiendum fore decerno: quia spero firmiter, & confido, quod tu, & successores tui me, ac successores meos, & Regnum prædictum auctoritate Apostolica defendetis: præsertim cum ex multo deuotionis affectu, me ad sedem Apostolicam accedente, tuis, quasi beati Petri manibus, in Regem duxeris sollempniter coronandum. Vt autem hæc Regalis concessio inuiolabilem obtineat firmitatem, eam de consilio Procerum Curia meæ, præsentis venerabili patre meo Arelateni Archiepiscopo, & Sanctio patruo meo, & Hugone de Baucio, & Arnaldo de Fociano Baronibus meis sigilli mei feci munimine roborari. Actum Romæ apud S. Petrum anno Dominicæ Incarnationis MCCIV. III Id. Nouembris. Anno Regni mei IIX.

His omnibus rite peractis, fecit eum dominus Papa per vibem ad Ecclesiam S. Paulli deduci: vbi galeas inueniens præparatas intravit: & Apostolica benedictione ad propria meruit cum prosperitate redire.

Super coronatione vero Regum, & Reginarum Aragonum in posterum facienda, tale sibi priuilegium dominus concessit.

Cum quanta gloria, & honore, impendijs, & applausu, regium Romæ, de manu mea in monasterio B. Pancratij susceperis diadema, postquam per venerabilem fratrem nostrum Petrum Portuensem Episcopum in Regem te fecimus coronari, tua sublimitas non ignorat. Vt dilectionis autem affectum, quam ad tuam habemus personam, per exhibitionem operis euidentius monstraremus, Regalia insignia vniuersa, mantum videlicet, colobium, sceptrum, & pomum, coronam, & mitram ad opus tuum non minus pretiosa, quam speciosa fecimus præparari: & ea liberaliter tibi donauimus: insignum gratiæ specialis. Tu vero tamquam princeps, & Catholicus Rex super altare beati Petri Apostolorum principis Regnum tuum nobis, & per nos sedi Apostolicæ, cum multo deuotionis affectu, per priuilegij paginam obtulisti: illud ei constituens in perpetuum censuale: firmiter promittendo, quod iuramentum fidelitatis, & obedientiæ in coronatione tua nobis exhibitum inuiolabiliter obseruabis: & ad illud exhibendum, & obseruandum successores tuos obligari volebas. Nos igitur gratiam tuam nobis exhibitam ad successores derivari volentes, præsentium auctoritate concedimus, vt cum ipsi decreuerint coronari, coronam a sede Apostolica requirentes, de speciali mandato per Tarraconensem Archiepiscopum apud Cæsaraugustam sollempniter coronentur: præstita super prædictis idonea cautione. Et quoniam iure ciuili cautum est, vt mulieres maritorum honoribus decorentur, præsentis auctoritate concedimus, vt per manus eiusdem Archiepiscopi eis liceat coronari. Nulli ergo &c. Nostræ concessionis &c. Si quis autem &c.

Sollempnibus susceptræ coronæ Romæ celebratis, Rex in Prouinciam Galliam



Galliam renauigans, aduersus Folcalquerium bellum gerit: quod foedera cum Alfonso fratre idta neglexisset: atque violasset: & fratrem captiuum contra ius, fasque detinuisse: quem Rex in libertatem vindicat.

AERA NAT. CHR.  
MCCXLII. MCCIV.

Cum Alfonso Castellæ, & Legionensis Reges patruales fratres, nouo affinitatis vinculo adiungerentur, & Legionensis Berengariam Castellæ Regis F. duxisset, vna cum Aragonio Rege Sanctio Nauarræ Regi bellum inferunt. Roncauallem, & Auarum expugnant. Cum eas ciuitates Aragonius repeteret, atque suæ ditionis, ac iuris esse contenderet, nostris traduntur. Matrimonium postea Regis cum Nauarri sorore paciscuntur: sed cum eæ nuptiæ legitimæ esse nequirent, quod tertio consanguinitatis gradu adiungerentur, Innocentius eas tamquam incestas dirimi sancit.

MCCXLIII. MCCV.

Augusti mensis Kalendis Rex Iaccam exercitu coacto iniit: magnoque comitatu ad colloquia Regis Angli congređitur. Proficentem comitantur Raimundus Rocabertinius Archiepiscopus Tarraconensis, Gombaldus Dertosanus, Garcias Oscensis, & Raimundus Cæsarugustanus Episcopi: Arnaldus Alafcon aulæ Regiæ præfectus, Innicus Martinus Sobiza, qui Burgiæ dominabatur, Artallus Alagon, Garcia Romęus, cui Rex id temporis oppidum Pratellam, atque arcem tradiderat, Simon Cornelius, Petrus Pomarius, Assalitus Gudalis, Adam Alafcon, Aznarius Pardedus, Petrus Alcalanus, Atho Focius, Rudericus Stada, Bernardus Beneuentanus, Petrus Sefesius, & Simon Luesia. Oscæ Nouembris mensis fine, cum Rex large, & effuse regium patrimonium profunderet, & in sumptibus effundendis nimius esset, ac prodigus, eiusque benignitas in largiendo exhausta: nouum vectigal imponitur: cui monetatici nomen publicani inuenere.

Arnaldus Alafcon Aulæ regiæ præfectus.

Sanctia Aragoniæ Regina adnitente, ac se in vtramque partem versante Hispaniæ Reges, Lusitano dempto, Phari ad colloquium congređiuntur.

MCCXLIV. MCCVI.

Didacus Lupius Lupi Naiarensis Comititis, qui Viscaix dominabatur, F. acre bellum aduersus Castellæ Regem gerit: quod Legionensis ab Vrraca Lupia sorore diuertisset. Is, regibus foedere adiunctis, Valentiam properans, bellum Regi, Aragoniæ finibus infert: quem cum Valētiam Rex inclusisset, & ad portas venisset, murumque iaculo traiecisset, & urbem acerrime oppugnaret, suffosso equo, summum vitæ discrimen adit: ex quo ab ipso Didaco ereptum ferunt.

Cum magna celebritate famæ, Regis egregia virtus in vltimis regionibus percrebuisse, & Hierosolymitani regni vires summis difficultatibus affectæ, atque afflictæ essent, & a Turcis premerentur, Maria Amalrici Hierosolymitani Regis vxor, eiusque regni proceres Mariam Amalrici neptem, Conradi Monferratensis filiam regni heredem Regi collocari summopere student. Ptolemaide, recentior ætas nuncupauerat Acconem, A. D. XI. K. Oct. auia Regina, afsidentibus Petro ptesbytero Cardinali tituli S. Marcelli, A. Patriarcha Hierosolymitano, Petro Cæfariensi, C. Tyrensi, A. Nazareno Archiepiscopis, & Acconēsi, & Bethlehemitis Episcopis, & S. sepulchri Priore, & Iosaphati, & Taboris Abbatibus, atque Hospitalis S. Iohannis Magistro, iurisiurandi religione obstri-

H iij      Æta spondet

AERA NAT. CHR.  
MCCXLIV. MCCVI.

ita spondet Mariam neptem in A. D. K. Nou. secundas nupturam: modo  
do uocantis Rex staret: & Pontifex Maximus id ratum haberet. Rex sibi  
in matrimonium adiunxerat Mariam, quæ Mompellerij dominabatur,  
filiam Guilielmi Mompelleriensis, & Mathildis Emmanuelis Constanti  
nopolitani filia. Nuptijs celebratis Rex Mompellerij dominatus cognom  
entum suscipit. Cum insignem probitate, & sanctitate feminam duxisset,  
& quæ Constantinopolitani imperijus materna hereditate repeteret,  
Mathildis enim Alexio fratre Andronico interempto, legitimo iure id re  
gnum appetierat, ab vxore, pellicum amore flagrans diuertere nititur.

MCCXLV. MCCVII.

Cum Rex solutis, & vagis amoribus in concubinarum cupidinem, & cō  
tubernium se transfudisset, & connubij diuortium fieri contendens san  
ctissimā feminam exturbare niteretur, clam, quasi cum alia concubiturus,  
ancillari dolo, furtim Regina admittitur. Ea nocte filius concipitur: quem  
diuino numine Christianæ reipublicæ, & religioni propagandæ genitum  
res ab eo gesta testantur. Mompellerij K. Febr. nascitur: & sortito Iacobi  
nomen inuenit.

Octobri mense Castellæ, & Nauarræ reges in Carpetanis Guadalaiaræ  
congressi, de pactis in quinquennium indutijs, & vt earum iura seruarentur,  
arcibus etiam traditis, Castellanus pollicetur, se in ea fœdera Arago  
niæ Regem deducturū: vt fraterna vnanimitate, aduersus exultantes Mau  
rorum conatus obuiam eatur. Quamuis magna contentione Aragonius, &  
Nauarrus dissident, & Rex Roncauallem, & Burgui arcem Gastoni Vice  
comiti Bencharnensi, Bigeronensi Comiti pro pignore r. m. solidorum  
Morlanensium tradiderat, quæ belli præcipua causa fuerant, summo Reg  
is Castellæ studio, ea Regum conspiratio, & concordia ad rem publicam  
tuendam, Regem ad se deduxit.

MCCXLVI. MCCIIX.

Constantia Regina Regis soror, quæ Emerico viro Hungariæ Rege vita  
functo, Leopoldi Austriæ Ducis ope, principis propinquitatis vinculo  
Aragonix domui adiuncti, ad fratrem reuerfa fuerat, adnitente Sanctia  
Regina parente, Frederico Siciliæ Regi Cæsaraugustæ despondetur. Hæ  
nuptiæ ab Innocentio. P. M. Frederici tutore sanciantur: qui enixe stu  
duit, vt Fredericus pæne puer, & Siciliæ arces a Marchoaldo, Regina Con  
stantia Frederici matre defuncta, oppressæ in libertatem vindicarentur.  
Ad hæc Pontifex, & Regina pactiōnem fecerant, si Fredericus ante mati  
monium initum decederet, Siciliæ regnum ab Ecclesia Ferdinando Con  
stantiæ fratri, quem pater sacro ordini dicauerat, deferretur.

Nouēbri mēse Sāctia Regina, quæ se Xixenensi virginū cœnobio, quæ  
cultui diuino sacrate erāt, Hierosolymitani instituti a se cōstructo, addixe  
rat, & eo ritu sacris initiata fuerat, e vita excedit: & in ea sacra æde sepelif.

Ermengaudus Vrgellitanus Comes decedit: eorum principum vl  
timus, qui a Borello Barcinonensi Comite virili stirpe genus duce  
bant. Ex Eluira Sobiratenfi Comite vxore Aurembiaxim filiam sus  
ceperat. Super eius ditionis hereditate, quæ ampla, & præpotens erat,  
bellum inter Regem, & Gerardum Caprariam Vicecomitē exoritur. Au  
rembiaxis, quod mater Eluira verita esset, ne a Gerardo ditione ea euer  
teretur, qui consobrinus erat, Nam Pontius pater Caprariæ Vicecomes  
Miraglum Ermengaudi forem duxerat, hereditarijs iuribus Regi ce  
dit: atque ea condonat. Aurembiaxim Rex sub potestatem, manumque  
suscipit.

fufcipit. Balaguerium Gerardum includit: eoque obfidione, & acri oppugnatione ad deditiōē cōpulfo, totius p̄ane Vrgellitanę ditionis potitur.

Alfonfus Prouincię Comes Barcinone foluens, Conftantiam Regiam fororem ad Fredericum maritum Sicilia Regem, magno prouinciarum, & Catalanorum procerum comitatu deducens, in Siciliam Februariō mēfe appellit. Funefta eā nuptiæ morte Alfonfi, & plurium procerum, qui magna vi morbi ingrauefcēte Panhormi decedunt, fuere. Ex Garfenda vxore Folcalquerij Comit̄is nepte Alfonfus filium fufceperat Raimundum Berengarium. Is Prouincię Gallię dominabitur.

A. D. II. Non. Iun. ad Malienem Aragoniæ, & Nauarrę Reges ad colloquia conueniunt. Rex a Nauarro xx. m. nummorum aureorum, quos morabetinos vocabant, mutuatur: eorumque pignori arces, & oppida Pinæ, Esconis, Pitillæ, & Galluris opponit: adeo in fuma difficultate nummaria non Rex modo, fed ea tempora verfabantur.

Martij mēfis exitu Montione Rex militares copias cogit: & in Valentini regni fines inuadit. Duces exercitui præbiti Simon Cornelius, Garcias Romæus, Artallus Alagon, Blafcus Romæus, Petrus Sefefius, Atho Focius, Guilielmus Ceruilionius, Guilielmus Peralta, Arnaldus Palazinus, Arnaldus, & Adam Alafcones, Atorella, Sanctius Antilionius, Guilielmus Moncada, & Guilielmus Raimundi Moncada Catalonię Senefcallus, Adamuzium, Caſtrum fauibium, & Sertella oppida, & eorum arces expugnantur. Eā non Aragonio regno, fed Valentino contribuuntur: quæ ipfa propinquitate regionum in extremis finibus poſita, velut appendices eſſent maioris expeditionis. Vicina caſtella ad deditiōis fœdera recepta imperata faciunt. In Adamuziana oppugnatione Atorella qui Quinti dominabatur, Petri Oticij F. egregie operam nauauit: eoque ipſo die Rege, & Cæſarauguſtano Epifcopo præſentibus Petro Montacuto Templariorum magiſtro, & eius ordini ſe addidit, vouetque. In eo bello ex proceribus præſto Regi adfuere Garcias Frontinus Turiaſonenſis Epifcopus, Garcias Romeus, Simon Cornelius, Michael Lueſia, Simon Aiuarius, Arnaldus Alafcon, Latro, Aznarius, Pardus aulæ Regiæ Præfectus, Atho Focius, Aſſalitus Gudalis, & Petrus Crexelius.

A. D. XIII. K. Oct. ad Villam, quam Felicem vocāt, Rex Dertofam urbē, & arcem, quæ Azude cognomen habuit, & eius urbis propugnacula Petro Montacuto Templariorū Magiſtro, atq; eius militię ordini donat.

Aznarius Pardus Regiæ Aulæ Præfectus.

Bellum ſacrum, quod Hiſpaniarum Reges, & præcipuus eius auctor, & concitator Caſtellæ Rex in vltima rerum deſperatione, aduerſus victorem Maurum moliti ſunt, pro præſenti terrore, ac rerum inſigniter geſtarum laude, & gentis Hiſpaniæ robore, ingenti gloriæ fuit. Confirmatis enim partibus, cum omni vini cœpiſſent, & Caſtellani exercitus licentia, luxuriaque corrupti, ad feueriſſimam militiæ diſciplinam reuocarentur, omniaque reciderentur deliciarum inſtrumenta, quaſi de ſuma reipublicæ in certamen, atque diſcrimen deuenire parant. Pontifex Max. ſacræ expeditionis præſidia, atque noxiarum expiationes indulget: & ſacroſanctæ Crucis prædicatione exteræ nationes, & gentes in vltimas terras pietatis ergo confluunt: præcipuo concionatore, & quo-

H iij dammodo

ABRA. NAT. CHR.

MCCXLVII. MCCIX.

MCCXLIX. MCCX.

MCCXLIX. MCCXI.

AERA NAT. CHR.

MCCCLXIX. MCCXXI.

dammodo sacri belli lituo Ruderico Simenio Toletano Antistite. Castellæ Rex cum Ferdinando F. Valentini regni fines Setabim vsq; incurrit. Maio mense in Carpetanos regreditur. Ferdinandus illico Lusitanorum Maurorum præsidia Trugilli, & Montancijs firmata oppugnat: & in ipso belli conatu A. D. II. Id. Octob. decedit: cuius morte vniuersa Hispania in luctu, & squalore fuit.

## PROELIUM V B E D E N S E .

MCCCL. MCCXXII.

Hispano robore aduersus Maurorum vires, qui ex transmarinis provincijs fretum transfuderant, & Bæticis, Contestanis, & Lusitanis se adiunxerant, maximo prælio, Mariano in saltu, ad Tolosæ conualles Castellæ, Aragoniæ, & Nauarræ Reges decertant. Quantis numquam ante alias simul copijs hostes conueniunt: castraque saltuosis, ac siluestribus locis metantur. In comitatu Aragonij Regis ad bellum proficiscuntur viri fortissimi, nobilissimique, qui ordines duxerant Garcias Frontinus Turiafonensis, & Berengarius Barcinonensis Episcopi: Sanctius Comes Aragonij Regis patruus, Garcias Romæus, Simon Cornelius, Guilielmus Peralta, Michael Luesia regius vexillifer, Aznarius Pardus, Nunnus Sanctij Comitum ex Sanctia Nunnia filia Nunnij Comitum Larenensis filius, Lupus Ferrencius Luna, Artallus Focius, Petrus Maza, Atorella, Simon Aiuarius, Rudericus Lizana, Petrus Ahonesius, Emporiarum Comes Gerardus Capraria, qui Vrgelitani Comitatus hereditatem inuadere conatus fuerat: Raimundus Folchius, Guilielmus Cardona, Guilielmus Ceruera, Berengarius Petramola, Guilielmus Aquilonius Tarraconensis, & Arnaldus Alafcon. Aragonius exercitum ductores præficit Garciam Romæum, Simonem Cornelium, Aznarium Pardum, Artallum Focium, Atorellam, & Petrum Mazam. Præterea Petrus Tomichius prodit, penes quem fides sit, Dalmatio Crexelio Catalano, qui inter omnes suæ ætatis duces rei militaris scientiam percullisset, cum Reges de dirigendis, & ordine collocandis aciebus, inter se dissiderent, eam curationem, & distributionem traditam. Primo concursu, adeo æquis viribus gesta res est, ac si pares acies vtrunque conflixissent: tantaque cæde nostri prorupere cuneos, turbatis hostium ordinibus, vt prælium deinde illis non constiterit: nec fuga explicari sine ingenti cæde potuerit. Diuinum numen pia arma respexisse visum. Nam cum de summa rerum eo in prælio certaretur, facile inclinata res: pulsique hostes: capta castra: & Mauri a tergo circumuerti: nulla ex Christianorum parte cæde ostentata. Pugna Lunæ die, A. D. XVII. K. Aug. commissa est: qua nihil adhuc Hispanæ gentes nobilius videre. Nulla enim tam exigua tantas copias prostrasse fertur: vt vere, sicuti Innocentius summus Pont. in gratiarum actione testatur, Deus Opt. Max. qui superbis resistit, & humilibus, atque demissis commodat, antiqua innouando miracula, gloriosam tribuerit victoriam de perfidis gentibus. Insigni animorum præsentia adfuerit Alfonso magni, & alti animi Principi eo in prælio Aragoniæ, & Nauarræ Reges: qui ingenti laude bellica opera executi, & pari in munere versati, ingenti gloria parta, dignos se maioribus suis præbuerunt. Summis enim conatibus, haud minore sua, quam militum virtute, imperato-

peratorijſque artibus, ac muneribus magnam ſibi gloriam, & laudem protulere. Ad c. m. armatorū ex firmo exercitus Maurorum robore interempta memoriæ proditur. Leopoldus Auftriæ Dux, vt prælio intereſſet, in Hiſpaniam contenderat: & regio apparatus a Rege Aragoniæ, magna neceſſitudinis propinquitate ſibi adiuncto excipitur.

Diuina victoria parta, præſens certe nimis pijs gentibus affuit, tot opibus, copijsque vna die proſtigatis, vt non vinci modo barbarorum perſtinacia, & auerti cœperit, ſed eius imperij maietas in Hiſpania conciderit, Beatiæ, & Vbeda in noſtrorum poteſtatem venere. Expugnata Vbeda decoris pars maior ad Lupum Ferencium Lunam deferretur, ex Aragonijs proceribus primarium: quod eius milites, qua confederant, primi in mœnia euafiffent: irrupiffentque.

A. D. VII. Id. Nou. Thauſti Rex Conſtantiam F. ex concubina genitam Guilielmo Raimundo Moncada Cataloniæ Senefcallo, ex proceribus primario viro, deſpondet. Illo ipſo tempore Rex diuortij cauſam maxime vrguet.

Interim illa calamitas accidit apud Regem reipublicæ: cum Reginam eximia ſancitate feminam connubio euertere nititur: exegitque. In cauſa matrimonij, quæ diutius agitata fuerat, hæc Regem intendiſſe comperio: Hugone Tarrogia Regis conſanguineo apud Pont. Max. connubium conuellente. Matrimonium Regi ſuſpectum eſſe, quod Regina maritum alium haberet ſuperſtitem Comitem Conuenarum: cui in Eccleſiæ facie copulata fuerat. Adhæc Regem ſe alteri feminæ commiſiſſe, quæ Reginam conſanguinitatis linea contingeret. Neque Regina abnuat patrē viuente, ac procurante cum Conuenarum Comite contraxiſſe: ſed id matrimonium maritali fœdere fuiſſe irritum: quod Comes ſibi eſſet conſanguinitate pariter, & aſſinitate coniunctus: & cum id matrimonium contraxerat, duas haberet vxores: G. filiam A. Barcæ, & Comitum Bigeronum filiam: quæ Regiæ conſanguinitate adiuncta erat. Præterea Rex contenderat Conuenarum Comitem conſanguinitatis linea ſe contigiſſe: atque inde aliam aſſinitatem inter ſe, & Reginam fuiſſe ſubortam. Regina Romam profecta, Pontifex cauſam publico in conſeſſu examinat: & ea cognita ſtatuit: atque huiusmodi decreto interpoſito legitimum ius conſtituit.

MCCCL. MCCXIII.

INNOCENTIUS Episcopus ſeruus ſeruorum Dei. Kariffimo in Chriſto filio P. illuſtri Aragonum Regi Sal. & Apoſtolicam ben. Nouit ille, qui eſt teſtis in Cælo fidelis, cui omne cor patet, & nullū latet ſecretum, quod in cauſa matrimonij, quæ inter te, & Kariffimam in Chriſto filiam Mariam illuſtrem Reginam Aragonum cōiugem tuam, diutius noſcitur agitata, via regia ſemper inceſſimus: neq; ad dexteram declinauimus, vel ſiniſtram: quod teſte conſcientia, in cauſis fecimus vniuerſis, quæ ad noſtrum perferuntur examen: cum illius vices, diſponente ipſo, exerceamus in terris, qui iuſtus, & iuſtitiam diligens, ſine acceptione iudicat perſonarum: nec ignoramus legis diuinæ mandatū: quo habere pōdus, & pondus, menſuram, & menſuram, quorum vtrumq; apud Deum eſt abominabile, prohibemur: & æqua lance cauſas, & merita penſare præcipimur ſingularum. Licet igitur inter alios Mundi Principes te, ſicut opera ipſa declarant, ſimplex emur ſpecialis dilectionis affectu, & ad perſonæ tuæ honorem,

AERA. NAT. CHR.  
MCCLI. MCCXIII.

„ norem, & commodum aspiremus, vbi tamen ad iudicij peruenitur exa-  
 „ men, in quo nec respicere pauperem, nec potentis vultum honorare per-  
 „ mittimur, nullam tibi, vel alij gratiam facere possumus, aut debemus: &  
 „ maxime vbi agitur de matrimonij sacramento: quod ante peccatum, in  
 „ Paradiso a Domino institutum, praeter propagationis humani generis fru-  
 „ ctum, illud ineffabile sacramentum coniunctionis, Christi videlicet ad  
 „ sanctam Ecclesiam Dei, ad fidelem animam, & ipsius verbi, ad humanam  
 „ naturam noscitur figurare: Apostolo attestante: qui de bono matrimo-  
 „ nij agens, inquit: Ego autem dico magnum in Christo, & Ecclesia sacra-  
 „ mentum. Dudum igitur: cum matrimonium contractum inter te, & eam-  
 „ dem Reginam proponeres te habere suspectum, pro eo, quod eadem fere-  
 „ batur maritum alium habere superstitem, videlicet nobilem virum N. Co-  
 „ mitem Conuenarum, tuque prius carnaliter mulierem quamdam cogno-  
 „ ueris, Reginam ipsam consanguinitatis, vt dicebatur, linea contingentem:  
 „ & super hoc conscientiae, ac saluti tuae consuli postulares, causam bonae  
 „ memoriae Pompilonensi Episcopo, & P. de Castronouo, & fratri Rodul-  
 „ pho monachis Fontisfrigidi, qui duo tunc erant Apostolicae Sedis legati,  
 „ meminimus commisisse: coram quibus, cum lis fuisset, super duobus pra-  
 „ fatis articulis, per partium procuratores legitime contestata, nobili viro  
 „ Hugoni de Turre rubea consanguineo tuo, tunc matrimonium, vt dicitur,  
 „ accusante, legatis eisdem interim ab hac luce subtractis, & Pampilonensi  
 „ Episcopo pro suis, & Ecclesiae suae negotiis apud Sedem Apostolicam oc-  
 „ cupato, causam ipsam venerabilibus fratribus nostris Narbonensi Archi-  
 „ episcopo, tunc Cisterciensi Abbati, ac Vicensi Apostolicae Sedis lega-  
 „ tis, & Reginesi, tunc temporis officio legationis fungenti Episcopis du-  
 „ ximus committendam: sub ea forma, qua praefato Pampilonensi, & suis  
 „ coniudicibus fuerat ante commissa: nullo in posterioribus litteris addi-  
 „ to, vel mutato: vt videlicet si appareret legitimus accusator, causam con-  
 „ uocatis partibus audientes eam, si de partium voluntate procederet, sine  
 „ Canonico terminarent: alioquin gesta omnia fideliter conscribentes, ea  
 „ nobis, sub suarum testimonio transmitterent litterarum: praesigentes  
 „ partibus terminum competentem: quo per procuratores idoneos nostro  
 „ se conspectui praesentarent: iustum, Deo auctore, iudicium accepturi.  
 „ Te igitur, ac eadem Regina, sicut ex actis intelleximus, personaliter in  
 „ ipsorum iudicum praesentia constitutis, proponere curauisti, quod Regi-  
 „ na ipsa tibi, de iure sociari non poterat foedere maritali: tum quia dicto  
 „ Comiti Conuenarum adhuc superstiti fuerat in Ecclesiae facie matrimo-  
 „ nialiter copulata: per quod constabat, eam tecum contrahere nequiuisse:  
 „ cum ab eodem Comite separata per iudicium Ecclesiae non fuisset. Regi-  
 „ na vero ibidem fuit absolute confessa; quod re vera, patre suo viuente, ac  
 „ procurante contraxerat cum Comite memorato: sed adiecit, quod hu-  
 „ iusmodi matrimonium de facto contractum fuerat, non de iure: cum  
 „ idem Comes sibi esset consanguinitate pariter, & affinitate coniunctus:  
 „ & insuper duas haberet uxores: tempore, quo contraxerat cum eadem:  
 „ ad quaerendam probanda sibi dari terminum postulauit. Et licet fuerit ex tua  
 „ parte responsum, quod eius, super his, exceptiones recipi non deberent,  
 „ donec esset praefato Comiti, cum quo se contraxisse confessa fuerat, re-  
 „ stituta, nec tu exceptionibus tenebaris huiusmodi respondere, ad vlti-  
 „ mum

mum tamen ita fuit, departium voluntate prouifum : vt fcilicet , falua ti-  
 bi exceptione, feu replicatione prædicta, vtriusque partis probationes, fu-  
 per præmiſſis articulis audirentur. Poſtmodum B. Aimerij, quem pro-  
 curatorem in negotio conſtitueras memorato, de conſenſu tuo, tria ſe ob-  
 tulit probaturum : ſcilicet : matrimonium prius fuiſſe contractum inter  
 dictam Reginam , & Comitem Conuenarum : & matrimonium, ſi quod  
 fuit, inter eundem Comitem , & G. filiam A. de Barca , fuiſſe iudicio Ec-  
 cleſiæ ſeparatum : ante quam cum Regina contraxiſſes eadem : & filiam  
 Comitis Bigorræ , vxorem Comitis ante dicti fuiſſe tibi conſanguinita-  
 te coniunctam : & ſic terminus fuit partibus aſſignatus : facta promiſſio-  
 ne hinc inde, quod alias dilationes non peteret, ad proponendum aliud :  
 vel probandum. Cumque partes termino conſtituto, in duorum Iudi-  
 cum prædictorum præſentia, tertio litteratorie ſuam excuſante abſen-  
 tiam, conueniſſent, Regina proponens ſe infirmitate grauata, teſtes  
 ſuos medio tempore producere nequiuifſe, dilationes alias poſtulauit :  
 quas licet dictus procurator tuus aſſereret, ſibi non eſſe vllatenus conce-  
 dendas, pactionem factam de non petendis dilationibus allegando, ac ſu-  
 per hoc fuiſſet diutius diſputatum, tandem de conſenſu partium con-  
 ceſſa fuit, ſub præfata conditione, ſeu pactione dilatio : & terminus aſſi-  
 gnatus R. procuratori ſæpe dictæ Reginæ : ac rursus dilationes alias po-  
 ſtularet, dicto procuratore tuo eas ſibi non debere concedi omnimodis  
 contendente, Iudices ad Montempefulanum, vna cum ipſis procuratori-  
 bus acceſſerunt : vt ibi præſente Regina negotium tractaretur : vbi cum  
 ſuper dandis, vel non dandis dilationibus fuiſſet a partibus diutius litiga-  
 tum, tandem dicto procuratore tuo adhibente conſenſum, Iudices ſub  
 conditione præmiſſa dilationes alias conceſſerunt : locum, & terminum  
 partibus aſſignant. Porro partibus, præfixo termino, in Iudicum præ-  
 ſentia conſtitutis, abſente Regina, eius tamen procuratore præſente, pro-  
 curator tuus de nouo propoſuit : quod dictus Comes te conſanguinitatis  
 linea contingebat : per hoc inter te, ac Reginam probare aliam affinita-  
 tem intendens : ſuper quo, quamquam lis minime conteſtata fuiſſet, &  
 conueniſſet, vt dictum eſt, inter partes, quod de nouo proponere aliquid  
 non deberent, Iudices tamen teſtes, qui nequaquam iurauerant, niſi ſuper  
 illis dumtaxat articulis, ſuper quibus lis fuerat conteſtata, recipere præ-  
 ſumpſerunt : ſuper quo, de ipſorum prudentia non poſſumus non mira-  
 ri : & ſi procurator tuus coram omnibus multipliciter conatus fuerit de-  
 monſtrare : in hoc articulo legitime fuiſſe proceſſum. Denum cum pro-  
 bationibus, & allegationibus fuiſſet renuntiatum hinc inde, licet Regina,  
 quod non opponeret appellationis obſtaculum iuramento præſtito pro-  
 miſiſſet, quia tamen facultas a nobis ſententiam audiendi ſi mallet, eidem  
 in litteris noſtris fuerat reſeruata, vt i volens beneficio earumdē humiliter  
 poſtulauit, vt ad nos cauſa remitteretur inſtructa : præfixo partibus ter-  
 mino competenti : cuius petitione, ſicut ius exigebat, admiſſa, dicti Iudices  
 acta omnia, pro vt a nobis in mandatis acceperant, ad nos ſub ſigillis ſuis  
 fideliter tranſmiſerunt. Cum ergo Regina, & dilectus filius magiſter Co-  
 lumbus procurator tuus, vir utiq; litteratus, prouidus, & fidelis, ac deſol-  
 licita diligentiâ, & diligenti ſollicitudine in eodem negotio habita merito  
 comendandus, propter hoc ad noſtram præſentiâ acceſſiſſent, cauſam in  
 conſiſtorio

AERA NAT. CHR.  
MCCLI. MCCXIII.

„ consistorio publico sollempniter examinauimus: & attente. His igitur,  
 „ quæ a partibus prudenter, subtiliter, ac fideliter, tam super actis in præ-  
 „ sentia Iudicum prædictorum, quam coram nobis fuere proposita, diligen-  
 „ ter auditis, & subtili examinatione discussis, quia nobis constitit euiden-  
 „ ter, quod sæpe dicta Regina, & Comes Conuenarum prædictus se in di-  
 „ stantia tertij, & quarti gradus consanguinitatis, & affinitatis contingunt,  
 „ & idem Comes prius in conspectu Ecclesiæ, cum nobili muliere Beatri-  
 „ ce contraxerat, a qua non est probatum, ipsum Ecclesiæ fuisse iudicio se-  
 „ paratum, cum super proposito affinitatis articulo, nihil legitime proba-  
 „ tum fuerit contra eam, de communi fratrum nostrorum cõsilio eamdem  
 „ ab impetitione tua super his, quæ in iudicium fuere deducta, sententiali-  
 „ ter duximus absoluendam: eamdem, ex eo nequaquam ream esse periurij  
 „ decernentes: quod causam ad nos remitti postulauit instructam: cum id,  
 „ sicut est expressum superius, in nostris sibi fuisset litteris reseruatum.  
 „ Monemus igitur serenitatem tuam, rogamus, & obsecramus in Domino,  
 „ Celsitudini tuæ nihilominus ex animo consulentes, quatenus non mole-  
 „ ste sustinens, nec admirans, quod tibi non detulimus contra Deum: sed  
 „ potius cogitans, quod non tam tuæ curauimus voluntati consulere, quam  
 „ saluti: ac ideo nostris acquiescens consilij, quæ tibi semper utilia existe-  
 „ runt, Reginam eamdem in plenitudinem gratiæ Regalis admittam beni-  
 „ gne recipias: & maritali affectione pertractes: præsertim cum filium su-  
 „ sceperis ex eadem: & sit mulier Deum timens: multa prædita honestate.  
 „ Vnde pro certo speramus, multa ex ipsius cõsortio, maxime si ad Deum  
 „ respectum habeas, ipsam, sicut Reginam honorifice, ac decenter tractaueris,  
 „ Serenitati tuæ commoda prouentura: cum vir etiam infidelis, per fi-  
 „ delem mulierem saluetur Apostolo attestante. Alioquin nec tu videreris  
 „ a principio motæ litis tuam, pro vt asserebas, voluisse sanare conscientia:  
 „ sed potius fauciare. Nec nos, quantumcumque tuæ deferri sublimitati ve-  
 „ limus, quos Deus coniunxit, humana sustineremus præsumptione seiun-  
 „ gi. Denique noueris nos venerabilibus fratribus nostris Carcaſonensi,  
 „ Auinionensi, Aurascensi Episcopis per nostras dedisse litteras in man-  
 „ datis, vt si nostrum super hoc, quod non credimus, neglexeris adimplere  
 „ mandatum, ipsi te, ad id per censuram Ecclesiasticam, sublato appella-  
 „ tionis impedimento compellant. Dat. Laterani XIII. K. Febr. Pon-  
 „ tificatus nostri Anno XV.

Nouo subinde bello exorto, maior rerum moles Regi imponitur. Cru-  
 cis fit expeditio prædicatore beato Dominico Hispano: aduersus impiam  
 Albigenſium, Tolosatium, & Carcaſonensium sectam: qui a sacris fidei  
 institutis desciuerant: & ab Ecclesia Catholica defecerant: & bellum acre  
 Simone Monforti Comite ductore in Gallia Prouincia geritur.

Rex in Prouinciã Galliam proficiscitur: vt Raimundo Tolosati opem  
 ferat: non vt impiæ gentis duci, & fautori, aut eorum scelere labe con-  
 taminato, sed vt affini assideat: & eius ditionem a bellicis incursionibus  
 tueatur: cuius affinitas Regem paulatim in tam perditam causam impo-  
 suit. Februarij mensis initio in Ruscinonem reuertitur. Regem graui, ex-  
 ternoque bello implicitum, miserando casu fors suis subtraxit. Augusti  
 mensis fine denuo in Galliam reuersus pro Tolosate aduersus Ecclesiæ  
 exercitum bellum suscipit. Tolosæ, Conuenas, & Fuxensis Comites Re-  
 gi adiun-



gi adiuncti rem bellicam administrant. Proceres Aragonios, & Catalanos præsidij præficit: in cohorte vero Prætoriam Sanctium Antilionem, Blascum Alagonem, Rudericum Lizanam, Michaellem Luesiam, Latronem, Gomezium Lunam, Michaellem Radam, Guilielmum Podium, & Aznarium Pardum retinet. A. D. III. Id. Sept. Tolosa egressi, cum in Murelli castellum ad Garumnæ fluminis ripas situm venissent, idque obsidione premerent, postero die Monfortius Rege inspectante, opem suis laturus in arcem subit: & cum ad deditionem pæne esset impulsus, insequenti die, eruptione facta, pugnam conferit. Nostris repentino tumultu cæsis, & profligatis vniuersi in vnum Regem impetum faciunt. Magna cæde, multisque occisis, Rex, dum cedere pudoris existimat, & in prælium ruit, a suis relictus, atque desertus, fortissime dimicans mortem occumbit. Cum Aragonij strenue operam nauassent, Aznarius Pardus, & Petrus Pardus Aznarij Filius, Gomezius Luna, Michael Luesia, Michael Rada, & primarij pæne omnes Aragonij mortem opperunt.

Ea tempestate procerum auctoritas deminui cœpta: quod Rex honores, militariaque munera dissipauisset: beneficiaque bellica interuertisset. Iurisdicctio Præfecti Iustitiæ Aragonum, libertatis tuendæ, ac muniendæ causa, communi consensu magnis præsidij postea munita, ab ijs inijs aucta, suarum virium originem, & progressionem persequitur: ne quid de libertatis iure deminui possit. Publicis tamen procerum consilij res administrant: neque pacem, bella, fœdera, societatesve illorum iniussu Reges inire consueuerant. Horum ea erat existimatio, atque auctoritas, & in suos imperium, vt cum publicis pariter, ac priuatis Regni consilij inter essent, copijs etiam equestribus præficerentur: & his beneficia militaria, ac stipendia tribuerentur: quibus oppidorum Regionum attributorum nominibus indita sunt cognomina: quorum prouentus ab eis in equitum turmas erogabantur.

Cum inter Reginam, & Guilielmum eius fratrem super Mompellerij dominatu controuersa orta esset, atque eam ditionem Guilielmus repetere, & lite, atque iudicio persequeretur, Pontifex Max. Reginæ adiudicat: atque eius fratrem ex non iusta, neque legitima vxore genitum decernit.

#### IACOBVS. XIII. REX ARAGONIAE.

In regijs commentarijs, qui ab ipso Iacobo Rege scripti feruntur, quibus nulla exstant rerum nostrarum clariora, magisque insignia monumenta, Rex ipse perhibet se quartum decimum in Aragonia regnare: vt & stirpis, & regni initia ab Innico Arista Rege rite repetantur.

Petro Rege bellum pro Tolosæ gerente, & Maria Regina Iacobi parente Romæ commorante, puer filius Carafone Simonis Monfortij cura, cui a Pontifice Maximo commendatus fuerat, educatur. Profligatis Regijs copijs Nunnius Sanctij Comitis filius, Guilielmus Moncada, qui in acie non fuerant, Guilielmus Vicecomes Cardonensis, reliqui que Aragonij, & Catalani proceres, cum exercitus reliquias collegissent, in Narbonensi regione bellum aduersus Vidonem Monfortium gerunt. Simon Cornelius, Guilielmus Ceruera, & Templariorum magister, ac Petrus Ahonesius viri primarij Rege interempto, rei publicæ causa ad Pontifex Max. legantur: vt suis Rex puer tradatur. Regni ordines legatis in mandatis dederant, vt Monfortium, si puerum tradere recuset, ad singulare certamen

AERA NAT. CHR.  
MCCLI. MCCXIII.

tamen, qui mos illorum temporum fuit, prouocent: & propter violatam fidem in iudicium armorum capitis arcessant. Hispanus Segorbienfis Episcopus, eius rei ergo Petro Ferdinando Azagra, qui Albarrazini dominabatur, adnidente ad pontificem legatus, egregiam reipublicæ operam, & studium nauat.

Potentia, atque factione procerū, quorum animi infecti partibus erant, regni vires, atque opes, perquam tenues illæ quidem, & exiles dilacerantur: quibusdam Sanctio Ruscinonensi Comiti, alijs vero Ferdinando pueri patris opem, atque operam tribuentibus: qui regni competitores legitimo iure puerum regno exturbare nituntur. Sunt, qui pueri causam propugnant: & sub eius imperio fideliter, atque obedienter futuros polliceantur: & reliquos, vt Regis fidem sequantur, hortari non desinunt.

MCCLII. MCCXIV.

Petrus Beneuentanus Diaconus Cardinalis S. R. E. legatus concilio Mompellerij celebrato, in Cataloniam puerum Regem, ad suos regio comitatu deducit. Narbonem proceres Regni regiarum partium obuiam Regi procedunt. Conuentus regio nomine Ilerdam indicitur. In eam urbem, legato assidente assumptionis B. Mariæ festo die nondum inito, Rex, & Raimundus Berengarius eius frater Prouinciæ Comes deducuntur. Eo in conuentu, quod infirma ætate Rex puer esset septimum, enim annum agebat, & regnum partium disidijs flagraret, legatus operam dat, vt in Regis verba omnes regni ordines iureiurando adigantur: atque se in fide mansuros obtestentur: neque eius incolumitatem, & salutem se deserturos recipiant. Iusurandum enim poscit, vt quod ex vsu regni intellegant, communi consilio administrent. Omnibus ad iusurandum adactis, sanctissima iurifurandi religione confirmant. Magno id conceptis verbis consensu factitatum: cum Spargus Tarraconensis Archiepiscopus ex Barcarum familia Mompelleriæ præfecturæ Regis auunculus puerū in vlnis gestaret. Ex eo in more patrio, institutoque maiorum positum, vt ordines regni, regnare incipientibus, fidei religione, ac iurifurandi sacramento astringantur: modo ipsi principes in leges, atque instituta maiorū prius iurent. Ab eo conuentu Sanctius, & Ferdinandus Regis patris ab erant: quod incredibilis, & singularis bonorum consensus in puero orando, & tuendo existeret.

Totius conuentus Ilerdensis consilio, atque consensu Rex Guilielmo Monredonio Templariorum Magistro nutricio traditur: & Raimundus Berengarius Prouinciæ Comes nonum annum agens ei adiungitur: vt Mōtione regio præsidio afferuarētur: quod munitissima eius oppidi arx esset.

Sedis Apostolicæ legatus, id auxilium, spemque reliqui temporis satis futuram arbitratus, tris regni procuratores, atque vicarios rebus gerendis præponit: quorum vnus Cataloniæ præficitur. Petrus Ahonesius in amicitia Petri Regis clarus, & præpotens ab Hiberno amne ad Pyrenæi iuga Aragoniæ adiuuetur procuratori: & Petrus Ferdinandus Azagra, qui Albarrazini dominatur summo loco natus, & summæ domi potentia: cis Hiberum in vltimos regni fines procurator constituitur. His collocatis, consensu ordinum Sanctius, qui Prouinciæ Comitis cognomentum vsurpauerat, vniuersæ procuratori præficitur: vt eo munere delinitus, ab amenari rerum nouandarum consilio decedat.

A. D. III. Non. Oct. Alfonso Castellæ Rex, & eiusdem mensis sine Leonora

Leonora Regina eius vxor e vita excessere. Henricus F. puerili ætate regni gubernaculis admouetur.

Septembris mensis initio Oſcæ conuentus ab Aragonenſibus agitur. Guilielmus Ceruera, & Petrus Ahoneſius reipublicæ cauſa a Sanctio Comite ad Innocentiũ P. M. cui ſummæ rerũ deferri cõſueuerant, legãtur.

Innocentius Lateranenſi concilio Raimundum Tolofatem maieltatis delatum, atque conuictum, Tolofatum ditione multat. Simoni Monfortio, eiusius, & dominatum addicit. Biterenſes eiufdem Simonis imperio ſubijciuntur.

In eo concilio, quod ſumma totius orbis Antiftitum frequentia celebratur, Rudericus Simenius Toletanus Antiftes Bracarenſi, Compoſtellano, Tarraconenſi, & Narbonenſi Archiepiſcopis, publico in conſeſſu litem intendit: quod ſibi, tamquam earum prouinciãrum primario honos, & ſuperior poteſtas priuilegijs ab Honorio, Gelafio, Lucio, Hadriano, & ipſo Innocentio irrogatis non deferretur. Conteſtata lite Auſetanus Epiſcopus Spargi Tarraconenſis abſentis mandato, & ſuo, atque aliorum antiftitum nomine, primariam eam dignitatem conuellere, atque a Toletana ſede auertere, iudicio eo contendit.

Simon Monfortius, cum Carcaſonenſium, Tolofatum, & Narbonenſium vrbiũ muros, & propugnacula dirui, ac funditus euerti imperaſſet, & earum ciuitates magnis oneribus, & acerbiffimis pecuniãrum exactiõibus premerentur, rebellionem faciunt. Tolofas ex Catalonia profectus bellum reintegrat. Raimundus Tolofatis F. Auenionenſibus adiunctis oppida omnia, atque arces cis Rhõdanum amnem, & Belicadri caſtellum ditionis paternæ recipit. Graue aduerſus Vidonem Simonis fratrem, & Aimericum F. bellum geritur. Tolofatis partes superiores euadunt.

Ad defectionem procerum nouum bellum acceſſit: ſummaque partiũ contentio in ipſis regni initijs, in re publica verſatur: Sanctio, & Ferdinando pueri Regis patris regnum palam appetentibus. Sanctij Comitibus partes tuentur, ac ſuſtinent Petrus Ahoneſius, Atorella, Simon Vrra, Arnaldus Palazinus, Bernardus Beneuentanus, & Blaſcus Maza. Ferdinandum vero affectantur Petrus Ferdinandus Azagra, Petrus Ferricius Lizana, & Blaſcus Alagon. At Petrus Cornelius, & Valles Antilionius principes iuentutis, atque alij, qui honorarijs beneficijs a Rege nõdum donati fuerãt, modo harum, modo illarum partiũ fautores, adiutoresq; exſtiterãt. Vnus tamen Simon Cornelius vir, & conſilij magni, & virtutis, & qui inter proceres omnes primarius exacta ætate, & ſapientia ceteris optimatibus præſtaret, vt tot malis afflictæ reipublicæ medeatur, optimates foedere adiungit: qui Septembri menſe Montione Regi operam ſuam aduerſus impotentes aduerſariorum conatus offerunt. Conſtituunt, vt Sanctius procuratori regni præſit: dum rebus publicis conſultum velit: quod Aragonenſium conuetudo hæc eſſet, a maioribus tradita. Ea res aſſenſu procerum ſancita Aldemari Claretij Gardenij præfecti, qui in Aragonia, & Catalonia Tẽplariõrum Magiſtri munus obijt, Bernardi Aquilulæ Montionis præfecti, Aldemari Campani Mirabetis præfecti, Ruderici de Ayſelis Ampoſtæ Magiſtri, & Fortunionis Pomarij, & Blaſci Auerij Hieroſolymitanã militiã profeſſorũ, Blaſci Alagonis, Guilielmi Pogij, Petri Pomarij, Raimundi Moncadæ, & Guilielmi Raimundi Moncadæ, Iordanis Pe-

ÆRA NAT. CHR.  
MCCCLY. MCCXVI.  
LXXDOM .IIIIIIIDOM

raltae, & Raimundi Castellæ veteris.  
Raimundus Berengarius Prouinciæ Comes suorum consilio, Petro Augerio Nutricio, & duobus ministris comitatus, clam Montionis arce egressus, in Tarraconis portum, Salonium vocant, profectus, actuaria nauis in prouinciam Galliam nauigat. Is Beatricem Thomæ Mauriensis, & Sabaudia Comitis filiam in matrimonium ducet.

MCCLV. MCCXVII.

Sanctius Ahonesius Cæsaraugustanus Episcopus.  
Annum agens decimum Rex, cuius mirifica in doles virtutis magnâ rebus spem afferebat, animos optimatibus addidit, vt re publicâ capeffant. Montione mense Iunio Bouatici tributû Regi a Catalanis, a Sicori, ad Salsulas cõdonatur. Id nomen inuenit, quod pro bouum iugis, & capitû armæ torum, & pecudum exactiõne penderetur: quod initio regni in Catalonia exigi consuevit. Primo Petro Regi pensitatû reperimus anno MCCXI. in sumptus bellicos aduersus Mauros: & sacra expeditione, qua Vbedensî prælio debellatû fuit, & in auxiliû dotale, quum tris sorores in matrimonium collocasset. Rex summa spe & animi, & ingenij præditus Simonis Cornelij cõsilio, qui sapiens habitus est, & eorum procerum opera, qui se Ferdinandianæ factioni addixerant, cum Mõtionensî arce xxx. menses asseruatus esset, Sanctio patruo inuito, ea excedit. Ofcensem, & Cæsaraugustanam ciuitatē sibi adiungens, rem publicâ gerere, atq; etiã bellicam ductu, imperioque suo exercere, vix decimo ætatis anno ex eunte parat.

A. D. VIII. Id. Iun. Martis, vt ferunt, die, puerili in certamine ludicro puer Henricus Castellæ Rex Pallantiæ regulæ ictu saucius moritur: cui regni succedit heres Berengaria soror Alfonsi Legionensis Regis vxor: cum Blanca natu maxima Berengariæ soror Ludouico Philippi Francorum Regis filio nupsisset.

MCCLV. MCCXIX.  
LXXDOM .VIIDOM

Petrus Ferdinandus Azagra Albarrazini dominans Aulæ regiæ præfectus.

Iulij mensis initio Rex Tarracone Catalanorum conuentum agit. Septembri Ilerdæ Catalanis, & Aragonensibus conuentus celebrat. Sanctiû eo in conuentu aliquot oppidorum, honorario fidelitatis iure attributorû pactione ad se allicit: & Sanctius regni procurationem eiurat. Ea pactio Ferdinandi Regis patruî consensu sancitur. Regio consilio frequentes ascedere Spargus Tarraconensis Archiepiscopus, Sanctius Ahonesius Cæsaraugustanus, Berengarius Ilerdensis, simulque Rotensis, & Pontius Derrosanus Episcopi, Garcias Artigua Ampostæ præfectus, Castellatum nûcupant, Pontius Mariscallus Montionis præfectus, Sanctius Comes, & Ferdinandus Regis patruî, Guilielmus Moncada Vicecomes Beneharnensis, & Castelbonius, Petrus Ferdinandus Azagra, Simon Cornelius, Petrus Ahonesius, Rudericus Lizana, Artallus Luna, Guilielmus Ceruera, & Raimundus Ceruera, Raimundus Galceradius, Hugo Mataplana, Bernardus Portella, Lupus Forrencius Luna, Atorella, & Atho Focius.

Res nummaria eo in conuentu, de communi sententia constituitur: & Iaccetanus nummus, a patre postremo iactatus firmatur. Iurisiurandi religione Rex obstringitur, non permissurum, vt alij nummi dissimili nota signentur: neue maiore, aut imminuto pondere, cum impensis res publica non sufficeret, feriantur.

Hoc ipso anno a Rege sacrum ordinem institutum D. Mariæ Mercedis no-

dis nomine dicatum perhibetur: eiusque antistites regijs insignibus, argentea cruce D. Eulaliæ Barcinonensis variatis decorantur.

Summa sterilitate, atque siccitate non messes modo, sed ipsi saltus arefcunt: quod non cælestes tantum aquæ defuerint, sed montosa quoque loca ingenito humore egentia, vix ad perennes amnium haustus sufficerent: magnaque fames, & pestilentia subsequuntur.

Maria Regina sanctissima femina Romæ e vita excedit. Moriens sacra, piaque religionis fœdera obtestans Honorij P. M. & Ecclesiæ præsidio filium, atque eius regnum tradit: atque commendat. In Vaticana D. Petri & de prope D. Petronillæ tumulum humatam ferunt. Mompelleriæ ditionis heredem filium instituerat: cui Mathildim, & Petronam filias substituit: ex matrimonio, quo Comenarum Comiti collocata fuerat, genitas. Filijs secundos heredes instituit Raimundum, Gaucelinum Luneli dominum, Raimundique filios: atque his Raimundum Rocafullium, & Arnaldum Rocafullium fratres, & alios ex ea familia substituit: & fratres iusto matrimonio non genitos exheredat.

Sacri Prædicatorum, & Minorum, quos vocare cœperant, pœnitentiæ Iesu Christi ordines a Dominico Hispano, & Francisco, viris summa religione, & sanctitate excellentibus instituti. Earum societatum templa, atque cœnobîa publice Barcinone, & Cæsaraugustæ primum ex ædificantur. Adeo id diuino nutu prouisum, vt vere ij ordines Catholicæ Ecclesiæ columnen extiterint.

A. D. VII. K. Aug. Reate Honorius P. M. pontificatus anno quarto Regē, Aragoniæ regnū, Cataloniā terrā, ac ditionē Mōpelleriensē, & bona, quæ in posterū Rēx adipisci posset, sub beati Petri, & sui præsidij tutela suscipit. Præterea B. tituli sanctorū Iohannis, & Paulli presbytero Cardinali, Apostolicæ sedis legato cōmittit, quando indutias, inter eas ditiones, quæ Regi parēt, & eas regiones, quæ in Narbonēsi, & Auxitana provincia sedis Apostolicæ imperio cōtinebātur, obseruari præceperat, Regē mandatis apostolicis obtempertē, tãquam præcipuum Ecclesiæ Romanæ filiū foueat: neque eius ditiones, cum infecte hæreticæ prauitate nō essent, ab aliquo impugnari patiatur: sed eas tueretur: atque defenderet. Earū litterarum Apostolicarum quod apponemus exemplū, exstat archetypū.

HONORIVS Episcopus seruus seruorū Dei. Dilecto filio B. tituli Sanctorū Iohannis, & Paulli presbytero Cardinali, Apostolicæ Sedis legato salutem: & Apostolicā benedictionem. Sacrosancta Romana Ecclesia pia mater deuotos, & humiles filios ad pietatis suæ gremium recurrentes non solum honorat amplexibus, verū etiā maternæ consolatiōnis nutrit vberibus, & exultat: illos præcipue diligentiori studio refouens, quos magis suæ recreationis cernit solatio indigere. Hac itaq; consideratione inductus Carissimus in Christo filius noster Iacobus Aragonū Rēx illustris nobis humiliter supplicauit, vt ipsum sub alarū nostrarū vmbra dignaremur protegere: ac protectionis Apostolicæ clypeo cōmunite. Nos igitur præclare de uotionis, & fidei puritatē quā ad Deū, & ipsam Ecclesiā progenitores suos habuisse didicimus, recolentes, attendētēs quoq; quod eundem Regē inclinatæ recordationis M. Regina Aragonū mater sua, cū terra, & alijs bonis suis, eidē Ecclesiæ cōmendauit: agens dudū apud Sedē Apostolicā in extremis, nostræ sibi dilectionis præcordia dignū duximus aperire: quatinus, qui in

AERA NAT. CHR. **MCCLVII. MCCXIX.** „ ætate tenera esse dignoscitur cōstitutus, dū fauoris Apostolici brachijs su-  
 „ stātatus fuerit, roborari adiutiūte domino valeat, & suscipere incrementū.  
 „ Regijs itaq; supplicationibus inclinati personā Regis eiusdē, Regnū Ara-  
 „ goniz, Terrā Cataloniæ, Villā, & terrā Montis pessulani cū omnibus alijs  
 „ bonis suis, quæ in præsentiarū rationabiliter possidet, vel in futurū iustis  
 „ modis præstante domino poterit adipisci, sub beati Petri, & nostra prote-  
 „ ctione suscepimus. Sane quia de tua deuotione fiduciā gerimus specialem,  
 „ sic te nobiscū credimus vnanimem, vt quos diligimus in Domino, diligas  
 „ illosque foueas: cum ordo exigit rationis, vt & mēbra respondeāt capitib;  
 „ & partes cōueniant suo toti. Cū igitur inter terras ipsius Regis, & terras,  
 „ quæ in Narbonēsi, & Auxitana prouincijs auctoritate Sedis Apostolicæ  
 „ detinētur, treugā firmari mādauerimus, & seruari, discretionī tuę per Apo-  
 „ stolica scripta mandamus, quatinus dictū Regē parentē mādatis Apostoli-  
 „ cis, in hac parte, tāquā specialē Ecclesię Ro. filiū habens propēsius cōmen-  
 „ datū, terras suas, præsertim cū infectæ nō sint hæretica prauitate, nō patia-  
 „ ris ab aliquo impugnari: quin immo manuteneas cū taliter, & defendas, quā  
 „ idē Rex nostrā penes te sibi sentiat gratiā efficaciter profuturā: & nos tuæ  
 „ sollicitudinīs, & diligentiz studium dignis possimus in Domino laudibus  
 „ cōmēdare. Dat. Reate VII. K. Aug. Pontificatus nostri anno Quarto.

Spargum præterea Tarraconensem Antistitem, Simonem Cornelium,  
 Guilielmum Cerueram, & Petrum Ahonesium consilio Regis primarios  
 administratos, propter pueri ætatem, præficit.

Septembris mensis initio Oscæ conuentus a Rege Aragonensibus ce-  
 lebratur.

**MCCLIIIX. MCCXX.**

Rex puerili in ætate arma aduersus Rudericum Lizanam, & Petrum  
 Ferdinandum Azagram dicto non parentes, qui sæpe, & sine causa tumultu-  
 arētur, sumere cogitur: vt turbatas seditione res, principibus eius tumultu-  
 tus procul amotis, componat.

Romæ denuo, turbatis in Aragonia rebus, & aliquot proceribus res no-  
 uas molientibus, A. D. VIII. Id. Mai Honorius Regem, & regnum, &  
 ditiones regno contributas sub S. Petri, & suo præsidio, ac tutela suscipit:  
 cum iam turbidi, concitatique procerum motus exorirentur.

Iulio mense Petrus Ferdinandus Azagra Albarrazino vrbe inclusus a  
 Rege obsidetur. Regi assident Simon Cornelius, Guilielmus Ceruera, Pe-  
 trus Cornelius, Valles Antilionius, Petrus Ahonesius, & Peregrinus Aho-  
 nesij frater, & Guilielmus Pogius: & Cæsaraugustanorum, Ilerdensium,  
 Calataiubiensium, Darocensium, & Turolēsiū copijs præficiuntur. Vr-  
 bem, arcemque regij admotis machinis oppugnant. Proceres, omnesque  
 vicini populi communi animo, consilioque consenserant, vt ex obsidione  
 Azagram eriperent. Cum se Rex a suis, Ahonesijs, & Guilielmo Pogio  
 demptis, ludificari videret, urbem obsidione liberat. Azagra se Regi sub-  
 mittit: & illius erratis dignoscitur.

**MCCLIIIX. MCCXXI.**

Blascus Alagon Regiæ aulæ præfectus.  
 Simon Cornelius, Guilielmus Ceruera, & Guilielmus Raimundus Mō-  
 cada Cataloniæ Senescallus, qui Constantiam Regis sororem in matrimo-  
 nium duxerat, quod Comes Sanctius, & Ferdināus Regis patruī palā re-  
 gnū appeterēt, nuptias Leonoræ Alfonfi Castellæ Regis filiæ Regi concii-  
 liant. Regē Agredā proficiscentē, vt nouam nuptiam exciperet, comitatur

Sanctius

Sanctius Cæsaraugustanus, & Garcias Oscensis Episcopi, Guilielmus Al-  
laco Templariorum, & Fulcho Hospitaliariorum Magistri, Nunnus Sanctij  
Comitis filius, Guilielmus Raimundus Moncada Senescallus, Simon Cor-  
nelius, Blascus Alagon aulae Regiae praefectus, & Petrus Ahonesius.

A. D. VIII. Id. Febr. Agredae nuptiae celebrantur: tam tenera Regis  
aetate, ut illis ipsis diebus xiiii annum attingeret. Leonora a Berengaria  
Regina sorore, & Ferdinando Rege fororis F. Turiasonem regio comitatu  
deducitur: atque ea in vrbe Regi in matrimoniū collocatur. Sollemnibus  
nuptiarum celebratis, Rex de more, militaris auctoramenti splendore, at-  
que dignitate decoratur.

Hoc ipso anno Fredericus Imperator, & Constantia Regina eius vxor,  
Regis Aragoniae amita Romae ab Honorio P. M. regium Imperij diade-  
ma suscipiunt.

Petrus Perefus Praefectus Iustitiae Aragonum.

Martio mense Darocæ frequentissimo in cōuentu, qui in eo oppido per-  
agitur, Gerardus Vrgellitanus Comes, Vicecomes Caprariae Regi se, sua-  
que addicit, ac subijcit.

Constantia Augusta Regis amita Catanæ moritur: & in Panhormitana  
æde maxima sepelitur. Ex eo coniugio Fredericus Imperator Henricum  
filium suscepit: quem pater Romani regni successorem sufficit: & regio  
cognomento cohonestat.

Guilielmus Moncada, qui Garfendam Beneharnensem Vicecomitem  
duxerat, & eius ditionis dominabatur, summæ potestatis adolescens, & Nun-  
nius Sanctij Ruscinonensis Comitis F. magna armorum contentione in Ara-  
gonia, & Catalonia inter se dimicant: repentinique eorum motus tranquillas  
res commouet. Cū in dies maximas turbas facerent, Rex coactō exercitu,  
ut illorum conatus cōprimat, obuiam procedit: in eū vindicaturus, qui ut tū  
multus sedetur, dicto nō pareat. Augusto mēse ad Castellionē prope Mon-  
tionē castra metatur. Eo tēpore Guilielmo Raimundo Moncadæ Catalo-  
niæ Senescallo, qui Constantiam sororē duxerat, Serosij, Aitonæ, & Sosij  
oppidorū donationē a Rege Petro factā sancit: firmatque: atque ratā habet.

A. D. XII. K. Ian. Ferrerij Reginae Leonoræ, Sanctij Comitis, & Fer-  
dinandi patris consilio Rex Gerardo Caprere comitatum Vrgellitanum  
tradit: modo experiundi iuris gratia, ad constitutum cum Aurēbiæ Ermē-  
ngaudi Comitis filia regio iudicio se stitutum spōdeat: ut de ea contro-  
uersia, iure apud se potius, quam inter se armis disceptent.

Meru grauioris in ea regione belli Rex in Catalonia aduersus Guiliel-  
mum Moncadam Beneharnensem copias ducit, & bellum gerit: neque se-  
gnius apparatus, quā si cū legitimo hoste res esset. Aetas vix tantis matu-  
ra rebus, sed abunde sufficiens, omnia eius opera decorabat.

Artallus Luna Aulae regiae praefectus.

Ferdinandus Regis patruus, & nouādarū rerū, & nouorū semper auctor  
cōsiliorū, Guilielmus Beneharnensis, & Petrus Ahonesius, qui Petri Regis  
amicitia ad summā dignitatē peruenerat, ut primū facultas data est hono-  
rū, atque dignitatū augendarū foedere inter se conciliati, atque adiūcti, ut Re-  
gē, & Reginā in sua potestate habeāt, efficiūt. Rege inuito, & cōquerētē, at  
que indignantibus proceribus, Ferdinandus regni procurationē vsurpat.

Proceres militaria regni beneficia, atque honores inuito, ac repugnante

I iij te Rege,

ABRAHAM, CHRIS-  
MCCCLXX, MCCXXII,

MCCCLX, MCCXXII,

MCCCLXI. MCCXXIII.

MCCCLXII. MCCXXIV.

ÆRA. NAT. CHR.  
 MCCLXII. MCCXXIV.

te Rege, nullo decreto interposito, inter se partiuntur: & diuidunt.

Iohannes Brenna Hierosolymitanus Rex Non. Apr. Toletum regia pompa a Ferdinando Rege exceptus ingreditur. Compostellanum D. Iacobus sepulchrum inuisit. Sacra peregrinatione obita, Berengariam Ferdinandi sororem in matrimonium ducit. Is Constantinopolitani Imperij procuratori ab Ecclesia, Balduinique imperatoris tutor admotus, Martham filiam, quam ex Berengaria vxore suscepit, Balduino collocauit.

MCCLXIII. MCCXXV.

A. D. II. Id. Mart. Cæsaraugustæ priuilegia ciuibus eius vrbs a Regibus irrogata Rex firmat. Gonzaluo Iohannio Calatrauensi magistro, atq; illi societati Alcanicij ditionem, & eius donationem, & contributa oppida decreto suo sancit.

Proceribus ad arbitrium, libidinemq; suam Regis etatem eludentibus, spernentibusq; Rex cum Dertosam concessisset, in scio, nec opinante Ferdinando patruo, vrbe ea excedit: atq; Hortæ substitit. Inde militari edicto proceres, & militares manus aduersus Mauros accitu suo arcescit: & Turonium in certam diem euocat: in Valentini regni fines incurfaturus.

Rex nondū parti bello sacro decoris auidus, cum intestinorū etiam motuum, ciuiliūq; armorū pertaxum esset, K. Octob. hostilem regionē incurrens, Peniscolā, Illegaonum oppidū obsidet. Is situs est, vt scopulo impositum, pene mari cinctū sit: & e re vulgatū nomen inuenit. A Græcis apparet ob eā causam etiam Cherrhonesum dictū. Cum ex proceribus tantū Blascus Alagon, Artallus Luna, & Atho Focius ordines ducerēt, a suis desertus, eo expeditionis labore sibi super sedē dū videt: & indutias cū Zeitio Abuzeitio Valentinarū Rege paciscitur. Quinta vestigaliū pars, ac portiorū vrbiū Valentix, & Murtix in annos singulos, Regi contribuitur.

Bello sacro intermisso, quod Rex procerum consilijs traheretur, & Petrus Ahonesius ambitione præceps, cum super fortunam animum gereret, in hostium fines inuasurus, suo ductu rem gerere cuperet, aut certe simularet, neque Regi parendum, aut indutiarum, quæ cum hoste depactæ fuerant, iura seruanda præ se ferret, neque regijs precibus bello abstinere in animum induceret, & Buruagenæ a Rege attineri iusto manus iniicerentur, dum minax, atque insolens repugnaret, & valentem, ac repugnantem Rex demoraretur, seque eriperet, & facto a Regijs impetu in fugam se coniecisset, vt Cutandæ castellum ditionis Cæsaraugustani Episcopi fratris concitato cursu contenderet, a Sanctio Martino Luna, qui fugientem persequeretur, hasta transfixus interimitur. Ahonesius summæ vir audaciæ magis præpotens: quam origine splendidus erat: & ob eius necē, in magna turba, & cōfusione rerum ciuitates, & proceres regni versantur.

Initium hoc defectionis, ac belli futurum Rex arbitratus in Suprarbiū, & Ripacurciam militares copias traducit: quod in eis ditionibus Ahonesij opes, & splendidæ clientelæ late paterent. Arces, castellaq; præsidij Ahonesibus firmata oppugnat. Bolea in Oscensi tractu arcium præcipua a Ferdinando Regis patruo, & Petro Cornelio qui Ahonesijs se adiunxerāt, propugnatur. Cū acciri copias Rex iussisset, & signa in oppidū inferri, oppugnare adorto, rebellandi causam inde alij obtēdūt proceres.

Bellum a Rege, haud quaquam memorabile aduersus contumaces gestum est: eoque Suprarbiensi bello implicito, concitata omni iuuentute, & ad defectionem compulsa, ciuitates omnes Aragoniæ, Calataiubiana

excepta



excepta, arma Ferdinandi, & Petri Cornelij ductu, tamquam pro communi libertate capiunt. Cum magnum exercitum confecissent, Guilielmum quoque Moncadam Beneharnensem arcessunt. Rex Almudeuarem, & Pertusam præstidij firmat. Alauonæ Blasus Alagon, & Artallus Luna copijs Regijs cōparatis bellum Cæsaraugustanis inferunt. Sanctius Ahonellus Cæsaraugustanus Epus vrbe egressus Alcubierrenses diripit. Demū Cæsaraugustani a Blasco Alagone, & Artallo Luna male multantur.

Et si crimē defectiōis a publica fraude, in paucos auctores versum esset, tamē summa vi, a Rege aduersus Ferdinandū patruū, & ciuitates, quæ illi se addixerant, bellū geritur. Cum Oscenses Regē acciuisissent, pollicentes se eius imperio obtemperaturos, ac nullis adiunctis militaribus copijs, eorum se fidei tradidisset, atque in vrbe recepisset, populari cōmōtione, ac seditione tumultuantes arma capiunt: vrbis vicos obstruunt: atq; omnes aditus obsepunt. Rex inuicis ciuibus vrbe excedit: & Pertusæ subsistit.

Atho Focius Regiæ Aulæ Præfectus.

Cum per aliquot dies incertū proceres rerum omnium, suspēsij; de statu rei publicæ agerent, & rem dies cōplures Rex tenuisset, & si cunctaretur, se omnia assequuturū videret, & dissidētes in suam sententiā perducturū, dum se conari simulat, Raimundū Folchium Vicecomitem Cardonēsem, atque eius factionem Guilielmo Beneharnensi, acerrimo Cardonensis factionis aduersario adiungit. Dissidia Ferdinādi patruī, & Nunnij Sanctij sua opera sedantur. Optimates demū omnes ad se deducit: qui A. D. X. K. Iun. communē causam, ac propria iura in regia fide, ac religionē depōnunt. Fidei illius se, imperioque deuinciunt: atque obnoxios statuunt.

Cæsaraugustana, Iaccetana, & Oscensis ciuitas confortionē sociabilem inter se, salutarē sibi, rei que publicæ futuram animaduertentes, Id. Nou. de republica tuenda, atque conseruanda, & aduersus latronum, & crassatorum vim, atque violentiam societatem, maiestatem, & fidelitatem regia integra, atque salua, coeunt. Vnionem ipsi appellauere.

Siccitate, & inopia frugum calamitosus annus fuit. Februario, & Martio mensibus Barcinone, & vniuersa ferme Catalonia miserabili fame populi prementur.

Aprili mense Raimundus vltimus Tolosatium Comes, quod ab Ecclesia defecerat, dirarum obnuntiatione, per tot annos execrandus, & sacris interdictus, Ecclesiæ Catholicæ, Romano S. Angeli Diacono Cardinali, sedis Apostolicæ Legato in æde maxima Lutetiæ Parisiorum nudus publice commissorum pœnitēs reconciliatur. Cruce insignitus sacramentū auctoramenti sacri, & transmarini belli dicit: quo, ex Augusti Kalendis proximis, intra vertentem annum, in quinquennium se militaturū spondet: atq; adiurat. Conuenit præterea vti Iohannam, quam ex Sanctia Aragonia Regis amita vnicam filiam susceperat, Francorum Regi Ludouico tradat: quæ vni ex eius fratribus, ab Ecclesia sacris sanctionibus soluto nubat. Pars quædam Tolosatium ditionis, Raimundo vita functo Francorum Regi cedit: reliqua Raimundi genero attribuitur. Tolosati ditioni Agennensis, & Rhodensis dioceses contribuuntur: atque ea diocesis Albigenis pars, quæ vltra Becharem fluuium, ad Gailiacum pertinet. Albigenis ciuitas Regi Francorum excipitur: & tractus omnis, qui in ea diocesi cis fluuium, Carcafonem vsque continetur. Cadurcorū diocesis

Raimundo

ABRA NAT. CHR.

MCCLXIV. MCCXXVI.

MCCLXV. MCCXXVII.

MCCLXVI. MCCXXVIII.

AERA. NAT. CHR.  
 MCCLXXVI. MCCXXIIX.

Raimundo cedit: præter eam ciuitatem, & ea iura, quæ a Philippo Francorum Rege Ludouici auo possessa fuerant: atque ea ditio, vti proprii iuris Raimundo addicitur: quæ filios legitime natos heredes sequatur. Ditiones omnes reliquæ, quas Tolosates Comites vltra Rhodanum in Francorum regno obtinuerant, ac iura omnia Ecclesiæ cedunt. Pollicetur Raimundus se Tolosæ, & xxx. oppidorum, aut arcium, quas designaret Legatus, muros, & propugnacula euersurum. Vt hæc rata, ac firma in posterum obseruentur, Tolosatem arcem, quam Narbonensem vocabant, & Pennam Albigensem, atque alia propugnacula tradit. His peractis Francorum Rex Raimundum festa celebritate, militari ornatu accingit: Regioque auctoramento obstringitur. Iohanna Raimundi F. Alfonso Pictorum Comiti Regis fratri nubit.

Cum Aurembiaxis Gerardo Capreræ hereditatis actionem intendisset, neque ille iudicio se sisteret, homo omnibus consilijs præceps, & deuius, Rex Vrgellitanum comitatum Aurembiaxidi honorario fidelitatis iure attribuit: excipitque regio dominatui Ilerdam urbem. Gerardum ius suum armis tuentem Rex ditione omni exigit: & Aurembiaxis in possessionem venit: & Petro Sanctij Regis Portugalliæ F. nubit: Raimundi Berengarij principis nepoti.

### BALEARICVM BELLVM.

Inde ab seditione, & bello sedatis rebus inclinavit pars maior curarum in expeditionem Balearicam: vt maiora iam hinc bella, & longinquitate regionum, vel temporum spatio, quibus bellatum est, suscipi cœperint. Ipsi Cataloniæ proceres Regem hortantur, vt bellum aduersus Baleares insulas paret: quarum prædones, aliquot mercatorum naues euerterat: atque diripuerant. Abohies Balearium Rex, cum pro suis opibus, & facultatibus superbiorem se, multa aduersus nostros hostiliter molitus, in ea fortuna præbuisset, & legatum, qui res repetitū transmissus fuerat, per iocum irrideret, & vix se continuisset, quin eum pulsari, contra ius gentium iuberet, mense Decembri Barcinone a Rege conuentus agitur: & de bello Balearicis inferendo refert. Cum res domesticæ commodiorem in statum peruenissent, pax, & indutiæ a Cinga flumine ad Salsulas, trans Pyrenæi promontoriū inter proceres constituuntur. Bonatici vestigal in sumptus bellicos conferunt. Egregie in ea expeditione obeunda operam nauarunt Berengarius Palous Barcinonensis Episcopus genere, ac nobilitate suæ ciuitatis facile primus, Nunnus Sanctij Comitis filius, & Guilielmus Moncada Vicecomes Beneharnensis. Episcopi signa assestantur Guilielmus Raimundus Moncada eius consobrinus, Raimundus Solsona, Raimundus Montaniana, & Arnaldus Dezuiliarius. Ad Nunnij ductū se applicuere Gaufredus Rocabertinius, Oliuerius Thermes, Raimundus Rogerius, Guilielmus Alberti Barcinonensis, Pontius Verne tius, Petrus Barbera, Bernardus Hispanus, Bernardus Oliues, Bernardus Montesquiuius, & Castellosius: & duo Castellani proceres: quorum nomina non eduntur. Beneharnensis magnas copias ex suo delectu comparat: & ij duces illi paruere: Guilielmus S. Martini, Gerardus Ceruilionius, Raimundus Alemanus, Guilielmus Claramontius, Huguerus Mataplana,

Mataplana, Guilielmus S. Vincentij, Raimundus Bellocius, Bernardus Centilias, Guilielmus Palafogius, & Berengarius S. Eugenæ.

Iohannes Episcopus Sabinensis a Gregorio IX. P. M. in Hispaniam Legatus Calaraiubij Regem conuenit. Legatione obita renuntiat de dissidio connubij Leonoræ Reginæ: quæ etsi Regis potentissimi filia, Reginarum soror, & probitate, & fecunditate digna tanto matrimonio esset, cum tam diuturnæ nuptiæ iustæ non exstissent, quod propinquitate adiungerentur cognationis, vt sine scelere dirimantur, siue non nolente, siue inuito Rege Pontifex iudicio Legati committit.

Aprili mense Zeitius Abuzeitius Valentini populi Rex, regno exactus, suo, & Zeitij Abahometis filij nomine Regi fœdere adiungitur. Sex arcus eius fœderis pignora se traditurum spondet: Peniscolam, Moreliam, Cullarim, oppidum ad Pontem vocatum, Exericam, & Segorbium. Rex religionis fide adstringitur, se illi opem laturum: & Castelfauibium, & Adamazium oppida, earum pactioinum iure tradit. Is Pontifici Maximo, & ipsi Regi magnam spem iniecit, se Christianæ religioni, eiurata impietate Mahometica addicturum: & sacrum baptismum suscepturum.

Turiasone a Sabinensi Episcopo Ecclesiæ Legato matrimonium Regis, & Leonoræ dirimitur: eiusque fit diuortium. Cum filium ex ea bona fide Rex suscepisset, antequam Legatus sententiam ferret, Regem conceptis verbis, hac formula expressa, atque constituta, ne a me eius verba inuertantur, ita præfatum comperio.

Vobis domine Legate, & omnibus Archiepiscopis, & Episcopis, & alijs ecclesiasticis personis, qui hic assunt, necnon & nobilibus, & popularibus innotescat, quod nos carissimæ vxori nostræ Alienor per Ecclesiam coniuncti fuimus: & credimus nos eidem legitime fuisse coniunctos: & ex ea suscepimus carissimum filium nostrum dominum Alfonso: quem nos arbitrantes legitimum, heredem, & successorem regni nostri iam pridem constituimus: & a vassallis, & nobilibus regni nostri eidem fecimus iurari, & assecurari regnum nostrum. Nunc autem coram vobis constituti, & nescientes quid super nostra coniunctione discernere proponatis, in præsentia vestra, & omnium assistentium, quod de supra dicto filio nostro, sicut prædictum est, fecimus, confirmamus: & si legitimatione aliquatenus indigere videatur, nos auctoritate, & potestate regia legitimamus ad omnia, ad quæ legitimari potest auctoritate regia: & heredem, & successorem regni nostri constituimus: & declaramus: & præcipimus, quod sicut ei iuratum est regnum, tamquam verus heres, post nos ab omnibus vassallis nostris, & a toto regno in dominum recipiatur: & Regem. Petimus quoque a vobis, & supplicamus domine Legate, & ab omnibus Archiepiscopis, & Episcopis, qui hic præsentibus sunt: vt hoc factum nostrum litterarum vestrarum testimonio roboratis. Nos igitur, inquit Legatus, ad instantiam prædicti Regis, præsentibus annotari fecimus: in testimonium veritatis. Hæc autem acta sunt præsentibus domino R. Toletano Archiepiscopo, domino S. Archiepiscopo Tarraconensi, & venerabilibus patribus Burgen. Calagurritanen. Segouien. Seguntinen. Oxomen. Ilerdensi, Oscan. Tirafonen. & Baionen. Episcopis. Apud Tirafonam III. K. Mai. Anno Domini. MCCXXIX.

Rex Turia-

AERA. NAT. CHR.

MCCLXVII. MCCXXIX.

Rex Turiafone concitato dispositorum equorum cursu Tarraconem contendit: atque K. Mai se sistit: vt Balearicam expeditionem maturaret.

Ilerdæ a sedis Apostolicæ legato, in frequentissimo conuentu Rex, proceresque cruce insigniti, sacra militiæ auctoramento deuinciuntur.

Ingentibus, tam naualibus, quam terrestribus copijs contractis Salonio portu, classe c. l. v. nauium, quas maiores vocabant, Rex egreditur. Nocturna aura prouectus in Balearem maiorem nauigat. Ex alto tempestate iactati, reflatu reijciuntur: sedatisque fluctibus, & tempestate commutata c. x. l. stadijs ab vrbe deflectentes Septembri mense insulæ portum tenent: quem Palumbariam incolæ appellant. Primus terram attigit hostium Bernardus Argentona: qui vexillo sublato, vt se sequantur, nostros hortatur: & ex proceribus primi copias exponunt Nunnius Sanctij Comitiss filius, Raimundus Moncada, Bernardus Sanctæ Eugeniæ, Gialbertus Cruillias, & Bernardus Campanus Templariorum Magister. Dum Rex operitur, vt terrestres copiæ traicerentur, & onerariæ ex agmine suo per altum dissipatæ consequerentur, cum raptim milites exponerentur, atque omnia agerentur turbate, conferta pugna nostri cæduntur. Guilielmus Beneharnensis, & Raimundus Moncada, atque VIII. Moncadarum gentis proceres, & Hugo Mataplana interiire: & in prima acie nostri profligantur: ac victi pelluntur. Inordinato exercitu coacto, & in ordines deducto Rex urbem castris circumfidet. Cum Rex clade accepta, satis omnibus instructis, comparatisque ad hostes perrexisset, & locum idoneum statiuis delegisset, ac nostri stationibus quieti tempus tererent, aliquot castella vicina expugnantur.

Castra cum castellis nostri præsidijque firmassent, & hostes nulli extra mœnia adorirentur, nec quisquam extra portas propellere auderet, aggerem, & vineas agens, turres quoque muro admouens Rex summa vi oblidionem vrget. Quamuis continuus labor, neque die, neque nocte remissus hostes subegillet, locusque inuadendi urbem nostris datus esset, qui nulla eruptione impediri posset, in transmarinis auxilijs extremam spem reponentes, obstinatis obsessi animis obdurant. Rex acrius obsidioni insistens, ingenti militum alacritate mœnia vndique aggressus, diuiso exercitu, & in eam partem circumductis copijs, quam hostes tenent, incredibili virtute instat. Qui pro munitionibus pugnant, vix prima impressione sustentata, proiectis armis, se fugæ dedunt: quibus veterani immixti, decliuem per locum, nullo vltra obsistente, in urbem inuadunt. Miles tota vrbe peruagatus, prædæ cupiditate incensus magnam stragem edit. A. D. II. K. Ian. capta vrbs, direpraque fuit. Abolihes, & eius filius XIII. annorum in Regis potestatem venere. Arce, quam Almu-denam Mauri vocant, summo virium conatu nostri potiuntur: immitti cæde fugientium pariter, & repugnantium. Rex primo, & vicesimo ætatis anno vix exacto, & militari, & Imperatorio munere egregie perfungitur. Diuidundæ, ac partiendæ prædæ Berengarius Barcinonensis, & Lupus Ilerdensis Episcopi, Nunnius, & Pontius Hugo Emportitanus Comes, Petrus Cornelius, & Simon Vrrea præficiuntur: atque his Rex adiungit Raimundum Alemanum, & Raimundum Berengarium Agerem curatores datos Gastono Beneharnensis Vicecomitis filio pupillo. Cum magna in castris super manubiarum partitione suborta esset seditio, aliquot

quot tabernacula Episcoporum, & procerum sunt a militibus cōpilata: atque direpta. Plures ex proceribus morbo graui, & mortifero afficiuntur. Rebus Balearicis cum exercitu, subsidio ex Aragonia proficiscuntur Petrus Cornelius, Atho Focius, & Rudericus Lizana.

AERA. NAT. CHR.

Post accisas hostiū res montani Maioris Baleariū expugnantur: locisq; montosis, & siluestribus expelluntur: & vniuersa insula in regiam potestatem redigitur. Quod Episcopi sedes, propter eius insulæ frequentissimam celebritatem, & summam frugum, fructuumq; vbertatem constituetur, ecclesiastica diocesis Episcopo, & ecclesiæ Barcinonensi subijcitur.

MCCCLXIX. MCCXXX.

A. D. V. K. Mai. Rex Palumbariæ portu soluens, in Cataloniam transmittit. Festo omnium Sanctorum die, ad Populeti sacrorum celebrationi assidet. Regis nomen magna ad omnes gentes gloria fuit. Nuntij de Alfonso Regis Legionensis morte offeruntur: qui filiam Sanctiam natu maiorem, quam ex Theresia Sanctij Portugalliæ Regis filia genuerat, nuptui Regi traditurum pollicitus fuerat, tamquam regni heredem: cum Ferdinando filio, quem ex Berengaria Regina iusta vxore, ac sanctissima femina susceperat, Legionensis regni hereditas veniret.

In controuersia, & disceptatione Regi cū Berengario Epō Barcinonensi venerat super Ecclesia in Maiore insula cōstituenda: & Epō, qui illi præficeret, deligēdo. Id enim ius Epūs, & Conuētus Ecclesiæ Barcinonensis ad spectare cōtenderāt: eius donationis causa, quam olim Sarracenus, qui Baleariū insularū, & Dianij dominabatur, fecerat: qua ditione eam Epō Barcinonensi, & conuentui eius Ecclesiæ detulerat: cui donationi & Comitēs Barcinonenses, & Archiepi, Episcopiq; cōsenferāt: & a Sede Apostolica firmata, atq; stabilita fuerat. Sed omni ope, & opera enitente Rege animaduertētes ecclesiastici ordines Barcinonenses, quod pro frequētia, atq; cultu Maioris insulæ æquū esset, vt Sedes pontificia eo in regno cōstitueretur, quā Rex pollicebatur affluentibus copijs ditare, volūtati regiæ paruerūt: & interuentu Abbatū Populeti, & SS. Crucium, & aliorum, ad eam partionem deuentum est: vt eain insula Epūs crearetur: & Sedes Pontificia constitueretur. Is vero eo tempore primus ad eam dignitatem adscisceretur, quem Rex præficiendum videret: cautumque, vt ei nominationi assentirent: eo vero defuncto selectio eius, qui in demortui locum sufficeretur, a Barcinonensi Episcopo, & clero in posterum regio permissu egrēmio Ecclesiæ Barcinonensis, aut Maioris insulæ: aut ex alia Ecclesia fieret: modo ne vltra duos menses ea selectio differatur. Ea res Populeti A. D. VIII. Id. Nouemb. sancitur. Episcopi Maioricenses nūcupati. Primum ad eam dignitatem adscitum memorant Raimundum Torrelliam.

Sanctium Nauarræ Regem, qui plures annos Tudelana arce abditus latuerat, Rex inuisit: adeoq; inter se conciliantur, atque foedere coniunguntur, vt alter alterum, non sui tantum iuris, & decoris defensorem, atque vltorem, sed regni heredem, & successorem adoptet. A. D. III. Non. Febr. Dominico die. & Purificationis beatæ Mariæ sacro, sollempni stipulatione mutæ adoptionis Aragoniæ, & Nauarræ Reges alligantur: quā regnorū proceres, ciuitatesq; ratā, ac certā definiunt. Vter eorū vita supererit, ad eū alterius regnū perueniat, statuūt. Vt earū adoptionū iura obseruetur, qui se ex Aragonia, & Nauarra sponsione obstrinxerant, hos fuisse cōperimus. Sanctius Ferdinandus Montacutus, Iohannes Perefus Baztanus,

MCCCLXIX. MCCXXXI.

K Petrus

AERA NAT. CHR.  
 MCCLXIX. MCCXXXI.

XXXXM .XIIK IXXX

Petrus Martinius Subiza, Petrus Martinius Lehetius, Simon Aiuarius, Petrus Iordanis, Garcias Garcesius Aozius, Lupus Garcesius Arcius, Michael Guerrezius, Garcias Simenius Varaizius, Petrus Garcesius Arro-  
 nius, Petrus Simenius Olleta, & feni procuratores singularū ciuitatū re-  
 gni Nauarræ. Ex Aragonia fidem suam obstringunt: Petrus Ferdinādus  
 Azagra, qui Albarrazini dominatur, Atho Focius Aula Regiæ præfectus,  
 Gaiilielmus Moncada, Rudericus Lizana, Artallus Luna, Simon Vrrrea,  
 Blasus Maza, Petrus Peresius Iustitiæ Aragonū præfectus, & Petrus San-  
 ctius regiarum epistularum magister. Sanctum, vt in officiosus, ne dicam  
 inhumanus appareret, Theobaldū Campaniæ Comitis ex sorore filium  
 regno deturbans, & Regem vicinum robusta ætate, & summa spei iuue-  
 nonem adoptans, maior vis vrguet: dum Castellæ Regis impotentem, &  
 exultantem conatum propulset: a quo continenti, & intestino bello pre-  
 mitur. Noster, nisi regnandi cupido allicit, & transuersum agit, qua nam  
 ratione compelli potuit, vt omnia iura diuina, & humana peruertat? Ad-  
 optat tertium, & vicesimum annum agens externum, graui senectæ, &  
 diuturna, & desperata valetudine confectum: & vnicū filium, quem pæ-  
 ne infantem puerum innocentem iam odisse non poterat, non modo non  
 coheredem adiungit, aut substituit, sed plane exhereditat. ¶ Aurembia-  
 xis Petrum Portugalliæ Regis filium maritum, nullis susceptis liberis he-  
 redem dicit: & Vrgellitanæ, & Vasseoletanæ ditionis, Gallaicarumque  
 hereditatū successorē instituit. Petrum Rex Tarraconensis territorij oppi-  
 dis donauerat: & cū Balearibus insulis, quarū dominatū, Pityusis adiūctis  
 Rex quoad viuat, attribuit, Vrgellitanā ditionem cōmutat. Almudenæ,  
 Oloronis, & Pollentiæ propugnacula, Maioris Baleariū arces regia potes-  
 tati recipit. ¶ Mauri Balearici arcibus Pollentiæ, Santueris, & Oloro-  
 nis, siue proditis, siue expugnatis se in libertatem vindicant: & aspera, &  
 montosa loca circumfident. Cum his Tunetanorum Rex subsidio, magna  
 comparata classe aduentare perhiberetur, Rex Salonio portu, ccc. equi-  
 tum turmis coactis soluit: & in Maiorem insulam traiecit. Expugnatis ar-  
 cibus, incredibili celeritate, vnde profectus fuit, reuertitur: vt Nauarrensi-  
 bus rebus occurrat: eo enim versæ erant omnes regiæ curæ, prosperis eo  
 anno bellis. ¶ Cum Rex operam, atque opes suas Sanctio Regi pollici-  
 tus esset, ac denuo Tudelæ eum inuisisset, & expeditionem aduersus Ca-  
 stellæ Regem pacto conuento properandam acrius cohortaretur, & Na-  
 uarrus senio, & veterno languens, & iners thesaurum circumplexus, belli-  
 cis sumptibus deterreretur, ac diem, de die duceret, noster ab calura abdi-  
 ctus, se, atque omnem regni pubem, & cuncta populorum armata tota men-  
 te in sacrum aduersus Mauros bellum conuertit.

XXXXM .XIIK IXXX  
 MCCLXX. MCCXXXII.

Balearici Mauri, cum se impendentium montium asperitate, & redu-  
 ctis, atque abditis speluncarum cauernis obstinatis animis, infinita altitu-  
 dine tuerentur, ac confecto bello, se misere, sermo ritu sustentarent, at-  
 que omni cultu, & victu humano carerent, nec se dedere, nisi Regi vel-  
 lent, eo traicere primo vere parat.

EXPLICIT LIBER PRIMVS.

INDICES RERVM

AB ARAGONIAE REGIBVS

GESTARVM.

LIBER SECVNDVS.



NONIAM ADOPTIONIS

confilia, & regni Nauarræ obinendi euentus non satis ex sententia processerant, & ipsa per se res anceps esset, ita expediri posse visum: ne Alfonso filij officere, & obstare successioni videantur. A. D. II. Non. Mai Tarracone Rex filium denuo auctoritate regia, legitimis natalibus, quasi iusto connubio natum restituit: qui a Leonora matre, educabatur. Heredem præterea Aragonij, & Balearici regni, Barcinonensis, Vrgellitanæ, & Mompelleriæ ditionis, omniumque earum regionum, quæ sacro bello vindicarentur, renuntiat: & insignibus principatus ornat. Filio Raimundum Berengarium Prouinciæ Comitem, & eius liberos, & his Ferdinandum patrum, ac regia propinquitate affines substituit. Præterea filium tutelæ sedis Apostolicæ, & Spargo Tarraconensi Antistiti auunculo committit: tutoresque filij instituit Tarraconenses antistites, Templariorum, & Hierosolymitanorum magistros: & Guilielmum Cerneram, ex optimatibus Cataloniæ virum primarium: qui ad Populeti, monachorum instituto se addixerat. Ea res præsentibus Guilielmo Moncada, Petro Cornelio, Bernardo Guilielmi F. Regis auunculo, Valle Vergua, Assalito Gudali, & Petro Peresio Iustitiæ Aragonum præfecto sponcione sancitur. Hoc potissimum prouidet, vt Montione filius a tutoribus educetur: si mater, & Castellæ Rex illis tradendum curent. Mirum quod his adijcit: si forte filius externarum copiarum vi regnum inuadere niteretur, proceres illi, ciuitatesve parere minime debeant: nisi pacatus, quemadmodum dominum ad subiectos venire decet, aduentet: vt iam femina malorum, quæ dissidio filij a patre, in contrarias partes se postea verterant, excitari videantur.

Salonio portu Rex classem soluit: ac tertio die vrbis portum Balearis Maioris tenet. In Minorem insulam classem transmitti imperat: & eius ductoribus Mauri se, suaque dedunt. In ea expeditione ordines duxerant Ferdinandus Peresius Pinna, Atorella, Lupus Sanctius Rotæ, Sanctius Horta, & Garcias Horta eius frater: ac Petrus Lupius Pomarius.

Iulio, & Augusto mensibus ea expeditione confectis, Rex in continentem Cataloniæ nauigat. Balearici Regis filius cum cultum, puramque Christi religionem suscepisset, Iacobi nomine edito, Euam Martini Roldani filiam, & Roldani ex Alagonia gente neptem in matrimonium ducit. Rex Illuciam, & Gotoriam hereditatem illis firmat: sancitque.

VALENTINVM BELLVM.

Magno conatu suscipitur, nec in longum dilata est Valentini regni inuadendi expeditio. Omnis militaris ætas excitur: & intentior, quam vim-

AERA NAT. CHR.

MCCLXX. MCCXXXII.

quam antea muniendi, exercendique militem cura ducibus fuit: quod ho-  
res aduersus maritimos, & terrestres apparatus, ingentibus animis suas co-  
pias educunt, armantque.

Rege regi finibus egresso, & hostilem regionem incurfante More-  
lia, & Ares munitissime Maurorum arces, atque earum regionum pro-  
pugnacula regis deduntur: & pleraque tractus eius regia facta ditionis:  
Blasco Alagone primario ex Aragonia proceribus, incredibili virtute  
prostratos, ac percussos Mauros proterente, atque profligante.

Novembris mensis initio Turolj Zeitius Abuzeitius Rex denuo in  
Regis verba adigitur: & sacro bello se militaturum aduersus Zaënem Re-  
gem, a quo regno exactus fuerat, palam profitetur. Zaënes Modoli F. &  
Lupi Regis nepos erat.

Montione crucis prædicatio promulgatur: quam Gregorius IX. P. M.  
sacro bello obeundo indulserat. Rex, proceresque, ac duces, & milita-  
res manus sacro insigni decorantur: & mediterraneis, ac montosis a lo-  
cis digressis mare, versus AEdetana regione, fines regni proferuntur.

A. D. VII. Id. Decemb. Catalani Bouatici tributum in sumptus bel-  
licos Regi condonant.

MCCLXXI. MCCXXXIII.

A. D. VIII. K. Mart. Calataiubij festo cathedræ beati Petri die Rex  
Blascum Alagonem, ex proceribus Aragonensibus primarium, ducem  
egregium, & naturæ, fortunæque omnibus bonis instructum, & qui lon-  
ge tum princeps Aragonij nominis esset, Sastagi arce, & oppido, ac Ma-  
ria arce, posterosque eius donat: quod strenua eius opera Moreliam, re-  
gionis eius propugnaculum, initio tam insignis expeditionis obtinuis-  
set. De consilij sententia ea res sancitur: cui interfuere Sanctius Ahone-  
sius Cæsaraugustanus, & Guilielmus Turiasonensis Episcopi: Atho Fo-  
cius Regia Aula præfectus, Sanctius Sefesius, Petrus Ferdinandus Aza-  
gra, Garcias Romæus, Atorella, Petrus Peresius Pinna, Simon Vrrea,  
Blascus Maza, Fortunius Aznarius, Latro, Roldanus Lainus, Galceran-  
dus Cornellanus, & Petrus Peresius Iustitiæ Aragonum Præfectus.

Cum Valentini in se omnem belli molem vertissent, nostros, nec no-  
uum bellum, aut nouus hostis terret. Rex Turolj finibus cxx. equi-  
tibus, & Turolensi peditatu oppidanorum, tam exiguis copijs, in Va-  
lentini regnum infertur: sperans propediem magnas copias in eam  
expeditionem conuenturas. Coacto exercitu, Exerica nobilis Aedeta-  
norum oppidi amœnum agrum depopulantur: & Segoniam vallem in-  
currendo, Idibus Mai confectis Burrianam, haud procul a mari situm op-  
pidum castris circumfident. Non alia vrbs fortius obsidionem tulit: cum  
in maiori discriminè res verterentur.

In ea obsidione permanserunt Ferdinandus Regis patruus, Berengarius  
Erilius Herdensis, Sanctius Ahoneus Cæsaraugustanus, Petrus Derto-  
famus, & D. Segorbiensis Episcopi, Prior Sanctæ Christinæ summi Py-  
renæi, Raimundus Patotius Templariorum Magister Galliaë prouin-  
cia, & Catalonia, atque Aragonia, Magister Hospitalariorum, Blascus  
Alagon Aula regis præfectus, Rudericus Lizana, Petrus Ferdinandus  
Azagra, qui Albarrazinensibus dominatur, Simon Vrrea, Blascus Ma-  
za, Petrus Cornelius, Bernardus Guilielmi F. Regis auunculus, Beren-  
garius Entenza, Assalitus Gudalis, Valles Vergua, Rudericus Sime-  
nius Luc-



nus Luesia, Ferdinandus Perezus Pinna, Sugerius Melendus, Peregrinus Bolafius, Guilielmus Aquilonius, Praefecti Alcaniciensis, & Montalbanus, Simon Perezus Turiafonensis Petri Perezij praefecti Iustitiae Aragonum frater, & Ferdinandus Diacius Aulae regiae itidem praefectus: & cohortes oppidanæ Darocensium, Turolentium, & Calataiubiensium. Ex Catalonia ordines duxere Guilielmus Ceruera, qui Iunedæ dominabatur, Guilielmus Cardona Raimundi Fulchonis Vicecomitis Cardonensis frater, & Guilielmus Moncada: atque illi militiæ fidem suam praestitere Ilerdenses, & Dertosani.

Ferdinandus Diazus Aulae regiae Praefectus.

Barrianienses castra, vallantemque Regem saepe adorti, incredibili audacia effusi, in nostra ruunt munimenta. Rex labore potius militum, quam periculo inceptum peragens, magno apparatu, tormentis, machinisque moenia aggredi iubet: ambulatorijsque turribus, quas plurimum tabulatorum confecerant, vi, atque impressione irrumpere conantur. Praesentis, & acris animi princeps, cum desperata expugnatione, propius temeritatem multa crebro auderet, aliquando discincto thorace, diloricatoque amictu contra difficultates omnes incedens, sagittarum ictibus occurrere visus est, ne obsidionem, nisi cum vitae discrimine deserere cogeretur. Vicit tandem, & superior discessit mira Regis constantia, & firmitas animi: & arietibus admotis munimenta concussit. Ductus ad moenia exercitus, completisque fossis, scalæ admotæ: & maximo impetu nostri in oppidum irrumpunt. Iulio mense expugnatur: qua in oppugnatione, & comprimendis hostium eruptionibus Regis virtus egregia enituit. Obsidio non tam claritate urbis, quam oppidanorum virtute, & regio decore parto nobilitata. Acrius instante victore Rege, Simonis Vreeæ opera, & interuentu plura oppida, castellaque oppugnata: nec obsessa sunt. Peniscola, Chiuertum, Ceruera, & Polpes coactæ obsides dare, & ciuitates suas iureiurando obstringere, regi deduntur. In his oppidis, quæ ad Regem Zeitiij opera defecerant, factisque munita loco, aut moenibus erant, praesidia imponit. Variæ a nostris excursiones in hostico fiunt: expeditioneque ea Rex aliquot populos, aut vi subigit, aut condicionibus in deditionem, pactionemque accipit. Castellio Burrianiensis, Burriolum, Cryptæ Vinromanenses, Cuevas vocant, & Villafames in deditionem, potestatemque Regis rediguntur. Nam cum obsidionem tolerare non possent, traditis oppidis, pacti ut incolumibus, suis legibus uti liceret, in eis mansere.

Simon Vreea ex primarijs proceribus summæ dignitatis vir, bello strenuus, & consilio bonus, atque insigni virtute praestans, ductu suo Alcalaenam arcem, deiectis Mauris, qui in praesidio erant, recipit. Nostri Rege ductore, expedito agmine ad populandos hostium agros incedentes omnia ferro, ignique vastates, regiones eas, per quas Sacro amnis defluit, effusse, lateque depopulantur. Præda vndique actæ.

Blascus Alagon Aulae regiae Praefectus.

Almazora a nostris expugnatur. Occupato oppido Rex ibi praesidium collocat. Nostri non animi tantum in dies, sed vires subministrant.

Gregorius. m. interuentu nuptiæ Regis, & Iolantis Andreae Hungarorum Regis filia, & Iolantis Reginae eius vxoris, quæ Petri Antifiodorensis

ABRA NAT. CHR.  
MCCCLXXII. MCCXXXIV.

sis Constantinopolitani Imperatoris filia erat, despondentur. Barcinonem ob eam causam legati ex Pannonijs aduenerat Bartholomæus Quinque ecclesiensis Episcopus, & Comes Beraldus. Res ea Barcinone, A. D. X. K. Mart. transigitur. Dotis nomine X. M. marcarum argenti dicuntur: ex materna dote debita, & c. c. auri: quarum debitor Austriae Dux erat: additurque certa Nemorensis comitatus in Flandria portio: atque ea ditio, quam in Gallia puellæ aut obtinuerant: & ea oppida, quæ in Hungariæ regno Iolans ipsa possideret: & quæ in Burgundia matris hereditate obuenerant.

Rex Montalbano in oppido Maio mense Blasco Alagoni, qui in eo bello strenue operam nauarat, Morelliam quoad uiuat, fruendam attribuit: ac Celoquiam præcipuâ arcis turrim recipit: quæ Ferdinando Diacicio, aut Simoni Perefio Turiasonensi tradatur: vt veluti pignus retineatur a suis supremi dominatus.

A. D. VII. Id. Apr. Sanctius Nauarræ Rex Tudelæ decedit. Nauarri Theobaldum Campaniæ Comitem Sanctij. sororis F. arcessunt: sibi que Regem adsciscunt: atque in eius verba adiguntur: non tamen Rex hac de causa a sacro profequendo bello sibi desistendum censet.

A. D. XV. K. Oct. Hortæ, in ipsis regnorum confinij Iacobus Rex, & Ferdinandus Rex Castellæ congregiuntur: ad colloquiumque deueniunt: de controuersia sedanda, quæ inter Regem, & Leonoram Reginam, a qua diuerterat, orta erat: Farizam oppidum, atque arcem Leonoræ Rex, quoad uiuat, attribuit. Sacramento adigitur se, eam uita Alfonso filium ab eius educatione, & gremio non abstracturum.

Mompellerij Rex omnium sanctorum diem festum concelebrat. In Prouinciam Galliam in medio belli conflictu profectum apparet, quod Raimundus Berengarius Prouinciæ Comes frater Margaritam natu maximam filiam Ludouico Galliarum Regi ea tempestate desponderat. Is ex Beatrice Sabaudiarum Comitis F. quattuor filias susceperat: omnes magnis principibus nuptas. Leonora enim, & Sanctia Henrico Angliarum Regi, & Ricardus eius fratri collocantur: & Beatrix, patre uita functo, Carolo Ludouicij Regis fratri, qui postea Siciliae regnum adipiscitur, nubit: & Prouinciæ ditionem natu minima tulit. Ita euenit: vt stirps Aragonia summa uirtute firmata atque florens, maximorum totius orbis Regum familias generosa propagine infecerit.

Concitato cursu Rex in Cataloniam regreditur. Ilerdæ confectum pæne Decembrem mensem commorans, & maritimam, & terrestrem expeditionem uirget: cui cupide instat. Supplemēta exercitibus scripta sunt: indictis per ciuitates tirocinij.

A. D. VII. Id. Decemb. Ilerdæ Rex Guilielmo Mongrino suffecto Archiepiscopo Tarraconensi, posterisque Pontificibus Ebusum, & Colubrariam insulas, a priscis Pityusas dictas honorario iure attribuit: modo arcem, atque oppidum Ebusitanum suis copijs, & ductu expugnet.

MCCCLXXIII. MCCXXXV.

Ad reparandas vires, bellumque de integro renouandum Rex intendit animum. Duo insignia AEdetanæ regionis oppida a Maurorum dominatu eripit, præsidijque firmat Segorbium, & Moruedrum: quibus claustra Valentini regni tenet. Primum Maurorum opus fuit: & cum re-  
rum prisca-

ram priscaurum memoria sua vetustate obsoleuisset, & Mauris incolis omnia inuenterentur, nostri Segobrigam, vetustam Celtiberiæ urbem se recepisse, simili appellatione litterarum arbitantes, Ecclesiastica sedi ad dicunt: diocesisque Valentini partem subtrahentes Albarraziniensi diocesi contribuunt: conuulsisque finibus, vix postea inter vicinos Episcopos rerum vetustarum inscientia, iudiciariæ controuersiæ finis fuit. Moruedrum ex Sagunti urbis, illius fide, & ærumnis inclitæ parietinis conditum, nomen, vt memorauimus, inuenit. Is situs est, & natura loci, vt montes circa perpetuos, arduo, & præcipiti colle contineat: & facillimus aditus mare versus, & ad ipsa Valentini urbis in plano sitæ moenia sita: cui velut prouinciæ totiûs communis arx imposita imminet.

Bellum iam aduersus hostes, non continentibus finibus, sed intimis eorum regionibus geritur. Cullarim, quam Suero annis influit, nostri obsident. Obsidione ea desistentes Moncadam, & Museros expugnant: nobiles inter alias Valentini agri insignes turres: quas Valentini ocellos, propter summam orarum, & hortorum amœnitatē Rex ipse appellare consueuerat.

Petrus Portugalliæ Regis F. & Nunnius Sanctius Sanctij Ruscinonensis Comitatus F. satis magna comparata classe, maiorem ex Pityusis Ebusum insulam a Maurorum dominatu, & potestate eripiunt. Minor prisca temporibus Colubraria dicta: a nostris Frumentaria: omni quoque deserta a populo, atque cultura hominum fuit.

Nunnium, quod Cæretanum Comitatum, Confluentem regionem, Carcafonensem, & Bergadanam ditionem, Trencauelli honorem, & Narbonensem Vicecomitatum substitutione testamentaria Barcinonensis Comitatus aui, & donatione ab Alfonso Rege patruo, Sanctiæ Nunnii matri facta, quæ Nunnij Larësis filia erat, repeteret, a Rege disidet. Rex super Colliberis, Vallespirij, & Capstris iure, & dominio, quæ ditiones Ruscinonensibus finibus appendices cesserant, aduersus Nunnium actionem suscipit. Demum Rex Nunnium, & orbem, & regia stirpe sibi adiunctum in pristinam concordiam reducere curat. Colloquio dies constituitur. A. D. III. Non. Mai. Apud Lupum Diacium Pharensem Vizcainæ dominum Nunnium, Rex apud Guilielmum Cerueram compromittunt: Hugone Monlauro Templariorum magistro honorario arbitro adiuncto. Pecunia Rex eam litem redimit. Ditiones Ruscinonensi comitatu confines Nunnio, quoad viuat, attribuit.

Iolans Regina ex Pannonia ad virum, regio comitatu deducta, Barcinonem appellat. Ea in vrbe nuptiarum sollemnia. A. D. VI. Id. Sept. celebrantur. Præstantissima omnium eius sæculi feminarum: vere digna, quæ ex vltimis gentibus, connubio principis post homines natos fortissimi, & animi maxime excelsi, & inuicti adiungeretur: non modo consiliorum, sed discriminum, periculorumque omnium focia, atque consors. Regiam in Hispaniam proficiscentem comitati fuerant Episcopus Quinque ecclesiensis, & Comes Dionysius: cui cognatio cum Regina erat: qui magnis præmijs a Rege donatur: & filios habuit Amorem Dionysium, & Gabrielem Dionysium: atque inde Dionysiorum familia exoritur maxime insignis, atque illustris: quæ in Vreas insita fuit.

Huius anni initio Tarragæ Regi cum Pontio Capraria super Vrgellitanæ

AERA NAT. CHR. A.  
MCCCLXXXIII. MCCCLXXXV.

MCCCLXXXIV. MCCCLXXXVI.

ABRA. NAT. CHR.  
MCCCLXXIIY. MCGXXXVI.

tanæ ditionis contentione conuenit: eiusque compotem Rex, atque participem Pontium facit.

A. D. XIII. K. Iun. Calataiubij Petrus Portugallia Regis F. qui Balearium, & Pityufarum insularum dominabatur, cum earum ditionis iura ad heredes non esset transmissurus, Regis imperio, summum dominium, quod Regi receptum fuerat, Iolanti Regina, & eius liberis, iuris iurandi religione, ac fidelitatis sacramento sancit. Scribendo adfuere Petrus Ferdinandus Azagra, Petrus Cornelius, Atorella, Garcias Romæus, Marcus Ferricius, Trencauellus Vicecomes Biterensis, Ferdinandus Perefius Pinta, & Simon Perefius Turiafonensis.

Turolij Maij mensis fine Rex Zeitio Abuzeitio Valentianorum Regi, qui Christianam fidem professus fuerat, & Vincentij nomen ediderat, vxoremque duxerat Dominicam Lupiam Cæsaraugustanam ciuem, Rictæ, & Magalionis oppidorum donationem, quæ ei tradita fuerant, ratam, firmamque constituit. Is ex vxore Dominica Aldam Ferdinandiam suscepit, quæ Blasio Simenio Arenosio nupsit. Zeitius se Regi, eiusque liberis, & Iolantis Regina perpetuo addicit: nulla Alfonso Regis filij mentione facta: quem acerbe, & penitus pater oderat.

Rex aulico equitatu, & oppidanis Darocensium, & Turolensium copijs, Exericium, & Torrestorresium agrum incurrit. Bellum deinde ab repentina maritimæ oræ populatione coeptum: quod omnis ea regio pluribus, ac frequentibus vicis habitaretur: nam summa tractus amœnitas non indigenas modo detinet, sed etiam aduenas inuitat: & Maurorum, qui AEdetania, & Celtiberiæ urbibus in deditionem redactis, a nouis incolis pulsifuerant, receptaculum erat.

Cum Rex milites Ianuario mense ex hibernis in expeditionem euocasset, eduxissetque, Enesæ tumulum inter Moruedrum, & Valentiam situm, qui mari alluitur, loco ad iuuandam suorum paucitatem maxime apposito, nostri magnis operibus muniunt: & in eo castra locant. Valentini ex ea veluti arce premuntur: & excursionibus arcentur. Castris Rex summum, & singularem virum præficit Bernardum Guilielmum auunculum. Is milites excursionibus sufficiens, & prælijs leuibus oppidanæ manus experiundo assuefecerat: paruaque certamina animos addunt: & in summam totius spei proficiunt.

Octobri mense Montione, magna Aragonensium, & Catalanorum frequentia, & celebritate conuentus aguntur: & de prosequendo sacro bello, a Rege refertur. Ex ordinibus Regni, & Catalonia interfuere Guilielmus Mongrinius Ecclesiæ Tarraconensis procurator, & Barcinonensis, Cæsaraugustanus, Vicensis, & Dertofanus Episcopi Templariorum, & Hospitalis Magistri, & aliquot præterea religione præstantes viri: inter quos Raimundus Penafortius ex instituto prædicatorum singulari sanctitate, & præcipua doctrina excellebat. Ex proceribus Catalanis adfuere Ferdinandus Regis patruus, Rogerius Bernardus Fuxensis, Pontius Capraria Vrgellitanus, Petrus Vgo Emporitanus Comites: Nunnius Sanctij Comitum F. Gerardus Vicecomes Caprerensis, Guilielmus Cardona, Raimundus Berengarius, Guilielmus, & Petrus Moncada, Berengarius Pucuertijs, Guilielmus, & Berengarius Anglesolæ, Bernardus Portella, Hugo Mataplana, Galcerandus Pinofius,

nosius, Guilielmus Aquilonius, Raimundus Peralta, Petrus Vicecomes Villamurius, Raimundus Guilielmus Odena, Berengarius Erilius, Guilielmus Ceruera, & plures alij viri nobiles. Ex Aragonia proceribus conuentui adfedere Petrus Cornelius aulae Regiae praefectus, Bernardus Guilielmus Regis auunculus, Garcias Romanus, Simon Vrrea, Atorella, Artallus Luna, Blascus Alagon, Rudericus Lizana, Blascus Mazza, Berengarius, & Gombaldus Entenza, Simon Focius, Assallitus Gualis, Fortunius Vergua, & Simon Luesia. Praesedit eo in conuentu Petrus Percusius Aragonum Iustitiae Praefectus.

Petrus Cornelius aulae regiae Praefectus. Indutiae inter Aragonenses, qui factionibus dissidebant, firmantur. Nummi Iacetani, vti eiusdem ponderis, rationis, atque notae in Aragonia, Ilerdensi, & Dertosana ditione adiunctis, perpetuo signentur, lege sancitur. Statuunt, vt ij, qui supra XIII. annum aetatem agunt, iurisiurandi sacramento adigantur, se operam duros, vt res ea nummaria firma, rataque sit. Ob eam rem Aragonenses tributum Regi, posterisque Regibus condonant: quod singulae familiae, quarum bona, ex censu X. nummis aureis, aut pluris aestimentur, septimo quoque anno pendant. Id tributum Morabetinum appellant: & ex pecunia summa, quae pendebatur, nomen inuenit: cuius collocandae ratio perpetuos, quamquam exiles Regibus sumptus suppeditet. Vix enim ex portorij circumuectionis, aut decumis, scripturaue, conseruari vectigalia in rei militaris administrandae vsus poterant.

Zaenes Valentini populi Rex firmissimo robore copiarum insultans, quas a Setabi ad Ondam praesidijs praefecerat, D. C. enim equites, & XL. M. peditum coegerat, oriente sole ad Enesana castra oppugnanda irruit. Bernardus Guilielmus, & Berengarius Entenza praestantissimi nostrorum ductores, cum animis magis, quam viribus resisterent, & omnis spes in virtute esset reposita, incredibili animorum constantia, & firmitate commoti, & ope diuina freti, non satis pro dignitate bellica, & imperatoria existimantes, se munitionibus septos castra propugnare, eruptione facta, cum Bernardus suos hortatus esset, meminissent nominis, generis: quorum maiores innumerabiles gentium copias parua manu saepe fuderint, quasi non periculi socios exigeret, sed consortes victoriae, & diuinam opem exposceret, effertis militia animis, C. grauis armaturae, & C. leuis armaturae equitibus, & XL. M. peditum in hostium acies inuehuntur. Hostes nulla interposita mora caduntur: atque profligantur: quos nostri ad rivulum, Siccum appellant, III. M. P. cis urbem insecuti magnam multitudinem fugientium conciderunt: ingentemque stragem edidere. Nam effusi inmensis agminibus hostes, adeo praecipiti, & ruenti turba comprimantur, vt potius illisi, quam ferto interempti fuerint. Ex nostris Rudericus Simenius, & filius Simonis Peresij Tiergae, & signifer Bernardi Guillemi fortissime irrumpentes mortem occumbunt. Ad X. M. hostium nullo vulnere saucios concidisse memorant. Mense Augusto eam pugnatam pugnam accepimus: qua singularis Bernardi Aquilonis virtus enituit: qui conferto proelio, cum maiore in conflictu res verteretur, parte equitatus irrumpens, suo impulsu ingentes hostium

ARRA. NAT. CHR. stium copias pepulit. Hic dies & nostris refecit animos, & hostem summe  
 MCCCLXXV. MCCXXXVII. percudit.

Cum in Bætica acie, eadem tempestate, aduersus impios hostes, bellum a Rege Ferdinando gereretur, exploratorum ductores, quos Adalides Mauri vocare assueuerant, die, ac nocte cōtinuato itinere, ingens, & immanefacinus ausi, nocte intempesta, scalis admotis, turrim, & propugnacula Cordubæ vr̄bis adorti, ex improviso diu anceps prælium fecerant: & successu regiarum copiarum, celeberrima totius prouinciæ vr̄be potiuntur.

Bernardo Guilielmo vita functo, cuius morte magnam iacturam factam, apparuit, quod ad eius maxime arbitrium, atque iudicium summa omnium consiliorum reciderat, cum a militibus Enefana castra desererentur, regiorum præfectorum imperio contempto, Rex palam in facello eius arcis aram tenens, nuncupatis votis, iuriliurandi religione obstringitur, se eos fines non derelicturum: neque Vldeconium fluuium traiecturum, quoad vr̄bis Valentia esset potitus. Reginam, ac Iolantem filiam, ne se a proposito declinare, aut a sententia desistere, vquam videre sperent, in castra deduci imperat. Regina vxore incurfantibus hostibus, aliquando comitatus, non degenerem ad pericula est expertus.

Postquam præpotentem armis Regem nec acies subsistere vllæ, nec arces, vr̄besve poterant, Zaenes cum animaduertisset, nec maiori ratione bellum administrari posse, quam a nostris gerebatur, ac summis copijs, & comitatibus in dies exercitum suppleri, Regi pollicetur, se eas arces traditurum, quæ Dertosa, Turia flumine, Turolioque continentur. Arcem præterea in Zaidiensi suburbio ad vr̄bem exædificaturum: quæ regio præfidio firmetur: & quotannis x. m. Besantiorum tributi nomine persoluturum recipit: modo præsidia, quibus Valentiam vr̄bem obsederat, deducat. Cum proceres grauem legem ab hoste, & condicionem sibi constitui prædicarent, eamque præferendam censerent, a Rege reiicitur: quod simulatione deditiois, atque tributi tempus a Zaene extrahi videret: & obsidionem ferre Mauri obstinate decreuerant.

Bernardus Montacutus Cæsaraugustanus

Episcopus.

MCCLXXVI. MCCXXXVIII.

Quia celeritate ad opprimendam obsidionem vr̄bem opus erat, regio circumcirca ferro, ignique vastatur. Almenara, Vxo, Nules, Castrum, Alfandechum, Paterna, Betera, & Bulla arces expertæ, quid arma regia in se pollerent, Regi deduntur. Valentia vr̄bs regia, & situ, & ciuitatis amplitudine, ac singulari opere, murorumque ambitu in primis nobilis, tam exiguis copijs a Rege obsideri cœpta est, vt vix expugnandæ cuilibet arci pares esse viderentur. Cum Aragonenses, & Catalani exercitus se Regi adiungerent, castris primo leui munimento positus circumfideretur. Separatim oppidanæ singularum ciuitatum copiarum, tentoriaque collocantur. Angli, Gallique operam suam vltro pollicentes, satis magnis comparatis copijs, sacro bello militaturi in castra conuenere. Petrus Amelius Narbonensis Archiepiscopus x. l. equitum, & d. c. peditum ductor, & Angli proceres, qui in Hispaniam, ab Henrico Rege missi fuerant, statim sibi castra faciunt. Barcinonenses proxime ad moenia accedentes castra

castra metantur. Petrus Ferdinandus Azagra, & Simon Verea suorum equitatu, & peditum copijs adiunctis Ciliam, ameno prætendenti se stagno, Arabes Albuferam nominant, impositam oppugnant, & machina percellunt. Cilienses, cum acriter vtrunque pugnatum esset, Regi deduntur.

Cum idonea nostri status loca delegissent, Valentia & tectis, & apertis cuniculis, summa tormentorum, & machinarum vi oppugnatur: quod Mauriam, non assiduis eruptionibus, vt ante, in stationes nostrorum, sed dispositi per muros, & propugnacula ex tuto pugnant: & armati muris superstantes instar munimenti essent. Proelia ante urbem multa, & varia: sed nostris virtute, & ducum consilio, & principis præsentia præstantibus sapius prospera euenerunt.

Classem XXI longarum nauium, & VI aliarum actuariarum, quas zabras illa ætas nominabat, ad Valentia stationis Gradum Tuneteses Africani appellant: vt Valentinis obsessis animos adderent: seque præsentis auxilij compotes breui futuros sperarent. Sed cum inanis ea ostentationis species esset, litus relegendes Peniscolam adoriuntur. A nostris in naues repulsi, mutata velificatione in altum peruehuntur: & hostes ne vmbra quidem transmarini auxilij subleuari potuere: cuius spei moram cum obsessorum fortuna diutius pati nequiret, ex prope certa fiducia in magnam desperationem vertit. Litora omnia a Pyrenæi promontorio, ad Dianium nostrorum classibus tenentur: maritimosque proedones consectando, mare tutum reddidere. Motus summæ rei, & postremo desperatio incessebat, & spes reliquas omnes hosti abstulit.

Regia classis libero mari nauigans, ex omni prouincia magni commectus, & priuati, & publici subsidijs exercitum sustentat: qui adeo auctus, amplificatusque erat, vt Rex M. equitum, & LX. M. peditum copias compararit. Rege non modo imperatorum munus, sed gregarij militis operam obeunte, cum in repentinis eruptionibus, atque certaminibus propinquo in se discrimini obijceret, transfixa galea, sagitta frontem configitur. Sed breui cum conualuisset, in vno res publica ad comprimendos hostium conatus, & urbem expugnandam, fortior euadit.

Bellum diurnum, ac frequens: variaque victoria fuit. Ex eo cum tot bellorum faustis successibus, magnis semper accessibus regni opes, viresque auerentur, tanta belli mole Regem implicatum, atque constructum res Italicæ, præclara famæ rerum ab eo gestarum celebritate, ex vltimis terris, tamquam publicæ libertatis vindicem, cum eius nominis gloria, insigni laude, apud exterarum nationes vigeret, ad se vocant: vt maxime florentem, ac felicissimum Imperatorem sibi præficerent ducem. Gregorius IX. P. M. quod Fredericus Imperator, qui ab Ecclesia non modo altus, & educatus, sed regni stabilimentum, & Germaniæ imperium adeptus fuerat, summo impietatis scelere ab ea descuisset, & Cremonensibus, Mantuanis, & Ticinensibus finibus bellum inferret, quo motu Italia omnis concussa erat, Regem inuicto animi robore, & gloriæ laude præstantem magnis sollicitationibus commouet, vt laboranti Ecclesiæ, & labantibus Italiæ rebus opem ferat: sperans priuatas etiam iniurias ea expeditione Regem vlturum. Nam Fredericus, qui impius in sacrosanctam parentem Ecclesiam, & Christi sacerdotes iura diuina

peruer-

ARRA NAT. CHR.  
MCCCLXXVI. MCCXXXIIX.

peruerterat, sæuus, & inhumanus in Henricum filium, cui inter fratres ætas prouectior, Regis consobrinum extitit: quem ad Germaniæ regnũ adscitum, in carcerem intrusum, quod pontificias partes foueret, non modo regno, sed vita frui vetat. Mediolanensis ciuitas, & Placentina Othonem Cendatarium, Bononiensis, & Fauentina Iulianum Leonardum legatos mittunt: qui summe sollicitent, vti Ecclesiæ, & communi omnium parenti Italiæ, quarum interitus ab impio tyranno pararetur, subueniat: ecclesiasticique status tutelam suscipiat. In eius expeditionis sumptus *CLM.* librarum imperialium, & in singulos annos, iura, atque annuos redditus, qui Imperatoribus in Cisalpina Gallia pendebantur, pollicentur: & Regem patroni, defensoris, ac gubernatoris loco adsciturũ. De re maxima Regi deliberanti, qui non modo nouum bellum, vbi virtus eius enitescere posset, sed externum, & Italicum exoptat, Regina, Vitalis Canelias Oscensis, Bernardus Montacutus Cæsaraugustanus, Bernardus Vicentis, Simon Segorbiensis Episcopi, Raimundus Berengarius Templariorum, & Petrus Exea Hospitaliariorum magistri, Rudericus Lizana, & Simon Vrræa, ne florenti, ac plaudenti fortunæ ad res magnas bene gerendas adiunctæ desit, consulunt. Hæc consultorum deliberatio cum regia fiducia summe consentiens, rem eo deduxit, vt Id. Iunij in ipsis castris Rex cum legatis pacisceretur. Recipit se in Italiam *II. M.* equitum ex nobilitate delectorum bellico apparatu transmissurum: & in Lombardia, Marcha Treuisana, aut Romandiola se bellum aduersus Fredericum, & Cremonensem, & Ticinensem ciuitatem gerentem commoraturum: & eas ciuitates bello persecuturum: quæ Frederici sectam sequuntur. Fredericus tamen homo versutus, & callidus, qui fidem sacrilegio, pietatem pericidio violasset, se falso Pontifici concilians, & Ecclesiam ludibrio, & despectui habet, & externum hostem a sua pernicie auertit.

Septembri mense inuito Zaenes oppressus iam, desperatusque, non a transmarinis modo auxilijs, sed despectus etiam a propinquis Murcienisium, & Almeriensium regulis, urbem, & arces, oppidaque cis Sucronem omnia Regi tradere, ea conditione spondet, vt obsessi conferuati, & incolumes auro, argento, armis, bonisque exportatis Cullarim, & Dianium deducantur. Dianenses enim sub ditione, & potestate Zaenis esse consueuerant: in extrema eius regni regione maritima locati. Zaenes se ad Ruza fam pactis conuentis pariturũ Regi offert. Deditur vrbs Valentia totius Hispaniæ pulcherrima, & ornatissima: statione, & naualibus, diti cõmercio peropportuna: cui tanti erant antiquitus omniũ rerum ad bellum apparatus prouisi, tantaque machinarum, & propugnatorum multitudo, vt si virili animo hostes propugnationi institissent, in summo, & difficilimo tempore obsidionem longius protraxissent. Zaene vrbe excedente, ad *L. M.* Maurorum egressos regijs commentarijs testatum inuenimus.

A. D. IIII. K. Octob. Rex cum assuetus victorijs omnia euicisset, & gloriosam palmam esset consecutus, ouans urbem, faustis laudum insignibus introijt.

IIII. Viri agris diuidendis, & partiendis, adiunctis finitoribus præficiuntur Berengarius Palatiolus Episcopus Barcinonensis, Vitalis Canelias Episcopus Oscensis, Petrus Ferdinandus Azagra, & Simon Vrræa ex proceribus primarij viri: vt de commodis procerum, atque militum,

& præ-



& præmijs tribuēdis, atq; angendis æqua ratio iniri posset. Ad **CCCLXXX.** AERA; NAT. CHR. **MCCLXXVI. MCCXXXIX.** nobiles viros, proceribus exceptis, ex Aragonia, & Catalana nobilitate heredijs donatos constitit: quorum familiæ, ex ea expeditione, bellica laude floruerint: & tamquam maiorum gentium agnationibus distinguantur. Vrbs pæne tota Catalano, & Aragonio siue milite veterano, siue oppidano incolæ cœpta: agris vitim diuisis. Valentinis suæ leges scribuntur: propriumque forum indicitur: & cum noui incolæ, & coloni expeterent, ne extra suum forum vadimonium promittere, sistereve cogerentur, nostri proceres Aragonio iure, ac foro se, suaq; heredia, ac Valentinas possessiones censeferi contendunt: maiorque inde domi exorta moles: gliscente in dies seditione inter plebeios, & egentes: atque proceres, & Aragonios optimates.

Episcopi Sedes Valentina in vrbe constituitur: atque instauratur: cuius diœcesis, etsi Vuambæ Gothorum Regis temporibus, Toletanæ prouinciæ contributa fuerat, Rex cum eius vrbis potitus esset, voti reus Tarracoenfi subiiciendam, attribuendamque curat. Ferrarius sancti Martini cognomento Tarracoenfis Ecclesiæ præpositus a Gregorio P. M. Valentiniæ ecclesiæ præficitur: quem Rex, Archiepiscopus Tarracoenfis, Magistri Templariorum, & Hierosolymitani Hospitalis, proceresque alij delegerant: summoque Pontifici sacrandum obtulerant.

Raimundus Fulcho Vicecomes Cardonenfis, & Artallus Alagon Valentini, & Murtiensis regni fines incurrentes Vilienam, & Saxium, neque operibus, aut tormentis admotis oppugnant. In Saxij oppugnatione, cum simul, & portæ refringerentur, & vis vndique in muros fieret, Alagon lapide percussus occumbit. Morte primarij ex proceribus viri, & Blalco patre memorabilis, insignis accepta clades.

Præsidij Valentini regni dispositis, Rex Mompellerium contendit. **MCCLXXVII. MCCXXXIX.** A. D. IIII. Non. Iouis die vrbem inijt. Postero die, ab hora sexta ad horam fere nonam sol obscurari cœpit: cuius defectu, adeo repentinæ tenebræ, obscurato, ac pæne obruto sidere obducuntur, vt ostento simile fuerit. Cum incursione seditionis, vis multitudinis factiosorum partibus concitaretur, & populi impetus, Rege etiam præsentem essent, seditiosi, & turbulenti ciues vrbe exacti, & bonis multati, eorumque domus dirutæ.

Cœnobium ordinis Cisterciensis, cui Fontis Clari nomen est inditum prope Alcoleam, ad Cingæ amnis ripas, a Rege hoc anno conditum, & a conuentu monachorum frequenter cœpisse Ferdinandus Aragonius Cæsaraugustanus Antistes, & eiusdē instituti monachus memoriæ prodidit: eumque monachorum coetum in suburbanum Cæsaraugustanum postea ad Orbæ ripas traductum: & S. Fidi dicatum.

Fragensibus Ofsense forum indicitur.

**MCCLXXIIX. MCCXL.**

Rege in prouincia Gallia commorante cum defectio nulla timeri posset, & indutiarum iura a nostris violarentur, dediticijsque Mauris bellum inferretur, omnes se in libertatem vindicant. Chium castellum nostris obsidentibus, eruptione facta, hostes proelium ineuntes cæduntur. Ea pugna sacrum numen Christiano populo affulxisse, cælestia monumenta testantur: quæ summa veneratione DAROCAE visuntur. Diuino enim Euchariæ sacramenti mysterio linteum ex eo insignitum apparet.

Zaenes Rex, qui Dianio se abdiderat, cum de compositione actū esset,

L Alican-

ÆRA NAT. CHR.  
MCCCLXXIX. MCCXLI.

Alicantinam arcem mari impositam se Regi traditurum pollicetur, si Minorem Balearium condonet. Rex, etsi ad occupandas maritimas Contestanorum vrbes animum adiecerat, condicionem rejicit: quod arx ea terminatis finibus regnorum, Murtiensi regno, & Castellæ Regum ditioni iure belli esset contributa.

Bairena arx, bello aduersus tumultuantes Mauros sequente, Regi traditur.

Petrus Ferdinandus Azagra Albarrazini dominus, Petrus Cornelius aulæ regiæ præfectus, Artallus Luna, Garcias Romæus, & Simon Vrrea, cum a Rege defecissent, Iulij mensis fine se illi addicunt.

Viliena Alcaniciensis præfecto, & Calatrauensibus militibus deditur. Rex cum in Cataloniam proficisceretur, vicem regiam in Valentino Regno gubernando Ruderico Lizanæ committit. Cum Berengarius Entenza a Rege defecisset Setabitanis finibus in Turolenses bellum infert: & deursionibus regionem vastat.

Setabis Contestanorum vrbs excelsa arce, & agri amcenitate nobilis, & prope firmissima earum regionum ciuitas a Rege castris circumfidetur. Cum caput ea Contestanorum longe ditissimum, atque opulentissimum armis, virisque esset, omnem conatum in eam obsidionem parat. Garcias Romæus tamquam iniuria facta esset non ferenda a Rege, ab eo defiscit.

MCCCLXXIX. MCCXLI.

Aprili mense Petrus Ferdinandus Azagra, qui ex summis princeps inter Aragonios proceres censebatur, & suo, & Castellæ Regis equitatu Granatensi Regi bellum infert.

Mompellerij Rex, Raimundus Berengarius Prouinciæ Comes Regis frater, & Raimundus Tolosatum Comes congressi ad turpem, & omni de decore famosam passionem deueniunt. Nam de communi sententiæ iudicio Rex, & Raimundus Gaucelinus Lunelli dominus, & Albesa selecti iudices decernunt, vt Comes Prouinciæ operam det, Sanctiæ Regis amitam Tolosatis vxorem, a delegatis a sede Apostolica iudicibus expostulaturâ de matrimonij diuortio sententiam ferant: & si renuat, ex Prouincia Gallia exterminet. Ad hæc constituunt, vt Tolosas, quoad eius fieri posset, ab vxore diuertere contendat: & dotis nomine, quæ dicta fuerat, M. argenti marchæ, & centenæ singulis annis Sanctiæ condonentur. Id nempe enicæ eos apparuit, vt Tolosas condicione priore repudiata, vxorem ducat: & Iohannam filiam, quam ex Sanctiâ susceperat, Alfonsi Pictonum Comitis coniugem, Tolosatum ditionis hereditate, & bonis patrijs exturbent. Hæc Mompellerij Non. Iunij stipulantur.

Vincentius CæsarAugustanus Episcopus.

MCCCLXXXI. MCCXLIII.

Darocæ conuentus a Rege agitur: cui Ilerdenses Aragonensibus conuentibus interesse soliti, adfuere. Eo in conuentu in Alfonsi Regis filij verba, vt regni iusti successoris adiguntur. Constituunt, vt regni fines Sicoris fluminis ripis terminentur: quod Petrum ex Iolante Regina genitū Rex Cataloniæ ditione, atque hereditate donare decreuerat. Hæc lege, huius anni fine stabiliuntur: quotidiana Catalanæ gentis querimonia. Ea enim natio paullo restrictior, & sui admodū iuris tenax, eum tractum, inter Sicorim, & Cingam interiectum suis finibus subtrahi dolet: & Ilerdensem ciuitatem, a Barcinonensi ditione immerito seiungi. Superiorum enim Regum edictis, quibus indutiæ Catalanis edebantur, a Cinga ad Salsulas, carum

earum iura obseruanda promulgari consueſſe contendunt. Lege ea recentium rerum nouarum cauſa quaſita: mox graue odium in Regem exarſit.

In demortui Ferrarij Epifcopi Valentini locum Arnaldus Peralta K. Mart. a Petro Albalario Tarraconenſi Antiftite, & Valentinæ Sedis Canonicis deligitur. Eam electionem Innocentius IIII. P. M. Lugduni A. D. IX. K. Jul. eiufdem anni firmat.

Conuentu a Rege Catalanis Barcinonem indicto, acres publici iuris vindices ſe, eo tractu, qui Sicori, & Cinga fluminibus continetur, & Herda vrbe deiçi, & poſſeſſione dimoueri conqueruntur: & in priſtinum ſtatum reſtitui expoſtulant. A. D. XII. K. Febr. Rex edicit: Barcinonenſem comitatum, & Cataloniam terram a Cinga flumine, ad Salfulas contineri: Aragoniæ vero regni fines a Cinga Farizam vſque terminari. His finibus conſtitutis, Petrum filium Catalonia principatu donat: ſummaque de eare diſſenſio exorta eſt: quod Aragonenſes Ripacurcia, & Palliaria ditione iniquo iudicio ſe excludi contendunt: quarum Ramirus, & Sanctius, Sanctijque filij Petrus, & Alfonſus Reges belli iure dominati fuerant.

Februarij menſis initio Calatalubij Alfonſus Regis F. cum a patre diſſideret, magnas equitatus copias ſibi adiugit: & rem ad arma deduci nititur. Studia Aragonenſium in Alfonſum accenſa. Turbatis rebus Ferdinandus Regis patruus Cœnobij Montis Aragonum Abbas, Petrus Portugallenſis, & Petrus Ferdinãdius Azagra, & Iohannes Gonzaluus Heredia, cuius ſpectata, & nobilitata virtus in Valentino bello enituit, viam eam, qua & reipublicæ, & popularis habetur, ſequuntur: clamantes Alfonſum inhumane, a patre auito regno, & recens parto expelli, atque exturbari. Ciuitates omnes Valentinæ, & Aragonenſes partibus inficiuntur. Rebus in armorum exitum ſpectantibus, Alfonſus Caſtellæ Regis vires ad ſe ſeallit: cuius cauſa a conſobrino Rege ſumme deſenſa eſt. Portugallenſis ſocius, & adminiſter omnium cõſiliorum ab Alfonſo aſſumitur. Ex eo Rex inimiciſſime, atque infeſtiſſime cum filio contendit: & immortale odium cum crudeliſſimo diſſidio extitit: ac belli aduerſus Regem ſuſpicio primo, deinde inuidia exoritur.

Alfonſus Ferdinandi Regis F. Murtienſis regni potitus, eius limites tranſgredi parat: & Valentinæ regni fines inuadere. Alfonſum Regis Caſtellæ filium Murtienſium finibus copiarum ductores primarij aſſiſtunt Gonzaluus Epifcopus Conchenſis, Pelagius Perẽſius Correa militiæ Sancti Iacobi Magiſter, Martinus Martinus Templariorũ in Regno Caſtellæ, Portugalliæ, & Nauarræ icidem Magiſter, Gonzaluus Ramirus Ramiri Fruelæ F. Ferdinandus Ruizius Manzanedo, Didacus Lupius Pharenſis, qui Viſcaia dominabatur Regis Caſtellæ ſignifer, Lupus Lupius Pharenſis Lupi Diacij Pharenſis F. Alfonſus Tellius, qui Cordubẽſem ciuitatem moderabatur, & Iohannes Alfonſus eius F. Petrus Nunnus Guzmanus, Aluarus Egidius Egidij Amalrici F. & Petrus Lupius Franco. Eam veritus Rex inſolentiam, Aprili menſe Hugone Folcalquerio Ampoſtæ præfecto, & Hieroſolymitana manu comitatus, propter repentinos Caſtellanorum motus fines incurſantium, Setabim vrbeſem obſidione premit: & arcis præfectum certis condicionibus deuincit: deditioſque mora indutiæ agitantur. Petrus Vilaragutius ex Hieroſolymitanis ductoribus, Simon Perẽſius Pinna, Garcias Agüero, & Guiliel-

AERA NAT. CHR.  
MCCCLXXXIII. MCCXLV.

mus Pax Regi strenuam operam nauant.

Iunio mense in Aruernis, ad sacram D. Mariæ Podiensis ædem Aragoniæ, & Galliæ Reges ad colloquium congregiuntur.

Rudericus Ahonesius Cæsaraugustanus  
Episcopus.

Algezira Contestanorum oppidum cum propugnaculis Regi, ea conditione deditur, ne heredijs incolæ Mauri deiiciantur: eamve sectam eiurare cogantur, qua Almohadum regno initiati fuerant.

Alfonfus Ferdinandi Regis F. cum Ilorcim, & Mulam oppida a Maurorum dominatu eripuisset, Valentinis finibus imminet.

MCCCLXXXIV. MCCXLVI.

Aragoniæ, & Castellæ Reges pactiones, ac noua fœdera nuptijs filiorum conciliant. Alfonso enim Castellæ Regis F. Iolantem Regis Iacobi filiam in matrimonium ducit. Eæ nuptiæ Valleoleti Nouembri mense celebrantur.

MCCCLXXXV. MCCXLVII.

Sacro Epiphaniæ festo die, Rege conuentui Oscæ assidente, procerum, & ciuitatum consilio leges, ac vetusta regni scita, atque instituta in vnum corpus rediguntur, promulgantur, atque sanciantur. Curauit is princeps inter armorum strepitum, legibus scriptis, iudiciisque constitutis Aragonenses deuincere: cum antea patrijs moribus, institutisque ciuilibus maiorum, facinorumque vsitatis exemplis de manu, in manum traditis, vterentur: & communi quodam in vsu verarentur.

A. D. IIII. Id. Iun. Rudericus Simenius Toletanus Antistes, cum Lugduni Pontificem Maximum inuississet, & Rhodano flumine in Hispaniam nauigaturus, nauis ueheretur, e vita excedit. Hortæ cœnobio in ipsis regnorum Castellæ, & Aragoniæ confinijs sepelitur: cui Hispania summum beneficium debet, quod res a suorum temporum memoria propter vetustatem abolitas, atque remotas insigni opere posteris tradidit. Vere is Hispanos, Hispania in terra peregrinantes, errantesque, quod de M. Varrone Cicero commemorat, tamquam hospites, quasi domum deduxit.

MCCCLXXXVI. MCCXLVIII.

Rex totius regni dignitati, commodisque in posterum consulti sperans, & totum eius statum in filiorum concordia positum esse, atque defixum autumans, regna liberis partitur: vt imperij fines singulis constituerentur. Ex Iolante vxore quattuor filios suscepit: Petrum, Iacobum, Ferdinandum, & Sanctium. Filia totidem editæ hac tempestate erant: Iolans, Constantia, Sanctia, & Maria. Valentia A. D. XIIII. K. Febr. publico testamento condito, Alfonso Aragonij regni instituit heredem: & ab oriente sole, in occidentem Cinga flumine, Farizam vsque, & a septentrionibus, D. Christina summi Pyrenæi saltu, in meridiem ad Aluentosæ fluuium, finibus circumscribit. Cataloniæ, adiuncta Ripacurcia terra, & his oppidis, quæ trans Cingam amnem debellata fuerant, & Balearium, & insularum adiacentium regnum Petro filio attribuit. Iacobum Valentini regni, & Ferdinandum Ruscinonensis comitatus, Confluentinæ, Cæretanæ, Mompelleriæ ditionis, Castelnoui, arcis Latensis, & Frontinianæ, Omeiadensis territorij, & iurium Melgoriensis, Monferrensis, Pailiani, Lupiniani, Carcafonensis, Thermitani, Rhodensis, Fenoliadensis, Gabaldani,

Gabalani, & comitatus Aimilianensis heredes scribit. Sanctium sa-  
 cris initiandum Ecclesiæ dicat. Secundos heredes substituit: neque in  
 hereditatis partem filia ab eo vocantur: sed ex Iolante filia nepotes sub-  
 stituuntur: modo regni Castellæ successor, Aragoniæ regni heredi-  
 tatem non adeat: & is qui regnum adeptus sit, Castellæ Regi subijci  
 ne possit.

Alfonso Regis F. & Petrus Portugallensis maiores in dies turbas cient:  
 & quam maximas possunt, copias armant.

Cum oppugnationis diuturnitas negligentiores Setabitanos effecif-  
 set, & repetita obsidione Aprili mense a Rege premerentur, inuito, & con-  
 tra tendente Alfonso Regis genero, vrbs deditur: plenoque, atque opu-  
 lento oppido Rex potitur: quod suæ ditioni, & Murtiensi regno gener  
 adiungere contenderat. Oppida oræ maritimæ breui incolarum fre-  
 quentia aucta.

Fines Valentini, & Murtiensis regni terminantur.

Arnaldus Peralta ad Cæsaraugustanum Episcopatum ex Valentino  
 Episcopo est postulatus: eamque postulationem Innocentius I. V. P.  
 M. Neapoli A. D. I. X. K. Nouembris ratam habuit. Andreas Alba-  
 latius ex instituto Prædicatorum, Petri Albalatij Tarraconensis Archie-  
 piscopi frater, dissidente Canonicorum Valentiniortum cœtu, P. M. con-  
 sensu, atque permisso ab Archiepiscopo Tarraconensi, & Archidiacono,  
 & præcentore sedis Valentiniæ A. D. II. Non. Decembr. in Arnaldi  
 locum sufficitur. Is magnæ religionis Antistes: Cœnobium Carthusien-  
 sium monachorum in agro Valentino construendum curauit: cui Portæ  
 Cælinomen est aditum.

Hispalis celeberrima, & opulentissima Hispaniarum vrbs S. Clemen-  
 tis festo die Ferdinandõ Regi deditur.

A. D. V. K. Oct. Raimundus Tolosus Aimiliani decedit: Johanna uni-  
 ca filia Alfonsi Pictonum Comitis coniuge herede relicta: nulla pactio-  
 nis, quæ cum Apostolica sede inita fuit, mentione facta: vt suâ iura inte-  
 gra, atque salua Aragoniæ regibus referuare videtur.

Aragonenses & Catalani Alcanicij conuentui agendo, Febuario men-  
 se concurrunt: & de sedandis seditionibus, quæ dissidio Regis, & Alfonsi  
 filij subortæ fuerant, deliberant. Iudices a conuentu, qui de contro-  
 uersis omnibus sententiam ferant, constituuntur Petrus Albalatius Tar-  
 raconenfis Archiepiscopus, Vitalis Canelias Oscensis, Guilielmus Iler-  
 denfis, & Petrus Antillius Barcinonensis Episcopi, Guilielmus Car-  
 dona Templariorum Magister, Petrus Alcalanus Ampostæ præfe-  
 ctus, Comes Emporitani, Raimundus Cardona, Raimundus Be-  
 rengarius Agerensis, Iacobus Ceruera, Artallus Luna, Petrus Corne-  
 lius, Garcias Romæus, & Simon Focius: & aliquot ciuitatum procu-  
 ratores. XII. viri ex proceribus, & ciuitatibus dignitate præstantes  
 ex delegatis iudicibus ad Alfonso legati mittuntur. Hispali Alfonso,  
 & Petrus Portugallensis iuris iurandi religione adacti pollicentur,  
 se iudicum selectorum sententiæ parituros: sperantes fore, vt per col-  
 loquia controuersiæ omnes componantur: & regnandi ius, & succes-  
 sionis spes Alfonso referuetur. Regi, & Iolanti Reginæ se aduersus Al-  
 fonsum scedere adiungunt Guilielmus, & Petrus Moncada, Petrus Cor-

AERA. NAT. CHR. 3A  
MCCCLXXXIX. MCCL.

nelius, Guilielmus Entenza, Garcias Romæus, Simon Focius, Simon Pere-  
sius Arenosius, Sanctius Antilionius, & Petrus Martinus Luna.

Judices tamen de controuersia, quam Alfonso cum Rege patre habet  
hereditaria, constituunt: uti patriæ voluntati pareat, atque obediat, & eius  
se potestati tradat. Pater filium regnorum Aragoniæ, & Valentini procu-  
rationi præficiat. Portugallensi Tarraconensis campus, & Ebusus Insu-  
la, aliaque bona restituuntur: excipiunturque Morelia, Segorbium,  
Moruedrum, Almenara, & Castelio: quæ oppida, atque arces iudi-  
cibus dedantur: quoad de omni controuersia definiant: quod ex ijs arci-  
bus, atque præfidijs Portugallensis bellum Regi contrarius, fasque intu-  
lisset. Rex pollicetur Rudericum Martinum, quem captiuum detinuerat,  
Portugallensis nepotem e custodia liberaturum. His constitutis Rex  
conuentum dimittit.

Martinus Perecius Artassona Præfectus Iustitiæ

Aragonum.

A. D. III. K. Iun. Cæsar Augustæ Jacobus Balearici Regis Abolihis F.  
Gotorio oppido, & arce iure hereditario a Rege donatur. Is, uti supra me-  
morauimus, Euam Martini Rollandi Alagoniæ gentis filiam uxorem du-  
xit: qua ex stirpe Gotoria familia exoritur. Ex eo matrimonio Blasus Go-  
torius nascitur Michaelis Perecij Gotorij pater: eoque generis cognomi-  
ne vetus, & illustris familia Gotoria vsa est. Hoc anno moritur Frederi-  
cus Imperator: fax quæ dâ funesta, nõ Germaniæ modo patriæ, sed Italiæ  
communis parentis, & totius Ecclesiæ: illius enim sæculi malorum perni-  
cies, eo opifrice, atque machinatore, cum ecclesiastici ordinis, & sedis Apo-  
stolicæ calamitate coniuncta fuit. A. D. XVI. K. Ianua. Florentini, eius  
regionis vicò, quam Capitinatam vocant, testamentum condit: morti prop-  
inquus. Conradum filium Hierosolymitani regni consortem adscitum,  
Imperij, ut ipsius verbis utar, heredem, & Sicilia regni, omniumque, quæ  
adeptus fuerat, instituit. Huic Henricum, & Henrico Manfredum filios  
substituit. Manfredum Conradi absentis procuratorem, atque gubernato-  
rem Italicis ditionibus, & Sicilia præcipue regno præficit: & Tarentino  
principatu, & vrbe, atque honore S. Angeli donat. Frederico nepoti, Hen-  
rici Regis Germaniæ filio, Aragoniæ Regis consobrini, Ducatus Austria,  
& Stiria, quos a Conrado patruo teneat, attribuit. Arelatense præterea  
regnum condonat Henrico filio. Manfredus non iusto connubio genitus,  
neq; contentus in spem successionis tanti regni, a patre se fuisse euocatum,  
Conrado viuente, Sicilia regnum, Bruttios, Calabros, Apulos, Samnium  
atque Campaniam omnem interuertit: ad seque transfert.

MCCCLXXXIX. MCCLI.

Cum Barcinonem Catalanis conuentus esset indictus, denuo A. D.  
VII. K. Apr. Rex, quod Ferdinandus F. decesserat, regna partitur. Petro  
Cataloniam a Cinga ad Salsulas eisdem finibus, quibus Pyrenæis monti-  
bus, Arana valle, & interno mari continetur, attribuit: eiusque vsufructu  
reseruato, in possessionem mittit Pötius. Hugo Comes Emporitani, Ber-  
nardus S. Eugeniæ, Guilielmus Aquilonius, Albertus Cruillius, Hugo  
Anglesola, Arnaldus Guilielmus Cartalla, Raimundus, & Galcerandus  
Durgij, Guilielmus Moncada, Guilielmus Ceruilionius, Iacobus Cerue-  
ra, Raimundus Moncada, Bernardus Raimundus Ribellias, & Raimundus  
Timorius, ciuitasque Barcinonensis, Rege adsidente, in Petri verba iure-  
iurando

jurando adiguntur. Iacobum Valentino regno, Balearibus, & Ebuso infulis donat.

DAERAT NAT. 4088.  
MCC LXXXIX. MCC LI.

Iolans Regina Octobri mense Oſcæ obſignato teſtamento Petro, Iacobo, & Sanctio filijs Poſanæ Comitatum, qui a Bela Hungariæ Rege fra tre poſſidetur, legat: cuius ſe heredem Reginam matrem inſtituiſſe memorat. E vita hoc anno Reginam exceſſiſſe ad D. Mariæ Salenſis ſunt qui falſo confirment: alij Leonoram, cum qua Rex diuortium fecerat, facto perfunctam tradidere. Iolans ad Vallembonam, cœnobium id Sanctimonialium ordinis Ciſtertienſis eſt in Catalonia, humari ſe iubet.

A. D. III. K. Iun. Ferdinandus Caſtellæ Rex, qui magnam Bætica partem ab impio Maurorum dominatu eripuit, princeps in primis ſanctus, & religioſus Hiſpali decedit.

MCCXC. MCCLII.

Septembri mense Rex Biarum, munitiſſimam Valentini regni arcem caſtris circumſidet: neque tota hieme obſidionem intermitit.

Februarij menſis initio Biarum a Muza Almorabidio arcis præfecto deditur. Nihilo minus foede dedito oppido, quam ſi captum foret, paucis data venia, qui inermes in deditioem venerunt.

MCCXCI. MCCLIII.

Setabi, & Biarum in Regis poteſtatem traditis, arces omnes, & caſtella, quæ Sucrone amne, & Murtienſis regni finibus continentur, Regi deduntur: iſque dies Valentini regni debellandi, & finium propagandum finem intulit.

Alfonſus Caſtellæ Rex a diſſidio ſoceris Regis regni initium ducit. Ab Iolante enim vxore diuertere nititur: & Chriſtinam Regis Noruegiæ, Abroditas quidam exiſtimant, filiam arceſſendam curat futuram coniugem: quæ, cum Iolante Regina partum enixa aduentaret, qua erat animileuitate, Philippo fratri ſacris addicto, & Hiſpalenſi Eccleſiæ præfecto Chriſtinam deſpondet. Hinc indignatione, & odio concitato belli cauſæ inter ſocerum, & generum commouentur.

A. D. VIII. Id. Jul. Pompelone Theobaldus Nauarræ Rex decedit. Is Margaritam Archimbaudi principis F. vt Antiſtes Toletanus tradit, vxorem duxit. Quorum vero Archimbaudus hominum fuiſſet, neſciremus, niſi ex vetuſtis monumentis, vir doctiſſimus, & vetuſtatis obſeruantiffimus eruiſſet: quem honoris cauſa nominarem, ſi ea compellatione, qualiſcumque dignitas clariffimo viro adiungi poſſet. Conſtitit enim Archimbaudum Dampetrenſem ex Borbonia familia principem virum, Margaritæ Reginæ parentem fuiſſe. Ea viro demortuo, Regem Aragonium, vii vnicum regni, & Theobaldi, & Henrici liberorum columnen ad ſe arceſſit.

K. Auguſti Tudelæ Rex, & Margarita Regina ad renouanda fœdera, & confirmanda in colloquium veniunt. Pacificuntur, vt Theobaldus regni heres Conſtantiam, aut Sanctiam Regis F. vxorem ducat. Rex pollicetur, ſe Reginæ, atque Regi filio, aduerſus Caſtellæ Regem, Nauarræ regnum appetentem opem laturum. Colloquio adfuere Alfonſus Regis F. Garcias Epicoſus Turiaſonenſis: & pactio ea iuriſurandi ſacramento a proceribus Aragonijs, & Nauarris ſancitur. Hi fuere Garcias Romæus, Petrus Cornelius, Simon Focius, Simon Pereſius Arenofius, Ferricius Lizana, Petrus Martinius Luna, Sanctius Antillionius, Palatinus, & Artallus Focij, Guilielmus Podius, Rudericus Pereſius Tu-

AERA. NAT. CHR.

MCCXCI. MCCLIII.

riaſonenſis, Martinus Pereſius Artalſona Juſtitia Aragonum Præfectus: Garcias Almorabidius, Sanctius Ferdinandus Montacutus, Garcias Gomecius Agoncilio, Gonzalius Iohannius Baſtanus, Corbaranus Lehetius, Martinus Garceſius Euſa, Petrus Gonzalius Morentius, & Martinus Gonzalius Morentius, Guerrerius Sirus, Simon Groſſius, Petrus Simeniſius Valterra, & Lupus Arcezius Decanus Tudelenſis.

AEſtatis extremum erat, cum copia ingentes a Caſtella Rege, Nauarra regnum inuaſuro coguntur: magnoque etiam a Rege adiunguntur: vt genero, extra fines regni reſiſtat. Vt ſint indutia Caſtella ab Rege impetrant.

A. D. IX. K. Octob. Barcinone, coram Rege, frequenti conſpectu, & conſilij procerum conſeſſu, Alfonſus Regis filius ratas, firmasque ſancit donationes: & aſſignationes Petro, & Iacobo fratribus a Rege factas. Cavit ſe, neque primigenij iure, neque iuriſurandi religione, qua ſe Herdenſes ciues illi obſtrinxerant, atque in eius verba, tamquam veri heredis, & ſucceſſoris Daroceniſi conuentu adegerant, vniquam Herdenſem urbem, aut territorium repetiturum: & iuriſurandi vinculo eos ſoluit. Patre Rege pollices eius de more, vinciente, atque manibus implicante, quod foedus ſacrum habetur, fidem ſuam obſtringit. Scribendo adfuere Archiepiſcopus Tarraconenſis, Epicoſopus Barcinonenſis, Hugo Comes Rhodenſis Gallia prouincia, Raimundus Fulco Vicecomes Cardonenſis, Guilielmus, & Berengarius Angleſola, Bernardus Sancta Eugenia, Simon Pereſius Arenolus, Galcerandus, & Raimundus Durgij, Guilielmus, & Berengarius Cardona, & Bernardus Centilias.

MCCXCII. MCCLIV.

Aprilis menſis initio Rex, & Theobaldus Rex Nauarra Motacuti oppido congreſſi, concordia amicitia foedere adiunguntur: mutuaque caritate inter ſe deuinciuntur. Non Apr. arcibus traditis, tamquam obſidibus, aduerſus omnes inimicos foedus ſanciunt. Mirum eo foedere extitit: Regem, neminem ſuo nomine exceptum voluiſſe, præter Carolum Andium, & Prouincia Comitem: Francorum Regis fratrem germanum: qui poſtea Sicilia regnum adeptus, capitales inimicitias cum Petro Regis Fegeſit. Nauarrus Francorum Regem, & eius fratres excipit: & indutias in A. D. III. K. Oct. cum Alſonſo Caſtella Rege paciſcuntur. Eaſcedera ſe obſeruatuſos pollicentur ex Aragonie regno Bernardus Guilielmus Entenza, Petrus Cornelius, Garcias Romanus, Aluarus Pereſius Azagra Petri Ferdinandij Azagra, qui Albarrazini dominabatur F. Guilielmus Podius. Bertrandus Ahoneſius. Hi proceres erant: & ex militari auctoritate deuinctis foedus ſanxere ex Aragonia Furtatus Lihorius, Petrus Pereſius Turiaſonenſis, Innicus Orizius, Petrus Jordanis ex Exea, Rudericus Simeniſius Lueſia, Petrus Remirius Oria, & Pontius Cellius: & no uem primi ciues Turiaſonenſes. Ex proceribus Nauarris fidem ſuam obſtringunt Sanctius Ferdinandus Montacutus Senecaſcallus, Egidius Rada, Garcias Almorabidius, Ferdinandus Leratius, Gonzalius Iohannius Baſtanus, Martinus Simeniſius Aiuarus, Raimirus Pereſius Arroſnizius, Corbaranus Lehetius, Artallus Luna, Petrus, & Sanctius Pereſius Varilla, qui in numero procerum cenſebantur. At ex militari ordine ſe iuriſurando deuinciunt Regis Nauarra nomine Simon Sanctius

Funes,



Funes, Iohannes Garcias Peralta, Roldanus Peresius Aransius, Martinus Innicius Orizius: & sex primiciues Tudelani.

Mauri, qui Valentino in regno, confecto bello, Regi se subiecerant, quæ genti est animis insita, atque innata infidelitas, Regi bello externo implicito, ab eo, Alazdraco ductore deficiunt: & magna conspiratione tumultuantur. Nostri magno tumultu, atque propinquo permoti, auxilium nusquam, nisi ab Rege petiuere.

Rex Calataiubio Valentiam properans, opera, & consilio, affectis reipublicæ rebus præsto fuit. Edici imperat, vt intra mensem Mauri regni finibus excedant: quos neque maritima opportunitas, neque Almeriensium, & Granatenium vicinitas desperatis rebus, & domum reditionis spe sublata, ab armis deducit. Cum magis dolo, quam virtute niterentur, & insidijs occultis in aperta latrocinia effunderentur, XII. castella expugnant. Ad LX demum M. exceptis mulieribus, & pueris, qui per ætatem ad pugnam inutiles videbantur, arma capiunt: ad omnia pericula subeunda paratiores. Rege bellum vtguente, equitatus ex omni regno cogitur. Publica fide Vilienam hostium maior pars emigrat: & Murtiensi, & Granateni regno, & Spartario campo, quem Arabes Manxam vocant, & Oretanis, Carpetanisque regionibus disijciuntur.

Alazdracus in rebellione permanens, suis copijs bellum nostris infert: cui animos addidere Alfonso Castellæ Rex, Emmanuel, & Fredericus eius fratres: vt supra biennium, cum animi obstinatione omnis spes salutis consisteret, noltris repugnaret.

Iunio mense Valentia Aluarus Peresius Azagra, qui mortuo Petro Ferdinando patre Albarrazini dominabatur, se Regi addicit.

Cum Alfonso a patre disidere, in tanto rerum tumultu non intermitteret, Rex, vt eius animum regnandi cupidine inflammatum leniat, Aragonij, & Valentini regni procuratori præficit. Biario Alfonso Regi pollicetur, se Alfonso Regis causam, quam in summam expectationem perdaxerat, deserturum: neque cum eo societatem coiturum: aut fœdus facturum. Vt res componantur, & ab armis discedatur, Rex summo opere contendit.

Stellæ Nauarræ oppido, Augusto mense Didacus Lupius Pharenfis, Vizcainæ dominus, qui a Castellæ Rege deficiuerat, Iacobi Regis imperio se subijcit. Rex sacramentum apud se dicere iubet: & militarijs beneficijs ornat: quæ illi in d. equitum stipendia conferuntur. Scribendo adfuerit Andreas Valentinus Episcopus, Bertrandus Ahonensis, Sanctius Gonzaluis Heredia, Ortius Ortizius Stunica, Ferdinandus Ruiçius Miancias, & Sanctius Martinus Bannarius.

Aragonix, & Castellæ Reges, cum ad id temporis facultas colloquendi non fuisset, & ea tempestate vtrobique res nouarentur, opera, & interuentu prudentissimi viri Bernardi Vitalis Besalunensis, ad colloquium inter Agredani, & Turiafonem deueniunt. De compositione agitur: constituuntque, vt Nauarræ regnum in tutelam, ac propugnationem Regis tradatur. Magna generi inconstantia breui renouato bello ad pristinam concertationem recidunt.

Osæ Decembris mensis initio Rex Alfonso filium iudicio Simonis Focij, Bernardi Guilielmi Entenzæ, & Simonis Peresij Arenosij iurifurandi

AERA. NAT. CHR.  
MCCXCII. MCCLIV.

AERA. NAT. CHR.

rifurandi vinculo adstrictum subijcit: qui de controuersijs omnibus sententiam ferant.

MCCXCIII. MCCLV.

Huius anni initio Rex Calataubium contendit: veritus ne gener, mobilitate ingenij pacem, atque bellum mutare solitus, in Nauarræ fines inuadat.

A. D. VII. Id. Mai. Cæsaraugustæ Rex Exerica oppido, eiusque ditione omni Theresiam Egidij filiam Vidauriam nobilem feminam, & filium, qui ex ea nasceretur, donat: cum qua contubernij necessitudo plures annos intercessit: quæ postea Regi, cui connubij ius fuit, enupuisse traditur.

A. D. VIII. Id. Septemb. cum ab Alfonso Rege Nauarrensis oppidis, atque arcibus vis, atque arma inferenda denuntiarentur, & Rex, vt omnem eius conatum propellat, Stellæ assidet, Henricus Alfonsi Regis frater, & Lupus Diazus Pharenensis, qui mortuo Didaco patre Viscaia dominari cœpit, ab Rege Castellæ desciscentes, se Regi tradunt: atque eius imperio subijciunt. Rex eorum causam aduersus generum se propugnaturum spondet. Lupum Pharensem primarij, & præstantes viri cognatione illi adiuncti comitantur Sanctius Garcias Salzedius, Didacus Lupius Mendoza, Gózaluus Ruicius Vega, Lupus Velascus, Gonzaluus Gomezius Aguero, Gonzaluus Gonzaluius Luzius, Innicus Simenius Lanclarius, Didacus Ruicius Tresponius, Lupus Diacius Médoza, Michael Innicus Zuacius, Sanctius Gonzaluius Heredia, Lupus Garcias Salarzal, Didacus Gonzaluius Zauallius, Sanctius Martinus Bannarius, Ferdinandus Ruicius Miancias, Didacus Lupius Francus, Rudericus Sanctius Landa, Lupus Innicus Horoscius, Fortunius Sanctius Veraffurius, Iohannes Martinus Heredia, Sanctius Peresius Gazeus, Guterris Gonzaluius Maia: & Gonzaluus Ruicius. Omnes fidem suam obstringunt Pharensem pactis conuentis mansurum: & sacramento adacturum, cum ad legitimam ætatem perueniret: neque cum Rege Castellæ pacis fœdera initurum: quoad ea controuersia, quæ Regi cum genero vertebatur, Sanctij Garciae Salzedi, & Lupi Velasci sententia decideretur.

MCCXCIV. MCCLVI.

Martio mense, cum Rex præsentibus reipublicæ temporibus potius conuenire videret, se placabilem genero præbere, quam pristinae dissensionis indulgere, & gener ad maiores se res applicuisset, & animum ad Imperij Romani gubernacula capessenda admouisset, ac se, statumque omnem rebus externis tradidisset, controuersias omnes, ad concordiam adduci posse sperantes, Soriæ ad colloquium congregiuntur. Eo in oppido fœdera, quæ facta quondam a superioris ætatis Aragoniæ, & Castellæ Regibus fuerant, sanciantur. Recipit Castellæ Rex, se arces, eius fœderis veluti obsides traditurum. In eam pactionem a Rege deuentum est: quod Mauri Valentini, qui in defectione perstiterant, Castellanis, & Carpetanis auxilijs adeo niterentur, vt Alazdracus eorum ductor veterator, & impiger, & qui in Valentinos fines fetociter incurfaret, in arcium propugnaculis vexilla Regis Alfonsi, & Emmanuelis eius fratris prætenderet.

A. D. II. Id. Apr. Margarita Nauarræ Regina Theobaldi maioris Regis vxor ad Priuignum obiisse, & ad Clarauallum tumulo humata fuisse vetustis annalibus perhibetur.

Guilielmo

Guilielmo Romanorum Rege perempto, assidentibus VII. Viris, Germanorum regni principibus, qui vetustis Othonis III. Imperatoris institutis electioni Regum, in Imperatoriam, & Augustam dignitatem sufficiendorum praeficiuntur, cum in octauis Epiphaniae Ricardus Cornubiensis Comes Regis Anglorum frater, a Coloniensi Archiepiscopo, qui suo, & Moguntini Antistitis nomine conuenerat, assidente, & consentiente Palatino Comite, Rex adscisceretur, & Aquisgrani coronatus, & iniunctus fuisset, Archiepiscopus Treuerensis, Saxoniae Dux, & Bohemiae Regis procurator Palmarum Dominica die constituta, Alfonso Castellae Regem, Philippi Imperatoris nepotem, in Imperij fastigium euehant. Ea principum distractione, Alfonso Rege ad Imperatoriam dignitatem euocato, ipsius Regis opes, & regna diserpuntur, & dilacerantur.

Iuuat me rem maxime occultam, praeclearo monumeto producto, in lucem proferre: ne aliquot virorum doctrina praestantium opinione, qui nostra aetate Iohannis Auentini excitandam animaduersionem, & diligentiam operapretium existimauerunt, in manifestum errorem rapiamur. Neque enim quemquam in re, quae perimagni momenti est, falsa opinione, aut errore duci oportet: ut arbitretur Gregorium V. Pont. Max. & ipsum natione Saxonem, non fuisse primum, qui ad creandi Imperatoris institutam sanctionem animum adiecerit: & lege perlata, assentiente Othone III. Imperatore, qui legitima prole careret, decreuerit, ne in posterum iure successionis Imperatoria dignitas traduceretur: sed tres primarij Germaniae antistites, totidemque proceres, adscito Rege Bohemiae, vbi paria suffragia in Imperio mandando inirentur, Augustorum comitiorum auctores, atque sequestres constituerentur: sed Frederico II. ex humanis exempto, dissentientibus Germaniae Principibus, formulam eam creandi Imperatoris prolataim. Ego illos, inquit Auentinus, post fata Frederici II. institutos, & a Gregorio X. Pont. Max. confirmatos esse compertum habeo. Tam fidenter ius Principum Electorum id temporis constitutum pro re comperta tradidit. At Urbanus VIII, qui & Gregorium ipsum, & Clementem itidem III Pontificatu Maximo antecessit, cum Ricardum, & Alfonso, quibus eius honoris, & dignitatis certamen erat, ad concordiam reducere conatur, hortaturque, uti se iudicio Apostolico sistant, sanctionem eam antiquiorem memoria omni fuisse commemorat. Litterae Apostolicae dignae maxime visae sunt, quae hoc in loco recenseantur.

VRBANVS Episcopus seruus seruorum Dei R. in Romanorum Regem electo. Qui caelum terramque regit, is nimirum caelinouit ordinem: & in terra potest caelestis ponere ordinis rationem. Is exempla, de superis ad inferiora deriuans, sicut in firmamento Caeli duo luminaria magna constituit, ut mundum vicibus suis illustraret, sic & in terris maxima dona sua, Sacerdotium videlicet, & Imperium ad plenum spiritualium, mundanorumque regimen, ad firmamentum Ecclesiae militantis instituens, vtriusque potestatis ita discreuit officia, ut eorum officiosa diuersitas nulla sibi aduersitate dissentiat: sed in commisi executione regiminis, ex officij debito in voti vnitatem concordet: & ipsorum proculdubio profutura concordia alterutris alternis fulta, praesidijs,

AERA. NAT. CHR.  
MCCXCIV. MCCLVI.

„ præfidijs, ac vtriusque mutuis fota fauoribus opus iustitiæ liberius opere-  
 „ tur: pacem mundo pariens: tranquillitatem inducens, & nutriens vnita-  
 „ tem. Imperium si quidem ad salutem Sacerdotali auctoritate dirigitur: &  
 „ ipsius adiutum suffragijs, sedatis procellosis interdum imminenti-um tem-  
 „ pestatum turbinibus, tranquillum redditur, & quietum. Sacerdotium ve-  
 „ ro pium, & tutum habere debet refugium: Imperialem mansuetudinem  
 „ cum sua veneratione coniunctam: vt Imperij Romani fastigium, & eius  
 „ culmini præfidens, specialis aduocati, & defensoris præcipui circa Eccle-  
 „ siam gerat officium: & in ipsius fortitudine brachij defensentur Ecclesiæ  
 „ libertates: & iura manu teneantur ipsarum: extirpentur hæreses: cultus  
 „ Christianæ fidei amplietur: & inimicis consternatis eiusdem, in pacis pul-  
 „ chritudine sedeat populus Christianus: & in requie opulenta quiescat. Ve-  
 „ rum humani generis inimicus pacis impatiens, amator litium, discordiæ  
 „ seminator vtriusq; profectibus inuidens claræ memoriæ Vvilielmo Ro-  
 „ manorum Rege rebus humanis erepto, inter te, & carissimum in Chri-  
 „ sto filium nostrum Regem Castellæ, ac Legionis illustrem in Romano-  
 „ rum Regem electum, circa obtinendam eiusdem Imperij dignitatem, con-  
 „ tentionis materiam suscitauit: vt vobis circa hæc contententibus, careret  
 „ Imperialis regiminis commodis orbis terræ: & tanti brachij, tam vtilis,  
 „ tam necessarij, tam cari carentiam, ex ipsius vacatione diutina, molestam  
 „ admodum, & nociuam damnosa experientia ecclesia prædicta sentiret.  
 „ Sentit itaque, sentit mater Ecclesia tam populi sibi commissi, quam suam  
 „ grauem de huiusmodi contentione iacturam. Creuit namque peruerso-  
 „ rum audacia, & ipsorum abundante malitia, dum eorundem vacante Im-  
 „ perio, ipsi ecclesiæ defensionis debitæ suffragia subtrahuntur: liberius pec-  
 „ catis insistitur: hæreses pululant, scandala suscitantur, multiplicantur cæ-  
 „ des, & strages, iniuriæ inualescunt: in persecutionum turbinibus Petri  
 „ nauicula fluctuat: & interdum, qui fidelium ipsius cenferi nomine glo-  
 „ riantur, in arcum peruersum, fidei debitum non seruando, conuersi, tam  
 „ in suis iuribus iniuriöse impetunt, & molestant: illa nunc denegando pro-  
 „ libito: nunc illicite occupando: propter quod eadem ecclesia nõ immeri-  
 „ to huiusmodi vacationem deplorat Imperij: & de animarum periculis,  
 „ quæ peccandi libertas ingerit, ex intimis longa trahens suspiria, ingemi-  
 „ scit. Ex eo in super quam dure, quam grauius materna eius viscera qua-  
 „ tiuntur, quod ipsa tam caros filios, tam inclitos Principes in suo sentiens  
 „ vtero collidentes, prudenter aduertit tuam, & prædicti Regis potentiam  
 „ in Christi blasphemos, & inimicos nominis Christiani potenter, & ma-  
 „ gnifice more solito exercendam, in proprium, & grande domesticorum  
 „ fidei detrimentum talibus contentionibus implicari. Hæc igitur, & alia  
 „ incommoda dissensionis huiusmodi eadem ecclesia materno pensans affe-  
 „ ctu, in his auxilij sui dexteram non subtraxit: sed vigilauit attentius: &  
 „ attentione sollicita vigilanter intendit: multaque sollicitudine peruigil-  
 „ laborauit, vt discriminibus tantis occurreret: teque, ac ipsum Regem a di-  
 „ scordiarum dispendijs præseruaret. Et licet inter vos iudicis partes affu-  
 „ mere, non sine causa distulerit, præsertim, cum tam tui, quam ipsius Re-  
 „ gis nuntij, in recordationis felicitatis Alexandri Papæ prædecessoris nostri,  
 „ nostra, & fratrum nostrorum præsentia constituti, super prædictis, iudi-  
 „ ciarium Apostolicæ Sedis examen expresse vsque ad hæc tempora decli-  
 „ narint,

narint, dilationem tamen huiusmodi, etiam illa utilitatis utriusque partis ,,  
 consideratio, & paternæ pietatis cautela, pro vobis consilium capiens per- ,,  
 suasit, ut vestris animis ad hoc habitatis, interim ad reformanda inter vos ,,  
 amicitiaæ fœdera, congruentia tempora captarentur: ut remedia promptio ,,  
 ra paterent: per quæ occasione discordiæ sublata, vos glutinum solidæ ,,  
 caritatis vniret: ac in vestræ soliditate concordiaæ, quam tractatus, qui su- ,,  
 per hoc, inter vos dicebantur haberi, promittere videbantur, sub sui Prin- ,,  
 cipis ducatu pacifico daretur eidem sabatthisinus Imperio: & sedatis scan- ,,  
 dalis, quietis optatæ iucunditas proveniret: pestis exterminaretur hæretica: ,,  
 animarum pericula vitarentur: Ecclesia Cæsareo munita præsidio, & ab ,,  
 hostilibus erepta persecutorum incurfibus respiraret: ac eorum, qui sub ,,  
 simulatæ fidelitatis audacia nocent fidentius, temeraria nocendi confiden- ,,  
 tia refrænata, suorum iurium integritate gauderet. Hęc quidē hætenus expe- ,,  
 ctavimus anxij, hæc desideravimus anxia expectatione diutius: in his præ- ,,  
 decessoris, nostra, & fratrum ipsorum sollicitudo non defuit: secundū Apo- ,,  
 stolicæ circumspeditionis iudicium, de contingentibus nihil omittens. Et ,,  
 quamquā, ut votis nostris satisfaceret in hac parte, hucusq; nō fuerit ex alto ,,  
 cōcessum, tamen ad id nostra semper suspiravit intentio, ad id plenis desi- ,,  
 derijs anxiamur: non proponentes a cœptis desistere: quin circa negotium ,,  
 huiusmodi, sub spe illius, qui facit magna, & inscrutabilia, qui facit concor- ,,  
 diam in sublimibus, prosequi pacis semitas intendimus: quidquid per nū- ,,  
 tios, & procuratores partium, coram nobis novissime his diebus proposi- ,,  
 tum, petiitve fuerit, & responsum. Et quidem venerabilis frater noster ,,  
 Laur. Episcopus, & dilecti filij, Guilielmus Archidiaconus Roffensis, ac ,,  
 Robertus de Baro procuratores, & nuntij tui, a te plenariam potestatem ha- ,,  
 bentes, ut in nostro consistorio tua proponerent negotia, & peterent cum ,,  
 sollemnitate, qua conveniret, vocationem tuam sollemniter ad coronā, ac ,,  
 vniuersa, & singula circa hæc gererent fideliter: ac procurarent: quæ per ,,  
 veros nuntios, ac procuratores, ad hoc specialiter deputatos legitime pos- ,,  
 sent agi: peti: & etiam procurari: coram nobis, & eisdem fratribus propone- ,,  
 re curauerunt: quasdam consuetudines, circa electionē novi Regis Roma- ,,  
 norū, in Imperatorem postea promovendi, apud Principes, vocem in hu- ,,  
 iusmodi electione habentes, qui sunt v i i numero, pro iure servari: & fuisse ,,  
 hætenus obseruatas: a tempore, cuius memoria non existit: secundum ,,  
 quas, infra annum, & diem, postquā vacat Imperium, talis debet electio ce- ,,  
 lebrari: quacumq; parte ipsorum anni, & diei, quā ad hoc ñdem Principes ,,  
 duxerint deputandā: & ad Archiepiscopū Maguntinum, & Comitem Pa- ,,  
 latinum Rheni, vel ipsorum alterum, altero nequeunte, vel forsitan non ,,  
 volente, pertinet ad electionem ipsam celebrandā, diem præfigere: ac cete- ,,  
 ros electores Principes conuocare. Quibus omnibus, vel saltem duobus ex ,,  
 ipsis, die præfixa convenientibus apud oppidum de Frankensford, intus, ,,  
 vel extra ipsum oppidum in terra, quæ dicitur Frankforde, loco quidē ad ,,  
 hoc deputato specialiter ab antiquo, ad electionem ipsam procedi potest, ,,  
 & debet: secundum morem ipsius Imperij approbatum: & electione tali- ,,  
 ter celebrata electus, si electioni consenserit, ante Aquigrani per dies ali- ,,  
 quos facta mora, infra annū, & diem post celebratam electionem eamdē, ,,  
 quando electus voluerit, per Coloniensem Archiepiscopum, ad quem id ,,  
 ex officio suo spectat, inungitur, consecratur, & etiam coronatur. Quo fa- ,,

AERA NAT. CHR.  
MCCXCIV. MECLVI.

30 cto via præcluditur contra electionem, vel electum iam Regem Romano-  
 31 rum effectum dicendi aliquid: vel etiam opponendi: sed idem electus præ-  
 32 dicto modo inunctus, consecratus, & coronatus pro Rege habetur: & ei  
 33 tamquam Regi debet a subditis, & vassallis Imperij obediri: suo more ho-  
 34 magia, & fidelitatis iuramenta præstari: assignari ciuitates: oppida: castra:  
 35 & specialiter castrum de Treueris: ac alia iura Imperij infra annum, &  
 36 diem, a tempore coronationis eiusdem: ita quod, si qui de vassallis Imperij  
 37 ea homagia non præstiterint consueta, & non reddiderint ciuitates, castra,  
 38 & alia supradicta, illis, quæ ab Imperio tenent eodem, sunt & ipsi priuan-  
 39 di. Et si votis Principum, ad quos spectat eligere, ad eligendum conuenien-  
 40 tium, diuisis in plures, duo in discordia eligantur, vel alter electorum per  
 41 potentiam obtinebit, ad prædictum Comitem Palatinum, tamquam ad  
 42 huius discordiæ iudicem, est recursus habendus: ni forsan super electione,  
 43 vel coronatione huiusmodi suborta discordia, per appellationem, vel que-  
 44 relam prædictorum Principum ad examen Sedis Apostolicæ, quo casu,  
 45 ipsius est in tali casu cognitio, deferatur. Intelligitur autem is electus esse  
 46 concorditer, in quem vota omnium electorum Principum, vel saltem duo-  
 47 rum tantum modo in electione præsentium diriguntur. In discordia vero  
 48 is etiam reputatur electus, de quo in loco non solito electio celebratur: &  
 49 in termino, de communi consensu dictorum Principum non statuto: quæ  
 50 si forsan prædicti Principes infra annum, & diem, a die vacantis Imperij  
 51 concorditer statuunt, licet non exprimant, quod ipsum peremptorium ef-  
 52 se velint terminum, terminus tamen ab eis præfixus taliter, peremptorius  
 53 reputatur. Porro ijdem procuratores his, & alijs quibusdam prælibatis cõ-  
 54 suetudinibus adiecerunt, quod vacante Romano Imperio, die per omnes  
 55 prædictos Principes, pro celebranda Regis Romani in Imperatorem po-  
 56 stea promouendi electione, statuto, in Octauis Epiphaniæ Anno Domini  
 57 MCCCLVI. apud memoratum oppidum de Frankenford quinque tantum  
 58 deditis Principibus, tum per se, tum per alios, videlicet bonæ memoriæ  
 59 Maguntinus Archiepiscopus, qui legitimo impedimẽto detentus, ipsi Co-  
 60 loniensi Archiepiscopo ea vice, in hoc commiserat vices suas, & dilectus  
 61 filius nobilis vir Comes Palatinus apud Frankeneford, bonæ memoriæ ve-  
 62 ro Treuerensis Archiepiscopus, & dilectus filius nobilis vir Dux Saxonie  
 63 intra dictum oppidum conuenerunt. Cumque idem Treuerensis Archie-  
 64 piscopus, & Dux Saxonie præfatos Archiepiscopum Colonensem, &  
 65 Comitem nec ipsum oppidum intrare permitterent, nec ad eos exire vel-  
 66 lent, super hoc sapius requisiti, dicti Archiepiscopus Colonensis, & Co-  
 67 mes attendentes, ex lapsu temporis periculum imminere, si forsan non fie-  
 68 ret electio illa die, quæ ad hoc fuerat peremptorie constituta, præsertim  
 69 cum de anno, & die, post vacationem Imperij quindecim dies solummo-  
 70 do superessent, infra quos nullo modo potuissent, propter locorum distan-  
 71 tiam, & alias facti circumstantias præfati Principes iterum conuenire, cū  
 72 Prælati, Ducibus, & alijs ibidem præsentibus deliberatione præhabita,  
 73 de ipsorum communi consilio, & assensu ad electionem procedere decre-  
 74 uerunt. Et tandem præfatus Colonensis pro se, & dictis Maguntino, cu-  
 75 ius vicem gerebat, & Comite præsentem, ac consentientem, Dei nomine inuo-  
 76 cato, re in Regem Romanorum elegit: & mox electionem huiusmodi, Ma-  
 77 gnatum, & aliorum astantium copiosâ multitudini publicauit: cui electio  
 78 ni, per

ni, per carissimum in Christo filium nostrum Regem Bohemiæ illustrem post paucos dies consensu præstito, demum tu, ad tuorum electorum, & aliorum Imperij aptimatium, qui propter hoc ad te, in Angliam accesserunt, instantiam, & requisitionem instantem eidem electioni, post diligentem super hoc, tractatum habitum, consensisti: ac personaliter Alamaniam Regnum ingressus: & moram apud Aquas Grani, quantum decuit, faciēs, nec inueniens resistentem, post modum fuisti per sæpe dictum Coloniensem Archiepiscopum, ad cuius id spectabat officium, consecratus, inunctus, coronatus, ac inthronizatus regio more, in sede MAGNI CAROLI, nullo se inibi, coronationi tuæ re, aut verbaliter opponente. Recepisti quoque homagia magnatum regni eiusdem: ac fidelitatis etiam iuramenta. Obtinuisti ornamenta, & insignia Imperialia, quibus Rex Romanorum solet ornari, cum Romæ inungitur: ac consecratur per manus summi Pontificis: & sacrum Imperij suscipit diadema: & sine quibus aliquis ad vnctionem, consecrationem, & coronationem huiusmodi non solet, nec debet admitti. Reddita in super tibi fuerunt quam plurima oppida, castra, villæ, & iura Imperij, tamquam Regi: tuque ipsius regni possessionem adeptus ipsam tenes: & per sex annos, & amplius tenuisti. Ex his autem procuratores tui arguere videbantur, quod cum memorati Treuerensis Archiepiscopus, & Dux Saxoniam recusando dicta die procedere, reliqui vero non veniendo ad terminum concorditer assignatum, se alienos ab electione reddiderunt ea vice, tu ab omnibus Principibus, vel saltem ab ijs, in quos totaliter ius eligendi reciderat, censeri debes electus: pro certo, ac indubitato ponentes ius in regno, & Imperio supradictis, tibi electo, prædictis consuetudinibus obseruatis vbi, & a quibus id fieri debuit, & nulli alij acquisitum: ac regium nomen, & Imperij diadema indubitate deberi. Supplicauerunt instantanter, & humiliter petierunt, tibi & huiusmodi nomen ascribi: maxime cum antedictus prædecessor noster id tibi, de fratrum suorum consilio ascripsisset: te in eisdem regno, & Imperio, quibuslibet alijs præferendo, sicut per ipsius litteras ostendere nitebantur: teque per nos inungendum, consecrandum, & coronandum in Romanorum Imperatorem, aduocatum, ac defensorem Ecclesiæ, ad ipsum diadema, de nostris suscipiendum manibus, sine despendio vterius moræ, vocari, & Apostolicum tibi fauorem impendi, præsertim cum non tantum maior pars Principum prædictorum, imò omnes, excepto nobili viro Marchione Brandenburgensi, qui etiam paratus est tibi obedire, ut iisdem nuntij proponebant, electioni de te factæ consentiant: & tibi, tam ipsi, quam alij magnates Alamaniam generaliter, tamquam suo Regi obediant: & intendant: petitionem suam illa indubitata, sicut asserunt, in Imperio, & iure munita consuetudine fulciantes, qua dicta electione in Romanum Regem, secundum solitum morem Imperij, vbi, & a quibus debet, & postmodum per supradictum Coloniensem Archiepiscopum inuncto, consecrato, & coronato, eo ipso regium nomen adquiri: & si electæ personæ impedimenta non obuiant, vocandū sine dilatione aliqua per summum Pontificem ad coronam: ad id non solum morem Imperij approbatum, sed etiam quamdam felicis recordationis INNOCENTII PAPAE, III. prædecessoris nostri decretalem epistolam allegantes: ac dicentes: per contradictionem memorati Regis, vel electionem, quæ de ipso facta dicitur, petitionem præmissam non debere ali-

M ij quatenus

AERA NAT. CHR.  
MCCXCIV. MCLVI.

quatenus impediri: cum secundum prædictas consuetudines, & termino  
ad hoc statuto, de cōmuni Principum prædictorum consensu, transacto,  
& post electionem tuam legitimam non cassatam, a solo nominato Tre-  
uerensi, qui propter noua pedagia, quæ in terra sua imposuit, erat tunc ex  
communicatione ligatus, nulla omnino forma seruata, in camera eiusdem  
Treuerensis Archiepiscopi, cōtempitis alijs principibus, clandestine acce-  
ptata: cum nullam ab eisdem Principibus, super hoc potestatem haberet:  
quam, etiam si ab aliquibus habuisset, sicut quædam pro parte altera exhi-  
bitæ litteræ innuebant, formam tamen ipsius, quæ secundum tenorem lit-  
terarum ipsarum, ad certam diem se tantummodo extendebant, non eli-  
gendo ipsa die minime obseruauit. EX PARTE vero supradicti REGIS  
CASTELLAE per venerabiles F. N. Garfiam Siluensem, & fratrem  
Dominicum Abulensem Episcopos, ac dilectum filium magistrum Iohan-  
nem capellanum nostrum Archidiaconum Compostellanum ipsius pro-  
curatores, actores, & negotiorum gestores generales, & speciales omnes in-  
solidum, ita quod occupantis non sit melior condicio, mandatum habentes  
ab ipso, ad petendum pro eo, & suo nomine a nobis, & prædictis fratri-  
bus nostris coronam Imperij: & assignari sibi diem ad recipiendam ipsam:  
& ad agendum, respondendum, defendendum, & tractandum iura sua, &  
Imperij: & quidquid honori eius expedire viderent: siue in ordinario, siue  
in extraordinario iudicio ageretur, fuit e contra propositum. QVOD præ-  
dictus dies Octauarum Epiphaniæ non ad eligendum, sed ad tractandum  
super electione futuri Regis, & Imperatoris, & ad assignandum diem ad ce-  
lebrandam electionem eandem, non per omnes, sed per quosdam ex ipsis  
Principibus, extitit assignatus: qua die præfati Treuerensis Archiepiscopus, &  
Dux Saxoniae per se, ac dilectum filium nobilem virum Marchionem Brande-  
burgensem, qui eidem Treuerensi Archiepiscopo uices suas cōmiserat, nec non  
& procuratores memorati Regis Bohemiæ, ad prædictum oppidum, tamquã  
viri pacifici accesserunt. Supradicti vero Coloniensis Archiepiscopus, & Comes  
cum ingenti armatorum multitudine, ad loca circum vicina ipsi oppido ve-  
nientes, requisiti per Treuerensem Archiepiscopum, Ducem, & procura-  
tores prædictos, qui eorum impressionem verisimiliter formidabant, ut idem  
oppidum intrarent cum societate decenti, de assignando die ad electionem cele-  
brandam, prout terminus exigebat, si ad hoc essent habiles, vna cum ipsis  
pacifice tractaturi, non solum id facere contempserunt, verum etiam proprii  
persecutores arbitrii præsumperunt te in Regem Alamaniae, non sine mul-  
to contemptu aliorum Principum, nominare. Memorati autem Treuerensis Ar-  
chiepiscopus, Dux, & procurator nominationem huiusmodi attendentes pe-  
nitus esse nullam, præsertim cum dicti Coloniensis Archiepiscopus pro eo,  
quod bonæ memoriæ P. S. Georgij ad Velum aureum diaconi Cardinalis,  
tunc legati in Alamaniae partibus manus iniecerat: ac venerabilem F. N.  
Podebiun. Episcopum præsumebat detinere captiuum: propter quod, per  
eundem etiam legatum extitit excommunicatus. Comes vero propter cle-  
ricorum, & religiosorum carnes, & notorias captiones, & quia contra sen-  
tentiam felicis recordationis INNOCENTII PAPAE IV prædecessoris no-  
stri, quondam Frederico, olim Romanorum Imperatori, & Corrado nato eius  
præstiterat publice consilium, auxilium, & fauorem, erant ipsius electio-  
nis tempore, tam a Canone, quã ab homine varijs excommunicationibus



innodati: & Maguntinus Archiepiscopus, cuius idem Coloniensis Archi-  
 episcopus se vices gerere afferebat, in vinculis teneretur: propter quod ca-  
 rens arbitrij libertate, prestare non potuit, prout iura exigunt, liberum in  
 electione consensum: nec etiam de futuro praestitit: ad electionem celebra-  
 dam, certum terminum statuerant, subsequenter Dominicam passionis.  
 Quo quidem termino, vsque ad Dominicam proximam Palmarum, contin-  
 uato de die, in diem, & memoratis Maguntino, tunc a vinculis liberato,  
 Coloniensi Archiepiscopo, & Comite requisitis, & nolentibus interesse,  
 dictus Treuerensis Archiepiscopus a praedictis Rege Bohemiae, Duce, &  
 Marchione sibi, super hoc potestate commissa, dictum Regem Castellae suo,  
 & aliorum nomine publice, ac sollempniter in eodem oppido de Frankford,  
 Dei nomine inuocato, in Romanorum Regem, & Imperatorem elegit: & ele-  
 ctionem ipsam, omnibus astantibus publicauit: ideoque Rex Castellae, ipsa  
 electione sibi, per complures Magnates Imperij, ad ipsum, propter hoc in  
 Hispaniam accedentes, postmodum praesentata, electioni consensit eidem.  
 Ex praemissis sane iidem procuratores, & nuntij praelibati Regis Castellae  
 dicentes electionem ipsam, ubi, & a quibus debuit, celebratam legitime,  
 allegabant electionem eandem impediri non potuisse per tuam: quae, sicut  
 dicunt, nulla extitit ipso iure. Nam cum praedictus dies octauarum, non  
 ad eligendum, sed ad tractandum de statuenda die, & ipsam statuendum, ad  
 electionem celebrandam noui Regis, fuerit non per omnes praedictos Prin-  
 cipes, sed per aliquos ex eis, ut praemittitur assignatus, qui, etiam si ad eli-  
 gendum statutus fuisset, per maiorem partem eorundem Principum, mi-  
 noris partis non obstante contradictione, mutari, & prorogari potuit, & ex-  
 stitit prorogatus, constat electionem de te, maxime per pauciores de ipsis  
 Principibus excommunicatos, ipsa die octauarum factam nullam peni-  
 tus extitisse. Excommunicationem etiam contra memoratum Archiepi-  
 scopum Treuerensem obiectam, & consuetudinem, quae de celebranda a  
 tempore vacantis Imperij infra annum, & diem, Regis Romanorum ele-  
 ctione proponitur, ac alias omnes negantes allegabant: quod si veritate hu-  
 iusmodi propositio fulciretur, electio tua, quae xv diebus, de ipso tempore  
 tunc restantibus, celebrata fertur, ex hoc etiam nulla esset: cum non licue-  
 rit minori parti, maiori contempta, diem vltimam ipsius temporis praeue-  
 nire. Per quae apparere dicebant, quod electores eiusdem Regis Castellae,  
 nolendo illo die eligere, non fuerunt eligendi iure priuati: nec si etiam, ut  
 pars aduersa proponit, ad minorem partem renuissent exire. Nam cum  
 infra praedictum oppidum de Frankford Romani Regis, & Imperatoris,  
 & non alibi debeat electio celebrari, minor pars non poterat ad locum alium  
 coarctare maiorem. Adiecerunt praeterea inunctionem, consecrationem,  
 ac possessionem praedictas, quam quidem possessionem omnino negabant,  
 & cetera pro parte tua inducta, cum ex electione tua, quae, ut praedicitur,  
 nulla extiterat, secuta fuerint, tamquam nulla, nullum potuisse tuo muni-  
 mentum afferre: aut eiusdem Regis Castellae iuri praedictum generare:  
 subiungentes Coloniensem Archiepiscopum supra dictum consecratio-  
 nem, vel inunctionem, seu coronationem, quae ius tribuant, dare non pos-  
 se: nisi ei, qui a maiori, & saniori parte praedictorum Principum est electus.  
 Alioquin illa sequeretur absurditas, quod solus Coloniensis Archiepisco-  
 pus precibus inductus, vel corruptus pretio, cui vellet Imperium dare pos-

ARRA NAT. CHR.  
MCCXCIV. MGCCLVI.

set. Quod autē de litteris supradicti prædecessoris Alexātri præmittitur, in quibus tibi Regiū nomē dicebatur ascriptū, teque in prædictis Regno, & Imperio fuisse prælatū, multipliciter cōfutabant: tū quia, quoties corā ipso prædecessore Alexādro, ac fratribus suis, de Imperij negotio agebatur, idē prædecessor Alexander publice assererat, quod super eodē negotio, nihil in dicti Regis Castellæ præiudiciū attētare: quod etiā ipsi Regi Castellæ per litteras, & quondā A. de Ferētino suū capellanū, & nuntiū intimavit: propter quod prædictæ per te inductæ litteræ merito sunt suspectæ: nec credēdæ, de eiusdē prædecessoris A. cōsciētia emanasse: tū etiā, quia si de ipsius cōsciētia, & fratrum suorum cōsilio processissent, cū iniuriōsæ sint, debēt merito reuocari. Vnde idē Regis Castellæ procuratores, & nuntij electionē de ipso factā, electione tua prædicta & his que pro te fuerūt obiecta, nō obstantibus, fore legitimā, vt pote celebratā a maiori parte ipsorum Principū, quos idē procuratores, & nuntij variare nō potuisse allegāt, & variasse nō credūt: immo fictiōe iuris ab omnibus: cū alij, vt pote inhabiles, electio ni nō potuerint, vel saltē noluerint in loco solito, & tēpore debito interesse: ac ipsum potiorē in prædictis Regno, & Imperio arguētes, cū instātia postularūt ipsi Regi Castellæ cōsuetū fauorē, & debitā in huiusmodi negotio iustitiā exhiberi: apertius exprimētes hāc fore iustitiā debitā, hūc esse fauorē in talibus cōsuetū: videlicet, quod quādo aliqui ad Imperiū in discordia Principū eligunt, Sedes Apostolica illū, qui electus est a parte maiori, personę impedimētis cessantibus, denūtiat electū canonicē: ac Regē nominat, parte aliqua nō citata: & ei fauorē præstat: illiq; terminū, ad recipiendā coronā assignat: etiā si alter taliter electorū Regni possessionē præsumpserit occupare: sicut in electionibus LOTHARII, CORRADI, OTHONIS, & PHILIPPI, & aliorū pluriū obseruatū fuisse dicebāt: ad hoc prædictā Decretalē epistolā inducētes. Eisdē autē præfati Regis Castellę nuntij petitioni prædictæ, super debita iustitia exhibēda, porrectæ insistētibus, nos memoratū Rosensem Ep̄m, & alios tuos procuratores, de prædictorū fratrum consilio duximus, requirēdos: si vellēt super præmissis subire tuo nomine nostrū, & Apostolicę sedis examē: qui habito cōsilio respōderūt, quod cū sis Princeps Catholicus, nobis, & Ecclesię Romanę deuotus, ipsam caput Christianitatis, & fidei, tuāq; matrē, & dominā recognoscēs, nec intendas illius declinare iudiciū, in quibus illud subire debes, & de iure teneris, & in Imperio ius habeas, ac Regni Alamanicę, & eius iuriū possessionē obtineas, parati erāt, in quātū prædicti mādati, quod a te habebāt, se vires extēdunt, pro te, ac tuo nomine, tāquā pro Rege vero, ac legitimo, priore, iudiciū nostrū, & Ecclesię Romanę subire: si quis appareret, qui te, super præmissis velit impetere: aut aliquid, quocunq; modo proponere: propter quod tibi possit aliquod præiudiciū generari: saluis semper in omnibus, & per omnia iurisdictione, potestate, officio, auctoritate, dignitate, honore, ac libertate sacri Romani Imperij: eiusq; Principū: ad quos specialiter spectat Romani Regis electio: & quibus præiudicare nō intēdebāt: vel alias quomodolibet derogare: petitionem tuo præmissam nomine nihilominus repetētes. Ecce fili carissime dū ad petitionē iustitię, ab vna parte procedi, nec ab altera iudicio cedi, sed ipsius prosecutioni cōstāter instatur, nos, qui sperabamus, quod per tuā, & ipsius Regis cōcordiā, & concordē supradicti ordinationē Imperij, desideratę quietis nobis serenitas arrideret, in iudiciorū inquietos anfractus

anfractus ingerimur: & expedite iustitiæ constantia in ipsorum nos fluctus,,  
 impellit. Ecce pacē expectauimus, & non venit: requisimus bona, & tur,,  
 batio strepitus iudicialis offertur. Profecto nō id desiderabat Ecclesiæ, Im,,  
 periali auxilio releuanda necessitas: non id exigebant lacerae partes Impe,,  
 rij: occupantibus expositæ manibus direptorum: non id requirebat Chri,,  
 stianitatis, maxime his temporibus, miseranda condicio: quam & intrinse,,  
 ca, plusquam ciuilia bella concutiunt: & inhumaniter efferarum inmani,,  
 tates gentium: ac præcipue Tartaricæ feritatis affligunt: quibus potius de,,  
 bebatur, vt per tractatus pacificos, Cæsarei culminis acceleranda prouiso,,  
 inuinitate capitis, viribus reintegratis Imperij, contra tot discrimina proui,,  
 deret. Nos itaque pacis cogitatus sollicitè cogitantes, ac de illius speran,,  
 tes omnipotentia, & immensa virtute, sub quo curuantur, qui portant or,,  
 bem, qui ventis imperat: & ad eius nutum stat spiritus procellarum: pacis,,  
 tractatibus prouidimus insistendum: & ideo hinc inde propositis a nobis,,  
 & prædictis fratribus nostris, in discussione exactæ deliberationis indu,,  
 ctis, de ipsorum consilio, tam ad magnificentia tuæ præsentiam, quam ad,,  
 dictum Regem Castellæ nuntios deliberauimus destinandos: qui vos ad,,  
 pacem inuitent: ad quod dilectum filium magistrum Guilielmum capel,,  
 lanum nostrum Archidiaconū in Ecclesia Parisiensi, virum utique proui,,  
 dum, consilij maturitate conspicuū, & nobis, ac eisdem fratribus plurimū,,  
 merito suæ probitatis acceptum, de cuius industria, & fidelitate nos, & ipsi,,  
 fratres plene confidentes, ad tuam magnificentia specialiter destinamus.,,  
 Et nihilominus, cum simus omnibus in iustitia debitores, nec debeamus,,  
 eam personis denegare sublimibus, qui super ipsa, etiam ab humilibus re,,  
 quisi, nostri partes officij non negamus, te, & eundem Regem Castellæ,,  
 citandos decreuimus: & te, de prædictorum fratrum consilio, peremptorie,,  
 præsentium tenore citamus: vt secundo die Maij proxime venturi Apo,,  
 stolico conspectui, per procuratores idoneos te præsentēs: qui tuæ con,,  
 scientiæ conscij legitimum, & plenum a te mandatum habeant: ad pacis,,  
 tractatum, si Dominus dederit, incundum: & ad procedendum in ipso,,  
 negotio: prout honori Ecclesiæ, ac pensata talis, & tanti condicione nego,,  
 tij, sine offensa iustitiæ, videbimus expedire.

Hæc fusius fortasse, latiusq; , quā instituti mei tenēdi ratio tulerat, sunt  
 apposita: ne his, quæ ab Onufrio Panuino, qui Auentiniana opinionē, to  
 ta mēte penitus insitā cōprehenderat; in peculiare cōmentariū referunt,  
 in eundē errorem, qui se vetustatis amatores profitentur, induci possint.

Valentini regni arcēs, quæ in defectione perfliterant, a Rege vindican-  
 tur. Indutijs cum Alazdraco pactis, vt regni finibus excedat, constituitur.

Pontius Caprera Vrgellitanus Comes moritur: cui Ermengaudus F.  
 succedit, Ermengaudus breui fato functo Aluarus frater sufficitur.

Ilerdæ Augusto mense foedera inter Aragoniæ, & Castellæ Reges So-  
 ria conuenta confirmantur: atque denuo sanciantur. Iudicium damnorum,  
 & detrimentorum utriusq; illatorum constituitur. De ea re definienda a  
 Rege mandatum habent Martinus Peresius Artallona Præfectus Iustitiæ  
 Aragonum, Rudericus Peresius Turiasonensis, Simon Tobia, Gonzalvus  
 Lopesius Pomarius: & Valentino regno Rex Simonem Focium, virum  
 inter Aragonios proceres primarium præficit.

Quod Nauarri Regis imperio non parerent, & ab eo deficerent, neque

M iij pactis

AERA NAT. CHR.  
 MCCXCIV. MCCLVI.

MCCXCV. MCCLVII.

MCCXCV. MCCLVII.

ABRA NAT. CHR.

factis cum Theobaldo Rege, conuentis assentirentur, regnorum finibus bellum commouetur. Id. Nouemb. cum Gaufrido Beaumontio Nauarræ Senescallo iudiciæ fiunt.

MCCXCVI. MCCLIX.

Rex Mompellerium contendit. Carbolio cum Ludouico Francorum Rege ad colloquium deuenit: quo in loco Maio mense summæ coniunctio nis vinculis deuinciuntur. Constituunt, vti Isabella Regis filia natu minima Philippo Ludouici F. regni successori nubat. Dotis, & arrarum nomine Isabellæ vetusto Galliarum more, & instituto, quinta regni pars, arcibus, & propugnaculis receptis, assignatur.

A. D. V. Id. Mai Carbolio Reges actiones de controuersijs omnibus vtrimque constitutas remittunt: iuraque condonant. Ludouicus enim Rex, Barcinonensis, Vrgellitanæ, Ruscinonensis, Emporitanae, Carretanae, Confluentinae, Gerundensis, & Ausetanae ditionum suprema iura, potestatem, & fidelitatis dominatum repetierat. Noster vero Carcasonensem, Rhodensem, Lauracensem, Biterensem, Leocatensem, Albigensem, Rhuensem, Fuxensem, Cadurcensem, Narbonensem, Mineruensem, Fonoliadensem, Saltuensem, Petrapertusensem, Aimilianam, Crodonensem, Galdanam, Nemausensem, Solensem, & S. Egidij ditiones, & earum iura, & potestates a capite arcescit. Vicissim alter alteri, iure suo cedit.

Eo ipso tempore Rex id omne ius, quod repetere, in Gallia Prouincia, Folcalqueriensi, Arelatensi, Auenionensi, & Mafsilienfi ditione, aut obtinere poterat, Margaritæ Francorum Reginae, Raimundi Berengarij Prouinciæ Comitissæ fratris filia attribuit: sed cum earum ditionum Carolus Ludouici Francorum Regis frater germanus, qui Beatricem Raimundi Berengarij Prouinciæ Comitissæ filiam natu minimam duxerat, esset potitus, eas quo iure, quæue iniuria, Ludouico Rege fratre permittente, sibi vsurpat.

MCCXCVII. MCCLIX.

Cum Alfonso Regis F. inhumane, & indigne a patre habitus, ab Aragonensibus, & Catalanis proceribus incitatus præcipiti motu, atque impetu ruere videretur, Rex, vt commotionem sedet, Valentinum regnum Aragonio contribuit: & eorum heredem Alfonso instituit.

Quod Bonifacium Sabaudia Comitem Taurini tumultuantes comprehenderant, qui ab eius impetio defecissent, Astenses adhibito dolo, eum sibi subtrahunt. Mox liberis in custodiam Astensibus traditis Bonifacium dimiserant. A. III. K. Mart. Rex Mompellerij, ciuitati Astensi bellum se inlaturum minatur: nisi intra mensem Bonifacij filios, qui misere in vinculis attinebantur, liberent: neue in Bonifacij ditione irrum pant, comonet. Ea Regis prouocatione deterritis, & subsidiarijs copijs Petrus Bonifacij patruus cõfusus, eius ditionis Bonifacio vita functo potitur.

Aluaro Caprera Vrgellitano Comite a Rege disidente, Raimudus Fulcho Cardonensis, & magna Catalanorum procerum pars patrio more, atque instituto, quod lege permissum esset, a regio dominatu desciscunt.

MCCXCIIIX. MCCLX.

Alfonso Castellæ Rex pactis Soriae conuētis, Alfonso Lupio Pharenfi Cerueræ, Agredæ, Aquilaris, Arnedi, & Autolis oppidorum arces earum pactionum pignora tradit. Totidem arces Aragoniæ Bernardo Guilermo Entenzæ a Rege traduntur.

Regis F. Alfonso Constantiam Gastonis Beneharnensis filiam uxorem ducit. Breui eæ nuptiæ factis sponsalibus, morte Alfonso funestatur: qui nullis superstitibus liberis decedit. Ad D. Mariæ in Cœnobio Verolensi tu-

lenſi tumultatur: princeps fortuna, cum ſua, tum publica aduerſa, adſlicta-  
que verſatus.

A. D. V. K. Aug. Barcinone interuentu Guiroldi Poſtæ, Maioris  
Egnatiensis, & Jacobi Moſtacij, Manfredi Siciliae Regis legatorum, Con-  
ſtantia Manfredi F. quam ex Beatrice Amadei Comitis Sabaudia filia  
vxore ſuſceperat, Petro Regis filio deſpondetur. Dos L. M. auri vnciar-  
rū Conſtantia a patre dicitur. Beatrix antea Marchioni Salaffo nupſerat.  
Raimundus Penafortius ordinis Prædicatorum vir inſigni ſanctitate  
venerandus a Rege ad Vrbanum IIII. Pont. Max. legatur: qui eius ſi-  
dem obteſtetur, vti Manfredum ſupplicem, miſericordiamque imploran-  
tem ſibi, & Eccleſia conciliet. Quæ Rex ſummis precibus contenderat,  
non modo obtenta non ſunt, ſed nihil Pontifex, quantum eniti potuit,  
prætermittit: quin Regem a Manfredi coniunctione, & aſſinitate auocet:  
deterreatque: ne amicitiam cum Manfredi Principe Tarentino coëat: Ec-  
cleſia inimico, atque perduelli. Ea tamen nuptia diuino numine, atque  
prouidentia omnibus anteponuntur: quibus maximæ noſtris principi-  
bus & fortunæ, & dignitatis acceſſiones ſiunt.

Bellum maius in conſpectu domi erat, quam a ſubita defectione, & alie  
natione procerum geri poſſe crederetur. Aluarus Vrgellitanus aliquot ar-  
ces recuperat: & extra ditionis ſuæ fines incurrens Barbaſtrenſibus plura  
detrimenta inferit.

Petrus Regis F. alti animi princeps, qui indulgentia paterna, heredita-  
rio regno Alfonſum fratrem natu maiorem pepulerat, nimis magna cu-  
piditate Iacobum fratrem ſua hereditate euertere cupiens, quod vereretur  
Valentino regno a patre donatum iri, Id. Oct. Barcinone clam ad-  
motis aliquot familiaribus obteſtatur, ſi firmum, ratumve teſtamentū pa-  
tris, donationemve ſtipulatione ſanciret, metu regio perterritum, inui-  
tum, atq; maiore vi permotū fuiſſe: & ſe inuito, atq; repugnante factum.

Septembri meſe vniuerſæ ciuitates regni ſocietatem, & communita-  
tem inter ſe coëunt. Vnionem vocant: quod durius, quam mores, & inſti-  
tuta maiorum ſerunt, leges ſciſcunt: vt impotenti, & effrenatæ atrocina-  
tium, & graſſantium audaciæ, & temeritati obuiam eatur. Cum ob eam  
cauſam, armis incitata ius ſuum exequi conarentur, conſceleratorum ma-  
nus grauiſſimas ſcelerum poenâs reipublicæ pendunt.

Id. Apr. Valentia Rex Ferdinandum Sanctium F. ex contubernio  
filia Sanctij Antilionis, ex proceribus Aragonia primarij genitū, quem  
naturalem filium appellat, & Guilielmum Torrelliam in Siciliam præ-  
mittit: vt ijs arbitris nuptia Conſtantia Manfredi Regis filia ſancirentur:  
& nurum ad ſe regio comitatu deducant.

Murtienſes Mauri tumultuantes rebellionem vna die faciunt: & Regi  
Granatenſi adiūcti, a quo ſollicitati fuerant, proditione vrbium, ingentē  
terrorem efficiunt: quod externi etiam illorum defectionē ſequerentur.

Sacro Pentecoſtes die nuptiarum Philippi Francorum Regis F. & Iſa-  
bella Regis F. ſolemnia Claramontis Aruernorum oppido celebrantur.

Conſtantia Manfredi Regis F. in Prouinciam Galliam deuehitur: &  
Mompellerium a Bonifacio Anglano Montalbani Comite, Manfredi  
auunculo, alijsque Siculis proceribus deducitur. A. D. XVII. K. Iul.  
Petro in matrimonium collocatur.

Petro, &

ABRA NAT. CHR.  
MCCXCIX. MCCLX.

MCCXCIX. MCCLX.

MCCXCIX. MCCLXI.

MCCC. MCCLXII.

ABRA. NAT. CHR.  
MCCC. MCCLXII.

Petro, & Iacobo regijs filijs de regnorum successione contendentibus, atque dissidentibus, Rex existimans se discordiarum, & seditionum omnium sementem sublaturum, si rato eorum assensu regna partiretur, A. D. XII. K. Sept. Barcinone Aragoniæ regnum, & Barcinonensem Comitatum a Cinga ad Pyrenæi promontorium, quod illa ætas Crucium caput vocat, & in Periliosum, & Panizasum ipsius Pyrenæi colles, Petro attribuit: & Valentinum regnum adnectit. Iacobo Balearium, & Pityusarum insularum regnum, Rufcinonensi, Iliberitana, Confluentina, Cæretana, & Vallespiria ditione adiuncta, & Mompelleriensi dominio contributo, condonat. Filios heredes alterum alteri substituit: Petro de paterna iniuria conquerente, quod se, immensa donatione in fratrem collata, defraudaret: cum diuideret, quæ separari e re publica non esset. Præterea Rex minorem natu filium, eiusque heredes, earum ditionum vsu contentos esse, dominium vero, & potestatem supremam penes primigenium, eiusque posteros redigi statuit.

MCCCL. MCCLXIII.

Cum de finibus, inter Castellæ, & Aragoniæ regna controuersia orientur, vi. viri eis terminandis præficiuntur. E regno Castellæ Paschalis Episcopus Iaenensis, Egidius Garcesius Aza, & Gonzaluus Rudericius Atienza: ex nostris vero delegantur Andreas Albalatius Episcopus Valentinus, Sanctius Calataiubius, & Bernardus Vitalis Besalunensis. Constituunt, vti Reges damnorum vltro, citroque illatorum æstimationem suis dependant.

Non. Mart. CæsarAugustæ Petrus Iohannius Calatrauensis militia Magister Regem conuenit: exposcitque vti regni finibus appropinquet: & labantibus generi rebus opem, auxiliareque copias admoueat. Mauri, qui ex Mauritanijs transmiserant, Murtiensibus, & Granatensibus adiuncti immanem tumultum, & vastitatem Bæticæ inferunt. Rex Catalanos Barcinone, Aragonenses CæsarAugustæ ad conuentus agendos cogi imperat: vt videant, nequid in ancipiti causa, re publica detrimenti capiat.

Ilerdæ Pontius Peralta, & Bernardus Mauleo, Rege de more assidente, armorum iudicio inter se decertant. Præfuit ex maiorum instituto, singulari eorum certamini Petrus Moncada Cataloniae Senescallus: cuius magistratus iura, & prouentus cum vetustate obseleuissent, & de ea re controuersia cū Rege oborta esset, eius definiendæ IIII. viri deliguntur: Simon Peresius Arenosius, Thomas cognomento Sancti Clementis, Guilielmus Zafala, & Arnaldus Boscanus militarium, & castrensiū legum scientia præstantes.

Guilielmus Rocafullius Mopellerij procurator a Rege ea de causa ad Allobroges legatur, vti cum Petro Sabaudia Comite, de Beatrice Amadei Comitissæ eius fratris filia, Iacobo filio in matrimonium collocanda transigat.

Babyloniae Soldanus præclara de Rege fama commotus, Alexandria legatos ad Regem mittit: voluntatis, & studij erga eum indices. Rex Raimundum Ricartum, & Bernardum Porterium eo legat: qui magnificentissimo apparatu Alexandria excipiuntur. Honoris, & dignitatis causa Soldanus Aragoniū vexillū propter se in Arfacidarum solio cōstitui imperat. Certum exstare eiusdem ætatis auctorem comperio, qui prodiderit, Porterium, missarum sollempnibus celebratis, Soldani filium, ipsius Soldani

Soldani rogatu militaris cinctus auctoramento, Regis Aragoniæ nomine decorasse.

A. D. II. Id. Feb. Cæsaraugustæ Rex Arnaldo Barcinonensi Episcopo, & Pontio Hugoni Comiti Emporiarum committit, vti de Maria filia in matrimonium filio Roberti Atrebatensium Comitis, Ludouici Francorum Regis fratris, aut filio Ducis Burgundiæ tradenda partes suscipiant. Deliberat etiam, vti Iacobus filius filiam eiusdem Burgundiæ Ducis vxorem ducat.

A. D. VI. K. Mart. cum Rex Cæsaraugusta Exeam contenderet, militaribus copijs, quas Alfonsi Regis subsidio præmittit, Arnaldum Fontolanam, Ferrizium Lizanam, Simonem Perefium Aierbium, Fortunium Ahenem, & Fortunium Perefium Isuerrium duces præficit: toti tamen officio maritimo Petrus Ferdinadius Regis filius præponitur. Cum magnos sumptus Rex in eam classem comparadam fecisset, a prædiuiti Iudæo, & eius nationis in primis nobili Iahudano maximis facultatibus subleuatur.

Catalani, qui Barcinone conuentui agendo interfunt, A. D. IX. K. Decemb. Bouatici tributum, quod Balearico, & Valentino bello dependerant, in sumptus bellicos Murtiensis expeditionis Regi condonant.

Cæsaraugustano in conuentu Rex, cum de subsidio Regi genero, tam affectis rebus inferendo referret, & Bouatici tributum in eos sumptibus impendi æquum esse iacit, priuatas causas, publicis, & honestis rationibus nostris antepositis, magnæ turbæ, & noua mala miscetur: atque concitantur: dum acerbissimam capiti exactiorem, & externa, & nunquam impensa, aut vsurpata tributa reiiciunt. Præcipuis suavoribus, & impulsoribus Ferdinando Sanctio Regis filio, & Simone Vrræa eius socero adeo grauis excitatur tempestas: vt leges, & instituta maiorum intermissa, & violata vniuersæ proceres conquerantur: ac de libertate retinenda, & vindicanda conspirent. Plures ex proceribus vrbe egressi, Alatonam, cum foedus inter se coiissent, & societatem iniissent, secedunt: & omnia rapim, atque turbate aguntur.

Conuentu, non de more, cum celebrari, ac peragite desijt, dimisso, sed pertumultuose dirempto, & proceribus ad arma conuolantibus, Rex suas copias, vt eorum conatus comprimat, Montione cogit. Cum proceres in eo eniterentur, vti controuersia omnes, actionesque litium Præfecti Iustitiæ Aragonum iudicio, atque sententia transigerentur, deciderenturque, Regi æquum visum fuit, vt omnes iudiciariæ controuersia, & lites quæ inter se, & regni proceres, & ingenuitatis, & nobilitatis iure fungentes verterentur, a Præfecto constituerentur: easque Præfectus, & regio, & procerum, nobiliumque consilio, qui in regia aula commorarentur, decideret: modo ne partium compotes, aut participes essent. Ad hæc cum is magistratus Præfecti Iustitiæ Aragonum, & a se, & a superioribus Regibus renuntuari soleret, se eum morem in posterum retenturum pollicetur: & eum magistratum viris militaris muneris auctoramento perfunctis mandaturum. Indutijs de pactis de controuersijs omnibus Rex, & proceres apud Cæsaraugustanum, & Oscensem Episcopos compromittunt.

Rex Petro Sefesio primario, & nobili in primis viro Medianam, & vicos omnes, qui Medianæ erant contributi condonat: eo iure, quo a Petro Rege parente Petro Sefesio patri fuerant attributa.

Aprili

ABRA NAT. CHR.  
MCCCIII. MCCLXV.  
71233M 21003M

Aprili mense, peractis Exæ conuentibus, plures leges sciscuntur. In primis fanciunt: ne Rex, eiusue posterius Reges honores, & militaria beneficia condonent: nisi ijs, qui cognatione paterna, & stirpis natura, ex procerum sanguine, & ortu procreatus sit: neue exteris hominibus tribuantur. Ne quis procerum, nobiliumve bouatici, aut scripturæ tributum, herbatum ipsi appellare consueuerant, dependat. In cōtrouersijs omnibus, quæ inter Regem, & nobilitatem subortæ sint, Præfectus Iustitiæ Aragonum iudex sit: easq; consilio procerum, & nobilium dirimat: reliquas vero procerum, & militaris ordinis virorum causas Præfectus Iustitiæ Aragonum, Regis, & procerum consilio dijudicet. Rex liberis iusto matrimonio genitis honores, militariæue beneficia ne attribuat. His constitutis proceres ab seditione, ad bellum Murtiensibus inferendum versi.

Rege Alfonso aduersus Granatenses bellante, focer Murtiensibus bellum indicit.

#### MURTIENTENSE BELLUM.

Novus hostis veteri adiunctus animum Regis maxime commouit: ut omni virium conatu bellum gerat. Cum in prociñctu res esset, ex XII. M. equitum, quos sub signis stipendia mereri recensuerat, ad D. C. conuenisse comperit. Serabis, & Biarij finibus bellum infert.

Vilienses, & Eldenses primi deduntur. Hos sequuntur Illicitani, Oriuelenses, & Alicantenses: qui vastatis agris in deditioem venire, obsidesque dare coguntur. Traiecto Taderi flumine Alcaracij Rex cum genero ad colloquia congregitur. Cum bellum & suscipi, & geri pro dignitate regiæ, ac confici oporteret, Rex militares omnes copias, & veteranas, & oppidanæ exciuit.

Manfredo Sicilia Rege execrationibus ab Ecclesia interdicto, & potestate regiæ, atque imperio abrogato, Clemens III. P. M. Perusij A. D. XI. K. Iul. Pontificatus anno I. A. Basilicæ XII. Apostolorum presbytero, R. Sancti angeli. I. S. Nicolai in carcere Tulliano, & I. S. Mariæ in Cosmedin diaconis Cardinalibus committit, ut Carolo Andium, & Prouinciæ Comiti leges imponant: quibus ad Siciliensē regnū ab Ecclesia adscisci debeat.

Delegati a summo Pont. Cardinales Romæ apud Lateranum in Basilica Saluatoris, quæ Constantiniana appellatur, ante sacratissimum altare ipsius Basilicæ, A. D. III. K. Iul. condicionibus Carolo Comiti propositis, regnū Sicilia, & quam terram citra Pharam vocabant, vsq; ad confinia terrarū Romanæ Ecclesiæ, quæ regio Siciliensi regno cōtributa erat, vrbe Beneuetana excepta, perpetuo eidem Carolo, & heredibus eius Pontificio mandato conferunt: & de more, tradito Ecclesiæ vexillo, in possessionem mittunt. Ea re transacta Carolus, satis magno comparato exercitu in Samnium, & Campaniam inuadit: ut Manfredum regno deturbet.

Ad summam Valentini regni felicitatē, eo tempore defuit, ut ingens, & perniciofa sentina reipublicæ exhauriretur: Maurorum natione ab eius finibus exterminata: atque expulsa. De ea re Clementem IV. P. M. magnopere Regem voti reum admonuisse accepimus: dignaque ea cohortatio visa est, quæ hoc in loco repræsentaretur: quod non Regi modo, sed futuris etiam Regibus diuina ea commonitio se penitus insinuari videatur.

CLEMENS



**CLEMENS** Episcopus seruus seruorum Dei I. Regi Aragonum illu-  
 stri. Agit, nec immerito, mater Ecclesia, dum latanter tua magnifica gesta  
 commemorat, dies festos iucunditatis, & lætitiæ cantica replicat: tui zeli  
 feruorem, & strenuitatis merita, tam cari, & deuoti filij, quasi recenter quo-  
 tidie delectabiliter recensendo. Exultat, & iubilat in tuorum felicium  
 commemoratione successuum: per quos contra Sarracenos nominis sui  
 blasphemos, & Catholica fidei persecutores infestos, salutem populi Chri-  
 stiani dextera Domini virtuose in tuis manibus, & data tibi ab ipso virtu-  
 te direxit. Apud bonorum omnium largitorem preces deuote multipli-  
 cat: vt in hac zeli rectitudine, in hac fidei puritate, te in tempora longiora  
 conseruet: quod nos eo postulamus auidius, eo instantius petimus, quo ti-  
 bi vinculis caritatis solidioris adstringimur: ad honorem tuum soliditate  
 sincerioris dilectionis afficimur: & salutem tuam sincerius affectamus. Hæc  
 quidem nos mouent efficaciter, & inducunt: vt feruorem tuam pater-  
 nis adeamus commonitionibus: & attentis exhortationibus excitemus ad  
 uersus ea, quæ grandia pericula temporaliter etiam tibi, & posteris tuis in-  
 gerere, tui nominis claritatem inficere, ac Creatorem tuum contra te pos-  
 sent grauius prouocare. Considera igitur fili, considera: cum te, tam expé-  
 rientia cogat aduertere, quam familiaria etiam exempla ignorare non si-  
 nant: quam grauibus sit res plena periculis, Sarracenorum in terra tua re-  
 tentio: qui licet ad tempus occultent iniquitatis suæ, necessitate cogentē,  
 propositum: illud tamen quam auide, quam ardentē, immo etiam quam  
 inique captata opportunitate reuelant. Profecto nec discreti consilij est,  
 nec tutum, tam perfidos, tam plenos nequitia inimicos habere domesti-  
 cos, vel tenere vicinos: non magis quam nutrire serpentem in gremio: vel  
 ignem in sinu. Quod si te forsan ad huiusmodi retentionem ipsorum, ali-  
 qua ex illis proueniens inducit, immo vt verius dicamus, seducit utilitas,  
 tanto præponderet in tuæ magnanimitatis iudicio, & recto libramine ra-  
 tionis acerbam tui contumeliam Creatoris: quam assidue patitur: Sarracenis  
 eisdem inter Christicolas diebus singulis, clamore publico, certis horis, no-  
 men extollentibus Machometti: quanto procaldubio ferres, & re vera  
 ferre deberes acerbius illatas, inter tuos subditos celsitudini tuæ iniurias:  
 quam inter eos, qui tuæ non essent ditioni subiecti. O quam debet esse de-  
 testabile, quam amarum, tibi præcipue, qui ab annis teneris illius cultor-  
 es, & cultum infra fines ipsorum totis viribus persequendo, ad eorum ex-  
 terminium laborasti: nunc ipsum in regnis tuis pati, per culturam huius-  
 modi taliter exaltari. Nonne consideras, quod per hoc detractorum linguis  
 exponeris: qui quasi verisimiliter asserent, quod in omnibus tuis labori-  
 bus, quos nullis vitatis periculis, in ipsorum persecutione, ab adolescētis  
 tuæ initijs pertulisti, non exaltationem fidei, sed tua venabaris commo-  
 datuis solummodo utilitatibus intendebas. Porro etiam amicorum forte  
 alternabuntur iudicia: si propter utilitatem pecuniariam, sic tuis laudabi-  
 libus actibus detrahi, tantum superni Regis opprobriū, tantam Christiani-  
 tatis infectionem, quam ex eorumdem Sarracenorum cohabitatione horri-  
 bili, detestandis horroribus, & horrendis spurcitijs non est dubium proue-  
 nire, amplius patiaris. Et quidem vel huiusmodi obloquentium detractio-  
 ni consentiens, vel ipse tibi contrarius videreris: si Sarracenos eosdem in suis  
 partibus persequens, in tuis ipsos sustines patienter. Hæc si discussa debi-

N      tæ medi-

AERA. NAT. CHR.  
MCCCLIII. MCCLXY.

INVENIENDUM .710000M

ARRA NAT. CHR.  
MCCCII. MCCLXV.

ta meditationis examine, in rationis consistorium introducas, ipsos, nec  
dubium, prout excellentiam tuam decet, prorsus abiciens, & profugans,  
extra tuæ ditionis terminos effugabis: ad quod magnificentiam regiam,  
vt tuæ saluti prouideas, vt tuæ famæ consulas, vt consultius periculis, que  
tibi, & ipsis posteris, vt præmittitur, per eos inminere possunt, occurras  
& paterno affectu, & omni, quo possumus studio inuitamus, præsertim,  
vt reddas altissimo votum tuum: quo ad id publice diceris obligatus: nec  
oppilentur ora contra te inique loquentium: tuque, prout es, & fidelis zela-  
tor præcipuus, & ad ipsius exaltationem labores dirigere censearis: ad  
quam cum feruenter intendas, regalem prudentiam oportet attendere,  
quod Ecclesiæ status, & fidei, earumque negotia, ea sunt indiuisibili unio-  
ne coniuncta, vt altera, reliqua in honore non habita, honorari non possit.  
Nec enim potest fidei derogari, quin nimis Ecclesiæ detrahatur: nec ipsius  
Ecclesiæ honori, ac libertati detrahi, quin & fidei, quantum in detrahene-  
te fuerit, derogetur. Nec igitur tu, qui eiusdem fidei vacasti semper, &  
adhuc vacas semper negotio, eidem si Ecclesiæ iniurius fueris, existas  
iniurius decet. Præterea quod Iahudanum Iudæum quæstorij muneri-  
bus præfecerat, pia etiam illa, quæ ad Iudæorum periuicaciam coercendam,  
admonitio pertinet, minime tacita erat prætereunda: ita enim subdit.  
Vt autem Princeps inclite zelus tuus erga defensionem eiusdem ortho-  
doxæ fidei, quam, tamquam Christianissimus in defesse prosequeris, vni-  
dique contra ipsius hostes, & æmulos aperte reliceat, in ipsius auxilium  
contra Iudæos, qui præ cæteris eandem fidem persequentibus, & nomen  
blasphemantibus Christianum, & illud blasphemant amarius, & illam ne-  
quissime persequuntur, fauor tuus apertissime inualecat: vt Iudæos de ce-  
tero ad aliqua officia non admittens: ipsos in aliquo non extollas: sed in  
quantum concessa eis a Sede Apostolica priuilegia patiuntur, ipsorum re-  
frenando malitiam, deprimas: & conculces: nec prætereas illorum blasphe-  
mias incorrectas: sed illius præcipue castiges audaciam: qui de disputatio-  
ne, quam in tua præsentia cum dilecto filio religioso viro fratre Paulo de  
ordine Prædicatorum habuerat, multis confictis, adiectisque mendacijs, li-  
brum composuisse dicitur, quem ad sui dilatationem erroris, in varia exem-  
pla multiplicans, per regiones varias destinauit: cuius ausum temerarium  
sic debite censura iustitiæ, absque tamen in ortis periculo, & membrorum  
mutilatione castigetur, vt quod excessus meruerit, distinctionis seueritas  
manifestet: & ipsius exemplo aliorum audacia compefcatur. Super his igitur  
serenitatem regiam monemus &c.

Quod tamen ad Sarracenos attinet, ita diuino nutu, atque prouidentia  
omnia administrante euenit, vt leuiore opera, cum inexpiabiles hostes  
essent, expugnarentur: & virtute, victorijque frangerentur, edomaren-  
turque: quam deuicti, & subiecti expellerentur. Satis constat Regem, for-  
te vt animos Sarracenorum, qui in Aragonia permanferant, muneribus le-  
niret, & commodorum compensatione ad pietatem traduceret, multa  
fuisse largitum: priuilegiumque illis, posterisque eorum Exca. A. D. VI.  
K. Mart. Anno MCCLXI. irrogauisse: quo a primiciarum tributis, quæ  
ex prædiorum fructibus pendere consueuerant, vindicauit.  
A. D. IV. Non. Ian. Rex Origuela egressus Murciam castris circum-  
fidet: Obsidio inde primariæ vrbis, & munitiones, & interdum per occa-  
sionem

MCCCIV. MCCLXVI.

fronem impetus oppidanorum in regias stationes: præliaque haud parua fieri, & tempus teri, neutro inclinante spe: videbaturque diuturnus futurus labor, si spatium ad opem ferendam, oppugnantes dedissent.

Rege urbem primo impetu oppugnare adorto, postquam is conatus parum procedit, opere, ac vineis demum muro admotis, in Regis ditione urbem, atque agros dedere pollicentur. Pacis induijs, paratos esse imperata facere, & certam ad diem nostros propugnaculis vrbs, atque vicinis oppidis recipere, spondent.

Cum Manfredus bellum trahere posset: siue nimia confidentia, siue suos, ac regnum desperans, Carolo regni fines inuadenti ad Beneuentum occurrit. Manum cum hostibus ingenti prælio, A. D. III. K. Mart. conferens, suis pulsus, atque in turpem fugam conuersis, in acie prælians mortem occumbit. Carolus omnium cis fretum regionum, & Sicilienfis regni breui potitur.

Februarij mensis fine Murtienses Mauri Regi deduntur. Arces omnes ab hostibus ereptæ, quæ inter Murciam, & Ilorci rebellionem fecerant, recuperantur. Insignis a Rege gloria parta: quod regnum sacro bello quæsitum, & Maurorum defectione ereptum, profligatis hostibus, genero in veterem dignitatem vindicauerit. Viliensibus, & Alicantensibus finibus copiarum ductores præficiuntur Artallus Luna, Simon Vvrea, Berengarius Arnaldus Anglesola, & Galcerandus Pinofius.

Petrus Sanctius Præfectus Iustitiæ Aragonum.

Quod aureus nummus lamina aurea perquam tenui obductus pro aureo iactaretur, atque signaretur, & adulterini ij nummi passim tota Hispania, pro legitimis expendere, & nobiles quidam viri eius criminis infamia affecti postularerentur, & in eos crimen intendere, cum iudicio conuicti essent, Rex Turiasone, A. D. VII. K. Nou. more maiorum in eos animaduerti imperat: eique maleficio supplicium constituitur: vt viui in flumen mergantur.

Rex Alcanicij festum natiuitatis Domini diem celebrat. Solemnibus incipientis anni Dertosa peractis, Valentiam contendit.

Maria Regis F. Casaraugusta moritur: & in æde Saluatoris sepelitur.

Martio mense Alvaro Caprera Vrgellitano Comite vita functo, magnæ in Catalonia turbæ miscetur a Raimundo Fulchone Cardonensi: qui eius ditionis potiri contendit: vt Ermengaudum Aluari, & Cæciliæ Fuxensis Comitissæ sororis filium, quem non iusto connubio natum constabat, in possessionem mittat: reiecta Leonora Aluari F. quam ex Constantia Moncada legitima vxore susceperat. Rex in Cataloniam omni festinatione properat. Ceruæræ subsistens oppida Vrgellitanæ ditionis sibi addicta præsidijs muniri imperat: ac reliqua inuadere nititur.

Rex cum omnium sanctorum festum diem Ceruæræ celebrasset, in Carpetaniam proficiscitur: quod a Sanctio filio Toletano Antistite Toletum arcesseretur: vt in Natiuitatis festa celebritate, primis eius missarum sollempnibus mysterijs, sancto, augustoque regiæ vrbs fano absideret. A genero Alfonso Rege Hortæ, in ipsis regnorum confinijs excipitur.

Regiæ maiestatis imperium eo reciderat, vt haud dubie virtute, ac rerum gestarum gloria, magnum apud vltimas gentes Regis nomen esset.

N ij Ad hæc

AERA. NAT. CHR.  
MCCCIV. MCCCLXVI.

MCCCV. MCCCLXVII.

MCCCVI. MCCCLXVIII.

MCCCVII. MCCCLXIX.

ABRA NAT. CHR.  
MCCCXLII. MCCLXIX.

Ad hæc terminatis finibus, maximis bellis confectis, cum votis nuncupatis, Rex eorum damnatus, sacrum bellum professus esset, classem, ut in Palaestinam nauigaret, comparauerat, & minus idoheam tempestatem nactus, in aliud tempus eam expeditionem relegerat. Hæc cum orientis finibus peruulgarentur, a Michaële Rege, Romanorum Imperatore, Duca, Angelo, Comnino, Palæologo, qui neque bello, neque pace antea Regi cognitus erat, & magno Chaamo Tartarorum Rege; quos non pia causa commotos apparuit, sed quod domesticos hostes, externo se bello auertere, & vlcisci posse arbitrantur: Legati Valentia Regem conueniunt: & de expeditione sacra Hierosolymitana, a Rege obeunda transigunt. Olaus tamen Tartarorum Rex, quod Urbani litteris comperimus, Iohannem Hungarum ad eundem Urbanum legauerat, quod summe expeteret, secundum veram, Catholicam, euangelicamq; doctrinam, quam sancta Romana Ecclesia fateretur, & predicat, sacri baptismatis renasci vnda, & Christiani nominis titulo insigniri. Clemens præterea Urbani successor Regem asperioribus verbis comonefacit, ut votum altissimo reddat: quo dicitur obligatus. Rege se totum sacrae expeditioni transmarinæ addicente, lecta nomina procerum, ducumque euocantur: & omne iuuentutis robur excitur.

A. D. II. Non. Sept. Barcinone Rex classem soluit: eaque parte tempestate euersa, cum ad aquas Mortuas portum caperet, iam grandis natus, si rerum gestarum primordia, & progressus, & ipsa regni incicia spectentur, Hierosolymitana expeditione desistit. Petrus Ferdinandus classem præfectus, & Ferdinandus Sanctius Regis filij contentum nauium cursum tenentes, in Palaestinam appellunt. Classe in Hispaniam reuoluantes, cum Siciliam prætercherentur, nec liberalius, aut honorificentius a Carolo Rege accipi, atque tractari possent, & Ferdinandus regia manu militiæ auctoramento esset insignitus: ex eo Petrus frater in eum hostili odio fuit: & inimicitijs incensa contentio exitum foedum, & perniciosum tulit. Per mihi mirum visum est, quod a Bernardo Vidone, in Pontificia historia memoriae proditur: Regem, cum classem, & insignem exercitum anno MCCCXLIX comparasset, ut sacram Hierosolymitanam expeditionem obiret, & eius classem pars cursum tenuisset, mulierculæ consilio, ut ferebatur, a tanto gloriae cursu destitisse.

Burgis sollempnia nuptiarum Ferdinandi filij Castellæ Regis, & Blancae Ludouici Francorum Regis filia celebrantur. Eo Rex filijs comitatus accedit; Ferdinando nepoti gratificaturus. Adiuere Philippus Francorum Regis, & Eduardus Anglorum Regis primigenij filij: & Martha Augusta Balduini Constantinopolitani Imperatoris vxor: quam ut virum regno exactum restituat, & magno a re alieno oppressum in libertatē vindicet, eximia liberalitate, ab Alfonso Rege consobrino, & præstati beneficiæ fuisse subleuatam, constanti fama, atque omnium sermone celebratur. Martha filium genuit Philippum: qui Constantinopolitanum imperium asserere conatus, duxit vxorem Caroli primi Siciliae Regis filia: cui Catharina filia gignitur: Constantinopolitani Imperij heres: quæ Carolo Valesio Philippi Francorum Regis fratri nupsit: eaque filias habuit: Catharinam, Philippi Tarchinorum Principis, & Roberti Siciliae Regis fratris germani vxorem: & Margaritam: quæ Vidoni Comiti Blesensi nupsit: Ca-

psit: Caroli Blesensis matrem.

Hoc eodem tempore in Aragoniam veniunt Constátia Augusta Manfredi Regis soror, Calo Iohannis Barazi Græcorum Imperatoris vxor, & Irene Lascaris, Theodori Lascaris Imperatoris F. Guilielmi Intemeliorum Comitis vxor: quæ a Rege eximia benignitate acceptæ, propter cognationem, qua Aragoniæ domui adiunguntur, Valentino in regno, ditione oppidorum, atque alijs beneficijs donantur.

Rudericus Castellitiolus Præfectus Iustitiæ Aragonum.

Philippus Regis Alfonsi frater, Nunnus Larenis, Lupus Diazus Pharenis Viscaïæ dominus, pluresque alij proceres, & ciuitates a Rege Castellæ deficiunt: & Lermæ conuenientes, multa in republica moluntur. Ingentes Maurorum manus fretum transmittunt: & aliquot arces ad traiectum sitas oppugnant.

Rege Valentiaæsidente, dum inter eum, qui regnũ regio nomine moderatur, & Guilielmum Scribam opibus, & factione pollentem discordiarum, & seditionum semina dissi pantur, inter Bunolium, & Requenam focer, & gener Reges congressi, & Iolans Regina Valentiam contendunt. Rex cum magnum ex perniciæ reipublicæ discrimen trahi videret, Murcensis regni propugnationem suscipit. Maritima omnis ora, & Bætica prouincia ingenti tumultu exarsere: aduentuque repentino transmarini hostis terror augetur. Orimbloium prope Dianium, & Mons tabernarius in valle Albaida oppida nouis colonis frequentantur.

Iacobus Regis F. in Galliã proficiscitur: vt Niuernensis Comitis F. eius ditionis heredem in matrimonium ducat. Eorum sponsalium pactis diremptis, Sclaramundam Rogerij Bernardi Comitis Fuxensis sororem ducit.

Augusto mense denuo Rex, & Alfonsus Rex gener ad colloquia congregiuntur: Alicantumque concessere. Confirmat Alfonsus aliquot Aragoniæ proceres, cum ijs, qui, a se defecerant, cum Mauris consensisse: societatemque coijisse: vt per dolum, atque insidias petita pace, vltro bellum inferant. Rex commonet, vt indutiarum iura, quæ cum Granatenfi Rege pactæ fuerant, a genero obseruentur: eique opem, atque operam suam benigne pollicetur.

Petrus Cadreita, & Guilielmus Colonicus ex Prædicatorum instituto hæreticæ prauitatis Inquisitores, a sede Apostolica delegati, in erroris Albigenisium, & aliarum hærefum suspectos, atque conuictos in diocesi Vrgellitana, aßidente Aprili Vrgellitano Episcopo seuerè animaduertunt. Arnaldum Castelbonium Vicecomitem, & Ermesendam Fuxensem Comitem eius filiam, Rogerij Bernardi Fuxensis Comitis auiam impietatis condemnant: & eorum famam, memoriamque detestandam sanciant. Ossa erui, atque inuri iubent. Rogerium Ermesendæ nepotem, eodem crimine in iudicium arcessunt. Hæreticorum fautoribus, atque affectatoribus graues poenæ infliguntur. Nam cum plures ex impiorum elluie, ex Tolosatibus, Biterensibus, & Carcaſonenſibus in Cataloniam migrantes labem, atque perniciem prouinciæ Hispaniæ Citeriori inferrent, Raimundus Pennafortius religione, & sanctitate venerandus summo opere connititur, vti Rex a sede Apostolica obtineat, vt hæreticæ prauitatis iudicium in hereditarijs regnis, & bello partis, seuerè animaduert-

ARRA NAT. CHR.  
MCCCCLXX.

sione, ex sacrarum sanctionum Apostolicis decretis constituatur  
Ludouicus Francorum Rex, insigni sanctitate Princeps in sacra expeditione Tuneti, A. D. VIII. K. Sept. in Cælum migrat. Classe in Siciliam appulsa, Theobaldus Nauarræ Rex Drepani, & Isabella Regina eius vxor Ludouici Regis F. nullis superstitibus liberis excessere. Theobaldum Non. Decemb. obiisse vetustis monumentis apparet: & ad Priuignum sepulchro conditum honorifico.

XX I D D M XX I I D D M

Eo ipso anno Isabella Philippi Regis Francorum vxor, Regis Aragoniæ F. vita defungitur.

Octobri mense Guilielma Moncada Gastonis Vicecomitis Beneharnensis filia Sanctio Castellæ Regis filio despondetur.

MCCCIX. MccLXXI.

Augusto mense Sauonæ Alfonso Pictonum Comes, & Tolosatum, & Iohanna eius vxor nullis superstitibus liberis decedunt. In cœnobio S. Mariæ Garliensis ex instituto S. Augustini, diœcesis Parisiensis Iohanna sepelitur. Galcerandæ Amalrici Vicecomitis Narbonensis consobrini filiæ arcē, & oppidū Insulæ Nauefiniæ legat: Margaritę vero Galcerandę forori, quæ Arnaldo Athoni Leomania Vicecomiti nupta fuerat, & eius successoribus Cauillonēsem ciuitatē attribuit. Carolo Sicilia Regi, & Proinciæ Comiti, eiusq; ex Beatrice cōsobrina Regina liberis Venexinium Comitatus cōdonat. Ditionis Agennēsis, Cadurcēsis, & Rhodensis heredē instituit Philippā Arnaldi Athonis, & Margaritæ filiā: quæ Archimbaudo Petrogoriorum Comiti nupserat: omneque id ius attribuit, quod a se, & Raimūdo Tolosate Comite patre quæsitum, atque adeptum fuerat.

Philippus Francorum Rex ex pacto cum Raimundo Comite Tolosate conuento, Tolosatis ditionis hereditatem adit. Ciuitas eius imperium, dominatumque detrectat: Petrum Regis F. tamquam iustum dominum accessunt: qui cum magnas equitum, peditumq; copias inuito patre, compararet, vt eam ditionem asserat, a Rege cōmonetur, vt ea causa desistat. Expeditionem Petro virgente, & exercitum educere properante, Id. Octob. Cæsaraugustæ Rex, proceres, atque oppidanæ, & veteranorum copias ab eius signis euocat, atque deducit. A fratribus, & ab ijs, quorum auxilia implorauerat, deseritur. Ex eo summa dissidij contentio, quæ inter Petrum, & Ferdinandum fratres intercesserat, acrius exardescit. Petrus fratri, tamquā hosti necem machinatur: quod sibi persuasum fuerat, cum proceribus conspirasse, vt se regno exturbent: spe a Carolo Sicilia Rege Ferdinando iniecta, se illi opitulaturum, vt ad regnum, fratre a gubernaculis dimoto, adsciscatur. Ferdinando Sanctio Simon Vrræ socer, qui in magna potētia erat, oppresso, desperatoq; ab omnibus opitulatur. Vnus nāque Vrræ nō modo gentis suæ vires, & Corneliorū, quorū Princeps Petrus Cornelius sororis filius illustres, & splēdidas cliētelas Regni ad se traduxerat, & proceres pæne omnes Aragonios cōmouerat, sed & Catalanos cōtinuata cognatione, & magnis necessitudinibus, ac fœderib; sibi deuinxerat. Quo fit vt totius regni cōcursu, quē Ferdinandi Sanctij salus concitauerat, noua quædā miscerentur mala: atq; vnus inuentus sit, qui ea adniteretur, atque auderet, quod omnium fugisset, & formidasset audacia.

MCCCX. MccLXXII.

Regem tot bellis perfunctum acres, & hostiles filiorum concertationes exagitant. Palam armis dimicant: magnæque a proceribus, distractione partium, turbæ miscentur: præsertim quod Petrus, qui rem publicam pro

Rege

Rege gerebat, ad summum imperiū acerbiter naturā adiungens, Guilielmum Raimundum Odenam antiquissima stirpe ortum in confluentē demergi iusserit. Rex conuentum Exeam indicit. K. Mart. eo in conuentu Palliariensi Comiti, & generatim Catalanis proceribus, ne Fuxensi, bellū cum Francorum Rege gerenti opem ferant, interdicit. Petrum filium a regni procuratione, procerum consilio, cum regiae dignitatis, & imperij, primigenij iure, vicarius esset, subtrahit: eaq; iurisdictione primigenium deijcit. Ruderici Castellitoli Praefecti Iustitiae Aragonū sentētia Artallus Luna, eiusque affectatores, quos Rex in ius vocauerat, quod ad cōstitutū non venissent, contumaces pronuntiantur. Rex consilio procerū Artallū relegat: & quinquennale exilium edicit. Lupus Orticius Sentia, Simon Ahenes, Didacus Gurrea, & Petrus Orticius, qui Artallum secuti Zuerenses bello persecuti fuerant, exilio decem annorum solum vertunt. Maiestatis crimen a Petro Ferdinādo Sanctio fratri, iudice asidēte patre, intenditur: eiusq; probri aliquot proceres arcessuntur: & in quāstionē venit, utrū parata patri insidia a filio forent. Algezira conuentus Aragonensiu, & Valentīnorū peragitur: vt fraterna disidia, & tumultus sedentur. Petrus, cum patrem obtestatus esset, ne quid de absente, incognita causa statuatur, summa animi summissione se Regi subijcit: atque tradit.

A. D. XV. K. Iul. Narbone decedit Berengaria Alfonso Comitis Molinae Castellae Regis patruī filia. Regi, cum quo contubernij necessitudo ei fuerat, Gallaica aliquot oppida, eius hereditate veniunt.

Regi domesticis curis intento nouus hostis exoritur. Finitimum bellū concitur: & cum Henrico Theobaldi Nauarrae Regis fratre, de regni successione concertat.

Philippus Regis Castellae frater, Nunnus Larenis, & plures Castellani proceres ab Alfonso Rege desciscētes Granatam secedūt. Rex cū genero Requenae cōgreditur. Mutua aduersus trāsmarinos hostes auxilia pollicentur: quod Abūceffius Maurusiorū Rex Bæticae prouinciae immineret. Rex Mōpelleriū proficiscitur Gaufrido Vicecomite Rocabertinio, Bertrando Belpucio, Ermengaudō Durgio, & alijs proceribus comitatus.

Philippo Francorum Rege bellum aduersus Rogerium Bernardum Fuxensem, & Gerardum Armeniacensem Comitem gerente, & Pamias obsidere parante, Rex, & Beneharnensis Fuxensis focer obuiam accurrunt: ex postulantes, vti ab armis discedat. Conuenit, vti Fuxensis se regiae potestati tradat: qui in Carcafonensem arcem includitur.

Petrus Januas Caesaraugustanus Episcopus.

A. D. III. K. Feb. Rex Mōpellerij edicit, vt procerum copia omnes militares finibus regni Murtiensis appropinquent: ea enim regione nostros hostes adoriri parant: ingentemque terrorem intulere: cui Rex se opponere nititur: quod multiplex vndiq; bellum eodem tempore instaret.

Ilerdae Regem expeditionem maturante, Cardonensis, & alij proceres ab eo desciscunt.

K. Apr. Ilerdae, cum Rex in Bæticae fines contendit, & suarum ditionū se finibus excessurum videt, Bernardum Oliueliam Tarraconensem Antillitem vniuersae procurationi regni Aragoniae, & Cataloniae praeficit: & prouocationum cognitionem, regio iudicio reseruatam committit, & delegat. Finibus hostium praesidorum, & copiarum ductores praeficit Iacobum,

AERA NAT. CHR.  
MCCCXI. MCCLXXIII.

bum, & Petrum filios: quos ex Theresia Vidauria, tamquam legitima vxore genuerat, Ferdinandum Sanctum, & Petrum Ferdinandum filios non iusto matrimonio natos, Simonem Vrream, Bernardum Guiliel- mum Entenzam, Garciam Orticiam Azagram, Ferricium Lizanam, Cor baranum Vidaurium, Petrum Martinium Lunam, Peregrinum Monta- cutuin, Blascum Mazam, Blascum Simenium Arenosium, & Petrum Si- menium Simonis Perefij Arenosij filios: Simonem Perefium Orizium, Blascum Gotorium, Sanctum Martinium Oblitam, Petrum Iordanem Rodenium, Petrum Garcesium Nuezius, & Ogerium eius fratrem: For- tunium Verguam Podium, Egidium Radam, Blascum Atrosilium Rude ricum Sanctum Pomarium, qui Fraillæ, & Olsonis dominabatur, & Gon zaluam Lupeziū Pomarium, Petru Lazanu, Athone Fociu, Artallu Hor tam, Simonem Perefium Zapatam, & Petrum Zapatam Calagurritanu.

Regis monumentis apparet, Regem eo tempore cum Abeniuceffio Fe censi Rege foedus icisse. D. militum auxilia x. onerarijs nauibus, & toti- dem actuarijs, & aliorum x x x. nauigiorum classe in Mauritiam, stipē dijs Fecensis, qui Septam urbem obsederat, traijciunt.

MCCCXII. MCCLXXIV.

Anni noui initio Rex Murciam introijt: vt incolis animos addat: & om- nes militares copiae regni finibus praetenduntur.

Februario mense Algezira Petrus Alcanus a Gregorio X. P. M. lega- tus summi Pontificis hortatu, Regis officium requirit: vt Lugdunum con- tendat: quo totius orbis Concilium cogi edixerat. Rex nimia in Apostoli- cam sedem pietate, & summo amore, grato, liberalique animo iter eo con- ferre apparat.

A. D. VII. Id. Mart. Rex Raimundo Fulchoni Vicecomiti Cardo- nensi, Petro Bergæ, Galcerando Pinofio, Guilielmo, & Maimono Castel- laulinijs, Berengario Cardonæ, & Guilielmo Ragiadelio Catalanis proce- ribus, qui se, in expeditionem sacram proficiscentem sequi recusauerant, vt eorum contumaciam, atque insolentiam puniat, militaria beneficia adi- mit: eosque honoribus priuat. Arcium potestatem, quæ illis, supremo iure fidelitatis recepto, commissa fuerat, tradi edicit. Ea enim lege, ex arcēs, Hi- spano more committi consueuerant, vt earum potestas Regibus iratis, aut pacatis tradi deberet. Cum Cardonensis aliquot arcēs traderet, & Cardo- nensem, Castellauliensem, & Zatalensem, Camarafensem, & Cubelliam, tamquam immunes, & regij iuris exortes retineret, ad arma cum primori- bus Catalanis proceribus deuentum est.

Lugduni, quo Gregorius X. P. M. vniuersale Concilium orbi Christia- no indixerat, magnificentissimo apparatu Rex excipitur. Pontifex Ma- xim. sacram expeditionem aduersus Soldanu, re cum Rege, virtutis belli- cæ praestantissimo, militariumque rerum scientissimo, qui tot rerum ge- starum gloria se, regnumque honorauisset, consulta, atque explorata, in- staurare nititur. Frequentissimo enim illo totius orbis conuentu visus est omni bellica laude dignus: & animi vigoris excellentia, exacta ætate vene- randus: atque omnis ætatis, ac memoria Regum clarissimus.

Michaël Palæologus cum Lascarā gentē, nō modo funditus deleuisset, sed Balduinū Cōstātinopolitanū Imperatorē auito regno, & Philippū ei- filiu exturbasset, ut Gregorij, Francorū Regis, Caroli Siculi, qui Philippī Imperatoris generi causam tuēdā summo viriū conatu susceperat, classes & ingen-



& ingentis molitionis apparatus a Bosphori faucibus, & ipsius Imperij, & Bizantinæ ciuitatis ceruicibus terra, marique auertat, Pontificem Maximum ludificans, vltro nobili illa, & præclara legatione Lugdunum missa, Ecclesiam Græcam, quæ a sacris Catholica Ecclesiæ, & sanctotum patrum institutis defecerat, & a maiorum sanctitate paulatim impie degenerauerat, se sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ adiuncturum, & Canonicis sanctionibus obtemperaturum spondet. In eam rem summa ostentatione se, suamque, & Constantinopolitani Patriarchæ, & totius regni procerum fidem interponit. Libet in re memorabili, & quæ ad omnes pietatis causa maxime pertinet, diutius, quàm nostri instituti ratio ferre visâ est, immorari. Bona enim spes, vt ille inquit, cum omnium rerum desperatione confligit. Magna iure merito summis Pontificibus illorum temporum fiducia a Michaële Palæologo, Græcorum Imperatore ostentata est: quæ summopere Christianam rempublicam crexit: Græcorum scilicet Ecclesiam laceram, & à capite seiunctam, Romanæ Ecclesiæ Catholicæ aliquando adiungendam fore. Cum vero Ecclesia nec fallat, nec unquam falli possit, quod corde firmiter credit, & ore simpliciter confitetur, Imperatori plene a Clemente III summo Pontifice propositum fuit: & notam esse voluit de scripto vniuersis professionem fidei: quam ab Imperatore, clero, & populo exigebat. In eo summa iudicij, causaque tota constitit: vt infinitæ, concertationumque plenæ disputationes tollerentur. Ipsius Pontificis ad Palæologum verba, omni memoria digna apponenda censeo.

P O R T O præscriptam purissimam, certissimam, & solidissimam orthodoxæ fidei veritatem, Euangelicæ doctrinæ consonam, a sanctis patribus traditam, & Romanorum Pontificum, in suis synodis definitione firmatam, sicut nec decet, sic nec volumus nouæ discussioni, ac definitioni subijcere: ipsam quasi per hoc, quomodolibet contra fas, & licitum, in dubium reuocando. Ideoque licet in præfata scriptura, de conuocatione Concilij ageretur, licet per tuas præfatas litteras Concilium in terra tua conuocari petieris, nos tamen nullo modo proponimus Concilium ad discussionem, seu definitionem huiusmodi reuocare. Non quod cuiusquam faciem vereamur, vel tandem sacrosanctam Romanam Ecclesiam Græcorum superari prudentia timeamus: sed quia prorsus indecens foret, immo nec licet, nec expedit in dubium reuocari præmissam veræ fidei puritatem: tot sacræ paginae auctoritatibus, tot sanctorum roboratam sententijs, tot Romanorum Pontificum stabili definitione firmatam: pro cuius defensione, si necesse foret, parati essemus subire martyrium, & morti etiam exponere corpus nostrum: quam ideo ad præsens nequaquam auctoritatibus, quarum tamen factis copia nobis pro voto suppeteret, iuuare curabimus: sed in simplicitate veridica, sic pure, sic explicite, tam prædictis tuis exhibendam nuntijs, quam tibi decreuimus destinandam.

Pia, ac sancta, & summo pastore omnibus visa digna sententia, Imperator vero, qui, vt postea apparuit, vt regnum stabiliret, per scelus partum, & ad se delatum, falso religionem obtenderat: Ludouicum Francorum Regem, cuius insignis sanctitas viri per cunctas orbis regiones se effuderat, obtestatus per nuntios suos fuerat, vt ipse Rex in tam pio, & utili negotio arbitrij

ÆRA NAT. CHR.  
MCCXXII. MCLXXIV.

bitrij partes assumens, ad ipsius confirmationem sollicita pietate intendere. Clemente P. M. vita functo Episcopi, presbyteri, & Diaconi Cardinales, qui Viterbij sede vacante conuenerant, Idib. Martij anni MCCXX, per singula insignia loca Imperij Græcorum, viros idoneos destinari præcipiunt: per quos fidei professio sollempnis celebrari posset. At Gregorius X. summâ Apostolatus dignitatem adeptus generale concilium in K. Mai anni huius Lugdunum indixit: & indutias inter Balduinû Constantinopolitanum Imperatorem, & Carolum Siciliæ Regem, & Palæologum fieri enixe studuit: quorum classem, & militares copias Palæologus, quoquo modo, a perniciæ regni, quod inuaserat, auertere concupierat. Legantur Lugdunum Germanus ipsius Palæologi nutritius, qui Patriarchali sedi Constantinopolitana præfuerat: & cœnobio monachorum se addixerat, Georgius Acropolita magnus Logotheta, & Theophanes Metropolitā Nicenus, Bithyniæ primas summæ auctoritatis viri. Georgius Imperatoris nomine schisma ea formula, præsentē patrum conuentu abiurat.

„ Ego Georgius Acropolita, & magnus Logotheta nuntius domini nostri Imperatoris Græcorum Michaëlis Angeli, Ducas, Comini, Palæologi, habens ab eodem sufficiens, ad infra scripta, mandatum, omne schisma prorsus abiuro: & subscriptam fidei veritatem, prout plene lecta est, & fideliter exposita, nomine dicti domini nostri veram, sanctam, Catholicam, & Orthodoxam fidem esse cognosco: eam accepto, & corde, & ore profiteor: ipsamque, prout eam veraciter tenet, fideliter docet, & prædicat sacrosancta Romana Ecclesia, ipsum inuiolabiliter obseruatum, nec ab ea, yllō vinq̄am tempore recessurum, quoquo modo deuiatum, vel discrepaturum promitto. Primatum quoque ipsius sacrosanctæ Rom. Eccl. prout in præmissa serie continetur, ad ipsius Ecclesiæ obedientiam, nomine ipsius, & meo spontaneus veniens, pro ipso, & pro me fateor; recognosco, accepto, & sponte suscipio: & ipsum omnia præmissa, tam circa fidei veritatem, quam circa eiusdem Ecclesiæ Rom. primatum, & ipsorum recognitionem, acceptationem, susceptionem, obseruantiam, & perseuerantiam seruaturum, præstito in animam ipsius, & meam corporaliter iuramento, promitto: & confirmo: sic ipsum, & me Deus adiuuet: & hæc sancta Evangelia. Cum ab Innocentio V. postulatū esset, vt publice idem Imperator schisma abiuraret, suum munus exequi minime reuit: nam cum Gregorio vita functo in eodem negotio summopere Innocentius idem, & Hadrianus V. Iohannes X X. & Nicolaus I I I. Pontifices Maximi eniterentur, vt Græcorum natio ad sacrosanctæ fidei Catholicæ rationes pijs, æquisque conditionibus perduceretur, Palæologus in pristina sententia permansit: aut belle simulauit: ac schisma publice eiurauit: vt Nicolai ipsius testimonio didicimus: quod etiam apponere operæpretium visum est.

„ NICOLAUS Episcopus seruorū Dei Carissimo in Christo filio M. Palæologo Græcorum Imperatori Illustri salutem, & Apostolicam benedictionem. Sicut ex litterarum tuarū magnitudinis, sedi Apostolicæ nouissimæ directarum, grata lectione collegimus: illud ad laudem tui nominis magis claret, immo clari fideris instar irradiat: quod ad Catholicæ fidei veritatem, quam sedes eadem tenet, & prædicat, zelo deuotionis afficeris:

ipsam

ipsam deuotus complecteris; ad eius unitatem cunctos tibi subditos adducere satagis; & debitam ei reuerentiam inuariabili proposito conseruare promittis: Quid enim puriore luce relucet in principe; quam fidei recta sinceritas; & vera religio; quæ cum in luminis, & vitæ diriguntur auctorem; tenebras respuunt: subiacere defectui nesciunt: nec verentur occasum. Probant autem laudabilem tuam in his sinceritatis affectum, eiusdem veræ, Catholicæq; fidei tua fidelis, clara, & aperta professio: primatus sacrosanctæ Rom. Eccl. deuota recognitio, spontaneaq; susceptio, debita sibi obedientiæ prompta, & humilis sponsio corporaliter a te præstito iuramento firmata: schismatis abiuratio per te publice facta: ac in eorumdem litterarum serie, iuxta formam per eandem sedem traditam, plene, ac seriatim expressas, quas ipsi Sedi per tuos aprocursarios presentatas, non solum ad veritatis testimonium, sed & ad memorabile tuam laudis præconium, tam presentibus, quam posteris memorandum in archiuo eiusdem Ecclesiæ facimus conseruari. Sane filii dum ardorem desiderij, quo ad Latinos, & Græcos antiquo schismate separatos, in caritatis mutua vinculo, & unitate fidei uniendo; per sanctos patres Romanos Pontifices prædecessores nostros est suspiratum ardentius, & labores immensos, quibus est hinc inde diutius laboratum, memori memoria recensemus, quod in præmissis actum esse ab excellentia tua comperimus, tanto votis nostris cedit acceptius, quanto solet haberi gratius, & reputari præcarius quod anxie quaeritur, & laboriosius obtinetur. Et quidem cunctis Christianæ religionis, communionem habentibus, in his, quæ de irrogatione religionis, eiusdem communionis præstantur excitatiua lætitiæ: sed nobis eo maioris incunditatis, & gaudij specialior causa succrescit, quo magis, dum minori fugebamur officio, eorumdem fuimus laborum participes; & desiderij, non expertes. Quo singularius hæc a nobis ad Apostolatus culmen assumptis diligentiam promotionis exposcunt; quæ prius cooperationis, tantummodo commune nobis, & alijs ministerium exigebant. Sed & tu, Princeps magnifice te lætante in his considera præducem: & lætare, per alios etiam tuum imitatuos exemplum, tibi retributionis præmium, alijs concurrentibus meritis adaugendum. Considera, quod fortes animo, nec debiles viribus, qui prudenter sui operis afficiuntur ad exitum, quo plus fini propinquant, diligentius operantur. Sed & ij, qui in agone contendunt, quo minus restat de cursus instantia, eo currere nituntur instantius: & quo de victoria magis sperant, ad branium plus aspirant. Eia igitur & tu filii, qui tantum in te, ac alijs, & præcipue in dilecto filio, nobili viro Andronico nato tuo sic desideratum dedisti principium, tantum sic accepto vnionis perutilis opere processisti, cum præsto tibi fatearis potentiam virium, nec promptum diffitearis, aut differri te deceat animum, insta opportune, inimo si opus fuerit, & importunus insiste: instat: vt quod in te ipso cœpisti feliciter, in prælatis, & alijs, & ore, & opere compleatur. Suppleantur omnino, quæ desunt: nec vltius præmittantur, aut differantur omissa. Cum igitur, sicut non solum famæ, verum etiam missorum dudum ad te nuntiorum ipsius Ecclesiæ relatio perhibet, & veritas, & tua nihilominus habet assertio, quod totaliter a te huiusmodi, eiusque dependet consummata perfectio, tuæ decet esse sollicitudinis, tuæ curæ, vt idem negotium celerem desiderate, sed

AERA. NAT. CHR.  
MCCCXLI. M CCLXXIV.

sed proculdubio prorogate consequatur effectum. Ideoque nos, qui ad hoc summo desiderio suspiramus, tibi singulariter innitentes, ad id, apud tuam excellentiam, & cum ea, quin potius & per eam, apud ceteros scilicet prelatos, ac alios exacta diligentia procurandum, venerabilem fratrem nostrum Bartholomæum Episcopum Grossetanum, & dilectos filios fratrem Bartholomæum de Sena ministrum Syriæ, Philippum Perusinum, & Angelum Vrbeuetanum lectores ordinis Minorum Catholicae fidei zelatores, scientia præditos, obseruatores voluntariæ paupertatis, & veræ humilitatis amicos ad tuam præsentiam destinamus: Celsitudinem tuam rogantes in domino nostro Iesu Christo, quatenus ipsos, ob reuerentiam Apostolicæ sedis, & nostram, ea, quæ tantum decet principem, benignitate recipiens, illa, quæ ad pleniorum eiusdem negotij consummationem, soliditatem, roburque solidius, tam per te ipsum, quam per alios faciendâ suaserint, clementer audias: & vt efficaciter impleatur, ad augendum retributionis tuæ præmium, & ampliandum laudis titulum operosius intendas. Ceterum moram Apocristiariorum tuorum apud Sedem eandem, quam ipsius sedis vacatio tibi, vt credimus non ignota, & nostræ promotionis nouitas induxerunt, habeat tuæ mansuetudinis circumspectio excusatam. Ad petitionem autem per eos, coram felicis recordationis Gregorio, & Innocentio: V. Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris propositam, & nominissime in nostra, & fratrum nostrorum præsentia repetitam, credimus per speciales litteras eiusdem prædecessoris Innocentij plene, prout suafit facti qualitas, fuisse responsum: quam, quia nulla postmodum nouitas immutauit, nec nos responsionem putauimus immutandam. Dat. Viterbij Non. Octob. Anno primo.

Is suis annus incarnati Verbi **M C C L X X V I S**: necessario enim huius anni metas transcendimus. Andronicus item Palæologus Michaelis Imperatoris F. Catholicæ E. fidem professus, primatum eius agnoscit: & sex & viginti Metropoles, si eiusdem Andronici litteris fidem adhibere par est, cuius perfidia, & scelere, immane quantum religio violata fuit, Catholicæ fidei sacris sanctionibus obtemperaturas spondet. Diuina demum quædã, & inaudita virtus Imperatoris Palæologi omnibus viderit: cum nihil simile, ex omnium sæculorum memoria, post imperium tot calamitatibus fractum, & afflictum piæ vidissent nationes. Dum tamen quæ sua sunt quarunt, & Palæologus expeditionis belli Hierosolymitani sacramentum se dicturum recipit, & vt pax ab omnibus Latinis principibus sibi præstetur, efflagitat: vt Philippi Imperatoris Constantinopolitani, Balduini Imperatoris filij, & Caroli Siciliae Regis eius affinis vim arceat, qui præpotentes eius imperio nimis imminere videbantur, nefarie religionis causa proditur: & gentis leuitate, atque insigni inconstantia, & Iosephi Patriarchæ Constantinopolitani proteruitate, & fallacijs, & summo Andronici scelere, atque impietate, vnus omnium nequissimi, natio ad ingenium versa sacra omnia fœdera religionis violat, confundit, & perturbat: & tenebris semipiternæ noctis offusæ eorum mentes, imbutæ inueteratæ prauitatis erroribus inuoluuntur: quos summa, & sacrosancta religionis necessitudo in officio retinere non potuit.

Rege a summo Pontifice exposcente, vt coronæ regie insignibus eius manu decoretur, id renuit: nisi tributa a patre indicta, denuo Ecclesiæ sanctiantur:

cianur: & quæ perfolui in singulos annos desita erant, pēdantur. At Rex, cum potius gloriosam mercedem, a summo Pontifice, pro tantis rebus gestis, & tam insigni decore Christianæ reipublicæ parto ex petendam, quam regni maiestatem, & immunitatem se auctore minui æquum censeret, ab ea re desistit: & Mompellerium regreditur.

Id. Iul. Barcinone Rex edicit, vt copiæ omnes militares aduersus Cardonensem cogantur. Eius expeditionis causam obtendit, quod Cardonensis Bertrandum Canelliam foueret: qui immane facinus commiserat: cum Rudericum Castellitolum præfectum Iustitiæ Aragonum contrucidasset. Cardonensis arces tradit. Cum Cardonensi contra Regem Solsonæ coiere Hugo Emporitanus, Arnaldus Rogerius Paliariensis, Ermengaudus Aluari F. Vrgellitanus Comites, Guilielmus Anglesola, Berengarius Puduertius, Petrus Berga, Berengarius Arnaldus Anglesola, & Raimundus Anglesola.

A. D. XI. K. August. Pompelone Henricus Rex decedit, Paulo ante Iohannam vnicam filiam, quam ex Roberti Atrebatensis Comitis, Ludouici Francorum Regis fratris filia susceperat, a Nauarris regni heredem, iuris iurandi religione obstrictis, adscisci imperauerat.

Ex Nauarris, cum summa partium contentio in republica versaretur, alij Iohannam regni heredem, Henrici Regis F. Regi Castellæ tradendam, & eius consilio in matrimonium collocandam censent: alij in Galliam tradendam. Plures Regem Aragonum ad regnum adsciscendum contendunt. Regina Nauarris tumultuantibus in Aquitaniam cum filia traicit: vel iniquissimam condicionem Gallicam, iustissimo connubio Hispano anteferens.

Rodolfo Asburgenfi, omnium principum electorum consensione, excepto Bohemiæ Rege, ad Imperij gubernacula adscito, & Aquisgrani diadema adepti, Gregorius P. M. Alfonso Castellæ Regem hortatur, vt ea causa desistat: quod illi, mortuo competitore Ricardo, nullum præterea præcipuum ius quæsitum fuerit. Cum Alfonso minus prouidenter recepisset, pollicitusq; esset, se Pontificis Maximi iudicio obtemperaturum, Gregorius Lugduni A. D. VI. K. Oct. consulto, & summo Cardinalium collegij consensu, Rodolfi electionem ratam habet: titulo Regis Romanorum cohonestat: Imperij principibus, vt illi dicto audientes sint, imperat: & Rodolfum in Italiam arcessit.

Nauarris ad Regiæ Pontem, id oppidi nomen est, conuentum ineuntibus, Petrus Regis F. Turiasonem contendit: quod Rex eo iure, quo se Sanctius Rex in heredem filium adoptauerat, promissum Regnum repetit. A. D. XI. K. Oct. Garciam Orticium Azagram, Ferrerium Manresam, & Iohannem Egidium Tarinum Cæsaraugustanum Prætorem, legatos ad Nauarrorum conuentum præmittit. Regia causa de successione Pompelonensis regni allata, frequenti conuentu Azagra perorante, inuidia eorum, qui alio transferebant, detecta, æquissimis propositis condicionibus obtineri visa. Nam Olitum conuentu traducto. K. Nou. spondent, se operam daturus, vt Iohanna Henrici Regis F. Alfonso Petri filio collocetur. Si Iohannam in eam condicionem deduci non possit, curaturos se pollicentur, vt filia Iohannis Britanici Ducis, & Blacæ eius vxoris, hæc Henrici Regis soror erat, aut ex alijs Henrici sororibus delecta, Alfonso nubat: ad quos regni

AERA NAT. CHR.  
MCCCXII. MCCLXXIV.

regni hereditas perueniat: neque permiffuros, vt ea puellæ alijs principibus adiungantur. Si id vero tranfigi nequiret, vt aliqua ex Henrici fororibus Alfonso, fratris Alfonfi nubat, cc. m. marcharum argenti perfolutos in eos sumptus, quos in regni Pompelonensis propugnatione Petrum expendere oporteret, recipiunt. Ex Nauarris proceribus, & primarijs viris, qui se sponsione Petro Regis filio his condicionibus deuinxerant, hi feruntur: Petrus Sanctius Montacutus, qui Cascanti dominabatur Regni gubernator, Gonzaluus Iohannius Baztanus Regni signifer, Garcias Martinus Lupezi<sup>o</sup>, & Martinus Innicius Orisij, Aluarus Perefius Rada, Petrus Zapata, Roldanus Perefius Daranus, Martinus Valterra, Martinus Garcias Eufa, Gomezius Perefius Arronizius, Simon, & Rudericus Simeinius, & Iohannes Martinus Olletæ, Aznarius Innicius Corellia, Petrus Martinus Mualua, Didacus Martinus Morentius, Egidius Martinus Aiuarus, Martinus Diacius Mirafontius, Lupus Innicius, & Adam Sadæ, Gõzaluus Perefius Azagra, Alfonso Diacius Morentius, Arnaldus Raimundus Mauleo, Rudericus Sanctius, & Didacus Perezus, & Roldanus Perefius Sotefij, Rudericus Lupezius Marzilla: alijque plures ciuitatum procuratores. Hæc & si iurisiurandi religione a Nauarris sanciantur, inania, & irrita euasere: quod Philippus Francorum Rex Iohannam Henrici F. nurrum sibi adoptauerat: & breui Nauarrorum animis partibus infectis, & præcipuis arcibus a Regina Franco traditis, eius regni potitur. Petrus vero iam dudum tacita consilia alio deriuauerat.

Ferdinando Sanctio Regis F. qui coniurationem nobilitatis fecerat, & plebi maxime acceptus erat, Cardonensi, & alijs Catalanis, & Aragonijs proceribus adiuncto, ac magnas turbas miscente, Petrus oppida fratris oppugnat: & militares aduersus eum copias cogit. Cardonensis, & Hugo Emporitanus, Arnaldus Rogerius Comes Paliariensis, ac pæne vniuersi Catalonia proceres a regio dominatu se subtrahunt: atque Regem, de more, pro uocant: quos ad se æquis condicionibus perducere studet: ne ad grauiora supplicia progredi necesse habeat: non ignorans, quanta ex dissensionibus ciuilibus incommoda oriri consueuerint.

A. D. XIII. K. Dec. Barcinone x. dierum cum proceribus indutiæ fuere pactæ.

A. D. VIII. K. Dec. Barcinone res eo deducitur, vt Ferdinandi Sanctij, & eorum procerum, qui eius sectam sequuntur, nuntij a regio dominatu eos subtrahi, ipsi Regi contestentur. Inde indutiæ paciscuntur: & maioribus indies odijs aula regia exardescit, & fratrum dissidio concutitur. Cardonensi Vicecomiti, & reliquis proceribus a Rege dissidentibus, vt eos ad se alliciat, iudices dati Archiepiscopus Tarraconensis, Gerundensis, & Barcinonensis Episcopi: & Fontis frigidi Abbas: totidemque proceres Raimundus Montcada, Petrus Vergua, Gaufridus Rocabertinus, & Petrus Queraltus: conuentuque procerum Ilerdam indicto, de iudicum sententia controuersias omnes decidi statuit.

Rex acta ferme ætate, a pacto cum Theresia Egidia Vidauria nobilissima femina connubio diuertit. Cum ecclesiastico iudicio eæ nuptiæ legitimæ fuisse decernerentur, Rex Pontificem appellat. Satis constat Jacobū, & Petrum filios siue casto eo cõiugio, siue contubernio genitos a Rege in testamēti tabulis, quæ Mõpellerij A. D. VII. K. Sep. anni MCCCXII.

ingr

conscriptæ

conscriptæ fuerant, legitime susceptos ex domina Theresia Egidij de Vi-  
daure commemorari: & legitimis filijs, posterisque eorū virili prole legiti-  
me natis in hereditario regni iure substitui: & nepotibus Reginarum Ca-  
stellæ, & Galliæ, & Constantiæ filijs anteponi. Jacobum F. Exerica, Tau-  
ro, Eslida, Beho, Ahino oppidis, atque arcibus donat: & alia oppida contri-  
buit: Petrus vero Aierbio, Lusía, Ahuero, Liso, Artasso, Castellione, Sieffi-  
co, Borota, Azuere, Cabatraijs, & Benimiæna oppidis, arcibusque donatur.  
Inde Exericarū, & Aierbiorū admodū amplæ, & regales familiæ fluxere.

AERA. NAT. CHR.  
MCCCXII. MCCLXXXIV.

Alfonfus Castellæ Rex in Prouinciam Galliam ad Gregorium P. M. MCCCXIII. MCCLXXV.  
proficiscens, Barcinone festum natiuitatis Domini diem vna cum Rege so-  
cero celebrat: non tamen eius saluberrimis consilijs, atque monitionibus  
mouetur, quin re iam desperata, & præiudicata, imperij causam vrgueat:  
& summum Pontificem in tempestiuus conueniat: præsertim cum Regem  
Francorum adeo infestum, & inimicum vereretur, vt fide publica iter per-  
agere, fuerit necesse.

Sacro Epiphaniæ die Raimundus Pennafortius Barcinone, in cœno-  
bio Prædicatorum e vitâ excedit: cuius summæ religionis, & veteris san-  
ctitatis nullum illustrius exemplum illa tempora in Hispania tulere. Eius  
funere Reges, & Regum filij, & ingens principū turba, ad exequias coh-  
nestandas conuenere.

A. D. VII. K. Feb. Barcinone Rex Ilerdam Catalanorum, & Arago-  
nensium conuentum in A. D. II. quadragesimæ ieiunium indicit. Proce-  
ribus amicis, ac natu maioribus in consilium adhibitis, insanienti seditiofo-  
rum procerum temeritati obuiam it: quarum principes erant Vicecomes  
Cardonensis, Emporitanus, & Palliariensis Comites, Ferdinādus Sāctius  
Regis F. Artallus Luna, & Petrus Cornelius. Hi cum affectatoribus con-  
uentus decreta subterfugientes Corbinum secedunt. Populos, qui trans  
Sicorim incolunt, ad suam sententiam, & in parem iuris, & libertatis con-  
dicionem, atque ipsi versantur, perducere nituntur. Conuentus dirimitur.  
A. D. II. Id. Mai Ilerdæ Rex Hugoni Emporiarum Comiti se infensum,  
atque inimicum, de more denuntiari imperat: & à Iacobo F. illi bellum in-  
ferri. Petrus Regis F. patris imperio, aduersus Ferdinandum fratrem, &  
proceres tumultuantes bellum gerit. Cum Ferdinādus animo præruptus,  
& præceps, earum seditionum præcipuus stimulator, & concitator esset,  
& mobilitate, & leuitate animi nouis rebus studeret, neque induciarum,  
eis per scelus violatis, iura seruarentur, a fratre in Pomarium castellum in-  
clusus, cum commutata personâ eripere se niteretur, ex insidijs capitur.  
Petrus in fratrem grauius statuens, poena postremæ desperationis, atque  
amentia constituta, in Cingam amnem demergi imperat: oppida, atque  
arces omnes Ferdinandianæ Petro dedūtur. Ferdinandus ex Aldoncia Vr-  
rea vxore Philippum Ferdinandium filium reliquit: qui paternam here-  
ditatem redditam, atque restitutam postea adiit: & ex ea stirpe Castrorum  
familia regia, & illustis propagatur.

Multiplex inde excitus terror, omnes Hispaniarum oras concussit:  
quod Abeniuceffius Maurusiorum Rex a Granatenfi Rege arcessitus fre-  
tum innumerabiles copias traiecisset, & Hispalensem tractum incurreret.  
Granatenfis laenensibus finibus bellum infert. Nunnus Larenfis, adeo  
spectatæ virtutis dux, vt maximum munimentum rerum, Rege peregre

O ñ profecto,

AERA NAT. CHR.  
MCCCXIII. MCCLXXV.

profecto, esset, ad Astigim cū Abeniuceffio dimicans interimitur: eiusque copia occidione cæduntur. Maio mense eam pugnam commissam ferunt: qua plures bello, ac militia spectati viri, ducesque periere.

Dum hæc in Turdetanis geruntur, Sanctius Toletanus Antistes Regis Aragoniæ F. ex Carpetanis iuuentute excita, subsidiarias copias educens, Castellonenfi saltu transcenso, Ianenfi bello occurrens, ac Larenfi adiūgi sperans, in victorem hostem incidit. Cū hostibus raptim, & turbate decertans, nostrorū copijs profligatis interceptus, dū hostes de opimis spolijs ferundis, & captiuo Imperatore ducēdo, inter se dimicant, Sanctius tragula confixus cadit. Nec satis stolidæ crudelitati barbarorum visum: caput, & manus pontificijs annulis præfulgens præciditur. Summo in discrimine, & incredibili rerum perturbatione omnia versantur.

Iunio mense Rex Hugonem Emporitanum Comitem in Indigetibus bello persequeus, Rhodam inclusum obsidet: & ad deditonem compellit.

Tantis subito difficultatibus subortis, Augusto mēse, Villaregali Ferdinādus Regis Castellæ F. primigenius, omnis spei extremū, & cōmune solatiū, & regni columē, atq; subsidiū e vita excedit. Omnia obrui visa ni vn⁹ vir ingētis animi obstitisset, Sanctius Ferdinādi frater iuuenis acer, & expertæ virtutis: qui ruentibus rebus, patriæ opē ferens, vnicū præsidū fuit.

Ilerdæ Alfonso Petri F. Regis N. ab Aragonensibus, Catalanis, & Valentinis proceribus, & ciuitatibus iurisiurādi sacramento, vti legitimus heres, & regni successor: futurus auo, & patre vita functis, renuntiatur: & in eius verba omnes adiguntur.

In hac tantarū cōmōtione rerū Petrus Regis F. tot rebus aduersis, ad caput belli subsidio properās, M. equitū, & V. M. peditū coacto exercitu, Granatēsis regni fines inuadit: & Almeriēsem agrū incurrit. Granatēses copias primo quoque tempore Malacensibus auxiliū ferunt: & Abeniuceffius ab eis se deserui videns, Algeziram freto adiacens oppidum regreditur.

MCCCXIV. MCCLXXVI.

Montefani, qui per se antea Regi infideles erāt, Abeniuceffio bellāte, & tot prosperis successibus elato, atq; ruēte, aperte bellū parare incipiunt: & aliquot castella præsidijs firmant. Noui Maurorum exercitus exorti ad populandos fines, per Contestanos in AEdetanum agrum transcendunt.

Valentinis tam interno motu concussis, vt prope illatū mœnibus ipsis bellum videretur, repens hostis Regē ipsum exacta ætate ductorē quærebat: & quāuis in morbū incidisset, & satis vehemēter, diuq; ægrotasset, multis bellis eius gentis infidelitatē expertus, cū etiā plures annose eorum vim, atq; audaciā sustinuisset, Valentia A. D. III. Id. Mart. militares omnes copias cogit: & Aprili mense Algeziram progressus, inde Setabim copias educit. Hostes Alcoiū oppugnāt: & in ea oppugnatione Alazdrachus ille primus defectionis auctor interimitur. Nostrī nō satis sibi facientes, quod virili animo oppidū propugnassent, hostes persecuti, cum primæ eorum turinæ insidias intrauisent, ad vnum omnes interimuntur. Is dies, Martis fuisse constitit: adeo nostris longe grauisimus fuit, vt Setabitani eum, tamquam funestum rei publicæ obrestentur. Proelio equestri maxime aduerso factō, nostris, magnæ hostium multitudinis aditu perterritis, turmæ Maurorum equitum, perceleri cursu, vltro, citroque magnas strages edunt.

Petrus Moncada Templariorum Magister, Garcias Orticius Azagra, & alij proceres ad Lucentum cum hostium copijs D. equitum, & III. M. peditum



ditum pugnam conferunt. Nostri ceduntur: atq; ingens fit Setabitanorum cædes. Azagra interimitur: & Moncada in hostium potestatem recidit.

Rege Setabi Algeziram regresso, cum grauius morbo affligeretur, & mortis periculum instare videret, imperium deponere statuens, regno se abdicat: eo cõsilio, vt Populeteni cœnobio D. Bernardi institutis initiaretur. Regnũ filio tradens, hortatur, ita rem publicã capessat, vt quam in fortunam, & in quã amplitudinẽ regnũ deduxerit, semper meminisse velit.

A. D. VI. K. Aug. Rex Valentiam delatus, e vita excedit: cuius res gestæ, & gloriosa facta, si animi virtute, & robore expendantur, omnium iudicio haberi possit Rex vere principum maximus: cuius tanta vis animi fuit, vt nemo eo fortius, aut bella susceperit, aut pro regia dignitate gesserit: perfecitve. Eiusdẽ ætatis scriptor memoriæ prodit, regno tot bellis, atque victorijs parto, religionis cultus adeo ab Rege propagatos fuisse, vt ad duo millia sanctorum, & delubrorũ fecerit. Triciens cum impijs hostibus signis collatis manum cõseruit. Quattuor filiorum legitima prole deficiente, Iolantis, Constantiæ, & Isabelæ filiarum liberos ad regnum, exclusis matribus, arcescit. Ex nobili præterea muliere Berengaria Ferdinandia Petrum Ferdinandium filium susceperat: quẽ Ixeritana ditione donat: hinc Ixeritanæ stirpis splẽdida familia fluxit. Constantiã, & Sanctiam grades, & nobiles filias suis cõdicionibus cũ tradere vellet, Constantia Emmanuelli Regis Alfonsi fratri nubit. Sãctia vero, cũ se totã diuino cultui addixisset, & perpetua cura sollẽntia sacra obiret, tandem regali persona deposita, nemini nota, aut manifesta, Hierosolymam profecta, ad sacrosanctũ dñi sepulchrum, in peregrinos pauperes, & ægritudine confectos summe hospitalem se præbuit: cuius obitu, insignia eius sanctitatis miracula eluxere.

Augusti mensis fine Petrus Regis F. trium mensium indutias cum rebellium Montefanorum ductoribus paciscitur. Ab earum indutiarum iure plures arces excipit: quo hostes omnes suas fortunas contulerant. Valentia, rebus bellicis constituendis, atque collocandis tempus omne in Octobris mensis finem consumit: non tamen regium nomen vsurpat, quoad de more, coronatus regalibus insignibus decoratur. Quod bellum cum Nauarris gereretur, Borgiæ Regni finibus primarium ductorem Lupum Ferrerium Lunam præficit.

Segouia Arreuaeorum vrbe conuentu coacto, Alfonso Castellæ Rex Emmanuelis fratris, & Lupi Diazij Pharenensis Viscariæ domini, & aliorum procerum consilio, & suasionem, Sanctium F. regnorum heredem renuntiare imperat: magna Petri eius affinis querella: quod Alfonso Ferdinãdi primigenij F. regni successione exturbaretur: & ab auo Sanctius nepotibus esset antepositus. Ob eam causam, cũ Sugerius Calatrauensis Magister, & Iohannes Arias ab Alfonso Rege Valentiam ad Petrum legarentur, vt vultorum fœderum iura, regnũ adeptus sanciret, in id tempus reijcit, quo regni munia procerum consilio coronatus obiret.

A. D. XVI. K. Dec. Cæsaraugustæ in æde sacra Saluatoris Petrus, & Constantia eius vxor, regio apparatu, & ornatu diadema suscipiunt: & sacro oleo a Bernardo Oliuelia Tarraconensi Antistite peruncti regalibus insignibus decorantur. Cauet Rex posteris suis: & ante impositum diadema obtestatur, se ab Archiepiscopo Tarraconensi, ea condicione coronam non suscepturum, vt Ecclesiæ adesse cogatur, aut vt illi obsit: ne se tam-

O iij quam

ABRA. NAT. CHR.  
MCCCXIV. MCLXXVI.

ABRA NAT. CHR.  
MCCCXV. MCCLXXVI.

quam Ecclesiæ dediticium, aut stipendiarium vltro profiteatur: quod a Petro Rege auo vsurpatum, & inductum regni proceres conquæsti fuerant. His sollempnibus publico in cōuentu celebratis proceres, & ciuitates regni Alfonsum Regis F. iurisiurandi religione obstricti regni futurum heredem, & successorem profitentur.

Peracto conuentu Rex Decembri mense nondum decursō, Valentiam proficiscitur: vt belli rationibus consulat: aut sicubi esset, auertat.

PETRVS III. MAGNVS XV. REX  
ARAGONIAE.

IACOBVS II. BALEARIVM REX.

Fortunius Ahenes Præfectus Iustitiæ Aragonum.

MCCCXV. MCCLXXVII.

Iolans Regina Castellæ Petri Regis soror Guadalaiaram suæ ditionis oppidum venire simulans, regni fines egressa Farizam contendit: Blancā nūrum, & Alfonsum, ac Ferdinandū nepotes secū educens: quorū se incolumitati cōsulere palā profitetur: quod Sanctius eorū patruus viuente patre suo, eorū auo rerū potiretur. Rex Valentia eo emigrat: vt sororem inuisat.

A. D. VI. Id. Ian. Rex Segouienti Episcopo, repentinæ sororis profectiois consilium patefacit: seque operam dedisse, vti soror, sororis nurus, ac nepotes in potestate Alfonsi Regis ne essent: quod Sanctius regia iura, viuo parente inuasisset.

Alfonsus Rex ira, & furore percito commotus, Fredericum fratrem interimi, & Simonem Ruizium Camerensem, principem virum, Frederici generum viuam comburi imperat: consilij profectiois Reginæ participes, & nouandarum rerum auctores: eoque patrato facinore, cum ingenti periculo, in vltimum rerum suarum discrimen ruit.

Auertit ab eis curis Aragonium Regem ingrauefcens bellum: & Aprilī mense Mauris, qui defecerat, bellum infert: & eorū agros depopulatur. In Montefam arcem munitissimam circiter xxx. M. virorum includuntur. Montefam castris circumfidet. Propugnatores virum numero cōfisi, crebris eruptionibus nostros percellunt.

Montefani assiduis oppugnationibus compressi, ceteræque rebellium arces auxilium desperantes, Regi se obtemperaturos pollicentur: & in ditionem, potestatemq; A. D. III. K. Oct. rediguntur. Nam & si Rex tāta ira, odioque bellum gerit, vt victis interitum minetur: bellum, quod instaret intuens, in ditionem accipit.

Vix dū depositis Montefanorū armis, nouus minime idoneo tēpore tumultus exoritur. Rogerius Bernardus Fuxēsis, Arnaldus Rogerius Palliariēsis, & Ermēgandus Vrgellitanus, Aluarus Ermēgandi frater, Raimūdu Fulcho Cardonēsis Bernardus Rogeri<sup>9</sup> Erilius, Raimūdu Anglesola, Guilielmus Raimūdu Iossa: & alij Cataloniæ proceres, homines, nō tā parēdi, quā bellādi cupidi, cū proximis ciuitatibus pacē, & amicitia cōciliat: cōfirmantq; vt Regi bellū denūtiēt: atq; inferant. Fœdere ciuitatibus adiūcti, vt se sequantur, persuadēt: magnaq; Cataloniæ pars, viriū, & armorū cōcitatione cōmouetur. Eā tumultus causam prætexit, quod Rex adepto regno, cōuentū Barcinonē nō indixisset: neq; mores, atq; instituta maiorū a Barcinonēsis Comitibus sancita, firmasset. Bernardus Dezclotius eiusdem ætatis scriptor memorat, Regē contendisse, vt aliquot instituta, quæ corruptela malæ cōsuetudinis deprauata fuerant, abrogarentur, tollerenturq;

Rex

Rex festum natiuitatis Domini diem Valentie celebrat. Galataiubium proficitur. Arces, & castella finibus regnorū opposita praefidijs firmat. Farizæ arcis, insigni regni propugnaculo exteris nationibus obiecto Rudericus Gonzalius Funes praeficitur. Vndique noui motus nuntiantur: omniaque inde suspecta erant.

Quod Sosenfes, & Filerenses de finium limitibus cum Sanguessanis de certant, Rex in dūtijs cum Eustachio Belmacho regni Pompelonēsis procuratore paciscitur.

Irene Lascaris Theodori Lascaris Græcorum Imperatoris F. Guilielmi Intemelij Comitiss vxor Calataiubij Regem inuisit.

Id. Apr. Valentia Rex Episcoporum, procerumque omnium conuentum a Resurrectionis festo die in tres hebdomadas Tarraconem indicit: vt inde Valentiam profecti, patris corpus Populetum tumulandum deuehant: magna; exequiarum, pompæ, & laudationis celebritate translato, iusta funera apparatu regio magnifice peraguntur: & sepultura, cum ciuitatum legati supremo, erga memoriam Regis, munere fungeretur, de more perficitur. Summus memoria, ac nominis honos habetur.

Alfonfus Castellæ Rex summe enititur, vt Iolans Regina vxor, & Alfonso, & Ferdinandus nepotes ad se deducantur. Legatis vltro, citroq; ea de re crebro committentibus, cum tandem Emmanuel Regis Aragonij affinis, qui eam curam emixe susceperat, vt Sanctium in regni successione stabiliret, & Alfonso, & Ferdinandum Alfonso Regis nepotes a iura regni hereditate auerteret, Turiasone Regem conuenisset, in eam pactionē deuentū est, vt Iolans ad virū reuertatur: nepotes, Regis Petri custodia attingantur: quod Sanctius summopere curat, ne in Gallia ad auunculū Regē deuehantur. Iolans ad virum ingratis decedit: quæ magnorū Regū filia, vxor, & parēs, summo dedecore, impudicitia famā effugere non potuit.

Rex inexpiabili bello proceres persequitur: nemini enim dubiū erat, quin omnium consensu dux in eos destinaretur.

A. D. V. Id. Iun. cum Agramontem Ermengaudi Vrgellitani oppidū Rex obsideret, Henricū Rhodensem Comitem comoneri imperat, vt in aula Regia se sistat: atq; Carladēsis ditionis suprema fidelitatis iura, & summam potestatem Regibus exceptā sanciat: & tributa per solui desita pēdat.

Rex, vt Fuxensem ad se pelliciat, qui nobilitate, potētia, & virtute bellica omnibus præstat, & late in Catalonia potens, pollensq; dominatur, operam dat, vt Constātia Comitiss filia natu maior Iacobo filio suo nubat.

A. D. III. Id. Dec. Agramonte, cū Rex Ermēgaudo, ad pacis cōditiones, deditioeq; spem nō ademiisset, & ad imperiū demū redegisset, ditionem omnem Vrgellitanam, eiusque iura, interuentu Fuxensis attribuit.

A. D. XIX. K. Ian. Ilerdæ Rex ditione omni, quā in Ripacurciēsi, & Palliariensi regione obtinere potest, a Gessis motibus, qui Tamarito imminet, Pyrenæum versus, & quæ Cinga, & Nocharia Palliariensi fluminibus cōcinetur, adiunctis castellis omnibus, atq; arcibus regij dominij Iacobum filium donat: si Fuxensis filia in matrimoniū illi collocetur. Fuxensis filia Castelloni Vicecomitatū dotis nomine dicit: heredēq; Fuxensis ditionis instituere pollicetur. Sed ex pactiones quæ interuentu Pontij Hugonis Emporitani, & Arnaldi Rogerij Palliariensis Comitum, Raimūdi Peralta, Pontij Ribellia, & Petri Martinij Artassona constitutæ fue-

AERA NAT. CHR.  
MCCCXVII. MCLXXXIX.

rant, dirimuntur: & Fuxensis denuo a Rege dissidet. Cum inueterata ira Rex Iacobum fratrem Baleariū Regem prosequeretur, quod immensa ditionum assignatione, quibus a patre donatus fuerat, indigne se priuari doleret, & iuribus se fraudari ægre ferret, quibus Fuxensis, & Emporitani Aragonijs Regibus obstringebantur, & Perpiniānum improuisus iniisset, in eam pactionem, A. D. XIII. K. Febr. deueniunt. Assidente Rege in regali folio, in cœnobio Prædicatorum Iacobus supremam regni Balearium potestatem, & adiacentium insularum, Rufcinonenſis, Cæretanæ, Confluentinæ, Vallésperiæ, & Iliberitanæ diuionis, adhæc Vicecomitatum Omeladesij, & Carladaſij, & arcium omnium potestates Mompellerienſis ditionis Regi addicit, atque attribuit. Melgorienſis Episcopi iura excipiuntur: & aliorum oppidorum recens quaesitorum. Se, posterosque Balearium Reges fideles, subditicos, & dicto audientes Aragonijs Regibus constituit: traditurosque spondet iratis, aut pacatis Aragonum Regibus Maioris Balearium urbem, Cæretanam arcem, & Perpiniānum. Obstringitur præterea sacramento, posteros Reges Balearium, conuentibus Cataloniæ indictis, si arcesserentur, interfuturos: modo in Maiore insula, id temporis non commorentur: resideantve. Rufcinonenſi in ditione nummos Barcinonenſis notæ, nulla ponderis deminutione expendendos recipit. His constitutis condicionibus, Rex donationes a patre factas confirmat: Iacobo palam conquerente, & se indignum ducente: quod graues leges imponerentur a fratre: cum eas ditiones immunes, & nullius imperio, potestatiue addictas a patre suscepisset: vetusque ea suscepta similtas facti indignitate augetur: & plurium malorum causa existit: cum fraternū odium indies ingrauesceret. Balearici Regis nomine fidem suam sacramento obstringunt, curaturos se, vt Balearij Reges his legibus obtemperent, Fuxensis, & Emporitani Comites, Dalmatius Rocabertinius, Vicecomes Castellionouū, Raimundus Durgius, Guilielmus Canerius, Bernardus Hugo Serralôga, Dalmatius Castellinouū, Pontius Zagardia, Arnaldus Cortauius, & Guilielmus Sous: & procuratores Perpiniānenses, & Balearici.

A. D. XVIII. K. Octob. inter Requenam, & Buniolium Rex, & Sanctius sororis F. congressi, artiori fœderis vinculo adiunguntur. Inde Rex in Cataloniā festinanter proficiscitur: vt tumultuantibus proceribus obuiam eat.

Conradus Lanza Reginae Constantiæ propinquitate adiunctus, regniæ classis præfectus Mirabufaciū, qui Tunetano regno exactus a fratre fuerat, distractis Africæ viribus, fraudem hostium vliscens, cum potior retinendo regno visus esset, nostrorum militum copijs, ad regium imperiū, regniq; possessionem deducit. Inde cū Africæ, & Mauritaniam oras IIII. longis nauibus præteruehitur, ad Alhabibam insulam Mauritaniam litori adiacentem cum X. longis Maurorum nauibus congressus, pugna commissa, profligatis, & deuictis hostibus, eorum nauium potitur.

A. D. XI. K. Decemb. Francorum, & Castellæ Regum legati Valentiam Regem conueniunt. Hi principes super Castellæ regni successione dissidentes, vnusquisque Regem ad se trahere nititur.

Eadem die Rex Iacobum Peresium filium ex Maria Nicolofia concubina genitum Segorbiensi urbe, ac ditione donat: & Sanctiam Ferdinandum

Diazij

Diazij filiam in matrimonium illi collocat.

A. D. VII. Id. Dec. Tarracone Bernardus Tarraconēsis Archieps, Arnaldus Barcinonēsis, Bernardus Gerundēsis, Raimūsus Ausetanus, qui se Vicensem cognominat, Guilielmus Herdenſis, Petrus Vrgellitanus, Arnaldus Dertolanus, Petrus Casaraugustanus, Iacobus Oscensis, Iaspertus Valentinus Ep̄i, item Abbates & alij prelati, qui conciliū ea vrbe celebrāt, totiusq; concilij vniuersitas enixe litteris Nicolaū P. M. deprecatur, vt Raimundi Pennafortij viri sanctissimi memoria sua certa, destinataq; sententia, religioe omniū consecretur: atq; ei inter diuos rite sollēni precatiōe stant: cuius sanctitas viri insigni splendore apud oēs nationes praeſulgeat.

Dionysius Portugalliae Rex Alfonso Castellae Regis nepos, qui superiore anno patre vita functo regnū adeptus fuerat, legatos Iohannem Velum, Iohannem Martinium, & Blasum Peresum ad Regem mittit: & Isabellam Regis F. maiorem natu sibi in matrimonium collocari exposcit.

Quod Fuxensis Comes c. c. equitum, & v. i. m. peditū copias coegisset, & proceribus Cataloniae adiunctis bellū vrgueret, Rex cum longius eorū amentia progredi videret, magno cōparato exercitu, Iunio mense, repentinos eorū impetus coercens, Fuxensem, Palliariensem, Vrgellitanū, & Cardonensem Balagueriū includit. Vna in oppido inclusi obsidentur primarij proceres Pontius Ribellias, Arnaldus Rogerius fratris Palliariensis Comitis F. Raimundus Abella, Petrus Iosla, & Guilielmus Canetiū Rocafortius. Cum eam animorū concitationē Regis aduentus fregisset, & intentior in moenia hostiū versus, vñs omnibus obsessis, haud procul iusto proelio res esset, ac vi maiore indies obsiderentur, Regi, qui obsessor restiterat, & castris urbem circumfederat, breui ad spem euentus respōdet. Nec spe, nec animo certiore proceres se, suaq; omnia in fidē, atq; potestatem regiā permittunt: quos cū Alfonso filio tradi imperasset, in Herdensem arcem contruduntur. Fuxensis seditionum auctor, & princeps valde pertinacis, & obstinati animi vir, in Siuranam arcem traductus, longo temporis spacio dura vinculorum custodia continetur.

Cum Philippus Francorum Rex Alfonso Regi nulla ratione suadere posset, vt cum filio, ac nepote regna partiat, neue nepotem regno exheredat, cum Aragonum, & Balearium Regibus Tolosae congregatur. Recipit Francus Mompellerij dominatus iura integra Regi reseruaturū: neq; permutationis causa, cum Magalonēsi Episcopo facta, ius aliquod in eam conditionem quaesiturum: neq; de liberandis Alfonso, & Ferdinando fratribus, Regis Castellae nepotibus, quidquam eo in colloquio transigitur.

Sanctius Alfonso Regis F. regni cupiditate inductus, quod viuente patre appetierat, Gonzaluum Ruizium Gironem Vclesium Magistrum, & Marchionem Monferratensem suum affinem ad Regem legatos mittit: qui operam dent, ad colloquium cum patre deueniat: sperans in eo congressu successione regni, auunculi consilij stabilire. Leuitatis enim paternae, & inconstantiae gnarus, magnopere veretur, ne aliquorum procerum suafu labefactatus regna cū nepotibus partiri velit: quod proceres eū regni statum sibi apprimē accōmodatum, atque obnoxium fore vident.

A. D. VI. K. Apr. facta colloquia, e rebus publicis, vt praeponderant, non incommoda, ab Aragoniae, & Castellae Regibus ad Campillum in ipsis regnorum finibus, loco inter Turiafonem, & Agredam interiecto Castellae

AERA NAT. CHR.  
MCCCXVII, MCGCLXXIX.

MCCCXVIII, MCLXXX.

ARRA NAT. CHR.  
MCCCXIX. MCCLXXXI.

stellæ Regem ad colloquia proficiscentem comitantur Emmanuel eius frater, Sanctius, & Iacobus Regis filij, Iohannes Alfonsus Pallantius, Petrus Ciuitatensis, & Ferdinandus Gaditanus Episcopi: Guilielmus Marchio Monferratensis: qui Beatricem Regis Alfonsi F. vxorem duxerat, & Iacobum Affinem generū sibi adsciuerat, Alfonsus Alfonsi Infantis Molinæ F. Iohannes Alfonsus Pharenfis, Iohānes Gonzaluus Baztanus, Munio Diacius Castaneda, Sanctius Martinus Leua, Gonzaluus Garcias Strada, Tellius Gutterrius iustitiæ domesticorum Regiorum præfectus, Garcias Gaufredus Loaisa, & Garcias Perezus Dambrius. Aragonium Regem affectabantur Alfonsus, & Iacobus filij: Garcias Episcopus Turiafonensis, Bonanatus Nuntius Apostolicus, Petrus Costa electus Segorbiensis Episcopus, Hugo Mataplana Præpositus Masiiliensis, Magister Arnaldus pro Cancellario Regis, Petrus Ferdinandus Ixeritanus, Iacobus Exerica, & Petrus Aierbius Regis fratres, Castellinoui Vicecomes, Guilielmus Raimundus Moncada, Artallus Luna, & Lupus Ferrencius Luna eius frater, Petrus Cornelius, Petrus Moncada, Bertrandus Belpucius, Sanctius Antilionius, Gilabertus Cruilias, & Rudericus Simenius Luna. Conuenit, vt Nauarræ regnum inter se partiatur: & ad eam pactiōnem consulto venit Sanctius: & Aragonio auunculo iure Nauarræ regni cedit. Pollicetur Alfonsus Rex, se non permissurum, vt Berengaria filia Philippo Balduini Constantinopolitani Imperatoris filio, Caroli Siciliae Regis affini nubat. Sanctius Albarrazinum urbem, eiusq; ditionem regni Aragonum iuris, potestatisque esse, seorsim auunculo sancit: probatque. Ex eo pactiōnum, colloquijque fœdere ad id recisum est, vt Alfonsus, ac Ferdinandus Regis Castellæ nepotes in Setabitanæ arcis custodiam intrudantur. Arces Podiana, & Ferrelionia, & fines Puteolani, de quibus Reges controuersabantur, iudicio Martini Romæi Veræ Prætoris Calataubienfis, & Sanctij Martinij Leuæ, & Gonzalui Peresij Episcopi Segouienfis Aragonio regno adiunguntur. Pollicetur præterea Castellæ Rex se Aioram, Palatiolos, Theresam, Xeram, & alia oppida cum Aioresi valle Regi, posterisq; Regibus traditurum: quæ Emmanueli fratri condonauerat. Emmanuelē Escalonæ oppidi compensatione leniunt. Inde Reges Agredam contendunt. Iohannes Nunnus Larenfis, & Iohannes Nunnus, & Nunnus Gonzaluus eius filij, quos ex Theresia Aluari Azagra vxore susceperat, & Aluarus Nunnus, & Ferdinandus Perezus Pontius, quem Aragonius Rex affluentibus copijs locupletauerat, Alfonsi, & Ferdinandi Regis Castellæ nepotum iura, & causam palam tuentur: ac sustinent.

Petrus Martinus Artassona Præfectus Iustitiæ Aragonum.

Ifabella Regis F. Dionysio Portugallia Regi nubit: quam Michaël Palæologus Imperator Andronico filio collocari ambierat. Conradus Lanza, & Bertrandus Villafranca Ecclesiæ Tarraconensis camerarius in Portugalliam legantur: vt Regis Aragoniæ nomine Dionysium Regem, & Alfonsum fratrem eius germanum: qui in armis erant, & acerrime inter se proeliabantur, ad concordiam deducant.

Cum Alfonsus Rex promissorum, ac pactorum, ad Campillum conuentorum immemor, Berengariam filiam Philippo Imperatori Balduini F. in matrimonium dare constitueret, Rex legatum ad eum mittit Andream Prochyta: vt a sententia deterreat.

SICI-

## SICILIENSE BELLVM.

AERA NAT. CHR.  
MCCCXIX, MCCLXXXI.

Maiora, & magis aspera aggredi, Regi tempus visum est. Nam ab anno M C C L X X V I I . ad L X X X . assiduis internuntijs Iohāne, & Andrea Prochytiis fratribus, tanti facinoris ministris, & satellitibus foedus arcano ictū inter Nicolaum I I I . P . M . ex Vrsinorum gente praestantis animi virum, & Michaëlem Palæologum Imperatorem, ac Petrum Aragonum Regem, tam longo locorum interuallo disunctos aduersus Carolum Regem, pactione regni Siciliae sancitur: ingenti, vt ferunt, pecunia Regi, ad necessarios belli sumptus corrogata. Regem ad eam expeditionem obeūdā cohortantur, ac de sua opera prolixè pollicentur inter proceres Italos insignes in Etruria, & Gallia Cisalpina viri, Marchio Monferratensis, Guido Nouellus Comes, Conradus Antiochensis Frederici Imperatoris nepos: qui Galbani Comitibus duxerat: & Guido ex Monte Feretrio. Nicolao breui vita functo, Martinus I V . sufficitur: qui se Carolo Regi addicit. Siculi obstinate Caroli imperij iugum repellere nituntur: quod auare, ac superbe imperitatum sibi quererentur: cum Carolus pæne totius Italiae imperium obtineret.

Rex Hugonem Mataplanam sacri ordinis virum, in primis nobilem, & industrium ad Summum Pontificem legat: legationisque causam praetendit, vt totius regni nomine exposcat, vt Raimūdi Penafortij sanctissimi viri memoria consecretur: & in diuorū numerū referatur: Pontificisq; Max. mentem exploret: a quo indigne, & accipitur, & reicitur: cum Nicolaus de consecratione anquirendum constituisset. ¶ Boqueron Constantini Africae populi regulus, Bugiensis Regis F. auxilia regia aduersus fratrem implorat: polliceturque Constantinam urbem Regi traditurum.

A. D. V I I I . K . Iun. Rex Cardonensem, & Palliarientem, reliquosq; Cataloniae proceres sacramento alligatos, deuinctosq; in potestate habet: vnaq; cōplexione sibi obstringit: Fuxēs, Vrgellitano, Alvaroq; Caprera Vrgellitani fratre exceptioe reiectis: a quibus fidē saepius læsam viderat.

Siculi Carolum Regem regno exturbaturi auxilium, viresq; Regis implorant. Vt expeditionem maturet, priusquam clandestina consilia efferrantur, obtestari non cessant. Rex omnibus rebus anteuertēdum videns, classē ingenti apparatu adornari imperat: magna famæ celebritate: tamquam Constantinienfibus rebus opem, atque auxilium laturus.

Galcerandus Thimora Rege Romā legatus Pontifici Maximo denuntiat, regiam classē instructam, comparatamq; vti Sarracenis Africae provinciae bellum inferat. Deposcit, vti sacra subsidia in bellicos sumptus cōferantur: regnum absentis, & bellum sacrum gerentis de more defendat, ac protegat: decūmarum pecunijs, ex Aragoniae regno corrogatis in eos sumptus opituletur. Pontifex palam testatur, Aragoniae Regem, nō Christi hostibus, sed Carolo Regi Ecclesiae filio apprime caro, foederatoq; insidias, periculumq; struere, atque moliri. Tantis de rebus legati responsum nullum aliud domum retulere.

Sanctius Alfonso Castellae Regis F. eos proceres, qui à patre defecerāt, & ex quo Fredericū fratrem interim iusserat, extorres profugerāt, ad se pellexit. Principes fuere ex his Lupus Didacius Pharēsis, qui Vizcaiae dñabat, Didacus Lupezius eius frater, Ramirus Didacius, Petrus Aluarus Astur, Nunnius Larenfis, Ferdinādus Rudericius. Caprera, & Ferdinādus Rudericius

AERA NAT. CHR.  
MCCCXIX, MCCLXXXI.

ricius Saldania. Inde crudelissima dissidia inter patrem, & filium incredibili odio exarsere, Alfonsus Rex ab omni curatione, atque administratione regni, ac statu regio, omnium ordinum consensione, ab Emmanuele fratre sententia promulgata, deijcitur, atque amouetur. Causas tanti facinoris obtendit, quod Fredericum fratrem, & Simonem Ruizium virum primum, indemnatos occidi imperasset: immunitatem, ac iura sua nobilitati abrogasset: & publicas opes aërio regio exhausto, minutisque vectigalibus dilapidasset. Procuratori regni Sanctius, veluti legitimus successor præficitur.

MCCCXX. MCCLXXXII.

A. D. III. K. Apr. Feste Dominicæ Resurrectionis die, Panhormitanus populus tumultuario, simul sine ducibus certis, sine imperio, pro cõmuni salute, ac libertate ira exardescens, atque arma capiens, totius nobilitatis, & iuuetutis signiferis Palmerio Abbate, Alaimo Leontino, & Gualterio Calatagironio, consiliarijs, & auctoribus in præsidēs, præfectosque Regis Caroli, impotenti concursu concitatur: atque in Gallos omnes periculum capitis infert. Neque illorum crudelitas ea calamitate satiatur: quin sæuus furoris turbo Corelione insatiabilem sæuitiam exerceat: coniurationesque vniuersa in insula palam factæ: quod ab Carolo crudelissimo dominatu premerentur. Neque vquam de Frederici Imperatoris, & eius filij Manfredi sæua tyrannide Pontifices Maximi conquesti sunt ægrius, quam legitimus Clementem ipsum, a quo Carolus ad regnum adscitus fuerat, grauissimas querellas, iecisse, neque tantorum vulnerum remedia, atque alleuamenta esse adhibita: cuius litteras libet hic adponere, quasi diuinantis prædicta.

» CLEMENS Episcopus seruorum Dei K. Regi Siciliae illustri. Frequenter ante tuæ considerationis oculos ponentes nunc verbo, nunc litteris statum miserabilem regni tui, sperabamus, quod ad reformationem illius, quod amare deplorat, & conqueritur, se ministrorum tuorum, non solum deformari malitia, verum etiam penitus dissipari, opportunum prouisionis remedium adhiberes: tuæ in hoc, & subditorum tuorum indemnitati prouidens: & nihilominus periculis, in quæ ijdem tui ministri, te, ac regnum præfatum, quasi scienter ingerunt, prudenter occurreres. Cum autem sciamus adhuc huiusmodi non cessasse malitiam, sed eam inualescere potius, validorum clamorum frequentia inualecentium iugiter, & oppressionum, quas inibi cotidie tui officiales inculcant: & aggrauant, euidencia manifestet: nec nostra penes tuam excellentiam cessabit instantia: quo minus te ad soliditatem status tui, quam in his specialiter quarimus, & ipsius regni ordinatio verisimiliter pollicetur: & ad releuandas eiusdem regni pressuras, prout nostrum decet officium, inuitemus. Verum si forte id eo minus in his vana relatione quorūlibet, aut æmulorum suggestionibus forsitan arbitraris, regiæ serenitati consulimus, & sacro consilio suademus, ac nihilominus tuæ utilitatis obtentu, magnificentiam tuam requirimus, & hortamur, quatenus a religioso viro fratre A. de Rupe domorum ordinis militiæ Templi Hierosolymitani præceptore in Francia, quem nuper venientem de regno prædicto, potuit in multis oculata fides, in pluribus vero fama communis, ne infamiam dicamus, instruere, quem que non dubitas, tuæ prosperitatis, & famæ zelatorem de horribili desolatione regni eiusdem diligentius perconcteris. Miramur quidem, si tuis sæpe



sæpe non infonet auribus, quantus est ibi afflictorum gemitus, vlulatus, & clamor: quot, & quanta Ecclesiarum, & personarum ecclesiasticarum grauamina: quot oppressiones, non solum solutarum, sed etiam coniugatarum, & virginum, quot pauperum spoliationes: quot diuicum concussiones: quot iniuriæ: quot calamitiæ omnium: quot postremo deprædationes vndique: ac rapinæ. Profecto fili hæc nimis periculose dissimulas: nec sine multa indecentia, & tui detrimento nominis pateris prædictos officiales, & familiares eorum, in præfatos tuos subditos sic lasciuiendo sæuire: vt eis abundantibus de subditorum ipsorum iniurijs, tu per ipsos, tuis fraudatus iuribus, & odiosus reddaris omnibus: & propter ipsorum excessus, ea etiam in sua interdum conuertentium commoda: quæ intuam deberet utilitatem cedere, non solum vraris infamia, sed & paupertatis incommoditate premaris.

Quanto vero illa vehementiora, & grauiora, quæ ab eodem summo Pontifice Consentino Archiepiscopo inculantur: quum de eadem re, quanta potest contentione clamat, atque testatur?

Vbi ergo nunc ille tunc Cōsentinus Archiepiscopus, qui de cōpassione ad incolas regni Siciliæ, iugo, vt dicebat, Pharaonica seruitutis oppressos, quæfito colore, de animarum zelo, titulo vsurpato, non dubitauit sub vitæ discrimine, sub varijs mortis euentibus mundi lustrare climata: & ad eiusdem regni negotium excitare Franciam lacrimis, monere suspirijs, & gemitibus commouere? Tunc quidem defensorem gentis tuæ quærebas: nunc & nunc etiam peculiari tuo proposito, ad defensionem eominus positus, non assurgis contra eum, qui Regis vices, & regni gubernacula, quamquam vsurpator agebat. Laborare videbaris intrepidus: & nunc late contra latrunculos &c. Ita nempe euenit, vt tanto temporis interuallo, princeps alioqui maximus dignis remedijs incolumitati regni subueniendum non putauerit: & humanam sortem neglexerit.

Herbetus Aurelianensis Caroli Regis vicarius incertus, quod malum repentinum, externum, an intestinum regiam urbem inuasisset, vni longis nauibus adornatis Messana Panhormum nauigat: si qua auxilia tumultuantibus rebus afferri possent.

A. D. III. Id. Apr. Neapoli Carolus Rex initium defectionis a Panhormitanis ortum videns, ne Siculi omnes ad præsentem terrorem deficerent, atque arma caperent, Mamertinorum fidem obtestatur: dum affectis rebus accurrat: & ingenti comparata classe, opem ferat.

Cum Panhormitani, aliquot ciuitatibus adiunctis, quanto maxime poterat, cum tumultu aduersus Gallicam nationem pro re publica, ad arma decurrerent, A. D. V. K. Mai Nicolaum Copulam, & Raimundum Portellam Catalanum legatos ad Petrum Regem mittunt: deprecatores publicæ salutis, vt supplicent, Siciliæ regnum in sua tutela suscipiat: & ab impotenti dominatu vindicet. Eius virtuti, fidei, ac felicitati seque, remque publicam commendent. Quod delectus a Rege accuratior, quam ad domestica, aut propinqua bella haberetur, eiusque fama longinquis regionibus percrebuisse, A. D. XIII. K. Iun. Alexander Loëla, & Iohannes Carcoaxius Philippi Regis Francorum legati Regem Dertosa, iam nauim conscendere parantem commonent, vt Regem fratrem, atque amicum de molitione sua, bellicarumque rerum apparatu certiore reddat:

P & quam

AERA NAT. CHR.

MCCCXX, MCCLXXXII.

& quam nam expeditionē adornet. Fratris Regis opes, si sacrum bellū apparet, pollicentur. Iaciunt ad hæc, si ea classis aduersus Carolū Regem patrum, rerum nouarum causam quæreret, Regem existimaturum sibi, regnoque suo insignem iniuriam impositam. Rex præsentis animi consilio vsus, statim respondet: se summa ope, atque consilio operam daturum, ut id consequi possit, quo animum adiecerat: quod felix, faustumque Deus Opt. Max. verteret. Bellum enim suo consilio initum suis, suorumque viribus executurum. Dimissis legatis animo voluens, quanta sint in regno temporum momenta, cum amplam occasionem esset nactus, non illi animus, non vires, non denique consilium defuere. Illo ipso tempore Imperatoris Michaëlis Palæologi legati Regem conuenerant: de fœderibus inter se faciendis: contenduntque, uti Iolans Regis F. Andronico Imperatoris F. nubat. Res memoria digna in procinctu accidisse traditur. Nam cum Arnaldus Rogerius Palliariensis Comes secreto, procerum omnium nomine, ex Rege sciscitaretur quo arma descriptis ordinibus, atatibus, classibusque vertenda essent, percunctanti, atque executienti Rex ita respondisse fertur: se læquam manum abscissurum, si dextera consilia, motus, atque conatus exquirere, & perscrutari auderet.

A. D. I V. Non. Jun. Rex Alfonso F. natu maximum regno Aragoniæ, Barcinonensi Comitatu, & supremo, proprioque iure, & potestate Balearici regni, & Ruscinonensis, & Confluentinæ, ac Mompelleriæ ditionum donat: adfuereque scribendo Regis amici Petrus Queraltius, Gilbertus Cruillias, Iohannes Prochyta, Blascus Perezus Azlorius, & Bernardus Mompahonius.

Postera die idonea tempestate, ex portu Fangosio, ad Hiberi ostium solueis, in Magonis, Minoris Balearum insulæ portum classe appellit. Inde transmissus Alcollum Constantinienfis ditionis portum tenet. Exposito exercitu, decursionibus Constantiniensem agrum vastat. Regulis Africæ, & toti oræ maritime magnum terrorem, ac tumultum infert. Ductores nostri ad insignem laudem concurrunt maxime celebres, & præstâtissimi viri, Ermengaudus Vrgellitanus, & Arnaldus Rogerius Palliariensis Comes, Rudericus Simenius Luna, Petrus Queraltius, Simon Artieda, Pontius Ribellias, Petrus Ferdinandus Ixeritanus, Petrus Arnaldus Botonachius, Sanctius Antilionius, Bertrandus Belpucius, Blascus Alascia, & Gerardus Estorius. Inter omnes Arnaldi Rogerij Palliariensis Comitis virtus egregia eminuit: quem, cum ferro decerneretur, tragula transuerberatum Vrgellitanus Comes, & Bernardus, & Vitalis Sartiæ fratres præstanti virtute ab extremo pæne vitæ discrimine eripiunt.

A. D. X VI. K. Iul. Carolus Rex paucis diebus magno, & forti conducto exercitu, superbo selectu, duraque conquisitione collecto, ingenti classe fretum trajiciens Messanam castris circumfidet: & arcta obsidione oppugnat. Tam affectis Sicilia rebus, bello publico vniuersæ gentis tuendi solliciti erant: omniq; exercitu ex Africa ad id bellum auocato, Rex arma, classemque in Siciliam transfert: omnisque vis regiarum copiarum eo conuersa est.

A. D. II. K. Sept. classis Aragonia Drepanum appellitur. Panhormum transuecta, die tertio a Siculis Rex Siciliæ, dominusque, Rex Petrus constituitur: atque illi regnum sacramento defertur. Obsidionis initio Ma-

mertini

meritini cum supplices manus tenderent, & vt sibi ignosceretur a Rege Carolo, & Gerardo Parmensi S. Sabinæ Episcopo, sedis Apostolicæ legato postularēt, singulari Regis intolerantia, & contumacia reijciuntur. Re pæne iam desperata, ad peripicuum mortem se, suosque deuouent. Demum pertinacia Mamertinorū perspecta, quorum obstinatiores animos nulla vis potuit a repugnando depellere, Carolus Messana vehementer oppugnata, & summis obsidionis periculis liberata, de regni possessione pultus, magno dolore impeditus, quod iam parta victoria e manibus eriperetur, fretum transmittit.

Petrus Rex Randacio antea progressus, ne per vim oppugnari Messanam, se præsentē, diripiēte pateretur, subsidio festinans, prope vr̄bis muros caltra facit. A. D. VI. Non. Octob. in vr̄bem cum insigni laude recipitur.

P E T R V S A R A G O N I A E E T S I C I -  
L I A E R E X .

Carolus Regem, quod externum regnum dolo, ac fraude inuasisset, læsæ, ac proditæ fidei arcescit. Vt cum centeno equite ad certamen prodeat, ad pugnam prouocat. Rex delegati certaminis discrimen se subiturum spondet: quod fidem non fefellerit.

Iacobus Perezus Regis F. classi præficitur. A. D. II. Id. Octobris in Siciliensi freto classes regiæ confligunt: insignique victoria a nostris parta, Nicoterum oppidum irrumpunt: diripiuntq; . Quod Sanctius Alfonso Regem parentem a gubernaculis regni, & rerum publicarum imperio deiecisset, & bellum partium factione intestinum gereretur, senex ab omni dominatu pulsus ab Hispalensibus recipitur. Miser, atque egens fortunam suam deplorans, atque lamentans, cum Pont. Max. & piorum principum fidem, misericordiamque obtestaretur, a suis, & exteris destitutus Abeniuceffij opem implorat: & ab impio, & communi hoste principis maximi calamitas subleuatur. A. D. VI. Id. Nouemb. Hispali regali in folio sedens, frequentissimo populi conspectu, Sanctium dirarum obnuntiatione deuouet, & execratur: & iure regni priuat, tamquā impium, paricidam, & læsæ maiestatis conuictum: & qui a perenni, contestataque virtute maiorum degenerauerat. Nullum illustrius existat exemplum seueræ animaduersionis in filium, nō solum crudeliter ingratum, & summi beneficij immemorem, sed dignum qui impius cognominetur: quam ob rem merito iure ipsius læsæ sententiæ formulam adiungemus.

V T D E V V L T V D E I iudicium nostrū procedat, N O S A L F O N S V S , ,  
Dei gratia Castellæ, Legionis, Toleti, Sibilæ, Cordubæ, Murtiæ, Gienij, atque Algarbij Rex per præsens scriptum, ad notitiam præsentium, & , ,  
memoriam futurorum facimus omnibus manifestum: quod S A N C T I V S , ,  
filius noster maior nobis graues, & multiplices iniurias nequiter irrogauit. , ,  
Nam tractauit, & fecit coniurationem contra nos: & contra nostrum do- , ,  
minium in Cordubensi ciuitate existens cum Baronibus, ac religiosis qui- , ,  
busdam: videlicet cum Magistris ordinis Calatrauæ, & Vclesij: & cum , ,  
Priore Hospitalis: ac cum Commendatore Templi, vices, & locum tenen- , ,  
te Magistris Castellæ, & Legionis: nec non etiam cum aliquibus ciuibus. , ,  
In eodem etiam loco existentes, cum ad instantiam suam eidem cōcessum , ,  
fuisset a nobis, vt cum Rege Granatæ Sarraceno tractaret aliquam bonam , ,

AERA NAT. CHR.  
MCCCXX, MCCLXXXII.

„ viam treugæ, seu concordia, quæ in Dei seruitium, & terræ vtilitatem, ac  
 „ nostrum redundaret honorem, idem Sanctius cum dicto Sarraceno, & po-  
 „ steris suis amicitiam, & pacem iuramento, & instrumentis firmavit pepe-  
 „ tuam contra nos, & nostrum dominium: & pecunias, ac tributa a dicto Sar-  
 „ raceno nobis debita in semetipsum retorfit: in hoc contra nos proditiose,  
 „ ac falso procedens: eo quod nobis per suas scripsit litteras, quod ordinatū  
 „ erat inter ipsum, & dictum Regem Granatæ, quod ad nostram misericor-  
 „ diam veniens noster vassallus fieret: ac tributa certa nobis præstaret: con-  
 „ tra omnes huius mundi fideliter nos iuuando: & ad firmandum prædicta,  
 „ chartas albas, sigillo nostro sigillatas petijt sibi mitti: quas cum penes se ha-  
 „ buit, multa per eas operatus est redundantia in graue damnum nostri do-  
 „ minij, & honoris. Post hæc, cum sciuissemus eum de Corduba recessisse,  
 „ sollemnes nuntios ad eum misimus: vt ad præsentiam nostram apud Hi-  
 „ spalim accederet: volentes deliberare, ac prouidere cum ipsius, & aliorum  
 „ bonorum virorum consilio, qualiter terra Vandalia haberet milites fron-  
 „ tarios: & bellatores idoneos: & paratos ad tuitionem patriæ contra Sarrace-  
 „ norum Africae impetum: quem verisimiliter timebamus: & vt etiam per sa-  
 „ lubre ipsius, & aliorum consilium, corda hominum nostri dominij ad vni-  
 „ tatem, & tranquillitatem reduceremus: eo quod significatū nobis fuerat,  
 „ quod multi se reputabant grauatos a nobis. Responsio autem ipsius, per  
 „ suas litteras, & dictos nuntios nobis missa fuit: quod propositum suū erat,  
 „ ad Regna Castellæ, & Legionis accedere: pro sedandis, & tranquillandis  
 „ cordibus plurimorum: quæ in tantum erant commota, quod poterat inde  
 „ contra nos, & nostrum dominium graue dispendium prouenire. Ad tran-  
 „ quillitatem autem terra inducta, & cordibus hominum pacificatis, ad nos  
 „ rediret: facturus, & dicturus nostra beneplacita: quia paratus erat, nobis in  
 „ omnibus deseruire. Qua responsione data in dolo, prout postmodum rei  
 „ probauit euentus, iuit in Castellam per ciuitates, & per omnia loca popu-  
 „ losa: transiens vsque Burgos: conuocatis habitatoribus locorum, vbilibet  
 „ prædicabat: contra nos concitans populos: dicendo: quod nos foros, & li-  
 „ bertates, ac bonas consuetudines eis infregeramus: & collectis, ac varijs an-  
 „ garijs terra per nos destructa fuerat: sed ipse volebat eos reducere ad foros,  
 „ & libertates, & consuetudines: quas tempore Regis Ferrandi, & aliorum  
 „ Regum præcedentium habuerunt. Exegit etiam, & recepit ab eis iuramen-  
 „ tum, & homagia publice, quod cum eo tenerent: & iuuarent eū: & versa vi-  
 „ ce ipse se eis, per iuramenta, & homagia obligauit: quod eos defenderet: &  
 „ iuuaret: contra omnes homines huius mundi: & dabat, & concedebat eis  
 „ ex tunc foros, consuetudines, libertates, & priuilegia olim habita: & obten-  
 „ ta: & hoc eis seruaturum perpetuo se promisit. Prædicta autem omnia nõ  
 „ solum per se fecit dictus Sanctius, sed etiam per fratres suos: quibus char-  
 „ tas albas sigillatas sigillo suo tradidit: & sic omnes homines terræ nostri do-  
 „ minij per se, & alios concitauit. Nec omittendum censemus, quod dictus  
 „ Sanctius in suis prædicationibus, quibus cõtra nos populos concitabat, in  
 „ multis locis multa indigna contra nos euomuit: inter alia frequenter dicens  
 „ tam ipse, quam sui nuntij: REX INSANVS EST: ATQVE LEPRO-  
 „ SVS: ET IN MVLTIS FALSVS: ATQVE PERIVRVS: HOMI-  
 „ NES INTERFICIENS SINE CAVSA: QVEM ADMODVM  
 „ FREDERICVM, ET SIMONEM INTERFECIT. Dictis autem  
 iniquis

iniquis facta peruersa continuans inuasit, & vsurpauit sibi regnorum no-  
 strorū dominiū: ciuitates, alcassares, castra, fortalities: & villas occupans:  
 remouēdo iudices: & alcaldos nros: & officiales a suis officijs: ponens suos:  
 capiēns nostros homines familiares: & alumnos: tā clericos: quā laicos: ac  
 cursores: nec nō & nuntios nostros: vel ad nos vñdecūque veniētes: thesau-  
 ros nostros, pecunias, ac iocalia tā in Toletō, quā alibi, vñcūq; inuenit,  
 rapuit violēter. Multis etiā nostris familiaribus, seruatoribus, & alūnis, per  
 diuersas regnorum nostrorū partes, abstulit possessiones: & hereditates: &  
 bona etiā mobilia: quæ omnia alijs dedit: & in omnibus, in quibus nobis, &  
 nostris familiaribus, ac seruatoribus, & vassallis fidelibus potuit grauamen,  
 & displicentiā facere, nullatenus hoc omisit. Sciri etiā volumus, quod nos  
 audientes rumorē super præmissis, ex paterno affectu, a tanto eū reuocare  
 cupiētes errore, ad ipsum nūtiōs honorabiliores destinauimus: citando eū:  
 & vocando per nostras litteras: vt ad nostrā præsentiam veniret: & vt ea,  
 quæ agenda erant, opportunius, & cōmodius possent fieri, locū, quem secu-  
 riorē, & aptiorem, pensata negotiorū, & temporis qualitate, iudicauimus,  
 eidem assignauimus: Toletū videlicet: aut Villā regalem: seu quēcumque  
 alium locum eligeret: ad quē cum proceribus regnorū nostrorum, & cum  
 quibuscumq; vellet, accederet: quos ad bonū statū terrę ordinandū, vñiles,  
 & idoneos iudicaret. Nos enim parati eramus iuxta suum, & Prælatorū, ac  
 Baronū, & aliorū virorum bonorum consiliū, grauamina omnia, si qua  
 erant, penitus reuocare: & corrigere omnia corrigenda: & ad bonū statum,  
 pacem, & tranquillitatē reducere vniuersa. Sibi etiā, si in aliquo dubitaret,  
 quod honorem suū vellemus deminuere, securitatē præstaremus plenariā  
 talē, ac tantā, quod cor suū non deberet deinceps in aliquo vacillare. Præfa-  
 tus autē Sanctius his auditis, respōdit nuntijs supradictis, quod ipse nobis,  
 per suos certos nūtiōs respōderet: & dictos nros nuntios, ne redire possent  
 ad nos, secum detinuit violēter. Post hæc autē omnia, conceptā contra nos  
 malitiā occultare non valens, ambitionis ardore cæcatus, missis litteris, ac  
 nuntijs per totū nostrum dominium, Prælatos sæculares, ac religiosos, Ba-  
 rones, ac milites, ciues, & populares cōuocans ad Vallem Oleti, curiam ge-  
 neralem, si tamen debet dici curia, congregauit: in qua statim, per publicū  
 instrumentū homagjo, & iuramento vallatū, coniurationē cōtra nos, & no-  
 strum dominium prius factā in diuersis locis particulariter, tunc omnibus  
 ad nostrū dominium pertinentibus vniuersaliter innouauit. Quo facto ex-  
 ijs, qui erant in dicta curia, si tamen, vt dictum est, curia dici debet, plures  
 corripuit promissionibus: alios datis pecunijs, alios castris, villis, locis, here-  
 ditatibus, redditibus eisdem datis, & assignatis, in enormem regnorum no-  
 strorum lēSIONē atraxit: reliquos minis, & terroribus grauibus confregit: &  
 induxit: vt omnes, tam isti, quā illi contra nos, & contra nostrum dominiū  
 rebellarent: & in prædicta curia, nobis nō citato, non monito, non confes-  
 so, non conuicto pronūtiarificet, non a iudice, immo per hostes, & cōspira-  
 tores, quod nos deinceps non faceremus iustitiā: nec fortalicias teneremus:  
 nec pecunias, aut redditus aliquos ad regnū pertinentes reciperemus: nec  
 in castro, ciuitate, aut villa aliqua reciperemur: & vltorius, quantum potuit,  
 instituit per se, & suos familiares, ac complices, pro viribus laborando, quod  
 ipsum Regem, aut dominum Castellę, ac Legionis, & Vandalicę deinceps  
 nominarent: nos in omnibus exheredans: in se vsurpando honorē, & domi-  
 nium

AERA NAT. CHR.  
MCCCXX, MCCLXXXII.

niū non sibi debitū: quod nobis rapit: & rapuit violētē: & vt ex supradictis patet, etiam fraudulenter. Ad cumulū autē malorū omniū, non solum est vitæ nostræ insidiatus, sed etiā contra nos se potenter armavit. Nam de liberato cōsilio, & per suos familiares, & cōplices publicato, adeo quod ad notitiā, non solū præsentiū, sed etiā multorū absentiu longe, lateq; peruenit, de Castella Cordubā veniens, vt nos caperet, cōgregauit, & cōuocauit concilia de Giennio, & Beatia, & Vbeta: nec nō de Anduiar: vt simul cum eis, ac Cordubensibus accederet hostiliter cōtra Hispalim: vt ibidē nos caperet mala, & impia captione: & in hoc conatū tantum ostēdit, quod esset merito parricida cēsendus. Sed hūc tā crudelē conatū ipsius Dominus impediuit: a ciuibus Hispalēsis, & alijs nostris fidelibus, nec nō etiā, quod dictū mirabile est, nostris, & nostræ fidei hostibus ad defensionē nostram præstādo auxiliū opportunū. Et cū Sanctius cōceptionē impiā cōtra nos explere nō posset, prout potuit, deuastauit: & ibidē plures homines interfecit. Ad ciuitatē vero Cordubēsem rediens, eā cōtra nos claufam tenuit: & muniuit: & cū nuper nos illuc personaliter accessissem⁹, ad ciuitatē appropinquantes, extēso, & explicatō vexillo nostro Regali, ipso Sāctio audiente, ex nostra parte clamātū est, vt nos in ciuitate ipsa reciperēt: & tam ipse, quā loci illius habitatores hoc facere recularunt: quin immo fuit cōtra vexillū nostrū sagitta missa. **I G I T V R** cum prædictus Sanctius præmissas graues iniurias, ac multas alias, quas longū esset scribere, vel referre, timore diuino postposito, ac paterna reuerētia penitus abiecta, nobis irreuerenter intulit, ipsum paternā maledictione dignissimū, a Deo reprobātū, & ab hominibus merito reprobādū maledicimus: & sit deinceps maledictioni diuinæ, & humanæ subiectus: & eūdē nobis rebellē, inobediētē, & cōtumacē, tā quā ingrātū, immo ingratisimū filiū, sic degenerē exheredamus: & omnī iure successionis, quod ei cōpetebat in Regnis nostris, dominijs, ac terris, honoribus, & dignitatibus, vel quibuscūque rebus alijs, ad nos quoquo modo spectātibus ipsum priuamus: & vt, nec ipse, nec aliquis pro eo, vel descēdēs ab eo in posterū, in aliquo nobis succedere possit, sentēcialiter cōdēnamus. Hāc autē irrefragabilē sententiā in præsētia festiū infrascriptorū, & multorū aliorū latā mandamus sigilli nostri appensione muniri. Actū est Octauo die mensis Nouēbris intrātis Anno Domini Millesimo ccc. xxx. ii. secundo: in Palatio Hispalēsis ciuitatis prædicto domino Rege sedēte pro tribunali. Præsētib⁹ domino Raimūdo Archiepō Hispalēsi, dōno Suggestio Epō Gadicensi, fratre Ademaro electo Abulensi, Pelagio Petri Abbate Valleoletano, Petro Petri Archidiacono Hispalēsi &c. dōno Martino Egidij de Portugallia, Suggestio Petri de Baruosa, dōno Iohāne de Auoyne, Gūdisaluo Ferrandi nūtiō Regis Portugallia, Dominico Petri Cācellario Regina Portugallia, Iohanne Raimundi Maiordomo eiusdem Regina, Tellio Guterrij Iusticia domus Regis, Petro Garfia de Harroniz, Garfia Gaufridi de Loaysa, Petro Roderici de Villiegas, Ferrando Aluari Potestad, Ferrando Martini Curutello, Aria Martini de Roureda, Roderico Stephani maiori Iudice ciuitatis Hispalensis, Didaco Alfonfi curiæ domini Regis Iudice, Gomezio Petri Alguazillo maiori ciuitatis Hispalēsis &c. & astante alia cleri, militum, ciuium, & populi magna multitudine.

Martinus P. M. Monteflascione A. D. V. Id. Nou. pro xde D. Fabiani Cardinalium collegio assidente, Petrum Aragonium exsecratum, sacris interdi-

interdictum esse attestatur: & eos, qui eius arma sequantur, eandem noxam sustinere. Siculos omnes, qui a suo Rege defecerat, eadem dirarum imprecatione detestatur. Inimicum, atque Ecclesie hostem Regem denuntiat: neque Regi modo, sed eius regnis sacris interdicatur.

ABRA NAT. CHR.  
MCCCXX, MCCLXXXII.

Exitu prope anni Regi, cum Carolo conuenit, uti in terra Aquitania, quae in ditione, ac potestate Anglie Regis erat, Burdigalensiumque finibus, in certamen cetero equito comitati deueniant. Kalendae proximae Iuniae di scrimini eius pugnae constituta Bertrado Canellia Catalano, & Reginaldo Lemouici Mamertino, & Simone Artieda Regis legatis de ea re transigentibus: deciditibusque; & iudicio XII. virorum dies, & locus constituitur conferenda pugnae. VI. Galli fuere: totidem quae ex nostris: Iordanis Insula, Iohannes Vicecomes Teblaius, Iacobus Bufonus, Eustachius Ardicurtius, Iohannes Nisius, & Egidius Salsius: Guilielmus Castelnouius, Rudericus Simenius Luna, quae Rex Ennae, & Galliani arcibus praefecerat: Petrus Queralius, Simon Artieda, Rodolfus Emmanuel Drepanitanus, & Reginaldus Lemouix. Quadrageni vero primarij viri sacramento obstringunt, se daturos opera, ut leges regibus ad id certamen deuenturis indictae obseruentur: alioqui vter eorum Regum legibus non paruerit, is infamis, periurus, exlex, intestabilis, & regio nomine indignus censetur. Ex nostris inter XII. viros deliguntur sex iudices loci, & temporis designandi a Rege dati: & reliqui adiunguntur: Palliariensis, & Vrgellitanus Comites, Petrus Ferdinandus Ixeritanus Regis frater, Iacobus Perezus Regis F. quae Rex socium obeundo certamini delegerat: & classibus Rogerium Lauriam praefecerat, Lupus Ferrencius Luna, Potius Ribellias, Sanctius Antilionius, Petrus Arnaldus Botonachius, Alaimus Leontinus Magister iudiciarius regni Siciliae, Balduinus Intemellus Isclae Maioris Comes, Fredericus Musca Modicensis Comes, Orlandus Appellius, Gualterius Calatagironius, Bernardus Rogerius Erius, Rogerius Lauria, qui classi praerant, Lupus Ferrencius Atrosilius, Bernardus Mompahonius, Petrus Garcesius Nuezius, Bertradius Belpucius, Guilielmus Bellera, Garcias Garcesius Arazurius, Simon Lopezius Embunius, Raimundus Molina, Simon Azlorius, Blascus Maza Ganalurius, Egidius Rudericius Montuenga, Garcias Arnaldus Cilius, Berregarius Offigatus, Bertradius Villafranca, Raimundus Cortada, Iacobus Oblitas, Geraldus Azconius, Stephanus Nunnius, & Blascus Alascia. Omnes sponderrant a sui se Regis imperio, & nomine, ac dignitate defecturos, si dictis legibus non permanisset. His constitutis Rex acer in rebus gerendis bellum instruit: & in Bruttios infert: ac Rudericum Simenium Lunam cum quattuor navibus longis in Catalonia praemittit: ut Constantia Regina cum Iacobo, & Frederico, & Iolante liberis in Sicilia deuehatur. Regina vero eo consilio accessit; ut se bellis implicito, summa rerum Siculo in regno praeficiatur.

Huius anni principia statim ingenti bello exarsere. Multi per eos dies motus, multique impetus hinc, atque illinc acti. Rex Siciliensis frero transmissio Bruttis bellum infert. A. D. XVL. K. Mart. Rhegini urbem dedunt. Motta, S. Nociti, & S. Agathae arces, Pentadactylos, atque Hieracium idem consilium sequuntur. Raimundus Baucius hostilium copiarum ductor primarius a veteranis militibus Gurusanae interclusus, & circumfessus interimitur. In Semenaram nostri oppugnatione irrumpunt: spectata, & nobilitata virtute Petri Peretalladae Gilaberti. Cruilliae filij

MCCCXXI. MCCLXXXIII.

ÆRA NAT. CHR.  
MCCCXXI. MCLXXXIII.

ex amicis Regis viri magni consilij: primusque filius in urbem irruperat.

A. D. XII. K. Apr. Martinus P. M. Vrbe veteri, de Collegij sententia, Petri Aragoniū, vti Ecclesiæ subditiciū, & perduellionis conuictū regno, ac ditionibus omnibus multat: & Catholicis Principibus occupandas exponit. Præterea Eduardo Angliæ Regi interdicat, ne Siciliæ, & Aragoniæ Reges Vasconiæ fines ingredi patiat: aut sui præsentis copiā faciat: locūve certamini bellico destinet: aut regni vicarios ministeriū aliq̄ adhibere permittat: q̄ pactiōne certaminis obeūdi a Siciliæ Rege factā, irritā Pōtifex ipse fecisset. Litteræ ipsæ Pōtificiæ dignæ visæ sunt, quæ hoc in loco, apponantur.

» MARTINVS Episcopus seruus seruorum Dei, E. Regi Angliæ illustri.  
» Decet excellentiam regiam, & salutem tuam nihilominus congruit, quod in  
» te semper vigeat sic ordinatus affectus, vt animum libenter ad promouen-  
» da Christi negotia dirigas: tranquillitatem publicam votiue promoueas:  
» desideranter horum impedimenta præpedias: & prout ex alto concedi-  
» tur, incrementa procures. Ideoque cōventiones multa indecentia plenas,  
» & temeritate non vacuas, reprobas quidem, & merito reprobandas inter  
» carissimū in Christo filium nostrum Carolum Illustrem Siciliæ Regem,  
» & Petrum, exigentibus suis excessibus, per sedem Apostolicam vinculo  
» excommunicationis astrictum, quondam Aragonum Regem, non absque ni-  
» mia animositate inordinatione habitas, circa quod ambo, cuilibet eorum  
» comitiua centum militum assistente, ad illud concurrāt, altrinfecus in si-  
» mul confligant, celsitudini Regiæ confidenter exponimus: & vt tibi earū  
» qualitas plenius pateat, sub bulla nostra, ipsarum, de verbo ad verbum se-  
» riem, prout eam a memorato Siciliæ Rege recepimus, destinamus. Ex qua  
» rum inspectione manifeste circumspēctio regalis aduertet, quantum sint  
» conuēctōnes eadem obuiæ Crucifixi negotijs, & præcipuæ terræ sanctæ:  
» quantumq; toti Christianitati damnosæ: cum illarum profecutio, non so-  
» lum memoratum Regem, ab eisdem negotijs, & ipsius Christianitatis pro-  
» mouendis vtilitatibus abstrahat, sed & alios Principes, & magnates cete-  
» rosque fideles, qui circa profecutionem eandem in se, vel in suis occupan-  
» tur, auertat: & proinde manifesto exponatur terra præfata discrimini: dū  
» eius subsidium, multis excogitatum vigilijs, multisque sumptibus, & labo-  
» ribus præparatum damnabiliter impeditur. Nec minus attendere poterit  
» eiusdem tuæ circumspēctionis industria, quā periculosa potest inter Chri-  
» sticolos, ex profecutione huiusmodi excitari cōmotio: quantaq; illis, cor-  
» porum, & animarū pericula ingeri: ac quantum nobis, Ecclesiæ, tibi, cun-  
» ctisq; Catholicis, quibus est eis quomodolibet obuiare possibile, posset a  
» Deo, & hominibus negligētia imputari: ad quantā notam adscribi, si talia  
» præcedere pateremur? Propter quæ, nec nō & alia, nō facile numerāda dis-  
» crimina, quæ dictarū conuentionū executio, Christiani proculdubio pro-  
» digia sanguinis, animarū inimica salutem, publicæq; pacis æmula, & quietis  
» verisimiliter cōminatur, nos illis prōptis remedijs ob stare volentes, pro-  
» missionē factā a memorato Rege Siciliæ, super dictis conuentionibus ob-  
» seruandis profus illicitam, vt pote rem prohibitam expressius continen-  
» tem, cum non solum in principibus, similibusque personis, sed etiam in  
» priuatis duellum non sit ab Ecclesia tolerandum: reprobendam, irritan-  
» damque duximus, & penitus vacuandam, & iuramentum super eis præ-  
» stitum, non solum temerariū declarantes, sed & carere viribus: ipsumque  
» Regem



Regem Siciliae ad illorum decernentes obseruantiam non teneri: Absol-  
uendo eum nihilominus ab eisdem, quatenus processerunt de facto, sibi  
districte praecipimus: vt a prosecutione promissorum, & iuratorum tali-  
ter prorsus abstineat, & omnino desistat: eidem nihilominus sub poena ex-  
communicationis, & comminationis processus cuiuslibet, quam contra eum  
quomodolibet habere posset Ecclesia, ne ad executionem tam damnati  
certaminis, tam nefandi procedat: & vniuersis, & singulis Christi fide-  
libus, ne illa sibi prosequenda suadeant: neue consilio, auxilio, vel fauore in  
illis prosequendis assistant, districtius inhibendo. Cum itaque impeden-  
di tam detestabilia, tam nociua tibi sit in promptu facultas, pro eo, quod  
sicut earundem conuentionum docet inspectio, loci determinatio ad hu-  
iusmodi conflictus exercitium deputandi, de arbitrio tuo dependet, & se-  
cundum earundem conuentionum tenorem, idem conflictus, nouo eo-  
rundem Siciliae, & olim Aragonum Regum non interueniente consen-  
su, absque tua praesentia non procedit: expedit, vt ad id te promptu exhi-  
beas: solers, & operosus occurras, ne si, quod absit, perturbare tam peruer-  
sa negligeres, ea fouere, non immerito censeris: sicque poenae, & commi-  
nationis adiectae in praemissa nostra prohibitione periculum, vt decet tam  
Catholicum principem, non vitares. Quocirca serenitatem regiam mo-  
nentes, rogantes, & hortantes, ac obsecrantes in Domino nostro Iesu Chri-  
sto, & per asperionem sui pretiosi sanguinis obtestantes, & nihilominus  
in remissionem tibi peccatorum iniungentes: quatenus conflictum hu-  
iusmodi tam detestabilem, tam horrendum, eiusque praeparatoria omni-  
studio, quo potes, impediatur: dictorum Siciliae, & quondam Aragonum  
Regum aduentum ad ciuitatem Burdegalensem, eiusque territorium, quin  
etiam ad partem quamcunque Vasconiae, omni quo poteris remedio pra-  
epeditiois impediatur: apertius interdicas: tuam nihilominus in his praesen-  
tiam denegando: & tuis insuper in partibus illis vicarijs, & officialibus a-  
crius iniungendo, ne praedictorum Regum guadiam recipere, vel ad di-  
ctum locum deputare certamen, aut aliquod aliud in his ministerium exhi-  
bere praesumas: super quibus eis omnem penitus adimas potestatem. Nos  
enim ad tam perniciofa, tam noxia omnimodis euitanda, ne dictos Sici-  
liae, ac dudum Aragonum Reges ciuitatem eandem, seu quamuis, vt pra-  
edicitur, Vasconiae partem, ad haec ingredi patiaris, neue in his, tuae praesen-  
tiae copiam facias, aut promittas, seu locum saepe fato certamini de-  
putes, aut dictos tuos in eisdem partibus vicarios, siue officiales, in his aliquod  
ministerium exhibere permittas, districte subiicimus prohibitionis edi-  
cto: ac illa omnia, & singula, quantumcumque in alijs, regio intendimus  
honoris deferre, tibi, & eis, sub poena excommunicationis expressius inhibe-  
mus: sub eadem poena mandantes: vt si ad horum aliquod est processum,  
illud studeas cum celeritate, qua poteris, reuocare. Et nihilominus dile-  
ctum filium nostrum, tituli Sanctae Caeciliae presbyterum Cardinalem,  
virum utiq; grandi scientia praeditum, prudentia, & morum honestate deco-  
rum, quem suae probitatis obtentu, grandi affectione prosequimur, cuiusque  
consilij te in his adquietere rogamus, & petimus, ad id inter cetera desti-  
namus: vt tam te, quam praedictos vicarios, & officiales tuos, per se, si facul-  
tas adfuerit, per suos nuntios, vel litteras efficaciter moneat, & inducat ad  
parendum praemissis Apostolicis monitionibus, inhibitionibus, & mandatis.

Alioquin

ÆRA NAT. CHR.  
MCCCXXI. MccLXXXIII.

„ Alioquin per excommunicationis in personas, & interdicti sententias, si opus fuerit, in regnum tuum, & alias tuas, ac eorundem vicariorum, & officialium terras, Apostolica, prout expedire viderit, auctoritate compellat. „ Non obstantibus aliquibus priuilegijs, vel indulgentijs tibi, vel eidem vicarijs, siue officialibus, sub quacūq; verborum forma, seu expressione cōcessis: quod tu, vel ijdem vicarij, & officiales excommunicari, vel interdicti non possitis: aut eadem regnum, & terræ nequeant ecclesiastico interdicto supponi, per litteras Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, seu de verbo ad verbum de priuilegijs, & indulgentijs huiusmodi, siue obtinentium eadem, nominibus mentionem: & qualibet alia eiusdem sedis indulgētia cuiuscunq; formæ, vel tenoris existat: per quam præsentibus non expressam, aut totaliter non insertam, effectus earū quomodolibet impediri valeat, vel differri. Dat. apud Urbem veterē Non. Aprilis.

A. D. II. Id. Apr. Petrus Aierbius Regis frater cum copijs militibus Aragonensium, & Catalanorum nauigans, in Siciliam appellit. Aliquot oppida præfidijs confirmat.

A. D. X. K. Mai. Constantia Aragoniæ Regina cum Iacobo, Frederico, ac Iolante liberis, quasi dijudicata iam belli fortuna, Messanam deuehitur: Alfonso vetustissimo liberorum, & Petro natu minimo ad tutelam Aragoniæ regni relictis.

Iacobus Regis F. Panhormi a Siculis, vti Siculi regni heres, atque successor iurisiurandi religione adsciscitur. Rex consiliarios Regiæ de summa rerum amicissimos, & maxime strenuos viros adiungit Guilielmum Galcerandum Catalanum generis nobilitate præstantem, quem regni vicarium præficit: & Catancarij comitatu, & militia auctoramēto cohonestat: quo neque fortiorem, neque præstantiorē virum illa ætas tulit: Alaimum Leontinum, regni Iustitiarium, vtivocant Magistrum: Johannē Prochytam, & Rogerium Lauriam. Alaimum, qui asserendæ a Gallico domū natu Siciliæ princeps pæne, & auctor consilia versauerat, oppidis, atque arcibus Bucheræ, Palatioli, & Odegrilli donat: & tamquā pignora fidei, & consensu, ac societatis consiliorum, & voluntatum, & iustæ, veræque amicitia equum, hastam, & gladium, galeam, & scutum, quibus in prælijs vti assueuerat, tradit: & summam rerum administrandam committit.

Rex ita rem nauticam constituerat, vt xxv. nauium longarum classis conficeretur: cui Rogerium Lauriam, regia aula Manfredi educatum præfecerat. Singulis nauibus bini gubernatores, vnus Catalanæ nationis, alter Italicus admouentur: & quaterni Catalani nauarchi, & totidem externi adiunguntur. Pari ratione nautæ, qui proræ assident, administrant. Remiges omnes Itali erant: sagittarij vero Catalani. Milites reliqui omnes ex Hispano delectu scribuntur. Ea condicione omnes naues in posterum instrui edicit.

Gualterius Calatagironus res novas in Sicilia molitur: & conspiratio ab eo conflata, Gualterio, & ijs qui eius coniurationis participes fuerant, captis, & summo supplicio affectis, celeriter restincta est.

A. D. V. Id. Mai Rex IIII. longis nauibus, & lembo quibus Raimundum Marquetium, & Berengariū Maiolium ductores præfecerat, portu Drepanitano soluens, præteruectus ex alto ad Sucronis Gradū, Cullaris vocant, A. D. XVII. K. Jun. appellit. Postero die Valentia contendit.

Alfonfus

Alfonſus Regis E. qui in procuratione erat regni, ſtrenuos maxime ex procerum nobilitate, & virtute præſtantes viros, cogit: ex quibus ij deligi poſſent, qui in Burdigalenſi certamine cum Rege confocietur. Res adeo fuit præclara ad gloriam capellendam, vt delectorum eorum virorum nomina in maxima laude ſint ponenda: quod magni intereſſe ad decus, & ornamentum regni iudico: tot primarijs viris nomine, & memoria dignis, ad pulcherrimum, & præclariffimum facinus ſelectis. Qui Ilerdæ Regem præſtolari iuſſi ſunt, ij fuere: Pontius Hugo Comes Emporitani, Dalma- tius Roccabertinius, Bernardus Centilias, & Aimericus, & Gilabertus Centilia: eius filij, Raimundus Moncada, qui Fragæ, & Raimundus Moncada, qui Albalatis dominabantur: Petrus Moncada, Guilielmus Peralta, Raimundus Villamurius, Arnaldus Corſaius, Bernardus Hugo Serralonga, Iazbertus Caſtellinoui, Geraldus Ceruia, Põcius Sanctapacius, Berengarius Vriõlius, Arnaldus Guilielmus Cartia, Arnaldus Villademanius, Raimundus Capraria, Geraldus Ceruilionius, Berengarius Entenza, Alaritanus Ceruilionius, Berengarius Pucuertius, Guilielmus Angleſola, Bernardus, & Galcerandus Angleſolæ, Raimundiolus, & Raimundus Angleſolæ, Raimundus Ceruera, Marcus S. Eugeniæ, Iacobus Beſora, Guilielmus Caulerius, Arnaldus Foxanus, Raimundus Folchius, Raimundus Rogerius, Galcerandus Pinofius, Raimundus Durgius, Guilielmus Raimundus Ioffa, Berengarius Montſenius, Guilielmus Almenara, Raimundus Alamanus, Gerardus Aquilonius, Petramola, & Iacobus Petramola, Bernardus Mauleb, Petrus Metas, Bernardus Speſius, Guilielmus S. Vincentij, Acartius Murius, & Gombaldus Beneuentanus. Conſtituerat Alfonſus Regis E. cum proceribus Aragoniæ, & reliquis, quos ex Aragonia nobilitate, & iuuentute delegerat, quo die Oſcæ Regi in Galliam feſtinanti præſto eſſent: adfuereq; & præſtantes in primis proceres, & primarij viri Simon Vtrea, Petrus Cornelius, Artallus Alagon, Guilielmus Podius, Petrus Iordaniſ ex Penna, Martinus Leheus, Lupus Simeniſ Agoniſ, & Simon Garcelius Agoniſ, Garciaſ Lazaſius, Rudericus Sanctus Pomariſ, Petrus Pomariſ, Gonzalvus Lupius Pomariſ, Rudericus Gonzalviſ Pomariſ, & Simon Gonzalviſ Pomariſ, Petrus S. Vincentij, Gonzalvus Vera ex Faiſi, & Garciaſ Marthaus eius E. Didaeus, Garciaſ Vera, Garciaſ Lupius, & Simon Perezius Turiaſonenſes, Petrus Momezius, Martinus Simeniſ Agoniſ, Blaſcus Maza ex Cellis, Egidius Atroſſilius, Guilielmus Caſtellinoui, Lupus Guilielmus Oteicia, Aznariſ ex Oſſera, Petrus Martinus Artallona, Fortunius Daheius, Garciaſ Perezius Lamiſ, Gonzalviſ Vergua, Gaſto Caſtellocius, Petrus Iordaniſ ex Alcolea, Blaſcus Horta, Iohannes Martidiſ, Dandueſius, Iohannes Perezius Ahoneſius, Petrus Alamanus ex Gradibus, Aznarſus Rada, Rudericus Simeniſ Luna, & Artallus Luna Lupi Ferrenciſ Luna. E. T. 821.

Rex mutatis ad celeritate iumentis, comitato trium ex intimis, comutata perſona, nocte, diſq; itinere non intermiſſo, ad Burdigalæ muros ſe ſi- ſit. Comites vetuſto quodã monumẽto fuiſſe cõperio Blaſcum Alagonẽ Attalli fratrem, Bernardũ Peratalladã, & Conradum Lanzam? Raimundus tamen Montanerius, & Bernardus Dezelotius eiufdem ætatis ſcriptores vnius Peratalladæ meminere: & vetuſtus quidã earum rerum ſcriptor Siculus fuiſſe cõmemorat Simonem Vtream, Gilabertum Cuthilliam, & Peratalladã

AERA NAT. CHR.  
MCCCXXI. MCCLXXXIII.

Peratalladam Gilaberti F. Omnes tamen consentiunt trium tantum procerum comitatu perceleri cursu eam viam in Aquitaniam perrexisse: & Dominicum Ficariam tamquam totius comitatus herum Regi, ac proceribus fuisse adiunctum: hominem in terra Gallia notum, atque testatum, utpote qui venaliorum equorum in Galliam transmittendorum domesticum mercatum instituisset. Hunc Montanerius Casaraugustanum, at rerum Aragonensium vetus scriptor, & is qui res gestas Alfonsi Castellæ Regis composuit, Calataubiensem ciuem fuisse commemorat. Cum nulus Carolus hostis, aut Angliæ Rex adesset, quod Pötifex detestabile certamen sacro interdicto veruisset, Rex præsentiam suam Iohanni Greilio Aquitanix Præsidi, Senescallum vocabant, denuntiat. Quasi pignora præstitæ fidei galeam, scutum, hastam, & gladium Præsidi tradit: & cõfestim alio iter faciens, Baiona in Aragoniam reuertitur.

Illo ipso tempore, quo Rex in Galliam perrexerat Turiasone Sãctius Regis Castellæ F. illi occurrit: quod Iacobus Sãctij frater, Iohãnes Nunnus Lara, & Iohannes Alfonsus Pharenis in Nauarræ regno militares copias cogeret: ut illius regni procuratori adiuncti Pharenis, & Lucromienses fines aduersus Castellæ Regem, & Sãctiũ eius F. quãtum multo osissime adorireretur. Rex Turiasone reuersus, Lupo Garcia Salazari, & Michaëli Lupazio Luparij r. c. legatis cõmittit, ut Iohannẽ Nunnũ Larẽsem prouocet: bellumq; illi indicant: quod aduersus Castellæ Regem, & Sãctiũ sororis F. res nouas moliretur. Edicit præterea Martino Romæo Vera Prætori Calataubiensi, & Darocensi, ac Turolensi Prætoribus, ut Larensi, & Albarraciniensibus ciuibus, quod ea vrbs Larensi, tamquã Theretia Azagra eius vxoris doti attributa pareret, commeatu publicos, & priuatos prohiberet: ut suscepto cum Larensi bello a commeatu, & reliquis copijs intercluderetur. Vndique bellum apparatur: & domesticis copijs instruitur: non ad Larenis tantũ perniciem: sed ut Nauarræ inferri posset: quod Philippus Gallia Rex, & Regis affinis qui Nauarræ regni potiretur, inimicus, & hostis esset. Primarij duo Nauarræ proceres Garcias Almorabidus, & Iohannes Gonzaluis Baztanus a Philippo Rege deficiunt: ac suas opes, operamque Regi pollicentur: & Vela Nunnus Gueuara ex primarijs itidem proceribus Nauarræ, & complures alij ex eo regno antea se Regi addixerant: quod Gallia Rex, Henrico Nauarræ Rege mortuo, eius ditionis iura, atque arces inuasisset: & Eustachium Belmachium hominem Gallum moderatorem, & ducem Nauarræ regno præfecisset: ac Pompeionenses ob eam rem, & aliquot regni ciuitates maximas turbas facerent.

A. D. VI. Id. Iun. Rogerius Lauria Regiæ classis præfectus Gaulis progressus nauali pugna cum classe Caroli ad Melitam insulam dimicans, in signi laude victoriæ x. hostilium longarum nauium potitur.

Rege Turiasone adsidente, dum fines tueri, & Sãctio sororis F. optulari, & subuenire studet, copiæ haud exiguæ Regis Francorum Sanguessæ finibus, Nauarræ adiunctis incurstantes, continentes agros depopulantur. Lerdam, Vllum, & Fileram oppida vastant: atque diripiunt. Cum Vllum Simon Artieda fortis in primis, & strenuus vir, qui oppido dominabatur, propugnandum suscepisset, in hostium potestatem venit: & in Narbonensem Tolosæ vrbs arcem contruditur. Hostes inde ad Pinzanam vallem penetrantes Bailium, atque Arbuesium agrum inflãmante & vallem

& vallem, quam Arago amnis interfecat, transgredientes Verdunum vsque perueniunt: Saluateraque oppido potiti arcem exaedificant: aggeraque, ac praesidio muniunt.

Cum foedus inter Eduardum Angliae, & Petrum Aragoniae Reges patitione connubij Alfonsi Aragoniae Regis filij primigenij, & Leonorae Angliae Regis factum esset, Pontifex Vrbeueteri Non. Iul. ab ea consociatione Anglum auertere nititur: incestaque eas nuptias, & illicitum contubernium, non legitimum coniugium fore praedicat: quod Leonora Regina Eduardi Regis mater, Amadei Sabaudiae Comitis soror fuisset: & Amadei Manfredi Regis foceri Alfonsus pronepos esset. Seueris praeterea commonitionibus Eduardum cohortatur, ne cum Petro Ecclesiae hoste, & perduelli affinitate se se deuinciat: grauiusque, & vehementius, nisi paruerit, minuitur.

### GENERALIS ARAGONIAE VNIO ATQVE COITIO.

Rege Turiafone conuentum celebrante, cum tam necessario tempore, tam propinquis hostibus, a suis non modo non subleuaretur, sed graues, & assiduae querele iactarentur, easque proceres, ac populi deplorarent, quotidianisque precibus nihil se proficere viderent, inter se fidem, ac iusiurandum dant: libertatis retinendae, atque tuendae causa. Primarij ex proceribus viri eo in conuentu adfuerunt Simon Vrrea maior, Petrus Ferdinandus Ixeritanus, & Petrus, qui Aierbij dominabatur Regis fratres, Petrus Cornelius, Artallus Alagon, Lupus Ferrencius Luna, Atho Focius, Sanctius Antalionus, Gombaldus Beneuentanus, & Simon Vrrea minor. Hos adfectantur viri Regia domo educati Lupus Guilielmus Oteicia, Petrus Iordanis Penna, Gombaldus Tramacetius, Egidius Vidaurius, Petrus Garceus Nuezius: compluresque alij genere praestantes. Nisi Rex patrijs legibus, & institutis, aut Alfonsus eius F. obtemperandum duxerint, se ab eorum imperio defecturos pollicentur: & omnes bello persequuturos, qui ad eam rationem non adhaerescerent. In tam turbido, concitatoque animorum motu Rex conuentum transfert: Caesaraugustamque indicit. Tanta vniuersi regni consensio fuit libertatis vindicandae, vt neque beneficijs, neque regiae amicitiae memoria ab instituta coitione remouerentur: ea illata causa, ne iure, & legibus commutatis, regijs satellitibus subiecti perpetua seruitute premerentur. Ad externum, longinquum, & propinquum bellum tumultu domestico collato, tumultuantibus proceribus Rex Caesaraugustano in conuentu A. D. V. Non. Octob. priuilegium, quod generale vocant, Aragonensibus sancit: quo in pristinum statum intermissa libertas vindicatur: vetusti mores patrij, atque instituta maiorum regno consentanea, non modo reuocantur, sed leges, quibus ipsi etiam Reges obtemperant, sanciantur. Cum grauis offensio a ciuitatibus in Regem concitaretur, quod sale inuecto promiscue vti vetuisset, salis commercium dedit. Sic compositis rebus, proceres hortari non desinit, ciuiles iras in exitium hostibus vertant.

Coitio procerum, atque populorum Aragonensium libertatis tuendae causa, Vnionem appellauere, seditiose, ac populariter stabilitur: addita licentia, quoquo vellent, populum compellendi. Neque initium repentini tumultus ciuitatum coactu, sed procerum, quorum nimia potentia, atque

Q auctori-

ANNA NAT. CHR.  
MCCCXXI. MCCLXXXIII.

auſtoritas erat, coortum eſt. Pacta iureiurando inter ſe confirmant: obſidi-  
buſq; cauent. Societate, ac ſœdere, quos poſſunt, adiungunt, deuinciuntq;  
illata, atque interpoſita cauſa, quod de recuperanda communi libertate, cõ-  
mune regni conſilium in initum eſſet: & celeriora, quam tutiora conſilia, Re-  
ge tot bellis implicato, atque diſtento præferuntur. Tum enim primum re-  
perta ſunt, quæ per tot annos rem publicam peſſum dedere. Rex Petrum  
Martinium Artallonam Iuſtitia præfectum reiectione interpoſita, tam-  
quam ſuſpectum, & inſenſum iudicem perhorreſcit.

MCCCXXII. MCCLXXXIV.

Menſe Ianuario, Catalanis proceribus turbantibus, cum de recuperanda  
itaſdem communi libertate Barcinone conueniſſent, conſiliaque inſent,  
morum vetuſtorum ſtatuta atque ſcita, Vſatica vocant, Rex aſſenſione, at-  
que auſtoritate ſua confirmat. Cum Rex militares copias in Catalonia co-  
gi imperaſſet, & in Nauarram profecturas aſſereret, a Coitionis cõcilio ad  
Regem cum procuratoribus ciuitatum legantur Lupus Ferrencius Luna,  
Atho Focius, Lupus Gurrea, & Petrus Garceſius Nuezius: qui Regi, & Al-  
fonſo eius primigenio denuntient, ſe non permiſſuros, vt externa, & ad-  
uenticia copia in Aragonia regnum traducantur. Ea legatione Regi Ille-  
da A. D. XIII. K. Apr. renuntiata, adeo ſe lenem, & facilem præbuit,  
vt non modo cum legatis nihil de ea re expoſtalet, ſed recipiat, pollicea-  
turque ſe Caſarauguſtam aduenturum: & daturum operam, vt omnium  
querellæ, quæ apud Coitionis ordines de ipſo habebantur, atque iniuriæ  
vindictentur. Iacobus Exerica Regis frater, & Artallus Alagon gener Va-  
lentino in regno ad eam Coitionem, quos poſſunt, pellicunt: magna que  
ex eo turbæ, ſeditioneſque concitantur: quod Valentina ciuitates Ara-  
gonium forum reſcerent.

A. D. III. Non. Mai. Indiët. xii. apud Vrbem ueterem Martinus P.  
M. Carolo Philippi Regis Francorum F. Aragoni, Valentinique popu-  
li regna, & principatum Catalonia attribuit: non ſecus, ac ſi ſub Ecclieſiæ  
imperium, ditionemque recidiſſent. In eius ueluti ſacræ expeditionis ſub-  
ſidium, omnium eccleſiaſticorum reddituum, prouentuum, & obuentionũ  
regni Gallia decumam Regi Francorum in quadriennium largitur.

Iohannes Nunnius Larenſis Albarrazini dominus a Rege, quod ab eo  
defeciſſet, ea in vrbe obſidetur. Obſidionis metu urbem deſerit. Cum Rex  
Ermengaudus Vrgellitano, & Raimundo Folchio Vicecomite Cardoneſi,  
Raimundo Angleſola, cui oppidanæ Turolenſium cohortes tradita fue-  
rant, & Raimundo Moncada primarijs ductoribus uehementiſſime oppu-  
gnaret, labefactaretque propugnacula natura, & ſitu in primis nobilis vr-  
bis, quæ Turia torrens amnis præterfluebat, ciues ſeque, urbemq; dedunt.  
Rex Ferdinandus F. quem ex primaria femina Agne Zapata concubina  
ſuſceperat, Albarraziniſi ditione donat.

Aprili menſe Alfonſus Rex Hiſpali decedit. Teſtamento denuo San-  
ctium F. exſecratur: ac diris exagitat, & imprecationibus. Proditoris la-  
bem filio aſpergit: & vt crudeliter ingratum, & beneficij immemorem ex-  
heredat. Alfonſum nepotem regni heredem dicit. Alfonſo regni ditione  
ſpoliato, patruus regnat. Veleſij cum Aragonia Rege auunculo ad collo-  
quia congregitur.

Quod Rex Petro Martinio Artallona Iuſtitia Aragonum præfecto  
magiſtratum abrogaiſſet, eius magiſtratus iura, præſidio legum muniuntur,  
atque

atque vallantur. Eo fit, vt leges in posterum ab ipsis Regibus, & regni ordinibus publicis in conuentibus sancitæ vim maiorem, quam ipsorum Regum imperium, obtineant. Petrus Martinus Luna, & Calataiubienes a Coitione desciscunt. Rex vt iurisiurandi religione se Coitioni addicant, imperat: & sua auctoritate præscribit. Arnaldo Rexacho, & Bernardo Orle internuntijs, Rex de maiestate damnatus Martinum P. M. iniquum, & inexorabilem iudicem exhorrens, atque reformidans reijcit: & iniquo iudicio, pluribus latis sententijs agitatus a Põtifice Maximo appellat: Ecclesieque se submittit: & ad summum Pont. minime suspectum, aut inuisum, infensumve pronocat. A. D. X. K. Iul. Rogerius Lauria in sinu Strabiano Surrentini litoris, Castri maris vocant, maximo prælio nauali commisso, Gallos hostes deuincit: quo capti fuere Carolus Salernitanus Princeps Caroli Regis F. Iacobus Bultonus Gallicæ classis præfectus, Reginaldus Gallardus, & Comites Aceranus, Brenensis, Monopolitanus, & Villagësis: & Guilielmus Estendardus: ac plures Itali, Gallique proceres. Verusto, ac certo auctore externo comperio, Aragoniam classem XLI. longis nauibus constitisse: & cum LXX. hostium tanto impetu, viriumque conatu decertasse, vt XLII. fuerint a nostris captæ. Rogerius Beatricem Constantiæ Reginæ Aragoniæ sororem, quæ diutius apud Carolum Regem captiua, arcta custodia septa in arce S. Saluatoris Castellii, quod ad mare vocant, sibi reddi imperat. Princeps in Matagryphoniam Messanæ vrbis arcem detruditur: & in Ricardum Risum, & Henricum Nicænum summo supplicio tamquam in transfugas animaduertitur. Rogerius præclarissima victoria parta, magni ducis laudem consecutus, eius certe victorijs, bellicisque rebus auctum imperium fuit, protinus inde Bruttios terra, marique oppugnat: Scalam, Citrarum, S. Lucidi oppidum, & Montiam in ditionem redigi curat: magnaque eorum ditione potitur. Aliquot oppida expugnat: continentis regionis, quam Basilicatam nominant. Feruidi animi vir Rogerius, ferox viribus, & armorum vsu, in quo vno regimen omnium naualium rerum, maritimorumque bellorum fuit, quotiens decoris, & laudis discrimina ad eunda essent, A. D. II. Id. Sept. in Meningem clarissimam totius Africa Insulam traiciens, in Regis eam potestatem, ditionemque redigit. Marganus Sarracenus qui Motanorum Tripolitanorum ditionis potitus, se Tunetanum Regem cognominat, a prædonibus Catalanis interceptus, in Regis potestatem deuenit: & in Matagryphoniam custodiam conijcitur.

Cum Siculis deliberatum, constitutumque publico conuentu esset, vt Carolus Salernitanus Princeps, eo mortis supplicio afficeretur, quo Carolus eius pater in Conradinum Conradi Regis F. Frederici Imperatoris Nam tam acerbe, crudeliterque vsus fuerat, ac totius regni nomine Principi testatum, manifestumque esset, Regina Constantia, Iacobusque F. insigni elementia laude, Siculorum animos temere concitatos retinent. Vt saluum, incolumemque conseruent, ex Matagryphonia Mamertinorum arce, in Cephaleitanam transferunt. Mamertini in captiuos Gallos, qui in custodias traditi fuerant, periculum capitis inferunt: & plures eorum ferro trucidantur. Rex reliquos a morte vindicari, liberarique imperat: modo ne bellum aduersus se inferant: aut cum hoste consentiant: & vnus Reginaldi Gallardi Gallicæ classis præfecti, in ea re fides egregia enituit.

Q ij Ciria

ÆRA NAT. CHR.  
MCCCXXII, MCCLXXXIV.

Ciriæ Castellæ oppido, in ipsis regni finibus colloquium inter Reges Petrum, ac Sanctium Petri fororis F. habitum. Inde Borouiam vicinum oppidum ineunt: vbi foederum pactiones instaurantur: renouanturque. Sanctius auunculo pollicetur, se aduersus Francorum Regem comparaturum, si eius regnum inuaderet: atque in ipsa acie, vna cum auunculo proelio decertaturum.

Raimundus Botonachius Regis legatus Rodulphum Imperatorem in amicitia, ac foedere, quo Gibellinæ factionis a Rege partes in Italia deuinciebantur, confirmat. Permutationis pactio ea a legato obijcitur: vt Rodulpho iura ditionis Allobrogum Sabaudiensis comitatus, quæ Rex liberis suis deuoluta contendit, tribuantur: eorum oppidorum commutatione, quæ Regis in ditionibus Tēplariorum ordinis militia addicta erant. Pollicetur Rodulphus se Italiae finibus Regi auxilium aduersus Carolum hostem laturum: breuique Alpes transensurum se sperare, vt diadema regni more suscipiat. Gilbertus præterea Botonachius Episcopus Valentinus ad Margaritam Reginam Ludouici Gallorum Regis vxorem legatur: quod Rex speraret eius interuentu Philippum Galliarum Regem filium, inimicitias contumaciæ nomine susceptas depositurum: sed vltra Parisios Episcopum progredi vetant: quod Regina cum Carolo Rege, magna similtas intercederet: ex quo Prouinciæ dominatum vxoris nomine interuertisset: cum Margarita Regina natu maxima filiarum Raimundi Berengarij Prouinciæ Comitis fuisset.

Augusto mense Philippo Francorum Regis natu maiori F. Iohanna Henrici Nauarræ Regis F. atque regni heres in matrimonium collocatur. Regalibus insignibus Pompelone ornatur Philippus: & eid temporis Rex Tutiasone exercitū coacto, ad Tudelæ vrbis muros prope Hiberi ripas castra metatur: & Iohannes Nunnus Larenis, qui Tudelæ propugnationem susceperat, equitatu, & peditatu immisso, eas copias qui nondum Hiberum transmiserant, proelio tentat: atque laeessit. Rex Nauarræ finibus bellum infert: cum continua bella per biennium in Italia, & Sicilia gererentur: & maiora instarent. Exercitū dimisso, cum Cæsaraugustam Nouembri mense iniisset, & militaria stipendia inter proceres esset partitus, benigne suam operam Regi pollicentur: sed Petrus Ferdinandus Ixeritanus Regis frater, & Artallus Alagon gener, & Petrus Iordanis Penna operam nauare abnuunt, atque recusant. Rex Magalonensia, & aliorum oppidorum decreta stipendia subtrahi illis imperat.

MCCCXXIII. MCCLXXXV.

A. D. VII. Id. Ian. Rex Carolus Fogiæ mortem obit: princeps, cui, etsi haud dubie virtute, ac rerum gestarum gloria opulentissimum regnū tenuerit, cum vita suppeditauiisset, ad extremum, & consilium, & fortuna, & ipsius partæ gloriæ splendor defuit.

Complures Apuliæ, Calabriae, atque Campaniæ ciuitates Carolo Rege defuncto, res nouas moliantur. Regis nepos Carolus Caroli Principis Salernitani F. regni res confestim administrat: geritque: cum in tutelam Roberti Atrebatensis Comitis, fratris patruelis Salernitani Principis traderetur. Gerardus Parmensis Sedis Apostolicæ legatus ducis munia Ecclesiæ nomine sustinet.

A. D. VII. Id. Mart. Rex Osci publico conuentui præfidet: & inde Zufariam



Zufariam in A. D. VI. K. Apr. transfertur. Cum ad eam diem Rex se nō stitisset, qui coitionis regni partes sustinent, assueti quidem regio imperio, sed maiori libertatis praesidio, a Iohanne Egidio Tarino praefecto Iustitiae Aragoniae, tamquam legitimo conuentus iudice, qui iudex sedit, & causis praefuit, quas consilio ordinum decidere erat necesse, cum Rex contenderet, a se iudices dari oportere expostulant, vti absente Rege, secundum praesentes iudicet: in eis postulatis, quae interposita erant: Regique intenta. Cum Rex citatus non adfuisset, Magistratus secundum eorum causam iudicat. Eo tum statuerent, vt qui se ad eorum procerū amicitiam aggregauerant, meliore condicione, atque aequiori imperio se vti arbitrentur. Interfuere ei conuentui Bernardus Guilielmus Entenza, Simon Vrrrea maior, & Simon eius F. Artallus Luna, Petrus Aierbius, Petrus Cornelius, Lupus Ferrencius Luna, Atho Focius, Sanctius Antilionius, Guilielmus Podius, Gombaldus Beneuentanus, Amor Dionysius, Petrus Martinus Luna. Ex his qui se Regis domesticos appellare consueuerant, adfuere Guilielmus Alcanus Xarci dominus, Gombaldus Tramacetius, Egidius Vidaurius, Petrus Maza ex Cellis, Guilielmus Alcanus Quinti dominus, Petrus Sefesius, Artallus Horta, Didacus Perezius Escoronus, Lupus Ferrēcius Luna, qui Lurcenij dominabatur, Petrus Garcezius Nuezus, Lupus Gurrea, Rudericus Sanctius Pomarius, Simon Perezius Pina, Alfonsus Castellinoui, Petrus Pomarius. Totius nobilitatis Valentini Regni nomine adsedere Simon Sanctius Aradius, & Ferdinandus Sanctius Aiuarius. Quod Rex pollicitus fuerat, se Praefectum Iustitiae natione Aragonum, Valentino in regno creaturum, qui ciuitatibus, atq; proceribus, quibus scita, priuilegia, & fora, quae vocant, Aragonia facta, irrogata, & indicta fuerant, ius diceret, & in eius iudicium cauita, controuersiaeque omnes deducerentur, vniuersi regni magistratui praeficit militaris ordinis virum Aragonum Alfonsum Martinum: & ciuitatibus eius regni iudices dantur: qui ea obseruent, quae scita erant in Aragoniae regni legibus: atque institutis. Praeterea decretum fuit, vt in posterum Rex Ripacurciensi ditioni proprium, & praecipuum iudicem daret: qui Gradibus, eius regionis oppido, pro tribunali sederet: atque pronuntiaret: & primarum reiectionum eius iudicis factarum aut Barbasti, aut apud Praefectum Iustitiae Aragonum iudicia fierent: secundae vero appellations ad Regem reñcerentur: & eorum iudicum sententijs, quos Rex elegisset, litibus, & controuersijs finis, & modus terminaretur. Regis etiam nomine coram Praefecto Iustitiae Aragonum lites aliquot proceribus intenduntur: & cum lites contestatae essent, & iudicium damni iniuria constitutum, Praefectus de consilij conuentus sententia, de tribunali pronuntiat: eiusque iudicia, quod Rege absente, fierent, a Rege ipso firmanantur: & stabiliuntur.

Iohannes Egidius Tarinus Praefectus Iustitiae Aragonum.

Cum de vniuerso genere belli, quod a Francorum Rege, de regno Aragoniae, filio asserendo parabatur, multa, & pæne incredibilia, ac de praesenti hostium apparatu fama efferrentur: non vana magis specie, quam efficaci euentu extitissent, nisi vnus principis omnium fortissimi, & animi maximi virtus obstitisset. Namque non modo ab

AERA NAT. CHR.  
MCCCXXIII. MCCLXXXV.

Hispaniæ Regibus finitimis, & cognatione adiunctis, sed a suis turbantibus, & res novas molientibus desertus, cum externorum principum in unum, tamquam Ecclesiæ hostem, veluti sacra expeditione vires, atque arma concitarentur, verterenturque, illo robore animi fuit, ut labantibus rebus, aucta potius per eum, quam imminuta regia maiestas dici vere posset. CXL. naues longæ, ac LX. quas taridas vocabant, transmittendis equis idoneæ, præter innumeras alias minores naues, in prouincia Gallia, & Ligustinis litoribus adornatur: armanturq; Maximus hostium, fortissimiq; exercitus conficitur. Bernardus Dezelotius, præclarus in primis auctor ætatis eius ad XIIX. MDC. equitum, CL. M. peditum conscripta, ac centuriata fuisse, & lixarum, & calonum numerum L. M. perhibet: ac X. M. sagittariorum recenset eo in exercitu meruisse: & admirandam machinarum, ac tormentorum molitionem adhibitam. Philippus Rex, quo ducce, & Imperatore bellum gerebatur, finibus regni appropinquans, Tolosa substitit. Pyrenæi saltus a nostris occupantur. Petrus Rex Pyrenæo transceso Perpinianum regiam fratris Balearium Regis sedem, fratre pulso, occupat. Fratris filios retinet: quod belli faciendi causa cum hoste consensisse iudicaretur: & Gallorum Rex summi Pontificis decreto Valentinum regnum Balearico Regi obtulisset: si aduersus fratrem maritima, & terrestria auxilia adiunxisset. Dalmatium Rocabertinum Vicecomitem, Comitemque Emporitani potentes in Indigetibus regulos, cum reiecti, & relegati longe a se viderentur, Rex conciliare sibi, atque ad vsus belli adiungere, quod eorum ditiones, primos hostium aditus interclusuræ erant, studet. Gallorum exercitus Ruscinonis regionem inuadit ea via, quæ Salsulas vicum ducit. Castra in suburbano Perpinianensi faciunt: oppidumque circumfidunt. Philippus Rex duobus filijs comitatus Nauarræ Rege, & Carolo, qui se Aragonium Regem nominabat, ad Castrum Zarochæ statium sibi præsidium collocat.

Sanctius Rex neglecto sacramento, obtentu proprii discriminis, quod sibi a Iuceffio Mauritanæ Rege, intra Bæticæ fines intendebatur, rogatus auxilium ferre Regi auunculo, propinquo, finitimoque, labantibus rebus, & pæne desperatis recusat. Res præterea memorabilis ab antiquo scriptore traditur: conterritis nostris, cum publicis, priuatisque deliberationibus trepidarent, neque consilium in tam affectis suppeteret rebus: ex intimis consiliarijs regijs Petrum Martinum Boleam tutius, quam honestius cum dignitate consilium exquirentem, callide in fraudem vertisse. Nam cum Sanctius regni stabilienti causa, cum Philippo Rege consensisse traderetur, Bolea callidum consilium tegens, & generale mandatum accipiens, euentita legatione, Sanctio Calataiubium oppidum, ditionemque eam Regem condonaturum pollicetur: modo bellum ne inferat. Eo dono Sanctium illectum ab nefario scelere se cohibuisse. Dum vero ditionem eam ex pacto Sanctius repetit, Rex, qui in fide violanda, in expiabilem eam fraudem conceptam fuisse nescierat, Boleam Sanctio dedi imperat: qui ab eo dimissus fuit: neque de dolo malo in iudicium adductus. Vt cumque ea res gesta sit, Regem alioqui animi iniunctum, tot principum conspiratione, atque consensu grauius eo tempore

tempore fortuna concussit : vt maioris splendoris , & gloriae compo-  
tem redderet.

Simon Virea, Artallus, & Lupus Ferrencius Luna, Rudericus Si-  
menius Luna, & Didacus Perezus Escoronus bellum aduersus Io-  
hannem Nunnium Larensem, & in Castellæ fines inferunt. Michaël  
Perezus Ihuertius Baianæ arcis præfectus artem firmo præsidio tue-  
tur: & Sofium, Thernæ, & Saluaterra aduersus finitimos Nauarros mu-  
niuntur.

A. D. XVII. K. Apr. Rex nominatim ex omnibus ciuitatibus no-  
bilissimo, & fortissimo quoque euocato, in ipso Pyrenæi aditu, atque  
ascensu, acri, & veterano milite vsurus: & copias omnes, quod bellum  
trahendum videt, præstolaturus, Ficiarias oppidum contendit. Cum exi-  
gua manu, & montanis, qui saltuosos locos incolunt, colles circumsi-  
dens, Iuncariam tenet. Inde Pyrenæi iugum, collem Panizafium vo-  
cant, supra viam, qua exercitus hostium montes transcensurus erat, præ-  
sidio munit. Adeo vero perexiguæ copię conuenerant, vt vix ipsa mon-  
tium culmina obsiderentur. A. D. VI. Id. Mai Galli Ruscinonensem  
tractum incurrentes, & Perpiniano potiti, Helenam urbem expugnant.  
Balearicus Philippum Regem, vt amicum, & eiusdem fœderis socium  
excipit. Gallis Pyrenæum traiciantibus, dum nostri, & si montani, &  
asperiores homines, in armis vitam degentes montium claustra obsedis-  
sunt, & hostium ingentes, immensæque copię iugis omnibus se effu-  
dissent, neque resistere, ac repugnare, tot, tamque valentibus cohorti-  
bus possent, saltu angusto superatis montibus, statim deiiciuntur: fun-  
dunturque. Rex tamen, in quo vno omnis spes, ratioque vincendi collo-  
cata erat, quæ illius fuit animi magnitudo, & ætas militaribus labori-  
bus exercita, copias auxiliares pusillas, atque oppidanæ dimittit: dum  
furentes, ac violenti impetus hostium comprimerentur: eoque consilio  
vitur, vt bellum in hiemem ducat, & Siciliensem classem arcessere pos-  
sit: proceribus, & euocatis, ac veteranis militibus retentis.

Victa præsentis metu Indigetum oppida complura in deditionem  
concessere. Cardonensis Gerundam nobilem urbem hostibus subie-  
ctam, atque oppositam, tuendam suscipit: tribus strenuis viris Cata-  
lanis comitatus Guilielmo Castleaulinio, Guilielmo Anglesola, ac  
Bertrando Canellia. cxxx. equites, veteranique milites hastati, & sa-  
gittarij II. M. D. præsidio propugnaculorum collocantur. Hostes ca-  
strum Lerzium magna tormentorum vi oppugnant. Cum propu-  
gnatores non solum vires, sed spes omnis defecisset, seque, castrum-  
que dedunt. Eo loci, ac si earum regionum primariam arcem expu-  
gnauissent, Carolus Phillipi Regis F. legato auctore, Barcinonensis  
comitatus, principatusque Cataloniæ possessionem vsurpat. Amplis-  
sima dignitatis præmia beneficiarijs suis constituit: & Cataloniæ ter-  
ram inter eos partitur. Militaribus muneribus obeundis Imperator, ca-  
strorumque dux deligitur, quem Senescallum vocant.

Operibus ingentibus septa Gerunda est. Turres, vineæ, testudi-  
nesque, & alij oppugnandarum urbium apparatus admoventur: neq; his  
intra muros nostri coercentur: cum agger promotus ad urbem, & vi-  
neæ iam iniunctæ mœnibus essent, vallo, fossaque obsideri coeptum. Ita

Q. iij. hosti-

AERA NAT. CHR.  
MCCCXXIII. MCCLXXXV.

hostibus expugnandi pariter, cogendique ad deditioem spes iniecta. Nostros fortiter resistentibus, atque repugnantibus, diu nequicquam propugnata est.

Rex, quod equitum opera in montosis, & siluestribus locis non desideraretur, maiorem equitatus partem Ostalrico, & Besaluno collocat. Alijs locis strenuos duces admouet Albertum Medionam, Bernardum Anglesolam, Berengarium Puchuertium, & Berengarium Rosanem: qui incurstantes, & diffluentes hostium copias coercerent: ac male multarent. Copia, quae maxime veteranae erant, coguntur.

Vnionis, quam vocabant, societas Caesaraugustae ipsi Julij K. lege sancit, uti Aragoniae proceres, equites, militaresque manus in subsidium Regi ad bellum, aciemque praesto sint: ijs exceptis, qui in Nauarræ finibus, & ad Albarrazinium, in propugnatione earum regionum stipendia merentur. Copijs auxiliariibus Petrus Aierbius Regis frater praeficitur.

Raimundus Marquetius, & Berengarius Maliolus strenui rerum nauticarum duces, a Rogerio Lauria regiae classis praefecto, ex Siculis oris in Hispaniam praemissi, cum x. nauibus longis xxi. hostium longas naues, quae ad Rhodam, & S. Felicis stationem commorantes, nostros portibus, atque omnia ea maritima ora prohibebant, & suscepto bello, ne sui comatu, & reliquis copijs intercluderentur effecerant, adortur: & insigni proelio nauali superant. Cum victoriam stabilitate, atque constantia essent consecuti, naues i. x. capiunt: & in ijs praetoriam, cum ipso duce Gallo Guilielmo Lodena.

Rex Ostalrico, cum delecto nobilitatis, ac militiae flore, ad D. equites, & V. M. veteranorum peditum fuisse constitit, eo consilio procedit, ut equitum Gallorum turmas, reliquaque manus, Aufetanorum, & Indigetum regionibus incurstantes peruellat: atque coercet. Cum ingenti parte equitatus Gallici, & hostilium copiarum albente caelo congressus proelium committit. Laeti, atque ouantes hostes accepere pugnam: quae longa, atque anceps fuit. Magna diei parte pugnatum: magna utrimque caede. Strenue ab omni parte res geritur. Rex in primis stragem edens, pulcherrimi facti laudem tulit: qui cominus in acie pugnans, magno impulsu, atque conflictu obsistens, Niuernensem Comitem, & Claramontium sua manu occidit. Cum Niuernensis Regem eminus venabulo transuerberasse crederet, Rex eum persequens claua ictum equo deturbat: & Guilielmum Scribam, qui Regi proelianti aderat, ut hostem obruncet, imperat: atque Guilielmus, dum enses illi detrahare nititur, vna mortem occumbit. Pugna ea, A. D. XVIII. K. Septemb. pugnata, constanti illorum temporum fama celebratur: quod clarissimus, qui vquam fuerunt Rex, duxque, maxima virtutis gloria praestans, & Gallica procerum nobilitas, atque ingens eorum equitatus robur, infestissimis animis conflixerint. Hostilis equitatus duces fuisse accepimus Iohannem Ancurtum regionum Galliae castrorum praefectum, Conestabulum vocant, Comitem Marchiae, & Rullum Radium. Exteri omnes ad vnum auctores Aragonium Regem eo proelio deuictum, atque ex acie saucium elatum referunt: & breui defunctum: quod falso memoriae proditum conuincitur.

Gerunda

Gerunda magnis vltro, citroque illatis detrimentis, incredibili constantia propugnatur. Cum extremo tempore obsessis subueniri non posset, urbem dedere paciscuntur: nisi intra xx dierum indutias, nostris auxilia miserarentur. Omne id tempus contrahendis auxilijs, & reficiendis veteranorum copijs consumitur.

Alaimus Leontinus regni Siciliae magister Iustitarius, quo auctore, & consiliorum primario administro, atque ductore Galli insula Sicilia exacti fuerant, maiestatis minutae conuictus, quod ad Gallorum Regem cum Machalda vxore, & filijs, ac Proracio Augustano, & Matthæo Scaleta affini, & Iohanne Mazarino, & Dinolfo Minæo fratris filijs defecisset, in Siuraniam arcem detrusus poenam suo scelere dignam suscipit.

Id. Iul. Rogerius Lauria Bruttiorum, & Apuliae oras classe praeteruectus, expositis militibus Tarentum obsederat, atque irruperat. Delectis xxv. nauibus longis in Hispaniam nauigans, ad Barcinonensem stationem, A. D. V. K. Octob. appellit. Incredibili festinatione hostium classem consecutus, quæ xl. nauibus longis constiterat, A. D. VI. Non. Octob. cum quattuor actuarias Sicilienensis classis sibi adiunxisset, ad S. Felicis stationem in certamen deuenit. Galli in ipso impetu, atque conatu profligantur: xlii. naues intercipiuntur: & Iohannes Scotus Galliae classis praefectus captiuus, remanet. Nostri reliquas naues perceleris cursu velificantes, ad Narbonensem stationem, Gradum vocabant, persequuntur: quibus Henricus Marius Genuensis praefuerat.

A. D. X V. K. Octob. Tiburi Honorius III. P. M. qui in Martini demortui locum successus fuerat, ob iniqua, & grauiora onera, quæ a Frederico Imperatore, eiusque filijs imposita fuisse obtendebatur, & a Martino ipso Caroli Regis consensu in ordinem redacta erant, Apostolico decreto sancit: vti tributorum onera, quæ prouincialibus Siculis intolerabilia imponebantur, tollerentur: sperans eo emolumento, Siculorum animos a se permulceri, atque allici posse: vti ab Rege Petro deficerent.

Castra Regis Francorum funesta peste in Indigetibus vastantur: atque in dies singulos deseruntur. Philippus Rex valetudinis vitio, atque aegritudine animi laborans, Castellionem vicum in ipsis Emporiarum vetustae urbis vestigijs situm, recedit.

Gerunda hosti exactis indutijs, confecta paucitate propugnatorum opere, vigilijs, & vulneribus, quæ semper eosdem perculerant, ex parte deditur. Vix per condiciones tradita fuerat, cum subito castra deserti coepta sunt: quod hostes inclusi montibus, firmiore se munimento a nostris circumuallatos, quam a se urbem viderant. Tantum enim terrorem Petrus Rex perpussillis copijs fecerat, vt vix credibile esset, tam affectis rebus, solos per se ad bellum suscipiendum coortos. Fugæ magis modo complures manus, manipularesque cohortes per inuios saltus funduntur: & occursum nostrorum militum recedentibus signa inferuntur. Cum obsepta culmina vidissent, in angustijs montium palantes hærent. Sed nostri cum saltus, per quos exercitui regressus erat, insedissent, versis signis, & vasis conclamatis, ægre tot agminibus, aut regressus, aut effugium, periculosos saltus superatis, patuit. Dum omnes hostium copiam proximos montes cepissent, nec quidquam satis tuti loci regredientibus

AFRA NAT. CHR.  
MCCCLXXXIII. MCCLXXXV

tibus esset, & de iugis, quæ ceperant, funderentur, Almogavares, veterano-  
rum manus irrumpentes stragem fecere. A. D. II. K. Oct. exercitus ho-  
stium fusus, & ad fugam pronior, Panizasiû Pyrenæi collem transcendit.

Philippus Rex Perpinianum moribundus lectica delatus, A. D. VI.  
Non. Octob. moritur.

Nostri Gerundam hostibus deditam oppugnant, Propugnatores x.  
dierum inducias paciscuntur: quibus exactis urbem dederent, nisi subven-  
tum esset. His constitutis Rex Barcinonem festinanter contendit: & in ur-  
bem A. D. IV. Id. Oct. cum ingentem sibi laudem, & gloriam peperis-  
set, introit: haud quaquam tam insigni victoria lætus, quam quod præter  
exiguam Indigetum, & Ausetanorum partem incendijs, & incursionibus  
deformatam, cetera contra spem salva, sua virtute, aduersus ingentes co-  
pias fecisset.

Ea tempestate, dum hostis malis victus, subactusque bello esset, Simon  
Vrrea, Lupus Ferrencius, Arrallus, & Rudericus Simenius Luna Arago-  
nij proceres, & Didacus Peresius Escoronus, qui regni finibus in Celtibe-  
ris prætendebantur, cum ea manu, quæ Iohannis Nunnij Larenis ductu  
Molinæ præsidio collocata erat, in certamen, ancipiti pugna deueniunt.

Fuerat Carolus princeps Salernitanus a Iacobo Regis filio Cephæledi  
traditus tribus strenuis viris Catalanis Raimûdo Alemanno, Simoni Dez-  
torio, & Guilhelmo Pontio: ea condicione, nauis in Cataloniam deportan-  
dus, uti iureiurando astringerentur, quoduis potius mortis periculum se  
adituros, quam in aliorum potestatem Princeps veniat: aut priusquam de-  
dere cogantur, in mare demersuros. Ad foederum pactiones Salernitanus,  
& Iacobus Regis F. deuenierant: polliceturque Salernitanus se iure regni  
Siciliæ Iacobo cessurum: & insularum adiacentium: suo, & heredum no-  
mine: & Blancam F. illi in matrimonium traditurum: & alteram, ex filijs  
Frederico Iacobi fratri collocaturum: & Tarentinum Principatum, acque  
Honorem S. Angeli, quem admodum Manfredus Rex obtinuerat, dotis,  
nomine adiecurum. Præterea sponsione cauet, ut Ludouicus F. Iolan-  
tem Iacobi sororem vxorem ducat: & Bruttiorum ditionem dotalem di-  
cit: seque filios earum pactionum obsides relicturum recipit: & eis adie-  
cturum complures ex proceribus Galliæ, & Prouinciæ, & regni An-  
gliæ. Adhæc ingentem pecuniæ vim condonandam esse recipit: cuius-  
que periculum facturum, nisi intra biennium ea foedera a Sede Apostoli-  
ca, & Galliæ Rege sancirentur: alioqui in Regis Aragoniæ potestatem  
uenturum.

Dum Rex, omni celeritate, & studio incitatus operam dat, ut milita-  
res copiæ in Bailem Maiorem transportarentur, fratrem bello, odio pe-  
nitus insito, persecuturus, A. D. VII. K. Nou. Barcinone, eo consilio  
proficiscitur, uti Salonio portu primo quoque tempore classem soluat.  
Iter Tarraconem faciens graui morbo, æstu, febrique iactatus, media via,  
ita repentino concidit, uti humeris Villamfrancam reportaretur. Supre-  
mum diem adesse ab Arnaldo Villanoua nobilissimo, & optimo illius sæ-  
culi medico intellegens Alfonsum filium, ut Balearicam expeditionem  
maturet, hortatur. Dum animam agit, certior redditur, Carolum Saler-  
nitantum Principem captiuum Barcinonem delatum: & Gerundam suis  
deditam.

Cum

Cum incredibile animi affectu Rex peccatorum confessionem, noxiarumque poenitentiam esset testatus, & ad sacrosanctum Eucharistiae sacramentum se proiecisset; vinctioisque sacrae extremo esset expiatus, praesentibus Bernardo Oliuella Tarraconensi Antistite, & Valentino, atque Oscensi Episcopis, & magna procerum turba insigni religionis pietate, A. D. IV. Id. Nou. vt Dezcotius perhibet, defungitur: sabbatho enim, quod festum S. Martini diem antecessit, obiisse testatur: Princeps ad omnia summa natus: & vere magnus: cuius nominis splendore aeternae laudis gloriam est consecutus. In coenobio SS. Crucium D. Bernardi sepelitur: cum more regio iusta magnifice fecissent. Publicis enim exequiis ducitur ingens funeris pompa: qui supremus Regibus honos habetur.

Testamento regnorum, & ditionum paternarum Alfonso filium heredem reliquerat: nulla Siciliae regni mentione facta: quod illo ipso die, quo nauim conscenderat, in Africam nauigaturus testamentum in procinctu fecisset. Iudices ab eo in testamenti tabulis designantur Archiepiscopus Tarraconensis, Episcopus Valentinus, Rudericus Peresius Pontius Alcanicenis praefectus, Artallus Alagon, qui Theresiam Peresiam Regis filiam in matrimonium duxerat, Artallus Focius, & Gilabertus Gruillias.

Fuit is annus trium praecclarorum Regum, & Martini P. M. morte insignis.

### ALFONSVS III. ET XVI. REX ARAG.

Alfonso Regis F. viuo, & spirante Rege, cum naues, quae in Catalonia erant, reficerentur, expedirenturque, portu Salonio nauim conscendens classem soluit: patrum Iacobum regno exturbaturus. Ad Porrazam Maioris Insulae stationem terram attigit: & expositis militibus ad urbem castra metatur. Praecipui eius expeditionis ductores Alfonso a Rege adiuncti fuerant, Blascus Alagon Artallifrater, Sanctius Antilionius, Petrus Garcesius Nuezus, Petrus Sefesius, Blascus Simenius Aierbius, Simon Peresius Andosilla ex Aragoniae regno. Catalani proceres eo in bello militauere Petrus Moncada, Raimundus Durgius, & Maimonus Plegamianus. Cum in ciuitate diuturnitate otij, multitudo insolens belli tumultuaretur, Conrado Lanza internuntio, ciuibus se, suaque deditibus, Rex Insulae potitur: & in ea se Regem Aragonium, Maioricensem ex Insulae nomine, & Valentinum, Comitemque Barcinonensem nominat. Rogerius Lauria in Siciliam classe transmissurus, foederum vinculis summae coniunctionis, & amoris artissimis Alfonso Regem astringit: vt Iacobo Siciliae Regi fratri opituletur: & ad tuendum regnum, & vindicandas ditiones Campaniae, & Apuliae, & continentium regionum subueniat.

Iacobus Regis frater mortis paternae nuntio accepto, A. D. XVII. K. Ian. regnum Siciliae nomen vsurpat: ac se Regem Ducatus Apuliae, ac Principatus Capuae nominat: eoque titulo posteri Reges Siculi Aragoniae stirpis vsi fuere: quamdiu cum Caroli Regis nepotibus bella gesserunt.

### IACOBVS SICILIAE REX DVCA- TVS APVLIAE ET PRINCIPA- TVS CAPVAE.

Anni ini-

AERA NAT. CHR.  
MCCCXXIV. MCLXXXVI.

Anni initio Rex classe, ex Maiore Balearium insula in Ebusum transmittit. Arcem natura, ac situ egregie munitam, armisque septem incolæ dedunt. Ex Ebuso Alicantis portum tenet. Regi ad urbem Valentiam aduentanti obviam processere Iacobus Exerica patruus, Iacobus Perezus frater, Guilielmus Raimūdu Moncada, Bernardus Belpucius, Amor, & Gabriel Dionysij fratres, Petrus Iordanis Penna, Rudericus Sanctius Calataiubiensis, Petrus Zapata, qui Toui dominabatur, Carrocius Rebolleti dominus, Berengarius Lanciolius, & Simon Romaninus: & omni auctoritate aulae regiae communita regnū cum dignitate obtinet. **C. A. D. III. K. Feb. S.** Valerij festo die in æde maxima Saluatoris Cæsaraugustæ ordines regni, qui eo loci conuenerant, Bernardum Guilielmum Entenzam, & Simonem Vream legatos ad Regem præmittunt orantes, ex postulantefq; vti primo quoque tempore Cæsaraugustam adueniat: & iurisiurandi religione de more, leges, atque instituta, & fora, ac priuilegia, & vetustos patriæ mores sanciat: & regalibus insignibus, & militari auctoramento decoratur: nam dum ea comitia non perageretur, non esse a superioribus Principibus vsurpatum, vt regio nomine, aut eius muneris functione vteretur. Ea legatione Regi ad Moruedrum renūtiata, Rex benignissime respondet: & non sibi e dignitate visum esse, cum ab Archiepiscopo Tarraconēsi, & Episcopis, proceribus, ac ciuitatibus Cataloniae regali nomine compelleretur, Infantis nomen a se populō edi: atque peruulgari. Regij funeris exequias, supremi diei celebritate prosequitur. Arnaldum Rogerium Palliariensem Comitem a Cinga ad Panizasium collem pro Rege Cataloniae præficit.

**A. D. III. Non. Feb.** sacro D. Mariae purificationis die Iacobus Rex Panhormi festa, ac sollemni cærimonia regium diadema suscipit. Insignia regia, aquila Regis Manfredi aui, argenteo scuto expansa, & tænijs puniceis Barcinonēsis in quadrum distincta variantur. Ea celebritate ccc. primarij ex Siculis viri militaribus insignibus decorantur.

Gisbertus Castelletius Catalanus, & Bartholomæus Nicastrensis Siculi Regis legati Romam, eius rei causa proficiscuntur, vti de more Pontificis maximi voluntati, Iacobum Regem perpetuo pariturū obtestentur. Spreti, ac repudiati continuo dimittuntur. Barcinonem legationis causa Regis Castellæ nomine conueniunt Didacus Lupezus Pharenensis, & Michael Simenius Aierbius Ecclesiæ Toletanæ Archidiaconus, & Rudericus Perezus Pontius Calatrauensis militiae Magister: foederum initorum non tantum sancientorum oratores, quam vti Alfonso, & Ferdinandus, qui Seta bitanæ arcis custodia attinebantur, Regi Castellæ patruo tradatur: vti præfidia stabilitatis regni obtineat. Aragonius pacta ea renuit: quod Castellæ Rex totum se Gallorum Regi dedidisset.

**A. D. XIII. K. Apr.** Petrus Cornelius inter primores Aragonios lōgo stemmate insignis, & virtute præstans, qui Iaccæ earum regionum dux præsidebat, prælio Nauarros vincit: quo Iohannes Corbaranus Lehetius eorum dux capitur.

Rex Cæsaraugustā urbem die cænæ Domini sacro. **A. D. II. Id. Apr.** ingreditur. Festo paschatis, ad maximam Saluatoris aram regium diadema suscipit manu Iacobi Oscensis Episcopi: quod Tarraconensis Antistes aberat: & Cæsaraugustana Ecclesia pastoris curatione, administrationeque vacaret.



vacaret. Maxima celebritate, militaribus summi imperij, atque honoris insignibus ornatur: ut priscus mos fuit Aragoniæ Regibus. Puncto eo temporis, obtestatione paterna utitur: se proprio, perenni, ac præcipuo suo, non adsciticio iure regnum esse adeptum. Cum Rex leges, priuilegia, fora, & immunitates omnes iureiurando sanxisset, & regni libertas stabilita esset, magna inter proceres dissensio, atque concertatio suboritur: quod plures contenderent, ut deprauati mores aulae regie ordinum consilio, & totius conuentus in ordinem redigerentur: repugnantibus, & contra tendentibus Petro Aierbio Regis patruo, Artallo Luna, & Lupo Ferrencio Luna, Ruderico Simenio Luna, & Sanctio Antilionio: & maiore parte regiorum domesticorum: & aliorum, qui conuentui intererant. Rex neque lege, neque priuilegio cautum unquam fuisse contendit, uti Reges eorum hominum arbitrio, consiliove domesticas res componerent: aut gubernarent: moderarenturve. At proceres priuilegio generali cautum esse obtestantur, ut Rex domesticas res conuentus consilio in ordinem redigeret. Recipiente Rege, ac pollicente, se de consilij regij sententia domesticis, & priuatis rebus consulturum, neque assentiētibus proceribus, Casaraugusta Alauonam inijt: & magna inde dissidia, inter eos, qui in conuentu adfederant, concitantur. Cum de censorio iudicio, & notione inter se controuerfarentur, & ut corruptelarum domus regia modus imponeretur, complures, contenderent, ad eam pactionem deuentum est: uti arbitrio XII virorum, earum gentium, quas Mesnadas vocabant, ex vtraque factione selectorum, controuerfia ea decideretur: modo singuli proceres singulos militaris ordinis viros adiungerent: & Casaraugustani procuratores IIII. & aliarum ciuitatum singuli accederent: & omnium suffragio censoria notatio transigeretur.

Antonius Dunelinensis Episcopus, & Iohannes Vesseius Eduardi Regis Angliæ legati Oscæ Regem conueniunt. Vltro pollicentur, offeruntque, Eduardum medium inter Aragoniæ, & Franciæ Reges interiectum, paci inter eos, & concordia conciliandæ operam daturum: & ut Rex in sinum, & gremium P. M. & Ecclesiæ suscipiatur. Renuntiata legatione, Rex ad Eduardum, Petrum Martinium Artallonam, & Iohannem Zapatam præcipuos consiliarios, & ministros legat.

Aragonensis coitio consiliarios Regi constituit: ac deligit quatuor ex proceribus Petrum Aierbium Regis patruum, Petrum Cornelium, Artallum Alagonem, & Petrum Martinium Lunam. Ex his, qui domestici cognominabantur, selecti fuere Egidius Vidarius, Rudericus Sanctius Pomarius, Alfonsus Castellinoui, & Ferdinandus Perezus Pinna. Ex militari ingenuorum ordine deliguntur Fortunius Sanctius Vera, Simon Perezus Salanoua, Simon Perezus Vera, & Arnaldus Castrensis: & regni Valentini nomine adscribuntur duo qui ex militari ordine deligerentur: & Casaraugustani ciues duo: & singuli ex Oscensi, Turiasonensi, Iaccetana, Barbastrensi, Calataiubiensi, Turolensi, & Darocensi ciuitatibus. Ad hæc decreuere, ut quamdiu Rex in Aragonia, & Ripacurcia, aut Valentino in regno resideret, in regio aulae comitatu comorarentur duo ex proceribus, & bini ex domesticis, & ordine militari regni Aragoniæ, & vnus ex Valentino regno: & quatuor procuratores ciuitatum Aragonensium. Nouis præterea sacramentis adstringuntur: ut ea rata, ac firma permaneant: & suorum consiliarios legatione Fortunij Sanctij Veræ, & Sanctij Martij

ABRA NAT. CHR.  
MCCCXXV. MCCLXXXVI.

nij Lacunella & procuratorum Cæsaraugustæ, Osciæ, & Turolj Regem certiozem faciunt: adduntque se prouentus omnes Regios intercepturos, & beneficia militaria, & honoraria eorum procerum, qui his sanctionibus non assentirentur.

A. D. Non. Mai Osciæ Rex Philippo Castro fratri patrueli Pomatiũ castellum, ac ditiones alias, quas Petrus Rex Ferdinãdo Sanctio fratri inimico, & hostiles inimicitias gerenti Philippi patri interuerterat, restituit: cum in Philippi gratiam, & conciliationem Sanctius Antilionius, Petrus Aierbius, Rudericus Simenius Luna, Lupus Ferrencius Luna & Petrus Se fesus suas partes interposuissent. Ex eo Castrorũ familia prapores, & Regia cognatione insignis pristinae dignitatis, atq; potẽtiæ robur adipiscitur.

Id. Aug. Barcinone nuntius Regi perfertur a legatis, quos ad Eduardum miserat, pactas inter eum, ac Franciæ Regem Philippum fuisse inducias: quarum diem constituerant ex A. D. VI. Id. Sep. in A. D. III. K. Oct. & ex ea die toto vertente anno duraturas: vti eo temporis interuallo ad concordiam res adduci posset.

Rex Tarraconem properat: & custodiæ Caroli Principis Salernitani, qui in Siarana arce cõtinebatur, ex Aragonia, & Catalonia nobilitate xii præficit. Hi erant Raimundus Peresius Naualis, Petrus Pucuertius, Gonzaluus Bertrandus Borgia, Bernardus Mompahonius, Petrus Garcesius Vrosius, Guilielmus Curtius, Michaël Peresius Isuerius, Berẽgarius Espi nelius, Garcias Lopezius Anzanus, Gerardus Comalatus, Arnaldus Torrellias, & Bernardus S. Ciliz.

Tarracone Augusto mense exacto, Rex legatos Romam mittit Gilaberrum Cruilliam, Rudericum Sanctium Calataiubiensem, Raimũdum Reufium Archidiaconum Herdensem, & Petrum Costam: qui a Rege mandata habent, vti Honorio P. M. se obedientem integro, ac libero animo petuo futurum, more testificentur.

Osciæ & Horti conuẽtibus celebratis, de stabiliendo Aragonio foro Valentino in regno indicto decreta fanciũtur. A. D. III. Id. Sept. Rex Valentiam urbem introijt: quo eius regni conuentum indixerat. Valentinis iura, ac priuilegia irrogata fanciuntur, atque firmanentur.

Bernardus Sarria, & Berengarius Vilaragutius strenui, & prouidi Regis Siciliae duces, ille xii. actuarijs nauibus Campaniæ litoribus, hic xx. Calabris oris hostili in terra bellum inferunt.

Rex classe instructa Nou. mensis fine Salonio portu classem soluit: bellum Sarracenis Minoris Balearum insulæ inlaturus. A. D. IIII. Non. Dec. Maioris terram attigit. Exercitui ducem præfecerat Petrum Corneliũ: & tribunos militum deligit Garciam Garcesium Arazurium Aragonium, & Acartum Murium ex proceribus Catalanis virum primarium.

MCCCXXV. MCCLXXXVII.

Natiuitatis Domini die festa celebritate exacto, Rex portum Magonis Minoris Balearum tenet. Sarraceni in receptaculum castelli S. Agaicis trudentur.

Dux eorum Regi arcem, propugnaculaque A. D. XII. K. Febr. tradit. Rex liberum commeatum Sarracenis in Africam transmissuris condonat: ductoribus Raimundo Marquetio, & Berengario Maiolio.

A. D. IIII. Non. Febr. ex Magonis portu Rex soluens in Barcinonensem stationem transmittit.

Sanctius

Sanctius Castella Rex cum Francorum Rege Philippo de pactis, pacis AERÁ. NAT. CHR.  
foedera, quæ cum Rege Petro auunculo constituerat, rescindit. Iohannes MCCGXXXV. MCCLXXXVII.  
eius frater, & Lupus Didaci F. Pharenfis Viscaia dominus res novas molientes, regia Sanctij Regis aula excedunt.

A. D. XIII. K. Apr. Barcinone Rex legatos ad Eduardum Regem mittit Gilbertum Cruilliam præpositum Solsonensem, Raimundum Reufium, Petrum Martinium Artassonam, & Iohannem Zapatam: qui pacationibus faciendis intersint. Burdigalæ cum Pontificis Maximi legatis, & Henrico Seyo Lincolienfi Comite, Carolo Ludia quæstore, Dunelinensi Episcopo, & Iohanne Vesseio primarijs Regis Angliæ consiliarijs, deliberationes de republica habent. Donationem Regni Aragonij a Pont. M. Carolo Gallia Regis filio adeo iniustam, & vitiosam fuisse docent, & commonefaciunt, vt pro irrita, infectaque habenda esset: in qua causa omne certamen vertebatur. Cum inter eos minime conuenire posset, id inquitur consiliu, vt Reges Angliæ, & Aragoniæ ad colloquiũ, congressumq; deueniant.

Olorone Aquitania oppido Angliæ, & Aragoniæ Reges ad colloquiũ congregiuntur. Conuenit, vt Carolus Salernitanus Princeps custodia liberetur: vt eo pactorum conuentorum præcipuo sponsore, & internuntio, publicæ totius Christiani orbis paci, & quieti consuli possit. Principi, vt in libertatem tradi queat, eæ leges dicuntur. Ne regni finibus egredi possit, quin tris filios Regi obsides tradat. Rex Anglo Petrum fratrem, Vrgelitanum, & Palliariensem Comitem, & Cardonensem Vicecomitem tradet ea sponsione, vt liberis Principis regi traditis, Princeps statim liberetur. LX. ex proceribus prouinciæ Gallia a Rege Aragonio delecti ipsi obsides tradentur. Principe regni fines nondũ egresso, præcipuæ Gallia prouinciæ arces, & ciuitates regio se imperio, obstricta ciuium fide subijciant. Pollicetur Princeps, se libertatem consecuto, operam daturum, vt Carolus natu maximus F. intra vertentem annum Regi obses tradatur: aut L. M. marcharum argenti persolutorum. Eius conditionis causa, ex L. M. argenti marchis, antequam Princeps custodia dimittatur, XXX. M. præsentia pendet. Ad hæc Princeps recipit: se curaturum, vt a sede Apostolica, Francorum Rege, & Carolo Regis Francorum fratre, & eorum fautoribus trium annorum indutiæ obtineantur: neue Regi, aut Iacobo Sicilia Regi fratri, & eorum ditionibus, eius temporis interuallo bellum inferatur. Si indutiarum constituto tempore Princeps tutam, tranquillamque pacem, cum Regibus fratribus, eorum arbitratu stabilire nequiuerit, C. M. marcharum argenti damnas esto: & filij Principis, & prouinciales obsides Regi nexu tradentur. Spondet præterea se operam daturum, ne Ecclesia suas ipsius Principis partes suscipiat: tueaturve: neue permittat, vt Francorum Rex, Carolusve eius frater, aut quiuis alius Aragoniæ, & Sicilia Regibus damnum, detrimentumve inferat: moliaturve. Sin autem hæc omnia vertente anno rata, certa, atque firma minime permanserint, Princeps in regiam custodiam se dedat. Obsidibus tradendis tempus statuitur.

Aragoniæ proceres in summis affecta reipublicæ asperitatibus disuncti, ac dissidentes maximas turbas faciunt: & inter se proeliantur: dum Regi alij parent: alij vero rerum nouarum molitioni regnum misere laceranti obsequi student.

Dum pacis rationes, conditionesque vehementius apud Anglum agitantur,

AERA NAT. CHR.  
MCCCXXV. MCCLXXXVII.

tantur, Gerardus Parmensis Cardinalis, & Attrebatensis Comes Campaniae, & Apuliae vicarij classem regio apparatu instructam in Siciliam transmitti imperant: Episcopo Marturanensi, Ricardo Murrone, & Reginaldo Apello classis praefecto ductoribus: quod aliquot insulae populos clandestinis consilijs ad se pellexerant. Arcem Augustae urbis inuadunt, occupantque.

Jacobus Siciliae Rex cum exercitu, incredibili celeritate subsidio accurrens Augustanam arcem obsidet: & A. D. IX. K. Jul. vi expugnat.

Ea ipsa die, qua Augustana arx a Rege recipitur, Rogerius Lauria maximo nauali proelio, in ipsius Neapolitanae ciuitatis, celeberrimae Campaniae urbis conspectu cum hostium classe confligit. Dimicatum proelio utrimque atroci, atque in certo euentu est: donec summa Lauriae virtute, a nostris hostes caduntur, proterunturque. Gallicae classis praefuere summae nobilitatis duces Galli, Italique: Comes Brenna, Guido Comes Monfortius, qui Viterbij Henricum Ricardi Romanorum Regis F. immanitate effeferatus a sacris pene altaribus retractum interemerat, Raimundus Bauceius Comes Auellini, Philippus Comitis Flandriae F. Comes Iohannes Lanuilla, & Monopolitanus, Aquilanusque Comites. XLIV. hostium actuariae naues captae: & Comites omnes mansere captiui. Rogerius tam gloriosam victoriam consecutus, cum regni vicarijs, Aragoniae, & Siciliae Regum nomine in A. D. III. K. Oct. proximas, & ex ea die in A. D. III. K. Oct. sequentes indutias paciscitur: grauissima, ob id factum Jacobi Siculi Regis querella.

Id. Dec. Tarracone Rex secreto bonorum donationes, assignationesque, quas largitus fuerat, ex quo regnare cceperat, Vergellitano, & Palliariensi Comitibus, Cardonensi Vicecomiti, Petro Ferdinandio Ixeritano, Blasco Alagoni, Petro Iordani Pennae domino, & pluribus alijs primarijs viris rescindit. Caesaraugustanam etiam ciuitatem, Valentinam, Setabitanam, & Saguntinam, & alios Valentini regni populos, qui, ne extra Aragoniae forum vadimonium promittere cogerentur, obtinuerant, eadem beneficiorum assignatione multat.

Fortunius Vergua Caesaraugustanus Episcopus.

MCCCXXVI. MCCLXXXIII.

Rex Caesaraugustae Natiuitatis Domini diem festum concelebrat. Cum conuentus, in quam edictus erat diem, haberetur, & in curam Gallici belli, aut Castellani animos conuertissent, A. D. V. K. Ian. a Rege Aragonensibus duo priuilegia irrogantur: quae vnionis nomine censentur, nuncupanturque: quae postea ab vltimo Rege Petro publico conuentu rescinduntur: quod nō dignitas, maiestasque regia esset imminuta. Altero enim eorum cautum sibi voluere, si Rex, eiusve heredes irrogatas leges abrogassent: ius, factaque Aragonensibus esset, alium sibi Regem adsciscere: nulla laesa fidei nota, ignominiaue. Cauerat etiam Rex se munita castella xvj primarijs vnionis fautoribus traditurum: vt tamquam praecipua pignora, si pactis non stetit, retinerentur. Dum ea traduntur, Carolus Salerni, ac Peloponnesi Princeps ex Siurana arce extractus, Caesaraugustanis xii. viris Iuratis magistratibus, & Praefecto Iustitiae Aragonum obsestraditur. Id summa conuestione eorum fit, qui castellis praefecti erant: afferentium, neque fando apud Hispanos auditum, vt subditicij a Regibus obsides acciperent.

Jacobus Balearium Rex, qui & propria indignitate commotus, & Fran-

corum

corum Regis suafu adductus bellum aduersus Regem fratris F. susceperat, liberius, audaciusque peruagatus, mense Apr. Emporitano agrum incurrit: & Castellum Cortaunionem obsidet.

A. D. III. Id. Jul. Cardinalis S. Cæciliæ Apostolicæ sedis legatus, ad nouas pacis condiciones ferendas a Nicolao I V. P. M. Honorio vita functo missus, Lugduni Reges Franciæ, & Castellæ inter se conciliat, coniungitque. Regnum Murtiensis populi Alfonso, & Ferdinando fratris filijs immune Rex Castellæ remittit: illique cauetur, pro iure successionis regnorum Castellæ, & Legionis: quod Francorum Reges obtendere assueverant: ad se pertinere contententes hereditario iure Blancæ Reginæ D. Ludouici Regis parente: quæ Berengaria Regina sorore maior natus fuerat. Quæ quidem facta, atque commissa per se præclara, atque ingentia: sed quæ sine maximo certamine a Sanctio Rege obtineri nõ possent: Alfonso Rege Aragoniæ cõsobrino inimico: cuius imperio Alfonso, & Ferdinãd? legitimi eorũ regnorũ heredes, Moreliana in arce cõtinebant: quib? dimissis, ingētes turbas suboriri erat necesse. Hinc statim nouũ bellũ cõstatum.

Alfonso, & Ferdinandus Alfonso Castellæ Regis nepotes ex Moreliana arce liberi dimittuntur: & Septembris mensis initio, Alfonso Iacæ Rex Castellæ, & Legionensis populi a Didaco Lupio Pharenfi Lupi Comitibus F. quem Sanctius Rex Phari occidi imperauerat, & pluribus alijs Castellanis proceribus renũtiatur, salutaturq; & regijs insignibus decoratur.

A. D. IV. Id. Sept. Veneris die Eduardus Angliæ Rex Iaccam urbem introijt. Postero die Montis regalis, & Rauenæ Archiepiscopi, sedis Apostolicæ legati de pace missi, eodem loco conuenientes, Regi notas Pontificis Maximi litteras efficiunt: quæ in ipso pontificatus initio ad Regem data fuerant: dignæ, quæ hoc etiam in loco recenseantur.

NICOLAUS Episcopus seruus seruorum Dei nobili viro Alfonso nato quondam, Petri olim Regis Aragonum, spiritum consilij sanioris. Si graues, & enormes excessus, atroces iniurias, & offensas multiplices, quas quondam Petrus olim Rex Aragonum pater tuus, diuina, & Apostolicæ sedis reuerentia prorsus abiecta, in salutis propriæ molitus dispendium, sui que nominis, quod cautius custodiri debuerat, derogationem non modicã animatus, contra Romanam Ecclesiam, matrem cunctorum fidelium, & magistram, illicitis ausibus perpetrare, sibi que irrogare præsumperat, insulam occupando Siciliæ, ac partem regni Siciliæ alteram adius, & dominium eiusdem Ecclesiæ pertinentes, quas claræ memoriæ Karolus Rex Siciliæ ab eadem Ecclesia tenebat in feudum, validis impugnando conatibus, & in diuersis alijs eiusdem regni partibus statum Ecclesiæ memoratæ pacificum, quam plurimum perturbando, quosque tu, & Iacobus frater, & Constantia mater tui, iam dicto Petro sublato de medio, eius inconsulte sectando vestigia, commisitis, prædictis fratre, ac matre insulam detinentibus, partemque alteram impugnantibus supradictas, teque illis in his impendendo consilium, auxilium, & fauorem, velimus innarrare per singula, & seriosis aperire sermonibus, longum esset: ingensque audientibus tædium generaret. Sed tu ex quo potissime iam dictam perturbas Ecclesiã, ipsius mentem vehementer amaricas, eamque in intimis dure pungis: quod carissimum in Christo filium nostrum Karolum claræ memoriæ K. Regis Siciliæ primogenitum, magnum vtique ipsius vassallum Ecclesiæ, suumque

ABRA. NAT. CHR.  
MCCGGXXVI. MCCCLXXXIIX.

„ fidelissimum filium, & deuotum virum, utiq; iniuste detentum, & quo ad  
 „ eum, in proelio iusto captum, ac regnum, iuraq; paterna debite, ac legiti-  
 „ me defendentem: non inuadentem tuam, vel tuorum terram, non occupā-  
 „ tem aliqua tua, vel ipsorum iura, vel bona, nec alias tibi, vel eis iniuriam in-  
 „ ferentem, sed a quibusdam, more quasi piratico interceptum, carceralibus  
 „ vinculis detines alligatum: in diuinæ maiestatis offensam: grande tuæ fa-  
 „ mæ, salutisve dispendium: & graue scandalum totius pæne populi Chri-  
 „ stiani. Quia igitur tot, & tantos excessus pati æquanimiter, vrgente nos  
 „ conscientia, non possumus, nec debemus, nobilitatem tuam præsentium  
 „ tenore monemus, vt præfatum primogenitum, sublato difficultatis obsta-  
 „ culo, plenè restituas libertati: nullumq; præfato Iacobo fratri tuo, vel alijs,  
 „ seu alijs quibuscumque in insula, & regno prædictis, Ecclesiam quomodo  
 „ libet impugnantibus, vel turbantibus supradictam, impendas per te, vel  
 „ alium, seu alios fauorem, consilium, vel auxilium publicum, vel occultū.  
 „ Et nihilominus infra sex menses a receptione præsentium computandos,  
 „ compareas peremptorie coram nobis: nostris, & eiusdem Ecclesiæ manda-  
 „ tis, & beneplacitis, super præmissis humiliter, & efficaciter pariturus. Alio  
 „ quin non ignorare te volumus, quod contra te spiritualiter, & temporaliter,  
 „ prout qualitas facti suaserit, & expedire viderimus, procedemus.  
 „ Quodq; propter præmissam monitionem nostram, vel aliquam citationē  
 „ emissam, seu etiam emittendam, vt certo tempore coram nobis compa-  
 „ reas, super præmissis nostris, & Ecclesiæ beneplacitis pariturus, siue infra  
 „ ipsum tempus curaueris, seu renueris, aut distuleris comparere, non inten-  
 „ dimus contra te, tuosq; fautores, seu adiutores processus spirituales, vel tē-  
 „ porales omittere, vel differre, aut omitti facere vel differri, qui per nos,  
 „ vel per alios occurrerint, seu apparuerint faciendi. Dat. Romæ apud S.  
 „ Petrum Id. Martij: Pontificatus nostri Anno primo.

Aragoniæ, & Angliæ Reges Campumfrancum ad vicum congregiun-  
 tur. Is locus, tamquam medius, ad ipsa Pyrenæi culmina, vtriusque collo-  
 quio deligitur: atque eo Salerni Princeps deuehitur: vt consilia erigendæ  
 ex præsentibus ærumnis christianæ reipublicæ Olorone agitata, explicē-  
 tur. Is tractandis, de se liberando condicionibus, interest: quæ coram Re-  
 gibus, eodem in vico, iureiurando A. D. I V. K. Nou. ab eo firmantur:  
 sancianturque. Ludouico, ac Roberto liberis pacis, & fidei obsidibus tradi-  
 tis: & x x x v i. proceribus, & x l. ciuibus Anglicæ gentis in custodias ad-  
 ductis, qui ab Aragoniæ Rege obsides imperati fuerant, Princeps liber di-  
 mittitur. x x i i i. M. marcharum argenti, præsentis pecunia Regi pendun-  
 tur: & de v i i. M. Princeps obsidibus cauet. Decernitur, vt Raimundus Be-  
 rengarius Principis F. obses etiā dedatur. Ad hæc Rex sibi per Eduardum  
 Regem cauet, vt Carolus Principis F. natu maximus intra x. menses obses  
 tradatur: alioquin pater C x x. M. marcharum damnas esto. Indutijs vero  
 trium annorum pactis, & ab Ecclesia, Rege Francorum, & Carolo eius fra-  
 tre, atque eorum fautoribus minime firmatis, atque constitutis, neq; Prin-  
 cipe in Regis custodiam reuerso, obsides nexu Regi tradentur: Prouincia  
 Gallia ditioni, atque imperio Regis addicetur: cedetque: & l. m. marcharum  
 multa irrogatur. His condicionibus Rex se, & priuatam, & publicam  
 pacem perpetuo redimere posse arbitratur: quam Princeps se præstitu-  
 rum intra trium annorum indutias pollicitus fuerat.

A. D.

A. D. VII. Id. Dec. Darocæ pacta inter Regem, & Alphonsum, qui se Castellæ Regem nominat, conuenta aduersus Sanctium Regem confirmant: Gastone Beneharnensi, & Didaco Lupio Pharësi, Lupi Comitis filio, & Didaco Lupio eius patruo præsentibus: qui Alfonso partes tuentur.

ABRA NAT. CHR.

MCCCXXVI. MCLXXXIIX.

Dec. Id. exactis Turôlio Rex Petrum Auarium in Castellam legat. Is Pallantiæ coram Sanctio Rege fidem Regis liberat: atque vinculo amicitie solutum obtestatur: & tamquam hosti bellum intra xxx. dies inlatum denuntiat: prouocatque.

Ludouicus, & Robertus Caroli Regis filij, regali enim nomine e custodia dimissus uti cœpit, obsides Regi traditi, in Siuranam arcem, quo pater in custodiam abditus fuerat, includuntur. Ex viginti obsidibus, ex Mafsiensi nobilitate delectis, qui Barcinone traditi fuerant, ij qui quintum decimum annum non attigerant, custodia causa ciuibus Barcinonensibus distributi: reliqui vero in nouam arcem missi. Sexaginta ex Gallia prouincia in Ilerdenses, & Momblanquenses custodias inclusi continentur.

MCCCXXVII. MCLXXXIX.

Valentia Rex Casaraugustam contendit: quod a factiosis proceribus multa turbarentur. Vnionis enim factio consiliarios Regi deligit, atq; imponit. Consilio, & domesticis officijs, ac muneribus eos præficiunt, qui in summa audacia, & magna apud populum gratia, atq; confidentia pollent: Regijs amicis conquerentibus, & in eo maiestatem regiam minui prædicantibus, obtestantibusq; tantam mali labem numquam in republica fuisse: neq; ad plures pertinuisse. Consiliarij vero hi selecti fuere. Petrus Aierbius, & Petrus Ferdinandus Ixeritanus Regis patruus, Bernardus Guilielmus Entêza, Petrus Cornelius, Simon Vrrea, Petrus Iordanis Penna Arenosius, Amor Dionysius, Simon Cornelius, Iohannes Vidaurius Jacobi Exericæ nomine, Petrus Simenius Iracius Jacobi Perezij Regis fratris loco. Ex domesticorum nobilitate deliguntur Guilielmus Alcalanus qui Quinti dominabatur, Egidius Vidaurius, & Simon Perefus Pina. Gubernationi regni, & Ripacurciensis ditionis, domesticisq; Regiæ aulæ functionibus suos etiã deligunt cõsiliarios, atque administratos Michaëlem Simeniũ Vrream ex proceribus pro Cancellario, Martinum Perefium Oscensem iudicem causarum domesticarũ, Innicum Lopesium Iaccetanũ quæstorẽ, & Iohannem Ficariam cubiculo, & Arnaldũ Aimericũ rationibus præficiunt: & reliquis muneribus, functionibusque suos delegant administratos. Alternatim præterea consilia constituunt: ut gubernationis munia ad alios transferant: omnibusq; cõmunicent. Turiaso, Sosisũ, Thermẽ, & arx Baiana nouis præsidijs, operibus, munitiõibusq; aduersus Nauarros sepiuntur: atq; firmant.

A. D. VI. K. Iul. Calataiubij Alphonfus, qui Castellæ ius, ac nomẽ vsurpat, Murtiensis populi regnum Regi condonat. Carthaginensis, & Murtiensis ciuitas ei regno contribuitur. Secreto ea res interuentu Petri Martinij Artassonẽ, & Ferdinandi Perefij Pinæ transigitur: cum Alphonfus sua fœdera aduersus patrum cum Alamirio Mahomate Abennazario Granatensi Rege fecisset. ¶ Cum Rex nouo se Castellano bello operauisset, & ingentes copias ea expeditione cõparasset, quæ se Castellanis Alfonso copijs adiunxerat, Montacuti oppidi finibus magno exercitu Castellæ regni præsidia adoriuntur. Moronũ vi expugnat: & Martinus Perefus Portucarrerius, qui propugnationi præfuerat, sagitta ictus occubuit. Sanctius cauens, ne proelium ineat, Turiasonenses fines incurrit.

R iiij Didacus

AERA NAT. CHR.  
MCCCXXVII. MCC LXXXIX.

Didacus Lupius Pharenfis Lupi Comititis frater Conchenfis, Opten-  
fibusque finibus Sanctio Regi bellum infert. Turolenfibus adiunctis Ru-  
dericum Paim Sotomaiorem, ad Pagiaronem vicum proelio superat.  
Vexilla hostilia Turolij, tamquam tropæa ftatuta, eius victoriæ insignia  
fuere: donec a Petro Rege, qui Turolium cepit, & diripuit, sublata funt.

Gilbertus Cruillias, & Bernardus Guilielmus Pinelius, qui ad Fran-  
corum Regem legati eius rei caufa fuerant, vti de pacis condicionibus deli-  
berent, ab Aimerico Narbonenfi regulo indigne habiti, acceptiq; , & per  
fidem circumuenti, cum hostium quoque iura, & fas gentium, & sacra le-  
gationis violarentur, in asperam, duramque custodiam trudentur.

Gallorum, Nauarrorumque exercitus incursionem in extrema finium  
Aragonix factæ. Saluaterram oppidum oppugnant. Submissis a Rege au-  
xilij Simon Vrræ, & Petrus Cornelius vi oppido potiti hostes fundunt:  
fugantque: Castellum vero penes hostes consistit.

A. D. I V. K. Iun. Pontifex rescis, irritisque pactionibus, quæ cum  
Rege inixæ, & constitutæ fuerant, Carolum Salernitanum Principem re-  
gis insignibus decorat: & cognomen regni Siciliæ, Ducatum Apuliæ,  
& Calabriæ, Campanique Principatus attribuit.

Iacobus Siciliæ Rex Bruttios, & Campaniam terra, marique diuexat.  
Caietam circumfidet. Carolus subsidio aduentat. Cum castra castris colla-  
ta essent, præclara concertationum facinora a Regibus consciscuntur. Le-  
gati demum Apostolici interuentu indutias paciscuntur. Tertio die, A.  
D. III. K. Sept. Siculus nauim conscendens, Bruttiorum oram præter-  
uectus, turbulenta, vehementique tempestate iactatus, A. D. VII. Id.  
Sept. ex alto in Messanæ portum transuehitur.

Conuentus Aragonensium, Valentinorum, & Catalanorum  
Montionem indicuntur.

Iohannes Zapata Præfectus Iustitiæ Aragonum.

Hugo Mataplana Cæsaraugustanus Episcopus.

Guilielmus Galcerandus Catanzari Comes a Rege Siciliæ ad Sanctiũ  
Regem legatus tractandis fœderum pactionibus interuenit. Vt Isabella  
Alfonfi, & Blanca Molinæ dominæ filia Siciliæ Regi nubat, deliberant:  
cuius proauus Rex Alfonso fuerat.

Ptolemaide a Sultano obfessa, vi i. actuarijs nauibus Iacobus Rex ob-  
fessis auxiliares copias præmittit.

Rogerus Lauria Ptolemætam Africæ prouinciæ urbem vi expugnat,  
diripitque: & Marganum, qui eo se coniecerat, recuperat.

Carolus Rex inter Panizafium Pyrenæi collem, & Iuncariam, armato-  
rum manu septus, simulat se in potestatem, atque custodiam Regis dedi-  
tum: quod Ecclesiæ, & Francorum Regis concordia, ac pacem, quam præ-  
staturus erat, tribuere nõ posset, condicione, qua se obstrinxerat. Ea simu-  
latione palam ludificari, caluniariq; visus, Perpiniânũ statim reuertitur.

Bellum in Catalonia inter Moncadas, & Entencias acre,  
& magnum geritur.

Iam in exitu annus erat, cum Francorum, & Balearium Reges bellum  
aduersus Aragonium facere, atque instruere adoriuntur.

MCCCXXIX. MCCXC.

Februario mense Rex Ilerdæ ad summum Pont. legat Galcerandũ Mi-  
ralliũ, Bernardũ Fonollariũ, Guilielmũ Aimericũ, & Guilielmũ Iafferiũ  
de pace



de pace oratores: & de summis rebus mandata illis a Rege dantur. Iacobus præterea Rex Iohannem Prochyam Romam legatū præmittit: qui suo nomine summū Pontificem obtestetur, vt se Ecclesiæ conciliet: & interdicta tollantur. Pontifex legatos Siciliensibus rebus Benedictū Columnam S. Nicolai, & Gerardū Parmensem S. Sabinæ Cardinales præficit. Carolus Rex denuo inter Panizasium collem, & Iuncariam cū Rege ad colloquiū congregitur. Indutias suo, & Gallorum Regis nomine in K. Nou. quarum initium futurum erat, A. D. I X. K. Mai, paciscitur.

ABRA. NAT. CHR.  
MCCCXXIX. MCCCX.

Iohannes Nunnius Larenfis ad Cinciliam Stephanum Ferdinandum Castrensem, copiarum Regis Castellæ ductorem in primis strenuū atque primarium proelio deuincit. A. D. X I. K. Sept. Valentiam contendit: & iurifurandi sacramento suo, filiorumque nomine, suam obstringit fidem: polliceturque se Regi pariturū, militaturumque: neque indutias cum hoste sanctio, nisi Rege consensio, depacturum. Rex eadem se pactione obstringit: interuētū Lupi Ferrencij Lunæ, Raimundi Anglesolæ, Gonzalvi Ruderici Stunicæ, Acarci Murij, Petri Martinij Artallonæ, Alamani Gudalis, & Iohannis Zapatæ Præfecti Iustitiæ Aragonum: qui Larensem Regi conciliauerant: nisi summa hominis in constantia, & mentis mutabilitate, irrita cum leuitate, tum etiam periurio mansissent.

Copiæ militares, cum Castellorum bellum lentius duceretur, & Regis stipendia mererent, Molinæ finibus, Segontia, Atientiaque loca, agrorumque decursionibus depopulantur, & Valeranicæ vsque incurfant. Cum hiems appeteret, haud secus, quam dignum erat, omnes infensi, bellum propalam migantes, ad suos reuertuntur. Nostri copias incolumes, præfidijs Castellis, in confinijis impositis, deducunt: adeoque valida præfidia disposita erant, vt inde hostes leui opera auerterentur.

Totius Catalani conuentus consensu XL viri deliguntur, qui de pacis condicionibus deliberent: & maximis consultationibus disputent.

Februario ineunte Hugo Mataplana Casaraugustanus Episcopus, Raimundus Anglesola, Berengarius Puchuertius cancellarius, Ecclesiæque Solsonensi præpositus, Guilielmus Lunfortius, & Bernardus Guilielmus Pinelius iuris, & publici, & priuati peritissimus, Regis legati Tarascone cum Apostolicis, & Francorum Regis legatis pactiones, ac pacis foedera ijs condicionibus icunt, consciuntque. Martini P. M. donatio Carolo Francorum Regis fratri assignata rescinditur: ea lege, vt Rex, posterique Aragoniæ Reges, quot annis vncias auri xxx. Ecclesiæ pendant. Balearicum regnum regio Aragoniæ Regum iuri addicitur. Procures Aragonij, Catalanique ex Sicilia exigantur, amendanturque. Festo natiuitatis Domini proximo Rex se Romæ sistat: exercitum aduersus Ecclesiæ hostes conducatur. Siciliam adeat: parenti, fratrique persuadeat, vt i regnum Siculum occupare desistant: alioqui bellum illis indicat: inferatque. Non ea tamen pax nostris, sed turpis, infamisque pactio visa: quod Rex, matris innocentissimæ, sanctissimæque feminae non eandem causam putauerit, parentive rationem duxerit: & a pacis condicionibus semouerit. Frater etiam germani quodammodo proditor, atque deserctor habitus. Casaraugustanus, & Solsonensis Romam proficiscuntur: vti more, regio nomine, in Pont. Max. verba iurandū sanciantur. Guilielmus Castellinus, & Bernardus Segalaris ad Sanctū Castellæ Regem legantur ad indutiarum iura, quæ Tarascone depactæ

MCCCXXIX. MCCCXI.

AERA NAT. CHR.  
MCCCXXIX. MCCCXCI.

de pacta fuerant, scienda: quæ a Sanctio Rege refutantur: quamuis Irene Lascaris Theodori Lascaris Imperatoris F. de ea re instanti tempore Sanctium Regem commonefecisset.

Fide publica, vt ad colloquia, congressum quæ Rex, & Carolus perueniat, decernitur: & Priori S. Egidij suam fidem Regis nomine obstringunt iurifurandi religione, Raimundus Rogerius Comes Palliariensis, Berengarius Puchuertius, Iazbertus Vicecomes Castellinoui, Gaufrerus Roccabertinus, Raimundus, & Galcerandus Anglesolæ, Petrus Queraltius, Arnaldus Corsaius, Berengarius Cardona, Galcerandus Cartella, Lupus Gurra, Ioannes Zapata Præfectus Iustitiæ Aragonum, Guilielmus Durfortius, Berengarius Capra, Galcerandus Mirallius, & Arnaldus Capra. Adhæc Raimundus Collus Tarraconensis Archiepiscopus, Cæsaraugustanus Episcopus, Berengarius Puchuertius Præpositus Solsonensis, & alij Antistites de dolo malo, & fraude Regi Carolo cauent.

A. D. VII. Id. Apr. Rex, Carolusque cum duodenis proceribus, gladijs tantum succinctis, ad collem Iuncariæ, quem Podium specula vocitant, qui inter Panizasiû, ac Pertusum collæ est interiectus, ad colloquiû deueniunt. Certas, ratas, fixasq; pacis condiciones habent: approbantq;.

Ea tempestate Carolus Clementiam F. Carolo Francorû Regis fratri collocat: & Comitatum ditionis Valesiæ condonat: vti de suo iure, quo Aragoniæ regnum appetierat, decedat.

Regis, & Leonoræ Eduardi Regis F. nuptiæ plenæ dignitatis, & concordiæ constituuntur. Ineunte Maio Berengarius Beluisius sanctioris ærarij Ausetani præfectus, Iohannes Zapata Præfectus Iustitiæ Aragonum, & Guilielmus Durfortius legantur ab Rege ob eam causam, vti doti dictam pecuniam redigant.

A. D. XIII. K. Iun. Raimundus Folchius Cardonensis, cum splendi dissimo, ornatissimoque nobilium virorum comitatu proficiscitur: vti no uam nuptam ex Aquitaniæ finibus, ad Regem virum deducat. Cum amplissimi, apparatussi que ludi maxima celebritate a nostris pararentur, repentinum, inopinatumque malum, non modo regnum gaudijs exultans, sed publicam orbis pacem obturbat. Rex funesta peste correptus, tertio die, in ætatis flore, animi excelsi, atque inuicti magnitudine, & robore præstans, vniuerso regno eripitur. Decedit Barcinone A. D. XIV. K. Iul. cum septimum, & vicesimum annum ageret. In cœnobio Barcinonensi fratrum Minorum sepelitur.

Petrus Regis frater, qui Darocensibus finibus belli gerendi curam suscepserat, fraternæ mortis conscius proceres regni Cæsaraugustæ cogit: vt videant, ne quid detrimenti respublica capiat. Conuenere Iul. K. Simon Virea, Bernardus Guilielmus Entenza, Petrus Cornelius, Philippus Ferdinandus Castrensis, Atho Focius, Iohannes Simenius Virea, Sanctius Antilionius, Artallus, & Blascus Alagones fratres germani, Lupus Ferrerencius, Petrus Martinius, & Rudericus Simenius Lunæ, Gombaldus Entenza, Simon Cornelius Petri Cornelij F. Petrus Iordanis Penna, qui Arenosij, & Rodenis dominabatur, & Petrus Sefesius. Quod repentinò pax crepta esset, rem bellicam administrant.

### IACOBVS II. REX XVII. ARAGONVM.

Iacobus Siciliæ Rex, cum graues de fratris morte nuntij venissent, gubernaculis

bernaculis regni, summæque rerum Sicularum Fredericū fratrem admo-  
uet: præficitque. A. D. X. K. Aug. Drepanitano portu soluit. In Maio-  
rem Balearium inuectus, & in Tarraconense litus nauigans, Barcinonem  
A. D. XVII. K. Sept. applicat. Inde CæsarAugustam, ad conuentus ini-  
tio regni agendos contendens, A. D. XV. K. Octob. urbem introit. A.  
D. II. X. K. eadem in Saluatoris æde, conuentu assidente, Rex iureiurā  
do sancit: vt rata, ac firma sint, quæ institutis maiorum, legibus, ac foris  
superiores Reges sciuerant, constituerantque. Regni diadema more su-  
scipit: iisdem cærimonijs, quibus pater, ac frater coronati fuerant. Conte-  
statur icidem se regni iura, non fraternæ hereditatis cretione, aut adsciti-  
cio iure, sed paternæ, autæque successionis, propinquitatisque vinculis  
adeptum: quod natu maior esset: vt ius suum in Sicilia regno retineret:  
quod ad Fredericum fratrem Rex Alfonsus testamento transferri decre-  
uerat. Inde fratres inter se grauisime dissentiunt.

A. D. III. K. Dec. Montacuti Rex cum Sanctio Rege cōgreditur: sum-  
maque inter eos consensus, & amicitia coniugatur: nuptijs inter Regem,  
ac Isabellam Sanctij F. pactis.

Kal. Dec. denuo Sorix Reges, vt res communi consilio collocentur, at-  
que constituentur, ad colloquium deueniunt. Inde Calataiubium contem-  
dunt. Eo in oppido fœderum pactiones, quas matrimonij sponsalibus ice-  
rant, confirmantur. Rex Isabellam sponsam in domum regiam ducit an-  
nos IX natam. Arcibus tamquam obsidibus traditis, & pacis fœdera, & pa-  
ctæ nuptiæ sanciantur: & regnorum proceres, vt ratæ, firmæque sint, iu-  
stis sacramentis astringuntur. Cum proceres Aragonij infecti partibus  
essent, & armis decernerent, Sanctius Rex pacis, & concordix, composi-  
tionisque auctor esse non desistit: Rogerius tamen Lauria, & Bernardus  
Sarria rerum omnium præstantia excellentes æmulatione penitus infi-  
ta, perpetua contentione inter se dissident.

Iniqua hæc omnibus pactio visa: & nouæ coniunctionis necessitas Regi  
iuueni minime callido imposta: quod in ditione, ac potestate Ecclesiæ,  
turbatis morte fratris fœderibus, quibus etiam expulsus, atq; exclusus fue-  
rat, non permaneret: præsertim, quod cum maior vis belli in Siciliam pro-  
pendeat, nullum Rex sibi ex Castellæ regno auxilium, transmarinumve  
subsidium adiungat. Inde pax ea multis suspecta est: atque inuisa.

Ea tempestate fœdus inter Regē, & Genuenses Guilielmi Durfortij, &  
Bernardi Fonollarij regionū legatorū interuentu sancitur: cum eius reipu-  
blicæ gubernator esset Guilielmus Brunus Astensis: & externus copiarū  
ductor Alafranquinus Suargius Bergomās: & primarij eius ciuitatis opti-  
mates Obertus Spinula, Obertus, & Conradus Oriæ. Maiorum enim gen-  
tium eius ciuitatis familiæ Fliscorum scilicet, Spinularum, Nigrorum,  
Oriarū, Grimaldorum, atque Voltarum summis Imperatoris Frederici,  
& Conradi, & Manfredi filiorum beneficijs affectæ fuerant.

Blacus Alagon vir genere, factisque clarissimus, & consilio, & manu  
promptus in Bruttij strenue rem gerit. Cum Montaltum obsidione libe-  
rasset, Guidonē Primeranū Caroli Regis copiarū ductorē proelio deuincit.  
Alagon Siculis in expeditionibus omnium consiliorū, non particeps so-  
lum, sed etiā princeps fuit: atque interim, dum fraternæ seditiones con-  
flantur, atque intestina bella, quæ ad internecionem gesta sunt, exarsere,

ABRA NAT. CHR. vnus dignus habitus est, qui tot proceribus Siculis, & Catalanis, atq; Aragonijs præesset: cum omnia in eo duce reposita esse viderentur.

MCCCXXX. MCCXCII. Iunio mense Rogerius Lauria, in quo summa rei bellicæ terra, marique tum vertebatur, iam eximius honoribus, simul atque virtutibus, tot victorijs partis, cuius ductu accisæ res hostium erant, ad Crotonem, vetustam Bruttiorum urbem, Guilielmum Estandardum Caroli Regis copiarum præfectum, ac ducem, magna virtutis laude superat.

Sanctius Rex magno comparato exercitu Tarifam nobile oppidum, in ipsis Gaditani fretifaucibus situm, Carteiam quidam priscis sæculis nobilem fuisse autumant, terra, marique adoritur. Aragonia classis Berengario Montoliuio ductore regis classi adiungitur: & Septembri mense Tarifani vix expugnantur.

Artallus Alagon, Petrus Cornelius, & Simon Vrea a Rege disidentes, quod solum verterent, vt alij Regi se applicarent, Rex instituto more maiorum, ac lege, eorum coniugum, liberorum, bonorum, subditiorum, oppidorumque, atque arcium patrocinium, & propugnationem suscipit: ipsique recipiunt se ea, Regi præsturos, quæ ea cõdicione cõstituta, lex cauisset. Philippus Salassus Salassorum Marchionis F. Regis patruelis frater, qui se ei destinarat, atque omni obsequio addixerat, a Rege ditione oppidorum, atque arcium Iusseï, Lasquaris, Laguaris, Luzasij, Stopiniani, & Viacampi donatur.

Fredericus Ralco, Rogerius Ieremias, Pandolfus Falcon Mamertinus, Hugo Talacus, Iohannes Calatagironus, & Thomas Grilus Panhormitanus a Siculis de re publica ad Regem legantur: vt eum a Gallico foedere, & amicitia pactione auertant.

Artallus Alagon Regis affinis Darocensibus, Turolensibus, Morrellianis, & Oscensibus finibus bellum infert. Rex Arcainum eum includit, obfidetque. Interuentu demum Sanctij Castellæ Regis, & Berengarij Cardonæ Templariorum in Aragonia, & Catalonia Magistri, Petri Garcezij Nuezij, Petri Simenij Monebæ, Iohannis Zapatæ Præfecti Iustitiæ Aragonum, & Petri Sanctij Prætoris Calataiubiensis Rex noxas omnes remittit. Artallus Arcaini, Olietis, & Aris iure, ac ditione cedit: & Rex Pinnam, & Alcubierem illi condonat. Petrum præterea Cornelium, & Simonem Cornelium eius F. Rex ad se allicit: & Alfaiarinum, & Alfamenem oppida, permutatione ditionum, quæ in Pyrenæi conuallibus, proauorum hereditatibus obtinuerant, attribuit.

Tarinorum, & Tarbarum, & Bernardinorum factiones Cæsaraugustanorum ciuium tumultuantes, & ruentes omnia perturbant: & de magistratibus mandandis inter se dimicant: mœnia, & propugnacula vrbis obstruunt.

MCCCXXXI. MCCXCIII. A. D. XIII. K. Sept. Rex cum socero Rege Logronij congregitur. Nonnullis Rex Sanctius in suspicionem venit, minas genero iactasse: ac fuisse demoratum: dum auxiliarum copiarum subsidio cedat: quod pactio num initarum ratione sibi socer, aduersus Francorum Regem obtulerat.

Novembri mense Rex, & Carolus inter Panizasum collem, & Iuncariam, cum denis proceribus, ac duodenis consiliarijs ad colloquium deueniunt. Nouas indutias paciscuntur: summaque consensione, ac spe recedunt, se ad pacis conditiones descensuros.

Simon

Simon Peresius Salanoua Praefectus iustitiæ Aragonum A. D. IV. Non. Mart. Barcinone in Iohannis Zapatae locum sufficitur.

A. D. X V. K. Aug. Rex Raimundum Villanouam primarium ex inimicis virum ad Reginam parentem in Siciliam legatum mittit. Eius legationis eam causam fuisse comperio: vti Reginæ, Frederico fratri, Siculisq; proceribus persuadeat, ad pacis condiciones animos intendant. Maxime enim publicæ quieti interesse videt, cum Ecclesia sancta Dei, & potentissimis principibus, per ingens beneficium, perpetuam firmare pacem: amicitiamque.

A. D. XII. K. Dec. Raoulus Claramontius Comes, & Franciæ Connestabulus, & Petrus Flota Regis Francorum legati Regem Barcinone conueniunt.

Cum Nicolao P. M. defuncto, biennium sedes Apostolica summo pastore careret, & Non. Iul. Perusij Cælestinus V. insigni sanctitate venerandus, extra amplissimi sacerdotij collegium, ad summum Pontificatum euectus esset, primo quoque tempore Raimundum Pontium Valentinum Episcopum, & Bonifacium Calamandranam legatos ad Aragonum Regem de ea re præmittit: vt vna cum legatis Regis Francorum de pacis conditionibus deliberent. Nuptias inter Aragonum Regem, & Isabellam Sanctij Regis F. pactas Cælestinus irritas facit: easque rescindit.

A. D. II. Id. Dec. Neapoli Cælestinus pontificatu maximo se abdicat. In eius locum A. D. IX. K. Ian. Bonifacius XI. sufficitur.

Februarij mensis initio Lutetiæ Parisiorum Philippus Rex suo, & Caroli Alanzonij, Valesij, & Andium Comitum fratris nomine Aurelianensem Episcopum, & Abbatem S. Germani Pratenfis legatos de cõmuni pace Neapolim mittit. A Rege Gilbertus Cruillias, Guilielmus Luffortius, Petrus Costa, & Guilielmus Galbanus, qui iuris ciuilibus intelligentia, atq; omni prudentiæ genere præstabat, legantur.

A. D. VII. K. Mai Sanctius Rex Toleti moritur.

Bellum per tot annos, tot discriminibus, & tantis laboribus gestum, nõ ante cepit finem. Bonifacius Pont. Max. & Carolus Rex Aragoniæ conuenientes, legatorum Regis Aragonij interuentu, res inter dissidentes principes, in pristinam concordiam redigunt. Iacobi Regis nuptiæ cum Isabella Sanctij Regis F. pactæ rescinduntur: atque irritæ fiunt. Secreto paciscuntur: vti Rex de iure regni Siciliae decedat: & Sardinia, & Corsica insulae Aragonum regno contribuantur: quas Pont. Max. Ecclesiæ nomine condonaturus erat. Balearico Regi, qui Gallicobello, Maiore Balearium insula exactus fuerat, de regni Balearici iure, eo fœdere seorsum cauetur.

Inter Francum, & Aragonum Reges amicitiae fœdus secreto icitur: comparantq; ne proceres alterius regni, suis maneant, militent ve ditionibus. Pollicetur Rex se XL. actuariarum nauium classe, Franco auxilium Anglico bello laturum: quæ XL. M. librarum Turonensium a Franco in quatuor menses persoluedarũ, stipendia mereant. Sin vero classis duos alios menses attineatur, XXX. M. persoluantur. Singulis nauibus deni nautæ, totidemq; qui ad proram munus obeant: & centeni, atque octogeni milites assignantur: compensato numero, pro ratione maiorum, minorumve nauium. Ea lex dicitur: vt arces, oppidaque Anglico bello expugnata Frãco cedant: prædæ vero, atque manubiæ a Regibus partirentur. Præfectus ho-

S stilis

ABRA. NAT. CHR.  
MCCXXXII. MCCXCIV.

MCCXXXIII. MCCXCV.

AERA NAT. CHR. \*  
MCCCXXXIII. MCCXCV.

filii classis ab Aragonio captus, Rege Franco absente, ut Aragonio dediticius sit, constituunt. Sed intestina, & domestica bella regiam classem ab Anglico bello auertere.

Fredericus Regis frater, regni Siciliae vicarius Pontificis Max. arcessitu in Italiam nauigat. Ad Velitras Iohanne Prochyta, & Rogerio Lauria prestantissimis viris comitibus summum Pontificem inuisit. Pollicetur Pontifex Catharinam Philippi Constantinopolitani Imperatoris filiam, & Balduini Imperatoris neptem, ad quam eius regni iura deuoluta erant, Frederico coniugio collocaturum. In sumptus bellicos C. M. vnciarum auri, quatuor proximis annis suppeditaturos, si Constantinopolitanam expeditionem capeffat, Pontifex, & Carolus Rex spondent.

A. D. IX. K. Iul. Reges pacis condiciones vltro, citroque accipiunt.

Inter eas pacis leges conuenit, uti Rex Blancam Caroli filiam vxorem ducat. Blancam Rex pater, & S. Clementis Cardinalis Apostolicus legatus Perpinianum vsque comitantur: & transenso Pyrenæo Peraladam perducitur.

Siculi ad Regem legauerant Gualterium Fisaulam, Petrum Philosophum Panhormitanum, Sanctorem Bifalam, Cataldum Russum, & Gualterium Bonifacium Mamertinum: contenderantque ut Rex iureiurando astringeretur publicis in conuentibus, numquam Siciliae Regnum, aut insulas Siciliae adiacentes ab Aragoniae ditione separaturum: atque eadem sacramenti religione Petrus Regis frater, & quinquaginta primarij ex proceribus Aragonijs, Catalanis, & Valentinis obstringerentur, se daturos operam, ne ob eam causam a Rege Siculis bellum inferat. Mandata praeterea habent, ut ex filijs Caroli Regis, qui obsides erant, aliquis illis a Rege traderetur: & media obsidum pars, qui in Catalonia priuatis, & publicis custodijs afferuabantur: in Siciliam transmitterentur: neque finibus regni Siciliae excedant: quoad pax Siculorum arbitratu conficeretur.

A. D. I V. K. Nou. in Villabeltrano vico Rex legati Siculis renuntiat, se de iure regni Siciliae decessisse: iuraque suprema Ecclesiae agnouisse. Haud potuere legati grauioribus verbis vulnerari, si hostibus insulam dedere iuberentur: & Cataldo Russo perorante, legati Siculi pacis condiciones lamentabili querimonia detestantur.

Die sequenti Dominico, sacra, sollemnemque caerimoniam, quibus vniuerso regno, per tot annos interdictum fuerat, noxis absolutis, repetuntur: stataque religione conficiuntur: ut non solum in pristinum statum recidisse, sed omnium temporum dignitatem, & gratiam antecessisse res sacrae viderentur. Ea saeculi pietas, is cultus rerum diuinarum erat.

Rex Carolus Ficarias accedit: eoque oppidulo filiam Regi tradit.

A. D. II. K. Nou. qua die Carolus Regi filiam tradit, Ludouicus, Robertus, & Raimundus Berengarius Caroli Regis liberi obsides liberantur: & Regina Blanca a patre Villabeltranum vsque deducitur. Postridie celebri omnium sanctorum festo die, eo loco regiae nuptiae concelebrantur.

Dum Carolus Rex Pertusio Pyrenæi saltu regreditur, Ludouicus, Robertus, & Raimundus Berengarius eius filij, quos obsides Alfonso Rex imperauerat, quae Francorum Rex, fraterque eius Carolus promiserant, laudant, comprobantque: quibus iura Aragonensis, & Valentini regni, & Cataloniae

lonia ditionis Regi, posterisque Regibus libera, atque immunita remanent.

Barcinone summa cunctorum lætitia, atque alacritate ludj, festique nuptiarum dies concelebrantur. Petrus Regis frater germanus Guilielmam Moncadam Gastonis Beneharnensis F. vxorem ducit.

Pontifex Episcopum Vrgellitanum, & Bonifacium Calamandranam ordinis S. Iohannis Hierosolymitani in transmarinis ditionibus Magistrum in Siciliam legat: qui cum Regis legatis Siculos a desperato, & præcipiti consilio dehortentur: vt pacis constitutis condicionibus obtemperet. Sed quod magnopere desiderabat respublica Siciliensis maturant: & A. D. III. Id. Dec. Panhormi conuentibus publice coactis, proceres regni, & ciuitatum, municipiorumque procuratores Fredericum Regis fratrem dominum sibi adfiscunt: summæque rerum, vt eos tueatur, regatque præficiunt. Ex eo in publicas decretorum, sanctionumque tabulas, libellos, ac litteras refertur, dominante Frederico præpotentis Regis Aragonum, ac Siciliae filio, & rerum potente ea acta, gesta que fuisse. Ea regni deferendi initia fiunt.

Festum natiuitatis Domini diem, anniq; noui K. Ian. Rex Cæsaraugusta celebrat. Blanca Regina more coronam, regis que dignitatis insignia suscipit.

Raimundus Ribellias ordinis Hospitalis D. Iohannis in Hispania præfectus, & Berengarius Cardona Templariorum militiæ in Aragonia Magister Daroca in Carpetaniam Isabellam deferunt: Sæctij Regis F. quæ regi nuptui tradita fuerat. Ea postea Iohanni Britannia duci nubit.

A. D. XII. K. Febr. Catanæ proceres Siculi, Siciliensiumque ciuitatum procuratores, & primarij, qui aderant, Aragonij, Catalanique viri, in maxima eius vrbe æde, de Frederico in Regem adfiscendo referunt: regioque nomine Rogerius Lauria eum appellat: afferens id vi, nutuq; pro uideri diuino: & testamento Regis Alfonsi fratris præiudicatum esse: atque vniuersorum Siculorum consensu præcautum.

A. D. XIII. K. Febr. pontificatus Bonifacij 11 x anno secundo Romæ summus Pontifex Regem Aragonum vexilli ferum, ducem, & maritimarum rerum, classiumque Ecclesiæ præfectum, ammiratum vocat, in terræ sanctæ subsidium, & aduersus Ecclesiæ hostes insigni laudis testimonio creat. Obstringitur Rex LX. nauium longarum classem Ecclesiæ sumptibus, in ditionum suarum portibus, atque stationibus instructurum. xxxv. M. solidorum Barcinonensium stipendia in singulas naues, in quattuor menses ab Ecclesia assignantur.

Rex edici imperat, vti Aragonij, & Catalani proceres, primarijque viri Sicilia insula excedant. Qui secus faxit, in desertorum, ac proditorum numero ducatur.

A. D. XII. K. Febr. Rex, & Alfonsus Regis Castellæ nepos Bordalua, in prosequendo iure, quod in Castellano regno, atque hereditate Alfonsus repetit, ad eam concordia rationem veniunt. Ob eam opem, atque auxilia, quæ in inferendo bello Rex pollicetur, Regi Alfonsus pactione Murtiensis regni foedera icit: & eius regni ditione, in Regis gratiam cedit. Paciscuntur præterea, vt Iohannes patruus Ferdinandi Regis Castellæ pueri, Legionense, Gallaicum, atque Hispalense regnum obtineat: Alfonso Castellanium, Toletanum, Cordubense, Murtiense, & Iaënnense regna re

S ij liqua

AERA. NAT. CHR.  
MCCCXXXIII. MCCXCV.

MCCCXXXIV. MCCXCVI.

ÆRA NAT. CHR.  
MCCGXXXIV. MCCXCVI.

liqua maneat. Ad eam pactionem deueniūt Iolans Regina Alfonsi auia, Aragonum, Portugallia, & Granatensis Reges. Constituunt, vt Alfonso Iolantem Regis sororem ducat: quæ cum Regina matre in Sicilia aberat. Petro Regis Aragonij fratri Concha, Alarcon, Moia, & Cannetum oppida attribuuntur.

A. D. IIX. K. Apr. quo die resurrectio Domini, & annuntiatio B. Mariæ Deiparæ virginis festi dies cōcurrunt, Panhormi Fredericus, qui regni gubernaculis adnotus fuerat, regis insignibus a Siculis decoratur. Ex ea die se Fredericum III. Siciliæ Regem, Ducatus Apuliæ, & principatus Capuæ nuncupat.

**FREDERICVS III. SICILIAE REX: ET DVCATVS APVLIAE ET PRINCIP. CAPVAE.**

A. D. VI. Id. Apr. Fariza Alfonso Ferdinandi Regis competitor, & Petrus Regis Aragonum frater maximo, fortissimoque exercitu comparato Montacuti, Almazaniquæ finibus in Castellam inuadentes, arma in Legionensis regni fines vertūt. Militant in eo exercitu ex Aragoniæ regno, vt Montanerius auctor est, mille equites grauis armaturæ, & peditum L. M. Ingenti contentione exercitu ducto, non modo hostiles copias submouere, sed intra sua metipsa mœnia sunt cōpulsæ. Cū Legionē urbē peruenissent Iohannes Ferdinādi regis patruus Rex cōclamatur. Alfonso ad S. Facundi more gentis, in regni Castellæ fastigium subleuatus, expeditio nē vrguens Maiorgā obsidet. Rem bellicā proceres ductoresque Aragonij administrauere Simon Vrrea, Petrus Cornelius, Petrus Ferdinādius Ixeritanus, Raimūdu Anglesola, Lupus Gurra, Petrus Garcesius Nuezi, Ferdinandus Perefius Pina, Bartholomæus Esclaua, Ludouicus Diazius Rada, Berengarius Tobias, Petrus Simenius Moneba, & Guilielmus Vergua.

Eadem tempestate Rex coacto exercitu, quem separatim confecerat, Murtiensē regnum inuadit. Cum exterritæ improviso malo vrbes ad arma concurrerent, fugaque non modo agrestium, sed populorum passim fieret, plurimum terroris celeritas ipsa hostibus intulit: & quod classis regia eam oram prætervecta mare teneret, arces, castellaq; deduntur. Vrbs ante oppugnationem traditur. Hæc in A. D. IV. Non. Aug. gesta sunt. Perstant in armis Alcala, Ilorci, & Mula. Regi eo in bello suū munus præfiteri Iacobus Perefius eius frater, qui pro Rege Valentino Regno præfuit, Raimundus Folchius Vicecomes Cardonensis, Iacobus Exerica, Petrus Aierbius, Lupus Ferencius Luna, Petrus Martinus Luna, Sanctius Antilionius, Guilielmus Entenza, Atho Focius, Philippus Salassus, Simō Perefius Arenosius, Ferdinādu Lupezus Luna, Raimundus Alamanus, Galcerandus Anglesola, Iazbertus, & Dalmatius Castellī noui, Berengarius Villaragutius, Pontius Ribellias, Amatus Cardona, Guilielmus Lurfortius, Raimundus Villanoua, Egidius Ruizius Lihorius.

Petrus Regis frater in Maiorgæ obsidione æstu, febrique iactatus Oterdefumus oppidum dessestit. Inde incepta oppugnatione relicta, dum bellum maiore animo, quam consilio geritur: & magnas acerbitates perferūt, Castra vnde venerant, mouentur.

A. D. III. K. Sep. Petrus Regis Aragonij frater Oterdefumis moritur acerbissimo omnium mœrore. Dispersis, dissipatisque nostris, hostes animos sustulere. Petri corpus militares veteranorum copia Pallantinis Cam-



pisiterfacientes, & ante ipsas Vallisolei portas, quo in oppido Rex Ferdinandus, & Maria Regina mater, eius sæculi feminarum præstantissima commorantur, remeantes Cæsaraugustā deferunt: Simonis Vrræ, & Raimundi Anglesolæ intimi Petri amici cadaveribus comitatum. In cœnobio fratrum Minorum sepelitur: & iustis exequijs, supremi diei celebritate, militari lustratione funus cohonestatur. Anglesola pone ipsius Petri sepulchrum situs est.

Vbi Murriense quoque regnum Rex suo imperio adiunxit, quantus non unquam antea exercitus, classisque comparatur. Acies omni arte bellica instruuntur, atque firmantur. Eximij, factisque nobiles, & veterani duces fortissimi deliguntur. Rex ipse tantæ expeditionis vnicus Imperator omnium votis destinatur: necdum satis certus hostis exstiterat: nisi Fredericum fratrem regno euertere cupiat.

Fredericus Rex inita æstate terra, marique in Brutijs bellum gerit. Scyllacium, Catanzarum, Terra, quam vocant Iordanam, Croto, S. Seuerini, & Rossanum oppida Regi deduntur. Rocca Imperialis Rogerij insigni opera, obsidione liberatur: quam Iohannes Monfortius Comes obsederat.

Rogerius Lauria Frederici causam, armaque deferere, & ad Iacobi se Regis imperium, fidemque potissimum applicare constituit. Beatricem Lauriam F. Iacobo Exericae Iacobi F. & Iacobi Regis N. in matrimonium collocat: & Aragonijs classibus summo maritimarum rerum imperio a Rege commisso, præficitur.

Alfonfus Peresius Guzmanus magnitudinis animi, & fortitudinis præclaris operibus insignis, & in bellica laude egregius, longeq; omnibus præstans, Tariffam se Regi traditurum certis condicionibus pollicetur: uti a vi, & impressione Henrici Alfonsi Regis fratris, & Maurorum liberet: incolumemque, ac saluam, in ea rerum commotione, nostris in societatem adsitis, Ferdinando Regi puero præstet: atque retineat.

Simon Luna Cæsaraugustanus Episcopus.

A. D. III. Id. Febr. Raimundus Pontius Valentinus Episcopus Regius Cancellarius, & Guilielmus Namontaguda regis legati Messanæ Fredericum Regem cohortantur, ad colloquium cum Rege fratre in Aenaria, aut Prochyta insulis ineundum. Publico Siculorum concilio decernitur, ne Fredericus ad Regem fratrem adeat, ad colloquiumve deueniat: quod frater bellum impium suscipere non detrectet.

Rogerius Lauria Hadriano mari classe vectus Litium incredibili virtute oppugnat: Hydrunte potitur.

Constantia Regina cum Iolante F. quæ Roberto Caroli Regis F. despõsa fuerat, Iohanne Prochyta, & Rogerio Lauria fidsimis comitibus Mylis iv. actuarijs nauibus soluens, Regis Aragonum filij suafione, atque con filio Romam deuehitur. Ea manifesta signa apparuere inter fratres intestinis armis, & hostili odio bellandum esse.

Arnaldus Hispanus Rogerij Conuenatis F. in Palliariensem comitatu bellum infert: quantum conniti animo, viribusque poterat, cõtendens Fuxensis Comitibus auxiliarijs copijs, ea ditione potiri: quam hereditaria con trouersia repetit.

Martio mense exacto Rex classe Tiberina ostia præteruehitur. Eodem tempore cum Carolo Rege socero Romæ congregitur. Nuptiæ inter

AERA NAT. CHR.  
MCCCXXXV. MCLXXVII.

Robertum Calabriae Ducem Caroli F. & Iolantem Regis sororem magna  
celebritate coniunguntur.

SARDINIAE ET CORSICAE REGNUM AR-  
GONIAE REGIBVS ATTRIBVTVM.

A. D. II. Non. Apr. pontificatus anno III. Romae apud S. Petrum Bo-  
nifacius P. M. Iacobo Regi Sardiniae, & Corsicae regnum, & eius heredi-  
bus vtriusque sexus legitimis perpetuo condonat: atque attribuit. Praesen-  
ti Regi donationem eam, craterae aureae pignore foedere, ac fide sancit: su-  
premiusque fidelitatis ius, & vim summam potestatis, sibi, & futuris Ponti-  
ficibus recipit. Quibus temporibus, & quo militari, siue terrestri, siue naua-  
li auxilio subueniendum Ecclesiae sit, eius donationis causa, decernitur: ca-  
ueturq; .II. marcharum argenti Sterlingorum census, atq; tributum imponitur.

A. D. VII. Id. Apr. Gerardus Parmensis, Sabinensis Episcopus in Latera-  
nensi aede Rogerium Lauriam, reliquosq; qui Siciliensi bello militauerant, ex-  
preduellium numero eximit: & dirari, execrationumq; obnuciationibus sobol-  
uuntur: ac liberantur. Rex per paucis diebus in Tarraconense litus renauigat.

A. D. IX. Id. Mai. Rex Igualadae fautorem se Sibyllae Comiti Pallia-  
riensi praestat: quae Arnaldi Rogerij Palliariensis Comitis, & Lascaris eius  
uxoris filia natu maior Hugoni Mataplanae primario viro nupserat. Ad-  
uersus Fuxensem Comitem, Arnaldum Hispanum, & Rogerium Arnal-  
di F. opem laturum spondet: dum Palliariensis ditionis potiri queat.

A. D. III. Non. Iul. Rex Palliariensibus infestum castellum Leortium  
circumsidet: vt eam ditionem Sibyllae vindicet.

Blascus Alagon cc. grauis armaturae equitibus, & exiguis veteranorum  
copijs ad Catanzarum, cum Bruttios, in Frederici Regis potestate redigere, ac  
retinere receptos cuperet, qui summum imperium inter praefectos regio-  
iam tum obtinet, vir cum claritate, tum belli vsu praestantissimus Roge-  
rium Lauriam, Petrum Russum Comitem, & Reforciatum Regis Caroli  
duces, qui cc. grauis armaturae equitibus praeficiebantur, proelio fundite  
caeditque: & ingentibus factis hostes persequitur.

MCCCXXXVI. MCCCXCIX.

Alfonfus qui Regis Castellae nomen vsurpauerat, ne Rex partes suas  
deferat, Concha urbis, & Moia, Alarconis, & Canneti oppidorum ditio-  
nes, & arces, quae Petro Regis fratri condonatae fuerant, Regi addicit. Mo-  
lina praeterea, & Requena ditiones attribuit.

A. D. VII. Id. Apr. Valentiae Iohannes Nunnius Larenensis se imperio,  
ac potestati Regis, auctoramensi sacramento, dextris in foedere, more impli-  
catis, pollicibus inter se deuinctis, subijcit. Suo, ac posterum nomine fide-  
liter Regi obtemperaturos spondet. Rex Larensi Albarrazinum urbem, & urbis ar-  
cem, propugnaculaq; tradi imperat. Larensis sponsione obstringitur Alfonso  
causam, & partes propugnaturum, & in suscepto bello sua opera nauaturum.

A. D. III. K. Iul. in Argiliensi Ruscinonensis ditionis castello Rex,  
cum Iacobo Rege Balearico patruo congregitur. In amicitia, ac vetusto foe-  
dere mansere. Maior, Minorque Baeaes patruo restituntur. Balearicus  
Regibus Aragonum supremam potestatis propria iura, fidelitatis sacramen-  
to recipit: atque sancit.

Rex LXXX. actuariarum, pluriumque onerariarum classe instructa,  
bellum fratri, pro liberanda Sicilia inlaturus, ad Tiberina ostia classem ap-  
pellit. Romam, & visendi, & consulendi Pontificis causa properat. Ponti-  
fex

fex sua manu Ecclesiæ vexillum Regi sollempni religione tradit.

Neapolim cum classem appulisset, Robertus Regis affinis Calabriae Dux, & Landolphus Volta Cardinalis sedis Apostolicæ legatus nauim conscendunt. Inde A. D. IX. K. Sept. soluentes, Paetensem oram Siciliae attingunt: & insulam præteruerti terra, marique Syracusas Octobri mense exacto circumfident.

AERA NAT. CHR.  
MCCCXXXVI. MCCXCIX.

Bellum fratrum, atque civile inter duces, & militares manus lingua, moribus, armorum genere, insignibus, & institutis ante omnia militaribus congruentes crudeliter exarsit.

Ad Murtillam, stationem fretensem Mamertini xxi. actuarijs, quas incredibili celeritate armauerant, instruxerantque, cum Iohanne Lauria Rogerij fratre xx. longarum nauium ductore conflagunt. Hostes xvi. naues, cum victores euasissent, cum prætoria capiunt: & insigni victoria insolentes Lauriam, Iacobumque Roccam ducem capite plectunt.

Diuturna rerum infestarum perpersione Rex Syracusana in obsidione iactatur. Afflicta pestilentia castra erant, & vulgari contactu in militares manus morbi adeo ingruerant: vt ad xix. M. bellatorum interierint. Castra deseruntur: & regia classis fretum traicit.

Funesta expeditio omnibus ea visa est: nam morbo exercitu implicito, cum Rex afflictas vires suas in vnum contulisset, aduersa tempestate nauigat: & graui hieme, aliquot naues ad Liparim insulam afflictæ eliduntur: reliqua classe in Neapolitanum portum Februario mense transfuehitur.

MCCCXXXVII. MCCXCIX.

Blanca Regina in arce Neapolitana, Nouam appellant, filium parit: cui Alfonsi nomen est inditum. Is ad regium fastigium postea deuehitur. Neapoli Rex in Martij mensis finē permanet. Barcinonē inde trāsmittit.

Cum ea, quæ superiore anno bello gesta fuerant, pro fastigio rerum, & summa expectatione non respondissent, in sequenti hoc anno multiplex bellum excipit. Instaurata classe Rex denuo in Italiam nauigat: terra, marique fratrem vlturus.

Rex Maio mense Neapoli soluens, Roberto Calabriae Duce, & Philippo Tarentino Principe Roberti fratre comitatus ingenti classe, cum secuta exercitum effusa militum, procerumque multitudo esset: nullo, qui per ætatem operam nauare posset, militiam detrectante, in Siciliam nauigat.

Fredericus Rex, cum spes vnica Siculi regni esset, plus enim in illo iuuenili animo, non virtutis modo, sed consilij, quam in omnibus alijs ducibus Siculis visum est, eo applausu, secundisque rebus præfidens, in extremū discrimen, ad dimicationem fortunæ se, regnumque deducit. Cum XL. actuarias naues egregie adornasset, & Rex A. D. Non. Iul. Veneris die Tyndaritanam oram attingeret ad promontorium, quod Orlandi vocat, Fredericus obuiam fratri procedit: vltroque nostros lacepsit. Pugnatum in festissimis animis: hinc ira stimulante aduersus rebellantes, illinc vincere assuetis, ab vltima iam dimicantibus spe. Calamitosum hoc prælium, postredie, quam nostri in litus appulerant, a Frederico commissum est: eiusque classes profligantur. Rogerius Lauria acerbè, crudeliterque victoria vsus, fratris Iohannis Lauriæ vlciscendi ira incitatus, supplicium de victis generatim sumpsit. Naues xix. hostium captæ: & ingens strages edita. Fredericus vix viuus ex medio ardore pugnae euasit. Cum hostibus magno animo, & fortiter, excellenterque eo in

S iij prælio

AERA NAT. CHR.  
MCCCXXXVII. MCCXCIX.

proelio ex nostris manus conferuerunt Gilabertus Centillias, Gerardus, & Ferrarius Alamani, Petrus Sefesius, Raimundus Caprera, Guilielmus S. Vincentij, Petrus Montacutus, Simon Bellocius, Riambaudus Dezfarrius, Thomas Prochyta, & Petrus Montornesius. Rex cum in Sicilia Calabria Ducem bellicis rebus præfisset, classe in Salernitanâ oram trajicit: belloque desistit. Neapoli soluens in Catalonia, vna cum Constantia Regina parente deuehitur: Pontifice Maximo, socero, Gallisque omnibus reditionis improuisam celeritatem exprobrantibus, execrâtionibusque quod victoria vti nesciret: aut certe nollet: cum etiam fratri, & Siculis in acerbissimum odium venisset.

Rex Albarrazinum, eiusque vrbs arcem, & propugnacula recuperat: quod Larenfis pactis conuentis non maneret. Ex eo Regiæ ditioni Albarrazinienses contribuuntur.

Catana per summam ciuium fraudem a Frederico Rege deficientium, Roberto Calabria Duci traditur.

K. Dec. proelium atrox Drepani a Frederico Rege aduersus Gallos hostes committitur. Regem ira, spes, ardor certaminis, auidum hostium sanguinis in proelium rapit. Gallicæ copiæ funduntur, cædunturque: Philippo Tarantino Principe earum copiarum imperatore, & Rogerio Sanseuerinate Comite superatis, captisque.

Blanca Regina Cæsaraugustæ Cœnobium sanctimonialium instituti Prædicatorum D. Agneti dicatum exædificari, condi, cõstituique imperat.

MCCCXXXIX. MCCC.

Bonifacius P. M. sacrum Iubileum orbi Christiano, centesimo quoque anno celebrandum ijs, qui peccata confiterentur, delictorumque veniam pie, sancteque deprecarentur, indulget. Sacræ ædes, Romanaque templa, incredibili nationum, gentiumque frequentia visitantur.

Disciplinarum gymnasia, philosophorumque scholæ Iberdæ explicantur: & artium, doctrinarumque ingenuarum, ac liberaliû magistri, & præceptores, vti in maxime apposito, & saluberrimo loco constituunt. Ex eo domicilium in illa vrbe remansit studiorum: ac veluti seminariû est habitum doctrinæ: ex quo plures studio, atque doctrina præstâses viri prodire.

Blascus Alagon, & Guilielmus Galcerandus Cartala, rerum gestarum gloria pæne pares duces, quorum virtute Frederici regnum nititur, longe ante alios militum animis acceptissimi, pridie, quam quadragesimæ ieiunium iniretur, ad Galianum Gualterium Brennæ Comitem proelio superant: & deuictis Gallicis copijs Gualterius captiuus ducitur.

Aestate incunte Rogerius Lauria, cuiuscumque principis auspicijs imperio præesset, signaue inferret, fatalis dux ad excidium aduersæ gentis, augendique Aragonij regni, ad Pontiam insulam nauali proelio cõmissio, Frederici Regis classem, Aragonia classe deuincit. Capitur Cõradus Oria hostilis classis præfectus. Rogerius nimius imperij, & vehemens, vitioque ingenij, immanitate efferatus Genuensibus militibus, qui in prætoriana nauis scorpionibus vsi fuerant, manus auferri, oculosque effodi imperat. xxxix. hostium naues a nostris intercipiuntur.

Robertus Calabria Dux Rhegium castra admouet: & terra, marique Messanam oppugnat: cum Fredericus Rex Decembri ipso mense Aidonum castellum, quod in potestate hostium erat, obsideret. Rhegio præfuit Hugo Emporitanus Comes: & cum ea vrbs, & Messana a Roberto oppugna-

pugnarentur, Blascus Alagon, & Guilielmus Galcerandus subsidio Mamerthinis accedentes Gallicas copias pellunt: fretumque traiciunt, quod nostri eorum castra oppugnare adorirentur. Cum fretum hostium clasis teneret a mari oppugnationem ostendit.

Blascus Alagon cum Mamerthinæ propugnationi præesset, e vita excedit: cuius obitu Siculorum res summum in discrimen recidisse videntur: quod imperatorem clarissimum ea gens amiserat.

Rex Murtienſi expeditioni intentus, cum Ilorci oppidum obsideret, A. D. XV. K. Ian. ciues paciscunt, se oppidum, arcem, & propugnacula dedituros, nisi intra L. dierum indutias sibi subuentum esset.

Ilorci Rex festum natiuitatis Domini diem celebrat. Eo in oppido cum Mahomate Aboabdille Granatenſi Rege foedus icitur. Maurus spondet se, causam, armaque Alfonso, qui regni Castellæ iura inuaserat, suscepturum.

Murtiæ Ianuario exacto Rex militares copias cogi imperat. Omnes, qui arma ferre poterant, exciti: quod Ferdinandus Castellæ Rex suas copias Oppidem conduxisset. Vtrinque validi exercitus profecti.

Oppidum Regale nuncupatum, ad Nauarræ, & Aragoniæ confinia situm, ex Anduesij, Vili, & Fileræ colonis incolitur, & præsidio firmatur.

Valentiæ Aprilis mensis fine, Rex legatos ad Philippum Francorum Regem mittit: opem Alfonso Ferdinandi filij, Alfonso Regis nepotis rebus affectis oraturos. Vt eius causam desertam, & abiectam armis subleuet, nulla cohortatione, miseratione ue permouetur: cum æqualis propinquitatis, cognationisq; vinculis Francus Alfonso deuinctus esset: & tam parata, exeditaque auxilia Nauarræ regni finibus inferri possent: quod in eius potestate erat. Cum legationem renuntiaſſent, & orationem mandatis conuenientem adiecissent, tenui quadam excusationis venia Philippus est usus: se bello Belgico implicitum, quod in eius ditiones imperium expeteret, ad instaurandum Hispaniense bellum perpelli non posse.

Sanctius Antilio Regiæ aulae præfectus ea tempestate fuit: cuius magistratus iura paulatim exoleuere.

A. D. II. K. Mai proceres, nobilesque Aragonij homines, Cæsaraugustæ, in cœnobio fratrum Prædicatorum, quo conuentus agi consueuerant, cõtionem faciunt: de Regis iniurijs, qui id temporis Ilerdæ cõmorabatur, exposulantes: Iacobo Exerica Regis fratre patrueli, & Lupo Ferrécio Luna primarijs ducibus: & antesignanis: quos ferme nobilitas omnis secuta est. Cõtionis, exposulationisq; æquitas hæc præ tenditur: se stipendijs militarijs, quæ merebantur, a Rege fraudari. Huius, & aliarum actionum suscepta ruin causa, non more, non iure concitati, ad arma petulanter deueniunt. Rex uti iij motus conatusq; improuisi rite, iureq; prohibeantur, conuentus Cæsaraugustæ in A. D. K. Sept. indicit. Constituto die in æde Saluatoris maxima, ijs, qui turbas fecerant, actionem perduellionis intendit: & de ea cõtrouersia Iustitiæ Aragonum Præfectum iudicem sumit: qui ei quæstioni præfuit. Is magistratus, de consilij vniuersi sententia statuit: iusque esse decernit: ut iij, qui contra morem maiorum, de suo iure statuere conati fuerant causa cadat. Eorum pacta, ac sacramenta infecta, irritaq; sint. Ad hæc sancit, ut eorum fortunæ, ac bona regio nutui submittantur: modo ne capitis periculum irrogetur: custodiave contineantur: perpetuoue exilio efficiantur extorres. Eo consilio a Rege inuito, oppressi auctoritate publica, quod

AERA NAT. CHR.  
MCCCXXXIX. MCCC.

MCCCXXXIX. MCCC.

AERA NAT. CHR. ca, quod vi adoriri nituntur, iure passi sunt.  
 MCCCXXXIX. MCCCCI.

K. Octob. absidente conuentu Iacobus Regis F. natu maximus sacramento, vti legitimus regni futurus heres, ac successor adsciscitur.

Siciliensis bellifama, successusque effecerant, ne se Robertus pugnae committeret: sed obsidione Messanam premeret. Exercitu, classeque diuisa, partim per finitimos populos praedari placuit: partim continenti oppugnatione Mamertinos obsideri. Cum urbem obsessam ex hostium manibus eripere Fredericus non posset, popularem turbam moenibus egressam in tuta recipit: & confirmatis propugnatorum animis, inter hostium tela, ex arce digressus, consilio hostem peruertit: & ad indutiarum pacem, interuentu Iolantis sororis pellicit.

Robertus Calabriae Dux, ac Iolans eius vxor Syracusas ingrediuntur. Mox Iolans, & Fredericus Rex eius frater, ad Maniaci turrim, ad colloquium, pro re nata, congregantes, postea cum Duce sub diuo congressi, indutias in aliquot menses paciscuntur.

MCCCL. MCCCCI.

Regina Maria Ferdinandi Regis mater, cum Bituri Vasconum oppido, publicis belli, ac pacis rationibus animum intendit, singularis exempli femina Lupum Ferrencium Lunam, & Iohannem Simenium Vream ex primarijs proceribus Aragoniae, qui nouis se implicuerant rebus, summe incitat, vti ipsi, reliquique proceres, qui solum verterant, filij stipendia mereant: dum Murtiense regnum recuperet.

Carolus Valefius Andium Comes, Robertus Calabriae Dux, & Raimundus Berengarius eius frater, magna comparata classe Thermitanam Siciliae stationem, A. D. V. K. Iun. appellunt. Thermas expugnant. Corilionem, appositis machinis, obsidione premunt. In ea oppugnatione Ducis Brabantiae frater, Gallicarum copiarum praefectus pugnans mortem oppetit. Castra Xacam transferunt: urbemque eam circumfident.

Constantia Regina Regis mater Barcinone decedit: cuius sanctitas, atque religio, quasi lumen quoddam illis temporibus eluxit. In coenobio fratrum Minorum eius urbis sepelitur.

Iolans Constantiae Reginae F. Roberti Ducis vxor, quae se in pacificationem inter virum, & fratrem interposuerat, Thermis in Sicilia decedit.

A. D. XI V. K. Septemb. Caroli Valefij, qui pacificatoris partes suscepserat, interuentu, inter Carolum, & Fredericum Reges, res ad concordiam deducitur: modo Fredericus in animum inducat, penes se Siciliae regnum, dum viuat, maneat: & se fatofuncto, ad heredes Caroli perueniat: eosque sequatur. Paciscuntur, vti Fredericus Leonoram Caroli Regis F. in matrimonium ducat.

Eodem mense Valefius, & Robertus inter Calatabellotam, & Xacam cum Frederico ad colloquia centenis equitibus comitati congregiuntur. Eo loci ad pacis condiciones deueniunt. Pollicentur, se operam duros, vti Sardiniae, aut Cypri regnum Frederico, eiusque posteris deferatur, attribuaturque. Fredericus quoad viuat, Sicilia infula potiat: & eo defuncto Caroli regno, Carolive heredibus adiungatur. Statim traduntur oppida, quae Frederico in Bruttij parent.

Interdictum, quo Siculi sacris arcebantur, tollitur.

Valefius, & Robertus mari Catanam proficiscuntur: & in eam urbem Philippus Princeps Tarentinus, & Gualterius Brennae Comes, qui custo-

dij's atti-

dijs atinebantur liberi deferuntur.

A. D. XI V. K. Nou. Sanctius Iacobi Regis Balearici F. Gerunda, quod Iacobus eius frater, natu maior vitam, actionesque omnes suas sacris addixerat, & instituta D. Francisci ordinis Minorum illi erant tenenda, iura, & supremum regni dominatum iurisiurandi religione Regi sancit: vti Balearici regni, & ditionum Ruscinonis, & Cæretaniæ heres institutus.

Bonifacius P. M. Philippum Francorum Regem edicto monet, vti Ecclesiæ supremo iuri, potestatique, extra sacra, ac religionis scita obediat, obtemperetque. Dum Pontifex id iussum vti ratum, firmumque maneat, sacris interdicitis contendit, magni in Gallia tumultus exoriuntur. Inde magnum Philippi Regis aduersus Pontificem odium cum acerbissimo, & crudelissimo dissidio exsistit: & concilium a Pontifice Romam indicitur. Vetustis aliquot monumentis memoriae proditur decreuisse Pontificem, regnum Gallia, vti alia regna, ditionesque Christianorum principum sub potestatem Romani Imperij subijci. Sed vtrumque ea se res habeat, quod in Gallia incredibilis ordinum motus, concursusque concitaretur, Aragoniæ Rex se in eam pacificationem interponit: & Pontifex Anagninæ, A. D. VI. K. Iul. Pontificatus anno 111 x. ecclesiastico ordini regni Franciæ testatum esse voluit: se his, quæ Philippo Regi suo nomine renuntiata, aut Apostolicis litteris proposita, promulgataue fuerant, nihil decreto suo sanxisse, quod iuri, libertati, aut honori Regio, ditionumve eius derogaret: ac se velle vti iura, libertas, & honos Regi, ac Franciæ regno incolumia, ac salua, & minime læsa permanerent.

Initio huius anni Alfonso, qui in hereditatem regnorum Castellæ auitam minime faustis, felicibusque armis egerat, & exheres est vocatus ex Gallia adueniens, Villafrancæ Regem inuisit. Eodem tempore Henricus magnus Alfonsi patruus, & Iohannes Emmanuelis Henrici fratris filius, alijque Castellani proceres spondent, se Alfonso operam, auxiliumque laturos, & eius partium factionem, causamque defensuros: qui cum respectum ad Alfonso, & Alfonsi æquam conditionem non haberent, eam sibi viam ad opes, viresque amplificandas patefaciunt.

Maio mense Iohannes Emmanuelis F. magnæ potentia adolescens Sebati Regem inuisit. Paciscuntur, vti Iohannes Constantiam Regis filiam intra constitutum 11 x annorum spatium in matrimonium ducat.

A. D. V. Id. Iun. CæsarAugustæ Iuuenus Vbertinus, & Apparicius Villanoua Frederici Regis legati, de foederum pactionibus initis Regem certiozem faciunt: quas ratas, firmasque a Bonifacio Pont. Max. habitas, vetus rerum a Frederico gestarum auctor perhibet: & xv. m. florenorum tributum a Pontifice Frederico impositum in singulos annos Ecclesiæ conferendum: proprii iuris, ac dominatus Siciliæ regni, & Insularum adiacentium causa. Cautum eo foedere a Pontifice fuisse, ne Fredericus Siciliæ Rex, sed Trinacriæ appelleretur, idem auctor firmat: & eam pactionem a Cardinalium collegio fuisse comprobata: Matthæo Russo Vrsino sanctæ Mariæ in portu Diacono Cardinali contra tendente, atque repugnante.

A. D. XII. K. Iul. Rex, Hæricus, Iohannes Emmanuelis F. Didacus Lupus Pharenfis Vizcariæ regulus, & Lupus eius F. Farizæ ad colloquium congregiuntur. In eam pactionem ij proceres fidem suam interponunt, se cura-

MCCCXL. MCCCIII.

MCCCXL. MCCCIII.

AERA NAT. CHR.  
MCCCXLI. MCCCIII.

se curaturos, vti Alfonso Iaënnense regnum attribuat. Vallem Cornegiam, Pedrazam, Almazanum, aliaque oppida, quæ illi hereditario iure relicta fuerant, retineat. Id etiam stipulantur, vti Ferdinando Alfonsi fratri germano, eius ditionis, hereditatisque libera iura conferantur, quæ in Castellæ regno, ad regios liberos pertinere consueuerant. Infantaticum vocant.

#### CATALANI EXERCITVS EXPEDITIO.

Ex annalium nostrorum, & regionum commentariorum vetustate eruenda fuit veteris memoriæ, non satis antea, pro dignitate rerum gestarum, explicata recordatio. Cum dearmatus Frederici Regis exercitus esset, vt in sulam, quæ tot mala, diuturno bello perpessa fuerat, colluue copiarum diffluentium releuaret, persuasum est Frederico, vt militares manus in Macedoniam, & Thraciam emitterentur. Hoc ipso anno Rogerius Florius Brundisinus, qui Frederici auspicijs, Siculo in bello plura egregia facinora ediderat, ad quem perdit omnes, & dissoluti adolescentes semper confugerant, & scelere, & egestate profligati, instructa classe, collectio veteranorum Catalanæ, & Aragoniæ gentis, quos Almogauares vocabant, exercitu, ad i. v. m. fuisse traditur, ex Sicilia Constantinopolim nauigat: Andronici Romæorum Imperatoris Comnini Palæologi stipendijs, aduersus Turcarum incurfiones militaturus: qui ex Asia tunc primum emigrantes, complures eius imperij regiones depopulabantur. Is totius exercitus imperator, copiarum ductores deligit Berengarium Entenzam: & primarios aliquot ex Aragonensibus, & Catalanis: qui Frederici stipendia meruerant. Rogerius benigne ab Andronico habitus, statim Megaducis, magni nempe Imperatoris nomine, atque insignibus ornatur. Vxor in eius manum conuenit, Imperatoris, Zauræ, vti vetusta monumenta testantur, & Andronici sororis filia. Exercitus Catalanorum societas appellatur: quorum tanta ad vltimas gentes virtutis fama peruaserat, vt Constantinopolitani Imperij principes, opinione, & amicitia eorum, aduersus barbarorum, ex Asia insultantium impetus, tutos se arbitrarentur.

MCCCXLII. MCCCIV.

Rogero Florio, rebus in Asia, præclare aduersus Turcas gestis, Cæsaris nomen, perpetuæ virtutis præmium tribuitur. Sed acerbo Michaëlis Palæologi Andronici Imperatoris filij odio excitato, Hadrianopoli, inter sacra mensæ, cum ijs, qui aderant, circumuentus, atque armis exutus impiæ neci traditur: & crudelissima morte maectatur. Inde societas Catalanorum, quæ Rogerij Florij ductu, Andronici stipendia bello Turcico meruerat, Callipoli, ad ipsas Hellepontis fauces, vallo se, ac fossa cingit, munitque. Eius munitiois rebus institutis, atque collocatis Berengarium Entenzam ducem sibi præficiunt. Entenzæ egregiam operam præstitere primarij duces Ferdinandus Ahonesius, Corbaranus Lehetius tribunus militum, & alter item tribunus Bernardus Rocafortius, Raimundus Montanerijs, qui res eas memoriæ prodidit, & Guilielmus Siscarius, & Simo Alberus. Præterea Entenza in Siciliam præmittit Garciam Lupezium Lupariam, Raimundum Marquetium, & Raimundum Coponium: qui a Frederico Rege subsidium transmarinum efflagitent: & exercitum Catalanæ societatis in asserendo Constantinopolitano imperio, Frederico militaturum polliceantur. Michaëlem Imperatoris F. in proelia poscunt, prouocantque: tamquam in prodicionis crimen vocatū. Thraciæ



Thraciæ oras assiduis incursionibus depopulantur.

Entenza inclitus ea tempestate dux, penes quem præcipua laus eius bellifuit, ea virtute, eoque consilio rem gessit: vt benigno alloquio, & comitate alliciendo, & beneficijs, quos poterat, sibi conciliando; publicis pariter, ac priuatis consilijs dignus omni imperio videretur. Instructa classe decem actuariarum nauium ab Helleponto totam eam oram mariumã percurrentes, omnia loca vastat, quæ incurrit. Cum in ea trepidatione Calo Iohannes Andronici F. cccc. equitibus, magnisque collecticiorum copijs obuiam aduentaret, ad Pontem regium VI. M. P. a Cõstantinopoli A. D. II. K. Iun. profligatur: cæditurque. Ingenti præda parta, cum Entenza Callipolim reueritur, insidijs interclusus, & summa perfidia deceptus, ab Eduardo Oria, qui xvi. Genuensium actuarijs nauibus præerat, intercipitur: nauesque omnes amittit. Peram deportatus Trapezuntem transmittitur. Catalanorum societas Callipoli continetur: quoad Entenza liber e custodia educitur.

Non. Iun. Perusij Vitalis Villanoua, & Guilielmus Ceria Regis legati, regio nomine fidei sacramentum interponentes, Benedicto XI. P. M. qui in Bonifacij locum ad summum Apostolatam euectus fuerat, iura regni Sardinia, & Corsica, ab Ecclesia Regi collata recognoscunt. Pontifex Cardinalium collegio assidente iuris iurandi sanctionem, supremi dominij ratione recipit. Die sequenti ecclesiasticas decumas Regi in eius regnis largitur in triennium: & legationem Apostolicam in eas insulas cõstituit.

Idem legati, cum Neapolim se contulissent, nuptias inter Sanctium Balearici Regis F. & Mariam Caroli Regis filiam coniungunt: & sponsalia Sanctia, Sanctij fororis, & Roberti Calabria Ducis paciscuntur.

Ineunte Augusto mense Dionysius Portugallia Rex, Torellias oppidum, ad Cauni montis radices, inter Turiafonem, & Agredam interiectu, splendidissimo, ac vere regali ornatu, apparatuque ingreditur. Rex affine, & Isabellam Reginam fororem, quæ cum marito, ad eum congressum conuenerat, sumptuoso, ac magnifico ornatu accipit.

Torellijs A. D. VI. Id. Augusti Dionysius Rex, Iohannes Castellæ Regis patruus, & Simon Luna Cæsaraugustanus Episcopus iudices constituti super controuerso Murtiensis regni iure, quæ causa inter Aragonia, & Castellæ Reges vertitur, sententiam, iudiciumque pronuntiant. Certi Murtiensis regni fines, & termini vtrique assignantur, atque attribuantur Didaco Garcia Toletio Regni Castellæ Cancellario, & Gonzaluo Garcia Aragonij Regis intimo consiliario arbitris, & iudicibus delectis: cum vterque Regia amicitia reliquis omnibus longe antecellerent. Carthago noua, Guardamare, Alicantum, Illicis, cum Illicitano portu, & eorum oppidorum agri, finesque, qua Tadore fluuio dirimuntur, versus Valentini regni fines, Aragonio cedunt. Villiena oppidum ditioni nostræ contributu, Iohanni Emmanuelis F. condonatur. Murcia, & Molina sicca Castellano excipiuntur.

Eo metipso die multo maior cõtrouersia deciditur: quæ inter Ferdinandu Castellæ Regem, & competitorẽ Alfonsu versatur: iudicesque accepti fuerant Aragonia, & Portugallia Reges. Decernunt, vti Alfonso aliquot oppida condonentur, pro eo regnorum Castellæ, & Legionensis populi iure, quod sibi tanta bellorum commotione asserere cõtenderat: quorum

ÆRA NAT. CHR.  
MCCCXLII. MCCCIV.

rum spes iam diu erat frustrata. Regium nomen Alfonso, regaliaque insignia amouet: quæ per exiguis dignitatis, emolumentique commodis compensantur. In Gallia Alfonso Hispanus vocatus: id a regia Philippi Francorum Regis liberalitate consequitur, vt Mosaldam, si coniectura duci ad prodendum licet, ex Narbonensium Vicecomitum familia in matrimonium ducat: & Lunellum, Narbonensis ditionis oppidum dotale accipiat. Postero die Dominico Aragoniæ, & Portugalliæ Reges cum Ferdinando Rege ad Campillum regijs cōgressibus dicatum vicum, ad colloquium deueniunt: is enim præstituit componendis fœderibus locus totiens expetitus.

MCCCXLIII. MCCCIV.

A. D. XVI. K. Febr. Valentia decedit Rogerius Lauria dux omnium, quotquot vniquam maritimis rebus, naualibusque bellis præfuerunt, præstantissimus. In cœnobio sanctarum crucium pone Petri Regis sepulchrum cadauer eius humatur.

A. D. IV. K. Mart. Hortæ, in ipsis regnorum confinijs, in cœnobio D. Mariæ Cisterciensis instituti Reges Aragoniæ, & Castellæ in colloquium, congressumque veniunt. Eorum mandatis Didacus Garcias Toleranus, & Gonzaluus Garcias, vterque suo Regi amicus, intimusque, controuersiam finium regni Murtiensis decidunt. Ex ea regione, quæ Aragonum Regum ditioni contribuitur, Rex Ferdinando Regi Carthaginem urbem remittit, atque condonat: vt Alarcone Celtiberiæ oppido, & nobili, & natura, ac loco in primis præmunito Iohanni Emmanueli genero cedat.

A. D. IV. K. Nou. Perpiniano Rex Gonzaluus Garciam legat, committitque: vt Clementi V. P. M. suo nomine suprema Sardinia, & Corsicæ regni iura recipiat: & fidei sacramento sanciat. Pontifex cum absentis Regis rationem habendam minime censuisset, mandatumque reiecit, Regi persuadet, vt Mompellerium contendat.

A. D. XII. K. Ian. Genuensium legati Regem CasarAugustæ conueniunt: expetuntque: vt pacis, fœderisque condiciones ferat. Verentur enim ne Sardinia obeunda causa, & ab externo dominatu vindicanda Genuensium ciuitati bellum a Rege inferatur.

MCCCXLIV. MCCCVI.

A. D. X. K. Mai. Rex Valentia sanctioris ætatis Ecclesiæ Maioris Balearium præfectum, & Petrum Martinum Gotorem oratores legat obeunda causam, vt Pontifici Maximo de more iurium regni Sardinia, & eius ditionis ratione iuris iurandi fide obedientiam præstent. Cum Burdigalæ Pontificem Maximum conuenissent, A. D. V. K. Iun. honorifice recepti iurandum faciunt.

Octobri mense Barcinone Franciscus, Conradinus, & Marcellus Malaspina Marchiones, & Brancha Oria, & Barnabas eius F. Theodoricusque Turritanus Archiepiscopus recipiunt, pollicenturque, se Regi in obeundo, vindicandoque Sardinia regno, si condiciones ferat, parituros. Statuit etiam Rex, & molitur, quo Florentinam, Lucensemque ciuitatem, & Rogerium Taliafermum, qui Populonij dominatur, fœdere deuinciat, & in Sardiniam auxiliares cohortes transmittant. Lucenses exposcunt, ne Rex finat, Iohannam Vgolini Galluræ Iudicis filiam, quæ ingentis ditionis hereditatem aditura erat, Caralitanique regni partem adeptam fuerat, Barnabæ Oriæ Branchæ filio in matrimonium collocari. Maxime enim eam cōiunctionem regio statui aduersaturam prouident. Rex ab Azone Marchione

chione Estensi Iohanne auunculo, cuius puellæ tradendæ optio, potestasque erat, vt ab Oriarum connubio eam diuertat, deprecatur.

Rex Oseam adire properat: quod Ludouicus, qui Vtini cognomen inuenit, Fræcorum Regis F. in Nauarram traiecisset: & matre Regina defuncta eius regni legitima herede, regijs insignibus esset ornatus. Multi enim, & varij timores: sed inter ceteros eminebat, tam propinqui hostis terror: Inne Francus Regem ab Italicis rebus, & ab Sardoia expeditione, aut Siciliæsi bello, quod imminere omnes vererentur, auertere contendat.

A. D. III. Id. Oct. Philippi Francorum Regis edicto omnes, qui auctoramento militiæ, ac sacrorum Tēpli Hierosolymitani deincti erant, tota Gallia veneris die, vno nuntio, atque vna litterarum significatione intercipiuntur. Comprehensi omnes in custodias includuntur: & in eos tamquam hæreticos, ac nefariorum, scelestorumque facinorum reos anquiri coeptum.

A. D. X V I I. K. Nou. nuntij a Francorum Rege in omnes Christianorum principum regiones deferuntur, ex postulantes: vt in sua, quisque ditione, fidei Catholicæ asserendæ causam, aduersus eos, qui Templi Hierosolymitani sacris addicti erant, suscipiat. Regi ea res nota, testataque fit, cum Valentia, in arce regia, K. Dec. degeret. A. D. III. Non. Decem. Rex capi omnes eius sectæ homines, bonaq; conscribi imperat. Iohannes Lotgerius ex Prædicatorum instituto, de fide Catholica iudex, & generalis in Aragoniæ regnis quæsitor ab Apostolica sede constitutus, summa in iure dicendo seueritate vsus studiosos, & fautores reorum coercet. Bona eorum pars in munitissimas Carthaginis veteris Ilgeraonum oppidi, Montionis, Miraueti, Villeli, atque Alfambra arces confugiunt: quibus facile repugnari, atque obsisti posse sperant: ne indicta causa in se animaduertatur. Eodem in Catalonia, cum spes reliqua non esset, vtuntur perfugio. Rex eos vi oppugnari imperat.

Valentia Decembri mense exacto, Rainerius Sampacius, Iohannes Russus Gualandius, & Herdinus Gualcapa Pisanorum legati, reiectis iniquis condicionibus, quas de Sardinia iure retinendo, obtulerant, a Rege dimittuntur: quod neque e republica, neque ex dignitate, aut Pontificia, aut Regia censerentur.

Rex Valentia festo celebritatis natalis Domini peracto, Bernardū Sarram primarium virum regia classis præfectum in Siciliam legat: cui mandata deferuntur, vt nouam dissensionem, quæ inter Fredericum, & Carolum Reges commota fuerat, pacificet. Is Calanam, Mottam, Fumariū murum, atque Catonam Bruttiorum castella, de quibus inter se controuersabantur, Regis Aragonum nomine recipit. Præterea Carolus moleste præfulerat, Fredericum generum, non Trinacriæ, quod pacto conuenerat, sed simplici titulo Regem nuncupari: & a Tunetano Rege tributū, quod sibi deponendi oporteret, a Frederico exigi.

Bellum aduersus Templarios, qui arcibus præfidentes in armis erant, maiore conatu apparatus: quod minore, quam Rex veritus fuerat, dimicatione perficitur.

Cum Hispanienses classes aduersus Granetenses Mauros omnibus rebus ornata instruerentur, Castellæ Rex Didacum Garciam Toletum in perio maritimo præficit: & in eius locum substituit Gonzalium Zapatam

T ij Arago-

AERA, ANAT. CHR.

MCCCXLV. MCCCVII.

McccxLvi. Mcccix.

ABRAHAMAT, CHR.  
MCCCXLVI, MCCCIX.  
MCCCXLVI, MCCCIX.

Aragonium: atque eo administro, Regis Aragonij permiffu manus militares coguntur nostris in litoribus, atque armantur.

A. D. XVI. K. Iun. cum Artallus Alagon Aragoniæ regni procurator Mentionis arcem magna ballistarum, ac tormetorum vi oppugnauisset, cuius propugnationi Bartholomæus Beluifius Templariorum dux præerat, propugnaculum, quod ante arcem firmo præsidio munierant, Muelam vocabant, deditur. Paulo post arx etiam traditur. In postremis Castellotum, Carthagoque vetus munitissimæ arces deduntur.

Clemens P. M. decernit, vti Valentinus Episcopus regius Cancellarius de Templarijs omnibus, qui inter reos relati erant, cognita causa statuat.

Bernardo Sarria internuntio Rex Genuenses, & Branchaleonem Oriæ eius populi ductorem, & Barnabam eius F. sibi adiungere studet: quod in Sardinia Turritani regni, & Lugudoriæ regionis, Luquidonesios vetustas appellauerat, potirentur. ccc. equitibus militaturos se regi in Sardoæ expeditione pollicentur. Florentinos, & Lucenses, & Velforum partes ad se etiam perlicere tentat: qui pecunias erogent, vnde necessarij sumptus in classem, ac rem militare in suppeditentur.

A. D. XIV. K. Ian. Alcala oppido ad Henarem flumini præsentibus Bernardo Sarria, & Gonzaluo Garcia Regis legatis, Ferdinandus Rex Almeriensis regnum Regi attribuit: quod sexta Granatensis regni portio, illi pacto contributa esset: in eos sumptus, qui in Granatense bellum a Regibus susceptum, terra, marique nostris classibus, & exercitibus impendent. Iuris iurandi religione coram legatis Regi cauet.

Decembris mensis fine Reges Aragonum, & Castellæ Hortæ denuo colloquuntur. In eo congressu fœdus sancitur eius belli, quod Marrochensi, & Granatensi Regibus inlaturi erant. Paciscuntur, vti Iacobus Regis F. Leonoram Regis Ferdinandi F. vxorem ducat.

Reges Hortæ regressi Monregale Aragoniæ oppidum contendunt: & in eo loco pactionem, quæ cum Alfonso inita fuerat, stabilem, & in perpetuum ratam fore decernunt.

Michael Palæologus Andronici Imperatoris F. ad Apros vetustâ Thraciæ urbem, a Bernardo Rocafortio, qui capto Entenza, ductoris munus obierat, societatemque Catalanorum ad se conuerterat, & alijs Catalanis ducibus, cum signis collatis valde pusillis copijs conflixissent, horribili strage profligatur: & summa cum ignominia, & dedecore, capitisque periculo crumpens, euasit. Res in eo bello gesta iusto volumine a Raimundo Montanerio posteris produntur: non modo eius ætatis scriptore, sed qui copiarum ductor Entenza imperatore eo in bello meruit: & ne fidem rebus commenticijs ad eum vnum, aut rei gestæ orationem adhibere videamur, & si Nicephorus Gregora earum rerum Græcus auctor, pæne eiusdem ætatis scriptor exstat, exteris aliquis auctor ad memoriam rerum nostrarum erit excitandus: cui nemo, tamen si breuiter, impoliteque dicenti maxima de re, valde assentiri non debeat. Is Brochardus est Teutonius ex instituto Prædicatorum: qui ad Philippum Francorum Regem anno MCCCXXII. commentarium misit de Sacri belli expeditione aduersus Turcas obeunda: cuius oratio ad verbum, hoc in loco est a nobis expressa. Ita enim subdit.

Hæc

Hæc quæ narro, cum in Constantinopoli, siue Pera, quod idem est, degerem, contigerunt. Catalani etiam, qui modo vocantur Societas, quæ nunc est in Ducatu, & dominio Athenarum, qui non habebant duo milia, & quingentos equites, ex quibus non erant ducenti homines de sanguine militari, eundem Michaëlem cum quattuordecim millibus equitum exeuntem, & cum peditum multitudine copiosa aggressi fuerunt cum audacia desperata: & ipsius ordinatas acies destruxerunt: & fugauerunt: & de ipsius exercitu multitudinem maximam peremerunt: & ipsum Michaëlem de equo turpiter deiecerunt: sed adiutus a suis, & in equum subleuatus fugit e prælio acriter vulneratus: Quem etiam fugientem insequentes in ciuitatem Andrinopolim includi fecerunt: & ibi obsessum diebus plurimis tenuerunt. Postmodum totam illi ciuitati adiacentem patriam cursitantes ferro, & incendijs vastauerunt: castra multa ceperunt: & ab illo loco, vsque ad terram, vbi nunc sedes detinent alienas, fere omnia destruentes nullum prælium inuenerunt: sed Græci miseri sunt facti pusillanimes, & excordes: ipsos diuina gratia deserente: & ultione debita persequente. Paulo post idem memorat Catalanorum eam nationem Imperatorem Constantinopolitanum tributum quotannis ferre coegisse.

Andriolus Morus Genuensis v. Byzantinorum, & ii. Genuensium longis nauibus præfectus cum Theodorum Palæologum Andronici Imperatoris F. in Italiam deduceret, qui Monferratenfis ditionis heres, mortuo Guilielmo Monferratenfi Marchione auunculo successerat, & Opicini Spinulæ F. ducturus erat, viri in republica Genuensi primarij, qui in magna potentia erat, Callipolim, quam Catalani inuadendis terra, marique hostium finibus, arcem, sedemque delegerant, summa vi oppugnat. Dū a Raimundo Montanerio, qui propugnationi præfectus fuerat, & a nostris strenue repugnatur, Morus, & c. circiter milites cæduntur.

Rex festum natiuitatis Domini diem Cæsaraugustæ concelebrat.

Carolo, ac Frederico Regibus dissidentibus, quod Carolus Iacitanam Siciliæ arcem retineret, & tributa a Tunetanis Regibus Frederico pensitata sibi impendi debere contenderet, Rex pacificatorio munere inter socerū, & fratrem functus, Fredericum socero conciliandum, & adiungendum repetitis rebus curat.

Ianuarij mensis fine Rex Barcinonem proficiscitur. Bellum instruere aduersus Mauros, & Almeriensibus finibus inferre maturat. In eos sumptus, sacrum bellum gesturo, Pontifex Maximus ecclesiasticas decumas elargitur.

Henrico Lucemburgensi ad Imperij gubernacula adscito, Amadeus Sabaudia Comes eius affinis, & Vido Nemurcius Flandrensis Comitum frater Auenione a Pontifice Maximo impetrant, vt Henrici creatio confirmetur. Duo Cardinales legantur, qui Romæ imponendo diademati præstent. Pisani Henricum in Italiam arcessunt: & vt profectioem maturet, adhortantur. Florentini, & Lucenses, qui Henrico aduersantur, Regē, vt expeditionem Sardoam vrgueat, magnis pollicitationibus suadent. Morroellus Manfredi F. Franciscus Morroelli F. & Conradinus Opicini F. ex Malaspinarum familia Marchiones Regi se addicere in ea rerum commotione student. Pisani vero omni conatu de Caralitana arce, & oppidis, quorum in Sardinia potiuntur, retinendis separatim elaborant: & regiam

T iij expedi-

AERA. NAT. CHR.  
MCCCXLVI. MCCCIX.

MCCCXLVII. MCCCIX.

AERA NAT. CHR.  
MCCCXLVII. MCCCIX.

expeditionem auertere conantur.

Iohanna Vgolini Gallurę Iudicis F. Ricardo Camino Treuifi domino, Gibellinarum partium primario nubit: qui se totum Regi addicit: quod Pisani Gallurę ditionem interuerterant: & præfidijs deuinxerant.

A. D. III. Non. Mai Carolus Ducatus Apulię, & Principatus Capuę, Hierosolymorumque Rex e vita excedit.

#### ALMERIENSE BELLUM.

A. D. XV. K. Aug. Rex ora Valentina soluens, classe ad Contestanorum promontorium, quod illa ipsa ætas Aliubij caput vocat, præteruehitur. Omisso enim Sardo Almeriense sacrum bellum suscipit: cuius tam vicinæ expeditionis metu moti Mauri armati, paratique obuiam Regibus procedunt: ex diutino metu animis ferociore. Omnes præcipuæ vires aduersus Aragonios, quod maritimis classibus pollerent, concitantur. Copiæ nostrorum omnes terrestres ad Aliubium coguntur. Ferdinandus Rex alio suas vires verterat. Ex Catalonia egregij copiarum ductores accessuntur Guilielmus, & Otho Moncada, Bernaldus Centillias, Guilielmus Anglesola, Gerardus Ceruilionius, Bernardus Cruillias, Berengarius Pucmultonius, Berengarius Portella, Pontius Ragiadelius, Petrus S. Vincentij, Bernardus Speius, Petrus Queraltius, Acartus Muris, & Dalmatius Castelli noui, & Albertus Mediona. Cum numeri militares recenserentur, ex nostris ordines duxere, militauereque Petrus Ixeritanus nomine Aragonij Regis Ecclesię in exercitu signifer, & princeps, Aluarus Ferdinãdus Alcaniciensis Præfectus, Iohannes Simenius Vrra, qui Alcala tenensis præfecturę, & Montacuti dominabatur: inter proceres primarius: & qui summum, & præstantissimum se ducem vniuerso exercitui præbuit: Petrus Martinius Luna, Ferdinandus Lupezus Luna, Petrus Ferdinandus Vergua, Sanctius Horta, Petrus Guilielmus Castellonus, & Fortunius Aznarius Castellonus, Gombaldus Tramacetius, Simon Focius, Guilielmus Podius, Iohannes Sanctius Antilionius Sanctij F. Simon Velazquius Aierbius, Lupus Gurra, & Michaël Gurra eius F. Petrus Pomarius, Lupus Sanctius Luna, Iohannes Vidaurius, qui Marianę ditionis dominabatur, & Petrus Martinius Vidaurius, Michæal Perefus Gotorius, Rudericus Gometius Sefesius, Ferdinãdus Lupezus Heredia, Garcias Simenius Embanus, Petrus Simenius Irancius tribunus militum, Berengarius, & Simon Tobia. Ex Valentino regno rem bellicam administrare Iacobus Exerica, Iohannes Garcesius Lihorius, Petrus Iordanis Arenosius Gonzalui Simenij Arenosij F. Simon Perefus Arenosius, Berengarius Lanciolius, Gerardus Aquilonius, Gonzaluus Garcias Regi in primis carus: & Nobilis Carrocus: qui Rebolletia ditionis dominatū obtinuit.

Iulio mense decurso Iazbertus Castelli noui Vicecomes, quibus præfectus erat actuarijs nauibus, & Maurusiorum Rex terrestri exercitu Septa Mauritanię, ad traiectum sitam urbem adoriuntur: & vi expugnant: ingentique præda potiuntur.

K. Aug. Robertus Caroli Regis F. Hierosolymorū Rex, & Sanctia Regina eius vxor Auenione, magna celebritate a Pont. Max. diademate, & regijs insignibus decorantur. Arnaldus Villanoua nobilissimus, atq; optimus huius ætatis medicus, & summo Põtifici carus, a Rege in Prouinciã Gallia ad Robertū legatur: qui suadeat, vti ius, regiumq; nomē Hierosolymitani regni

regni ad Fredericum transferat: quod bellum sacrum suscipere summopere concupierat: si Robertus eam erogat pecuniarum vim, quam sibi cauerat, si Siciliae regno decedat: modo thesauri sacro bello Hierosolymitano dicati, decumæque Italicæ, & adiacentium insularum, in eam expeditionem conferatur. Robertus, neque tanti decoris splendorem amittere, neque Siciliae regno tot annos priuari, æquo animo potest induci.

A. D. XII X. K. Sept. Rex ad Almeriam castra metatur. Vallo, & fossa, maximo aggere, ac sepimento vallatus contra ascensum, atq; transgressiones, & eruptiones hostium munitur. Regina Blanca virum ad sacrum bellum proficiscentem prosequitur: & Guilielmus Rocabertinus Archiepiscopus Tarraconensis, Simon Luna Cæsarangustanus, & Raimundus Pontius Valentinus Episcopi, & alij Antistites Regnam comitantur. Is enim mos penitus infederat, & inueterauerat, vt Regina viros ad bella proficiscentes comitarentur.

Artallus Luna, qui Aragonij regni procuratori præfectus fuerat, & veteranorum militum agmina coegerat, magnosq; sumptus in rem militarem fecerat, cõtinuis itineribus, vltra cõtra hostes castra facit. Is Lupi Ferrencij Lunæ F. Constanziam Peresij Jacobi Peresij F. Petri Regis neptem vxorem duxerat: & Segorbiensis ditionis, & aliorum oppidorum, quæ dotalia susceperat, dominabat: & egregie fortem, & bonum imperatorem præstitit. Aimericus Beluehinus, Raimundus Marimonius, & Bernardus Marquetius x. actuarijs nauibus, & v. lembis Gaditanum fretum obsidet. Iazbertus Vicecomes Castellani apud Maurusiorum Regem tamdiu resederat, dum tertia pars portorij Mauritanie, quod Regi pendebatur, & Septenses manubie exigenterentur.

Ferdinandus Rex A. D. VI. K. Aug. exercitus corona Algeziram Alhadra in ipso freto sitam obsederat. x. nauibus longis freti traiectum tenet. Iazbertus Castellani Aragonie classis præfectus præsto Castellane classis coniungitur: vt hostium litoribus inuehantur.

Simul armis, simul operibus, machinisq; oppugnari Almerienses cepti, A. D. X. K. Sept. Granatensis Rex, omni regni equitatu, qui ingentibus turmis constiterat, & vario peditatu ad Almeriam vrbis muros subsidia accelerat. Ingens, & tumultuosum certamen ab hostibus infertur: quæ quanta maxima vi poterant, in nostros, equites concitat. Insigni animo, extra vallum prouolat Rex: atque infestis ordinibus in medium agmen hostium ruit. Cum signa contulissent, & summa vi niterentur, decertaretq; Mauri funduntur, fuganturq;: & montibus auertuntur. Dum manus confertur, qui vrbe eruptionem fecerant, vallum inuaserunt: regionum castrorum partem conuellunt: & Ferdinandus Jacobi Balearici Regis F. excelsi, & inuicti animi adolescens, qui obsessis repugnaturus, in castris manserat, præstanti militum fortitudine, & eximia tua virtute furentes eorum impetus, conatusque coercet: cum summis copijs castra oppugnarentur.

Cum regie classes fretum tenerent, & Iazbertus Ferdinadianæ classis præfesset, sinusque eos obsedissent, pars exercitus Castellani Gibraltari oppido, in Calpis radicibus sito potitur.

Rege Almeriam oppugnante, Petrus Marsilius ex instituto Prædicatorum, expeditionis Almeriensis prosequendæ causa, ad Pont. Max. legat: qui cum indigne, ne dicam temere, atque arroganter, legationis munus obiret, neque Pontificis imperium, vti par erat, reueritus esset, victus relegatur.

T iij A. D. XIII.

ÆRA NAT. CHR.  
MCCCXLVII. MCCCIX.

A. D. XIII. K. Octob. Pont. Max. nuntius Apostolicis litteris Regē cohortatur, uti Venetis omnibus, in nostris regionibus comorantibus perduellionis actionē intendat: quod Ferrariā ecclesiastici iuris urbem, atque ditionis Dux, Venetusque senatus occupare niterentur: & in arcem Thebaldi, & alia urbis propugnacula copiæ eorum militares irrupissent: cum Ferrarienses ciues Ecclesiæ dominatui obtemperantes Freschum Azonis Estensis Marchionis filium, qui parentem in custodiam intrusum necauisset, urbe exterminassent. Die namque sacro cænæ Domini Pontifex Auenione dirarum imprecatione Venetos eius sceleris noxa contaminatos deuouerat: & eorum bona publicarat: ac sacrum bellum aduersus eos indixerat. Rex se operam daturum respondet, ut Veneti regia ditione expellantur: modo nostri homines Venetijs, & eius ditionis finibus egrediantur. Hugo Pontius Emporitanus Comes piraticam faciens, aliquot Venetorum naues diripit: atque euertit.

Id. Octob. M. leuis armaturæ equitibus Mauris, ex ea militia quos illa ætas equitatum Granatensis domus appellare consueuerat, robor, ac firmamentum regni, æquatam agri planitiem ante Almeriæ muros obtinentibus, ingentes Maurorum peditatus copiæ, ad XL. M. fuisse feruntur, continenti collium tractu, quod res posita in celeritate esset, castra regia incredibili impetu adoriuntur: oppugnantque: ut subsidiarijs copijs introitus in urbem pateat. Cum totam aciem nostri in hostes obuertissent, vniuersis viribus, primo impetu impulere: fufisq; hostibus vniuersam eorum aciem auertere. In eo certamine Simon Perefius Arenosius, Garcias Simenius Embunus, & Martinus Baldouinus Cæsaraugustanarum copiarum ductor fortiter dimicantes mortem occubunt. Res memoria digna accidisse proditur: ut qualis ratio militaris discipline, quam a maioribus acceperat, constaret, intellegi possit. Nam cum Petrus Martinus Luna, qui Polæ, & Almonazirij dominabatur, Simonis Cæsaraugustani Episcopi frater, princeps inter proceres, & insignis virtutis præstantia excelleret, necesse ei fuit, Regi iurifurandi sacramento obtestari publico in confesso, se eo in proelio, quo Simon Perefius Arenosius oppetierat, non interfuisse: neque vitæ consulentem locum deseruisse: ut quem tueri debuerat, desertum a se pateretur. Præterea Martino Simenio Aiuario maiestatis actionē constitutam satis constat: quod cum beneficio militari Simoni Perefio Arenosio obstructus esset, e proelio aufugisset: & quod probatione firmasset, se in acie non fuisse, iudicio liberarum.

Cum perendino die A. D. scilicet XV. K. Nou. denuo hostium equitatus, adiunctis pedestribus copijs subsidio Almeriensibus aduentaret: dum auxilium supra vires suas præstare conantur, a nostris funduntur: qui tumultuantem equitatus partem deijciunt, deturbantque.

Ferdinandi Regis exercitus in A. D. XVII. K. Dec. cum Algeziriensi obsidioni fortiter institisset, Iohannes Regis patruus, Alfonso Iohannis F. & Iohannes Emmanuel cognatione regni sanguinis, & viri potentia præstantes, alijq; proceres, eorumque affectatores, ad D. equites fuisse traduntur, cupiditatem suam potius, quam ignauiam simulâtes castra deserunt. Rex a suis destitutus, cum Granatensi Rege paciscitur, ut obsidione urbe liberata, Quefada, Bedmariumque oppida sibi tradantur.

Nuntio Algeziriensis pactionis allato, Rex aliquot dierum indutias cum



hoste pacificatur: & de captiuis omnibus reddēdis, qui ex ditione regia seruitutem perpetiuntur, cum Granatensi Rege constituitur.

ABRA. NAT. CHR.  
MCCCXLVII. MCCCXLIX.

Rege Almeriensi bello implicito, Rogerius Conuenas Arnaldi Hispani Conseranenſis Vicecomitis F. bellum aduersus Hugonem Mataplanā Palliariensem Comitem gerit: multaque in Catalonia turbantur: hereditatis Guilielmæ Moncada: obeunda causa.

Rex in Almeriensi obsidione in A. D. VII. K. Feb. permanet: & Alicantum regreditur: quod in loco Rex, & Iohannes Emmanuel gener congregiunt. In eo bello Ferdinandi Balearici virtus egregia maxime enituit.

MCCCXLIX. MCCCX.

Maio mense decurso Rex Turolio Bernardum Fonollarium ad Clementem Pont. Max. legat: neque leui de causa mandata perferuntur. Committit, vt vna cum Iohanne Nunnio Larenſi ſuo, ac Regis Castellæ nomine ſummisse supplicet, ne permittat rem maxime atrocem, & indignam: vt in demortui Bonifacij Pont. Max. memoriam, famamque iudicij periculum intendatur: aut acerba ſeueritate statuatur: quod enixe, atque impie Francorum Rex contendit. Neque enim id fieri ius, fasque videri poterat.

MCCCXLIX. MCCCX.

A. D. II. Id. N. Octob. Blanca Aragoniæ Regina Barcinone decedit. In cœnobio ſanctarum crucium ſepelitur.

Algezira Valentini regni oppido Rex diem festum natiuitatis Domini n. celebrat.

MCCCXLIX. MCCCXI.

A. D. XIV. K. Iun. Caſaragusta inito conuentu, Iacobus Regis F. natu maximus Aragonenſibus irrogatas leges, regni que ſcita, atque inſtituta, patriosque mores, & quas libertates vocant, ephebus iureiurando ſancit.

Julio mense nuptiæ inter Mariam Regis natu maximam filiam, & Petrum Ferdinandi Castellæ Regis fratrem coniunguntur.

Florentini, & Lucenſes interuentu Gilaberti Cruillia, qui a Roberto Rege munus præfecturæ Romandiolæ obtinet, Regem hortantur, ſuadentque, vt Sardinia regnum a tyrannorum dominatu vindicet. Vt aduersus Henricum Imperatorem Regis auxilijs ſe, ſuaque tueantur ampliffimam pecuniam in ſumptus bellicos pollicentur. Ea tamen inferendo bello mora fuit, vt poſtea dubia, & ancipiti fortuna geratur.

Concilium ſacrum œcumenicum Viennam Gallia: prouinciæ urbem indictum eſt, atque coactum.

A. D. XVII. K. Nou. prima fit ſacri conuentus aſſeſſio: referuntque de Templariorum ordine abrogando. De eare, quid fieri e republica eſſet, deliberant.

Rex ſedis Apoſtolicæ opem, operamque precatur, atque implorat: vt res maritimas, bellicaſque in aſſerendo Sardinia regno, & Granatensi bello reuocando, obire poſſit: quod ſumma benignitate Bonifacius, & Benedictus, eccleſiaſticas decimas in eos ſumptus largiendo, præſtiterant. Qualis rerum Granatenſium ſtatus eſſet, Petrus Queraltus, Petrus Buiſſas, & Guilielmus Aulomarius Regis legati, qui eius mandato ſacro concilio interſunt, denuntiant. Nam Pontifici Max. & ſollēni patrum cœtui referunt, aſſeruntque rem commemoratione poſteritatis maxime dignam. Cum Granatenſis ciuitas, eiusque urbis populus, illo ipſo tempore cenſeretur, ad c. m. populū eſſe cenſum: vixque quingentorum

rum

ÆRA NAT. CHR.  
MCCCXLIX. MCCCXII

num capitum numerum impleffe, qui Mauri stirpe essent: reliquos vero patre, aut auctore Christianam fidem professis genitos. Præterea L. M. ceteri eorum hominum, qui fidem, pietatemque Catholicam eiurassent: & supra xxx. M. Christianorum in ergastulis, atque lautumijs in custodias includi: atque ijs mortem quotidie ob oculos versari.

Darocæ Rex conuentus agit.

MCCCXLIX. MCCCXII

A. D. Id. Nou. in conuentu refertur: an Guilielmus Moncada Fragæ dominus ex proceribus Aragoniæ sit censendus. Simon Perefius Salanoua Præfectus Iustitiæ Aragonum de consilij Regis, & totius conuentus sententia statuit: ab eo conuentu alienigenam esse: quod Fraga intra Cingæ, & Sicoris ripas sita finibus Cataloniæ contineretur: quo in oppido, præcipuo iure sedem omnium rerum, & fortunarum suarum, domiciliumque Moncada collocauisset.

MCCCXL. MCCCXII.

Ferdinandus Castellæ Rex, & Constantia Regina eius vxor, Iohannes Ferdinandi patruus, Petrusque frater Calataiubij vna cum Rege festum natiuitatis Domini diem concelebrant. Eo in oppido Petrus Mariam Regis filiam in matrimonium ducit: & Leonora Castellæ Regis F. Regi nuptus traditur: quæ Iacobo primigenio nuptura erat.

MCCCXL. MCCCXII.

Cum Rex Turolis degeret, & dies ludorum festos, in dictis filiæ, & nuptus sponsalibus celebrasset, Februarii mense Conradus Verhebangus Græcis in Germania præfectus, Frederici Austria Ducis, & Stiria, atque Carniola domini, Roberti Romanorum Imperatoris F. natu maximi legatus Regem conuenit: & de Isabella Regis F. Frederico in matrimonium tradenda renuntiat. Rex Valentiam festum contendens, Februarii exacto de dimittendo legato, & his nuptijs collocandis, quæ dignitatis plenæ visæ sunt, deliberat. Insigni enim Frederici virtute mouetur: principis iam pridem iuuentutis: & Franciscum Xarquium in Germaniam legat: ut Leopoldus, Albertus, Otho, & Henricus Frederici fratres legitimo iure ditionum auitarum, & hereditatis paternæ Frederico cedant.

Castellæ, & Portugalliæ Regibus, super regnorum finibus dissidentibus, & præcipue de Serpa, & Mora, & Algarbieniensi regno decertantibus, Rex tamquam honorarius arbiter statuitur. Satis constat re cognita, neque a Rege diiudicata, Algarbieniensem regionem, quæ Ana flumine cõtinetur, in ius ditionemque Portugalliæ Regis concessisse.

A. D. XI. K. Apr. Viennæ Pontifex M. priuato consensu, & consilio, Templariorum societatem dirimit: & scita, atque instituta eius ordinis abrogat.

A. D. I V. Id. Apr. in confessu sacri concilij, præsentibus Philippo Francorum Rege, Carolo Valesio eius fratre, Ludouico Nauarræ Rege, & Philippo, & Carolo Regis Francorum liberis, abrogationis Templariorum instituti decretum in tabulas publicas refertur.

A. D. II. Non. Mai. tertia sacri conuentus asselsio celebratur: & concilium dimittitur.

Iacobus Balearium Rex per uigilio festi Pentecostes e vita excedit: cui Sanctius filius regni succedit heres.

### SANCTIVS BALEARIVM REX.

Meninx, Cercinaque insulæ ditioni, ac iuri Regum Siciliae deduntur. Rai-

eur. Raimundus Montaneriſius eius ſæculi rerum a noſtris principibus geſtarum certus auctor Meningi, & præſidio in ea inſula collocato præficiuntur.

ABRA. NAT. CHR.  
MCCCL. MCCCXII.

Arana vallis, quam vltra Pyrenæi faltum amnis Garumna permeat, caſtellumque Leon, quæ bello Gallico occupata, præſidijsque intercluſa a Gallis fuerant, a Francorum Rege priſtino iuri, & ditioni Regum Aragoniæ reſtituuntur: Barcinonenſique ciuitati contribuuntur.

A. D. VII. Id. Iul. Barcinone Sanctius Balearium Rex Iacobi Regis F. propria regni iura, poteſtatemque Ruſcinonenſis, & Cæretanæ regionum, aliarumque ditionum Balearico regno contributarum, Aragoniæ Regibus parta iuriſiurandi fide ſancit.

Fredericus Rex fœdus, quod cū Henrico Imperatore icerat, ſancit. Cū Ciſalpina Gallia, Etruria, ac Latium in armis eſſent, & Italia omnis bello arderet, ex quo Henricus exercitu præpotens Alpes tranſcenderat, bellum inter Fredericum, & Robertum diu præmeditatum commouetur: tantoque maiore, quam proximo cōnatu apparatus eſt, quanto plus ſimultatis inter affines Reges interceſſerat: & peregrina iuuentus Germani, Gallique, atque Hiſpani vtrique operam ſuam pollicentes ad id bellum confluunt: & ad partium ſtudia non Itali modo, ſed exteræ nationes concitantur.

Iohannes Grauinæ Comes Regis Roberti frater, magnis Aragonenſium, & Catalanorum copijs in Latium inuadens, & in urbem inuectus Capitolio, Hadriani mole, Creſcentini turrim poſtera ætas, nunc S. Angeli vocant, & Vaticano potitus, arces eas præſidijs obſtruit: vt Henrici aduentum, perturbatis ſollemnibus coronæ Imperij capeſſendæ indiſtis, coërceat. Pugnatur acriter ab ijs cohortibus, & Columnenſi factione, quæ Henrici partes tuentur: & Lateranenſem ædem, Titi Amphitheatrum, Coliſeum vocant, & Pantheon, diuerſaque alia templa, & domos obſederant: & præſidijs ſeſperant. Cum præcipiti furore, atque armorum impetu concertaretur, & vtrimque magnæ concurrerent copia, K. Aug. Henricus Lateranenſi in æde inſignibus regijs decoratur. Ex eo Robertum ſibi, & Imperio hoſtem pronuntiat. Fredericus Rex amplam occaſionem nactus Roberto bellum infert.

A. D. VII. Id. Septemb. Ferdinandus Caſtellæ Rex moritur repentino.

Exacto Decembri menſe, Petrus Calataiubij Regem ſocerum conuenit. Expoſcit, vt ſuas partes in eâ contentione tueatur, quæ illi ſuper tutela legitima Alfonſi Regis Caſtellæ, qui infans remanſerat, vertitur: in cuius tutelam deuenerat. Super ea controuerſia, inſenſis animis decertat Petrus ipſe, & Iohannes eius patruus. Ciuitates omnes partibus inſiciuntur.

MCCCLI. MCCCXIII.

K. Aug. Fredericus Rex ingenti coacto exercitu fretum traicit. Rhegium, quod circumfederat, aliaque Bruttiorum oppida deduntur. Quamuis initio magna auxiliorum ſpe arma ceperat, tamen bellum ſuo conſilio inritum, ſuis viribus exequitur. Huius motus cauſa Rex ab inuadenda Sardinia deſiſtit: cuius adipiſcendæ magna ſe obtulerat occaſio.

A. D. IX. K. Sept. Henricus Imperator Bonconuento e vita excedit: cum Fredericus Rex magna adornata claſſe Piſas appuliſſet: vt Henricum, princi-

AERA NAT. CHR.  
MCCCLI. MCCCXIII.

principesque Gibellinae factionis sibi deuinciat. Cum Imperij partium spes eum frustrata esset, & in Siciliam reuehitur: maximis subito coortis tempestatibus iactatus, A. D. III. Id. Nou. XXXIV. actuarijs Drepani portum tenet. Robertus omnem sui regni conatum, & Vvelphæ factionis vires in Frederici perniciem parat.

A. D. II. Id. Octob. Barcinone sponsalia Isabellæ Regis F. Rodolpho Lichtenstenio, & Henrico Balsio Frederici Austriæ Ducis legatis apparatus regio dantur.

A. D. XV. K. Nou. Fredericus Austrius ab Archiepiscopo Colonienfi, Rodolpho, & Ludouico iuniore Baioariæ Ducibus, Vvaldemaro Bandamburgenfi Marchione, & Alberto maiore Saxoniae Duce in Romanorum Regem sufficitur. Reliqua electorum factio ab ijs disidens, & partibus infecta, Ludouicum Ducis Baioariæ fratrem deligit.

A. D. XVII. K. Dec. Isabella noua nupta Gerundenfi Episcopo, & Philippo Salasso Regis Iacobi consobrino comitata ad Fredericum virum Romanorum Regem proficiscitur. Prouincia Narbonensi Allobroges transgressi, in Tiroliam regionem iter faciunt.

Cum Fredericus Siciliae Rex Ferdinandum Balearicum patrualem fratrem Societati Catalanorum, quæ Callipolim præsidij, armisque munitur, quorum res ad summam desperationem peruenerant, imperatorem præfecisset: indeque signa mouissent, summa inter Berengarium Entenzam, & Roccafortium duces, & eorum cohortes exoritur dissensio. Tumultuante exercitu, cum armis in eo esset turbatum, Entenza, cui inter duces, & virtutis laude, & generis primæ partes deferebantur, interimitur. Balearicus insanietem, ac temerariam militiam subterfugiens, cum in Siciliam r. v. actuarijs nauibus velificaretur, in Eubœa, quæ Caroli Valesij imperio parebat, interceptus Gualterio Brennae Athenarum Duci traditur: & in Atheniensem arcem, quam Santomerium vocant, includitur: donec ad Robertum Regem affinem perduceretur.

Bernardo Roccafortio, & Alberto eius fratre a Theobaldo Sipoisio Eubœæ præfecto interceptis, cū Catalana Societas imperatore castrorū, ac duce careret, Macedoniaq; percurrissent, tanta celeritate vsi sunt: vt prius in Atticam cum copijs peruenerint: & in capite, atque ceruicibus eius gentis restiterint: quā alio sine certamine amoueri possent. Dum sperant Athenarum Ducis stipendia merere, is coacto exercitu, vt suis finibus insolentissimas, atq; egentissimas copias a progressu arceat, obuiam festinus procedens, proelio commisso, occidione occiditur: & eius exercitus internectione profligatur. Catalani & Athenarum vrbe, & Attica terra potiūtur: & fortunis, diuitijsq; Francorum, per tot sæcula quæsitis locupletati, conubia, & affinitates nobilium Gallicæ gentis mulierum sequentes, quasi in domicilium suum peruenissent, neque regionibus exclusi intra aliena Armia recidissent, stabilem fedem omnium rerum, & fortunarum suarum Athenis ipsis Atticis collocant.

MCCCLII. MCCCXIV.

Id. Ian. Clemens P. M. cum Montellis ad Carpentoraetum degeret, nuntium ad Regem delegat: cohortans, vt Catalanorum copias ex terra Attica demoueat. Id vero temporis iam ea natio dominum, ducemque sibi adsciuerat Manfredum Frederici Regis F. & Fredericus Alfonso Fredericum F. cum x. actuarijs nauibus, & auxiliarijs cohortibus in Atticam præmi-

præmiserat : qui summæ rerum præficitur . Libet litteras Pontificias adiungere.

ÆRÆ. NAT. CHR.  
MCCCLII. MCCCXIV.

CLEMENS Episcopus seruus seruorum Dei carissimo in Christo filio ,  
Iacobo Regi Aragonum illustri salutem , & Apostolicam beñ. Abolim ,  
clamor validus , & multiplicitas querellarum de partibus Ducatus Athe-  
narum prouenientes Apostolicum pulsarunt auditum : immo nos , qui si-  
cut in cunctorum fidelium pace quiescimus , & tranquillitate lætamur , sic  
in eorum inquietudine , & oppressionibus , quas pestilentia inducit hosti-  
litas , multum offendimur , grauissime in intimis perturbarunt . Habet enim  
eiusdem clamoris iam pluribus annis præteritis continuata , & accumu-  
lans mala malis assertio : quod nonnulli , qui olim ad partes illas credeban-  
tur in fauorem fidelium accessisse , & a quibus spectabantur eorundem fide-  
lium partes defendi , non exercentes eorum vires in externos , sed in Eccle-  
sias , & personas ecclesiasticas , eosdemque fideles , pro dolor , conuertentes ;  
in propria catholicorum viscera immisericordi crudelitate desæuiunt : &  
in Ecclesias , ac fideles eosdem , eorum conatus illicitos exercentes , eisdem  
grauioris depopulationis iacturam , & crudelium hostilitatum insultus ,  
non absq; personarum excidijs , ac Ecclesiarum , & bonorum ecclesiastico-  
rum , & fidelium illarum partium incendijs , spolijs , & deprædationibus  
inferunt : quam fuissent , quantumlibet peruersi hostes fidei eisdem fide-  
libus illaturi : & quod horribilius est , vt licentius possent mala huiusmodi  
perpetrare , societatem ad inuicem contraxerunt : ex quorum quidem con-  
sortio , quot horrenda peruenerint , status illarum partium miserabilis ma-  
nifestat . Nam inter innumerosa scelera , quæ in illis partibus perpetrarunt ,  
quodam Gualterium de Brenna Ducem Athenarum , qui ad defensionem  
dictorum fidelium , tamquam Christi verus athleta , & fidelis pugil Eccle-  
sia , aduersus græcos schismaticos laborabat , nequiter occiderunt : filios eius  
pupillos , & nobilem mulierem Iohannam de Castellione relictam eius vi-  
duam hostiliter impugnâtes , bona eorum , & Ecclesiarum , ac personarum  
ecclesiasticarum , multorumque aliorum fidelium illarum partium , data  
in prædam , & diripientium spolia occuparunt : ac in personas , tam eccle-  
siasticas , quam alios fideles innumeros funestis exercitis gladijs , strage data ,  
eorum sanguinem immisericorditer effuderunt : a quibus horrendis sce-  
ribus nondum cessant : sed clades cladibus continuando , hostilitatis execrâ-  
dis incurfibus dicuntur continue cumulare . Cum itaque maior pars socie-  
tatis eiusdem de regno tuo traxisse dicatur originem , tibi que ex eo , quod  
in dicto regno maiorem partem fortunarum suarum , ac filios , & propin-  
quos , ac domicilia habere dicuntur , parituri sperentur , tamquam eorum  
domino temporali , & tam celsitudinis tuæ , quam vniuersorum fidelium ,  
quos fidei zelus angit , inter sit huiusmodi pestilenti sæuitiæ reproborum  
sollicitis studijs , celeribus , & opportunis remedijs obuiare , Serenitatē Re-  
giam rogamus , & obsecramus in Domino , tibi in remissionem peccami-  
num iniungentes , quatinus pie considerans , quam sit meritorium apud  
Deum , partes illas cultas fidelibus , ac tot sollempnes Ecclesias , & alia innum-  
mera pia loca , ecclesiasticaq; personas partium earundem , ab huiusmodi  
peste , & exterminio liberare : vniuersis de regno , & terris tuis in dicta so-  
cietate morantibus , sub certis temporalibus pœnis , prout celsitudo tua ex-  
pedire cognouerit , des per tuas litteras in mandatis , ipsos alias salubribus

AERA NAT. CHR. MCCCCLII. MCCCXIV. monitionibus, & hortationibus inducendo, vt partes illas, castra, terras, & villas, ac loca quaecumque, quae in dictis partibus fidelibus abstulerunt, & occuparunt, & detinent occupata, Ecclesijs, & nobilibus, alijsque fidelibus illarum partium, quorum esse noscuntur, libera, & expedita dimittat: nec deinceps in praedictum partium illarum societati adhaereant supra dicta: sed partes ipsas omnino dimittat: ad illas, in praedictum fidelium, eas habitantium, nullatenus reuersuri: preces huiusmodi, quas magnitudi ni tuae ex corde dirigimus, sic grato, & intento percepturus intellectu, sicque ad votinae exauditionis effectum sollicitate, & efficaciter admissurus, quod praeter retributionis aeternae praemium tibi exinde, absque dubio prouenturum, tuae in hac parte, pia, & perutilis interpositionis instantiam innumeris proculdubio fidelium populis profuturam, dignis in Domino possumus prosequi actionibus gratiarum. Dat. Montilij Carpentora caen. die 20. XIX. K. Febr. Pontificatus nostri Anno Nono.

Tamen Alfonsus Frederici Regis F. cum Bonifacj Veronensis viri summae in Euboia in insula potentiae filiam duxisset, multa stabilitatis suae praesidia, in ea ditione afferenda, constituit.

Meninx, & Cercina in insulae in Frederici Regis ditione, ac regno, Rogerio, & Carolo Rogerij Lauriae filijs, & Rogerone nepote Caroli F. mortuis permanet. Buahia Zacharias Almiri Abulabesij F. Tunetensis Rex, qui ab Almirijs Raxendijs longe cognationem repetebat, in singulos annos V. M. aureorum nummorum, quos duplices vocant, Aragoniae Regi pendere obstringitur. Guilielmus Raimundus Moncada, Siculis, & Catalanorum copijs, quae Tunetensia propugnacula constituerant, praeficitur.

Aprili mense exacto Valentiae Nimiocensis Episcopus, & Hugo Badiuinus Henrici Cyprii Regis legati paciscuntur, vt Maria Cyprii Regis soror nata maior Regi nubat.

Sacro, festoque Pentecostes die Isabella Aragoniae Frederici Romanorum Regis vxor, Basileae insignibus regiae coronae ornatur: atque vna Leopoldi Frederici fratris nuptiae concelebrantur: qui Amadei Sabaudiae Comitiss Catharinam F. in matrimonium ducit.

Ermengaudus Caprera Vrgellitanus Comes Iulio mense decedit. Testamento Theresiam Entenzam fororis filiam heredem scribit, modo Alfonso Regis F. nubat.

A. D. V. Id. Aug. Robertus Rex maxima adornata, instructaque classe, oram Siciliae prope Panhormum, inter Carinim, & Castellum, quod maris sinus vocant, interiectam tenet: matre, atque vxore comitibus: & Philippo Tarentino, & Iohanne Achaiae principibus fratribus socijs, & bellicae expeditionis confortibus adiunctis. Fredericus Rex in intima Siciliae regione ad Ennam, Castrum Iohannis vocant, commorans, eadem die Regis Siciliae cognomen, quod deposuerat, sumit. Nec finem alium belli, quam victoriam videns, non impetu potius, quam perseverantia gerit.

A. D. XVII. K. Septemb. Robertus terra, marique Drepanum obsidet.

Septembri mense Ilerdae Rex ad Soldanum Babyloniae Guilielmum Cafanatalem, & Arnaldum Bastidam legatos mittit: de Christianis captiuis, ab hostibus, e seruitute redimendis: quorum magnum fuisse numerum constitit: nostris commercij causa, tota Asia, ac Syria, & Aegypto longe, lateque

lateque peregrinantibus. Rara dona ex vltimis terris, a Rege missa tyranni animum deliniuere. Pollicetur captiuos se dimissurum: potestasque per-

AERA NAT. CHR.  
MCCCLII. MCCCXIV.

permittitur ijs, qui mansissent, templa, atque Ecclesias construendi: & vti sacra fierent, atque celebrarentur.

Octobris mensis fine Fredericus Rex, magno coacto exercitu, ex S.

Georgij campis procedens, ad Erycinum montem, S. Iuliani vocant, Ferdinandi Balearici copijs coniungitur: vt terrestri exercitu, classeque hostes adoriantur.

A. D. I V. Id. Nou. Ilerdæ nuptiæ Alfonso Regis F. qui xiv. agebat annum, & Theresiæ Entenzæ Vrgellitanæ ditionis heredis celebrantur.

A. D. X V I I. K. Ian. Regina Roberti Regis mater, & Sanctia vxor, pacis inter affines Reges conciliandæ administræ, indutias in K. Mai proximas, & ex ea die inuertentem annum paciscuntur: quibus magnopere Fredericus releuatur: quod plures annos ab hostibus exagitatus, bello intestino premitur. Indutiæ interuentu Thomæ Marzani Scylacensis Comitis, Regis Roberti legati, & Comitis Ricardi Pafaneti, quem Fredericus Rex legauerat, sanciantur.

Catanæ primo Apr. mensis sabbatho nascitur Iacobus Ferdinandi Balearici F. & intra alterum, & tricesimum diem Isabella eius parens decedit. Ea heres legitima principatus Peloponnesi erat. Iacobus ad auitum Balearium perueniet regnum. Ferdinandus Balearicus classe instructa in Peloponnesum transmittens, Clarentiam primariam vrbem vi expugnat. Auxiliarijs Catalanorum societatis copijs, qui Atticam præsidijs deuinxerant, adiunctis, Peloponneso omni potitur. Cyprij Regis sobrinam vxorem ducit: quæ Ferdinandum filium genuit. Is Eschiuam Hugonis Cyprij Regis filiam ducet. Ferdinandus vero pater, tot laboribus bellicis susceptis, periculisque aditis, cum rerum gestarum premium, gloriam ipsam esset consecutus, breui in medio cursu, e vita excedit: princeps ad summam dignitatis gloriam natus: cuius obitu Peloponnesiæ res pessum iere.

MCCCLIII. MCCCXV.

A. D. V. K. Dec. Maria Cyprij Regis soror, quæ Regi nupta erat, Emporias appellit. Gerundæ & nuptiarum sollempnia, & insignium dignitatis regiæ capeffendorum celebrantur. Reginam comitatu regio profecuti sunt Balduinus Famagustensis Episcopus, Nicolaus ex S. Bertino Paphi ciuitatis gubernator, Robertus Ardianus Syrorum Cypriorum regulus, & Petrus Legaunus Cypriæ clasis præfectus.

Februarij mensis fine iam indutiæ exierant: quæ pactæ inter affines Reges fuerant. K. Mart. Frederici copiæ castellum, quod maris vocant, in Panhormitano sinu obsident: Bernardo Sarria ductore. Pertinaciter ab hostibus defensum A. D. X V I I I. K. Mai vi expugnant.

MCCCLIV. MCCCXVI.

A. D. I V. K. Mai Tarracone Rex Petrum Ferdinandium Ixaris dominum patruelem fratrem animi magnitudine, & rei militaris sciētia præstantem legat oratorem: de pacis condicionibus inter Robertum, & Fredericum Reges referendis.

A. D. V I. Id. Aug. Thomas Marzanius Scylacij Comes LXX. actuariorum classē ad Drepanitanā oram appellit: & Gallico exercitu ad Lilybēū promontorium expósito, oppidum Marsalam vehementissime oppugnant: & Francisco Intemelio Giracensi Comite, & Gilaberto Apilia acerrime repugnantibus, per eos vrbs obsidione liberatur. Horribili armo

soluuntur

V ij ruii

ÆRA NAT. CHR.  
MCCCLIV. MCCCXVI.

rum strepitu tumultus, ac bellum tota Sicilia commouetur.

A. D. IIX. Id. Sept. Iohanne xxi. ad Pontificiam dignitatem euecto, Rex Ilerdæ Pontium Barcinonensem Episcopum, & Vitalem Villanouam oratores præmittit, de iure regni Sardinæ, & Corsicæ fidei sacramento, Ecclesiæ, vt mos est, subijciendo. Si transigi de pace, inter Robertum, & Fredericum posset, Regis partes, operamque pollicerentur. Inter alias foederum condiciones regio mandato renuntiant: vt pro Sicilia possessione, ac iure, de Macedoniæ regno, Albaniam vocabant, & Peloponnesi principatu Frederico attribuendis Pontifex constituat: & vt Dyrrachium regni caput, alięque vrbes, quas Iohannes Roberti frater inuaserat, Frederico statim tradantur. Hæc Pontifex, tamquam vana afferrentur, aspernatur: firmatque Burgundiæ Ducem in Peloponnesi ditionem ius sibi asserere: deque ea re eius legatos mandata edidisse.

Petrus Luna Cæsaraugustanus Episcopus.

MCCCLV. MCCCXVII.

A. D. VII. Id. Apr. Auenione Iohannes P. M. Ludouicum Tolosatum Episcopum, Regis Roberti fratrem, inter diuos, cælestesque viros colendum sancit: eiusque nominis commemoratio, æternaque memoria consecratur. Litteris Pontificijs ea res testata Regi est.

» IOHANNES Episcopus seruus seruorum Dei carissimo in Christo filio  
» Iacobo Regi Aragonum illustri salutem: & Apostolicam benedictionem.  
» Habes fili carissime vnde Domino Deo tuo in vocem exultationis, & con-  
» fessionis erumpas: exultes in eo: & fatearis humiliter tibi, & domui tuæ de  
» immenso ipsius dono concessum, quod inclita domus Siciliæ, cui & con-  
» sanguinea propinquitate, & affinitate propinqua coniungeris, virum pro-  
» duxit Angelicum, confortem gloriæ Angelorum: cuius sperare potes in  
» cælis patrocinio, fauore apud homines, & apud Deum intercessionibus  
» communiri. Etenim magnitudini tuæ ad gaudium intimamus, quod adue-  
» niente nuper Paschalis corporis puritate, die Iouis videlicet, post festum re-  
» surrectionis Dominicę venerandæ memoriæ LVDOVICVM Episcopum To-  
» losanum germanum claræ memoriæ Blanchæ Reginæ Aragonum coniu-  
» gis tuæ, quem omnipotens Dominus, propter illius merita gloriosa concii-  
» uem Sanctorum, domesticum suum, & æternæ beatitudinis possessorem ef-  
» fecit, de fratrum nostrorum, & nonnullorum prælatorum, tunc apud Se-  
» dem Apostolicam existentium consilio, & consensu canonizatione solle-  
» ni Sanctorum catalogo duximus adscribendum. Tu ergo fili gratias agens  
» altissimo, qui in sublimatione confessoris eiusdem, tam immensis benedi-  
» ctionibus te præuenit, in odorem vnguentorum suorum currere properat  
» sicque ad exemplar cōfessoris ipsius bonis operibus vacare procura, quod  
» tandem vna cum eo sidereas mansiones incolere merearis. Dat. Auenione  
» xvii K. Maij. Pont. nostri anno Primo.

Iunio mense Pontificis Maximi, & Regis, & Isabellæ eius sororis Portugalliæ Reginæ inter nuntij, indutias a Roberto, & Frederico obeundas, atque obseruandas in festum Natiuitatis Domini diē, & ex ea die in tris annos sequentes paciscuntur. Eæ indutiæ præconis voce Panhormi A. D. X. K. Iul. prædicantur.

Fredericus internuntijs Apostolicis, & legatis regijs Rhegium, & arces, quæ in Brutijs præsidij munierat, tradit. Hoc ipso tempore Henricus Cyprius Rex Constantiam Frederici Regis natu maximam filiam in matri-  
monium



monium ducit. ¶ Ludouicus Francorum Rex actionem, litemque Sanctio Balearum Regi de iure, ac ditione Mompellerij dominatus intendit: & iudicio in Parisiensi senatu, in diem certam sisti imperat. Interuentu Aragonum Regis mox ab ea causa desistit. ¶ Ordo couentusq; militiae S. Mariae, & S. Georgij in Valentino regno, a Pontifice Maximo Montese institutus. Guilielmus Erilius ei ordini Magister praeficitur.

Marchesia Theobaldi Nauarrae Regis, & Marchesiae Lupeziae Radę F. Petri Ferdinandi Ixeritani Regis Aragonum patruī vxor coenobium Caesaraugustae, ad Hiberi amnis ripas, S. Nicolai templo continens construendum, exaedificandumque curat: & Sanctimonialibus ordinis Hierosolymitani Sepulchri dedicat.

MCCCLVI: MCCCXIX.

A. D. II. Id. Iul. Pont. Max. Auenione Caesaraugustanam Ecclesiam, quae Episcopi iurisdictionis, munerisque erat, primi Episcopatus honore, dignitateque promouet. Ofcensis, Turiasonenfis, Pompelonensis, & Calagurrana Ecclesia primariae attribuuntur: quae antea Tarraconensi prouinciae contribuebantur. Ad haec, quod inter Toletanum, & Tarraconensem Antistites, de Albarraziniensi dioecesi controuersia esset, atque suis uterque limitibus contineri contenderet, Pontifex eorum iuris, atque ditionis exortem relinquit: & Caesaraugustanae metropoli attribuit.

Petrus Luna Caesaraugustanus Archiepiscopus.

A. D. IV. K. August. Gerardus Rocabertinius, & Vitalis Villanoua Regis legati Auenionem obeunt: & in tractandis condicionibus pacis inter affines Reges, studium, & egregiam operam nauant. Neq; adfuere Reges: ut conuenerat. Franciscus Antiochenus Archiepiscopus Panhormitanus, & Franciscus Intemelius Giracensis Comes Frederici oratores legationem renuntiantes, tamquam aequam condicionem iacerent, de Anconitana regione, quam Marcham vocabant, aut Romandiola Roberto, a sede Apostolica condonanda, atque attribuenda, referunt: offeruntque ultra vetus tributum, Fredericum in singulos annos IVM. vnciarum Regni Siciliae iure sibi reliquo, Ecclesiae pensitaturum: aut ea condicione Sardiniae, & Corsicae regnum Regi Roberto tradatur: dum aequa commodorum, & honoris compensatio Aragonio Regi fieret. Confestim Roberto Genuam properante, & partium Vvelphorum roborata ad se conducente, vniuersa Italia noui belli fremitu exardescit: discordiaque ira acerbior inter Reges excitatur: & incitiores ad bellum vrgendum feruntur. Vvelphorum partes prosequuntur Grimaldi, Flisci, Saluagij, & Malaucelli. Frederico autem Regi se applicuere Oriarum, & Spinularum familiae: & vniuersa Gibellinorum factio: & cum in vrbe armis decernerent, Conradus Oriae eius factionis princeps, & Spinulae, eorumque affectatores armis fugati, pulsiq; e ciuitate in exilium recipiuntur. ¶ Cum Artallus Alagon, & Simon Cornelius factione, & contentione partium, ancipiti certamine distracti regnum ipsum diuellerent, & maiorum instituto, ac lege Regi permissum esset, factionis hominum audaciam coercere, ut a bello gerendo abstinerent: & Rex Simonem Perefium Salanouam Iustitiae Aragonum Praefectum consulisset, quid sibi faciendum esse censeret, & ab eo responsum, atq; decretum tulisset, Rex edicit, ut affectatores ab armis discedant. Quod ingens ubique tumultus esset, atque trepidatio, datur opera, uti de ea re, qua controuersantur, Regem iudicem summant.

V iij Magnae

AERA NAT. CHR.  
MCCCLVII. MCCCXIX.

Magnæ seditionis incursiones, nobilium diffensione in Catalonia fiūt: Alfonso Regis F. Vrgellitano Comite vnus factionis princeps auctore: alterius vero concitatoribus Raimundo Fulchone Vicecomite Cardonensi, & Raimundiolo, & Guilielmo eius filijs, ac Raimundo Cardona Vicecomitis confobrino, qui Torani dominabatur, & Malgaulino Comite Emporitano. Res ad compositionem deuenit: Iohanne Alfonsi fratre, qui Archiepiscopus Toletanus creatus fuerat, se in eam pacificationem interponente. Ex A. D. XIIIX. K. Sept. in induitijs res fuit.

Non. Sept. Balaguerij nascitur Petrus Alfonsi, & Theresiæ Entenzæ Vrgellitanæ Comitis F. Regis N. Quamuis septimo mense genitus, & corpore esset, & natura imbecillior, patri succedens, vltra quinquagesimū annum regnat: cuius ingenium ad ostentationem sauitiæ præferox inuisum fuit.

A. D. XII. K. Dec. Barbastru Simon Peresius Salanoua Præfectus Iustitiæ Aragonum cum Rex per litteras eum consulisset, an lege, moreve, & instituto maiorum Raimundo Cardonæ Torani domino, ex Catalonia proceribus alterius principis auspicijs, stipendijsque militare se inuito, & recusante ius, fasque esset, quod in Italiam profectus, & Roberto Regi se ad dicens eius classi, exercituique præfectus esset, responsum tulit, militaria iura, atque beneficia, stipendiaque equestria legitimis causis, a Rege abrogari proceribus posse.

A. D. XIX. K. Ian. Tarracone publico in conuentu Rex decernit, sancitque, vti dominatus, atque imperium, iura, vectigalia regia regnorum Aragonensis, & Valentini, & Barcinonensis comitatus ita inter se cohæreant communi regno, vt dissolui, separarive, aut seiungi nullo pacto possint.

Cum Iacobus Regis F. in procuratione regni rem publicam non comiter, sed horridius, & plerumque formidatus administrasset, & natura non moderata, & miti, sed asperior, & durior haberetur seuerissimi imperij iuuenis, paucis ante diebus factis sponsalibus, non præceptis solum patris, sed precibus contumaciter resistens, tametsi nuptiarum fœdera sancirentur, patri denuntiat: se voti reum esse, ne rempublicam gerat: regnumve administret. Religione etiam obstringi confirmat, ne vxorem adiungat. Abhorrente, & tergiuersante patre, tandem cum A. D. X. k. Ianuar. emancipatus esset, Tarracone, in cœnobio fratrum Minorum, Rege conuentibus absidente, hereditariam regni successionem abrogat: & ordines regni iurisiurandi sanctione, ac vinculo, quo illi, vt primigenio regnorum heredi deuincti erant, soluit. Eodem temporis momento vestitus societatis Hierosolymitanæ mutatione, regalem ornatum deponens, coram Bernardo Solerio, qui eum vestitu Hierosolymitano cinxit, eius ordinis sacram militiam sollempnibus carimonijs profitetur: præsentibus Iohanne fratre Toletano, Simone Luna Tarraconensi Archiepiscopo, Berengario Aufetano Episcopo, & Raimundo Emporitano Catalonia Priori Hierosolymitanæ militiae præfecto, alijsque primarijs eius societatis viris. Post aliquot menses ex Hierosolymitano habitatu, atque vestitu in Montefanæ societatis sacra desciscit: atque defleat: cuius instituto, reliquo vitæ tempore inseruiuit: & regia dignitate, & capite deminutus. Vidit hæc ætas, quod ex omnium sæculorum

Iorum memoria aliquando commemorari mirificum esset : tris regios adolescentes religioni deditos hereditaria regna abieciſſe. Sed Ludouicus Caroli Regis , & Iacobus Iacobi Balearici filij ex inſtituto D. Franciſci ſe perpetuo acerba, atq; auſtere vitæ addixere: hic noſter voluptatibus, quæ prima ætate comprellæ, atque conſtrictæ fuerant, cum vitam ſuam, veluti quibuſdam vinculis ſolutus omni intemperantiæ deditiſſet , ſubito ſe profundens , ignauix , atque deſidiæ plenus in turpiſſima inertia delituit.

Eo actu tranſacto tam re, quam dictu inopinato, atque mirabili, illo ipſo temporis interuallo Alſonſus Regis F, tamquam legitimus heres, atq; regnorum ſucceſſor adſciſcitur : & fratres germani , aliique proceres manus oſculo dominationem, ac principatum hereditarium illi deferunt : & in futuri Regis verba patre vita functo adiguntur.

Varia in alijs principibus hoc ipſo tempore ratio, ac diſpar condicio rerum nouarum cauſa exſtitit. Dionyſius Portugallix Rex, & Alſonſus eius F. qui patrem regno euertere ſumme concupiuit, capitali odio ita inter ſe diſident, vt armis, & caſtris dimicent, Rex Sanctium fratrem pacificatoria legatione ad affinem Regem præmittit: neque Alſonſo perſuaderi potuit, vt ius ſuum impietate, & ſcelere quæſitum armis perſequi deſiſtat.

A. D. VII. K. Iul. cum Petrus Regis Caſtellæ patruus, & Iohannes Sanctij Regis frater germanus, ſatis magno comparato exercitu Granatæ ſuum fines incurriſſent, & Solorij montis radicibus Granatam urbem obſidione premere, & vaſtitate terrere niterentur, Ozminius ſtrenuus hoſtium dux, & ea tempeſtate inclitus, qui omnibus præſens periculis ſemper noſtros laceſierat, regio Granatæ domus equitatu obuiam procedens, ingenti impetu prælium conſerit. Noſtris ſigna, ac manus continenti ſpiritu conferentibus, regij ductores, neque pulſis, aut diſſipatis ſuorum copijs, æſtu, & ſolis feruore exanimati, neq; vllis vulneribus conſecti, aut ſauciati mortem occumbunt. Inſignis ea clades fuit: quod ipſorum ducum tam præclara edidit funera.

Oriarum, & Spinularum familiæ, omniſque Gibellinorum factio, qui Genua extorres profugerant, dominatui, & patrocinio Regis Frederici ſe dedunt, ſubiſciuntque.

A. D. XVI. K. Aug. Fredericus Rex Meſſanæ conuentum agit. Neque iam bellum ſuis finibus excipere, aut finitimis populis indicere, ſed maiore inde mole cum longinquis hoſtibus gerere parat: vt non modo arceret, ſed vltro etiam inferre poſſe videatur. XL. actuarias naues in ſinum Liguſtinum nauigare imperat: vt ſocijs opem ferant: extorresq; domum deducant. Sicilienſem claſſem XI. Genuenſes naues ſequuntur Conrado Oria præfecto. Summus Pontifex, & Robertus Rex, qui que Vvelpham partem, cauſamque ſequuntur in prouincia Gallia, Neapolitanique regni litoribus LV. actuariarum claſſem ædificant, ornantque: eaque celeriter effecta, Raimundo Cardona præfecto ad Italiæ litora appuſſa Genuenſibus rebus ſubſidio accurrere nituntur.

Septembris monſis initio, cum Frederici claſſis Genuenſem portum appuſſet, terra mariq; Siculi. & Genuenſes extorres urbem oppugnât. Caſtrucius Antelminellius, qui Lucenſibus dominatur, & Frederici partes ſuſceperat, vir bellica laude, & rerum geſtarum gloria inſignis, ſubſidio oppugna-

V iij toribus

AERA. NAT. CHR.  
MCCCLVII. MCCCXX.

MCCCLIX. MCCCXX.

AERA NAT. CHR.  
MCCCLIX. MCCCXX.

toribus terrestri itinere aduentat. Cum ab obsessis insigni virtute propugnaretur, non operum iactura, magno molimento factorum, non tedium longinquæ oppugnationis, non hiemis vis ab vrbe circumfessa classem regiam amouere poterant. Vicit tandem obsessorum virtus: & dubia oppugnantis spe classem Sicula Ligustinam oram hostiliter populatur: Vulturium oppidum vi expugnat: & Nouembris mensis initio in Siciliam nauigat.

A. D. XVII. K. Octob. Cæsaraugustæ, Rege Aragonensibus conuentum celebrante, Alfonso F. vii heres legitimus regni successor renuntiat. Conuentu dimisso Rex Leonoram, quæ Iacobo filio in matrimonium collocata fuerat, diremptis sponsalibus Calataubiū deducit. Inde ad Mariam Castellæ Reginam auiam referunt: quæ Alfonso ipsi postea nubet.

Hoc anno Iohannes Regis F. qui ad Archiepiscopi Toletani dignitatem euectus fuerat, Ilerdæ Simone Luna Tarraconensi, & Petro Luna Cæsaraugustano Archiepiscopis assistentibus consecratur. Cum in eorum Antistitem prouincijs, Hispaniarum primarij munere fungi Iohannes contenderet, Tarraconensis, & Cæsaraugustanus indignitate ea commoti Iohannem ecclesiastica censura execrantur: & populos quem comereat, sacris interdiciunt. Rege ipso Iohannis patre Cæsaraugustæ conuentus agente, Iohannem urbem Labari insignibus obeuntem Petrus Cæsaraugustanus Antistes sui muneris, religionisque pietate defunctus, priscarum sanctionum exempla persequens ecclesiastica execratione deuot. Cum Rex insignem iniuriam, & ignominiam se præsentem, filio impostam Pontifici Maximo conquestus fuisset, de ea re id responsum Pontifex reddit: quod non alienum visum est hoc in loco apponere.

„ IOHANNES Episcopus seruus seruorum Dei Carissimo in Christo filio Iacobo Regi Aragonum illustri salutem: & Apost. ben. Personam tuam fili carissime a gratiarum distributore omnium adeo gratijs varijs nouimus illustrari, quod dicta, & facta hominum ex personis ipsorum, & alijs circumstantijs debitis nostri pensare debite: ac de illis recto iudicio iudicare. Sane fili si personas venerabilium fratrum nostrorum Tarraconensis, & Cæsaraugustani Archiepiscoporum attenderis diligenter, si causam, quare venerabili fratri nostro Iohanni Archiepiscopo Toletano nato tuo, infra ipsorum prouincias crucem deferenti, Apostolico priuilegio non ostenso, se opposuerint, & processus aliquos fecerint, contra ipsum profecto, quoad personas, reperies ipsas tibi multiplici vinculo obligatas, propitias, & deuotas: quæ in tuam, vel in Archiepiscopi nati tui prædicti iniuriam, nihil ex proposito, præsumendum est attentasse. Causam autem reperies zelum quendam Ecclesiarum iura tuendi, & ipsa illibata seruandi. Ideoque in istis supponere debet prudentia regia iniuriandi prorsus animū exulasse. Quamquã autem gratū nostris accessisset affectibus, & acceptum, quod fuisset inter ipsos Archiepiscopos de portanda, vel non portanda cruce concorditer antea ordinatum, tamẽ ex quo sic processum existit, cum tam ex parte portantis, quam ex parte resistentiū zelus conseruandi ius Ecclesiarum sibi commissarum fuerit, non iniuriã alicui irrogandi, serenitatẽ regiã deprecamur, attẽte vt factū istud deducens in recte considerationis examen, ex hoc animus regius non turbetur: nec affectū immutet solitum ergo ipsos. Si enim præfatã resistentiã attenderit, ipsam reperiet ad honorem regium pertinere. Et nos processibus factis contra præfatum

præfatum Toletanum Archiepiscopum intellectis, de fratrum nostrorū ,, consilio in eodem consistorio ipsum a sententijs contra ipsum latis, ad cau ,, telam, cum de iuribus nobis partium non constaret, de potestatis plenitu ,, dine duximus absoluendum: dispensantes cum eo super irregularitate, si ,, quam contraxerat, se, vt prius sic ligatus diuinis officijs immiscendo. Sibi ,, nihilominus licentiam concedentes, vt suos familiares possit absoluerē, & ,, cum ipsis similiter dispensare. Quæstionem autem prædictam ad nostrā ,, duximus audientiam reuocandam: partibus, vt occurratur scandalis, inter ,, dicere intendentes, quod pendente quæstione huiusmodi, nec Toletanus ,, in dictis prouincijs crucem ante se deferri facere debeat, nec alij contra ip- ,, sum sententias per consequens promulgare, nisi mandatum sedes Apo- ,, stolica aliud duceret ordinandum. Per hoc autem neutri partium in pos- ,, sessione, seu proprietate volumus, nec intendimus præiudiciū aliquod ,, generari. Dat. Auin. II. Id. Nouemb. Pontificatus nostri anno Quinto. ,,

AERA. NAT. CHR.  
MCCCLIX. MCCCXX.

Siciliæ regno sacris interdictur: secundoque eo interdicto Siculi plu- ,, res annos sacris arcentur.

MCCCLIX. MCCCXXI.

Hugo Sera, qui in Arborensi Sardinia ditione Iudex succedit, in pri- ,, mis clarus, ac præpotens vir, & Branchaleo Oria Hugoni fœdere adiun- ,, ctus Regem aduersus Pisanos, ad Sardoam expeditionem adhortantur: ,, omnesque opes suas ad Regem deferre pollicentur.

Mense Martio Alfonso magnis ex delectu Catalonia comparatis co- ,, pijs, aduersus Raimūm Folchium Cardonæ Vicecomitem, aliosq; pro- ,, ceres, qui Manresanam ciuitatem bello persequuntur, aciem struit. Ca- ,, stellum Orpinium Raimundi Tortij oppugnat. Deditum dirui imperat.

Barcinone Apr. mense seditione inter Iudæorum nationem, & reginæ ,, Mariæ ministros coorta armis decernitur. Regina breui decedit: & Derto- ,, fæ in cœnobio prædicatorum sepelitur.

### SARDVM BELLVM.

AEstate progressa Rex Gerundæ Catalanorum conuentum agit. Sin- ,, gulari obsequentia portoria, vectigaliaq; sua insumptus bellicos Sardoæ ,, expeditionis pollicentur, instituunt, exiguntque. Ea pecunia classis lon- ,, garum, onerariarumque nauium instruitur. Alfonso Regis F. animo, ac ,, viribus par, regijque, ac paterni decoris heres tantæ expeditioni præfici- ,, tur. Sanctius Balearium Rex, x x. longas naues suis stipēdijs, in quattuor ,, proximos menses adornat.

Tarracone Rex festum natiuitatis domini diem concelebrat. Eo ipso ,, die Elicendim Othonis Moncadæ sororem grandis natu in matrimoniū ,, ducit: & Alfonso F. regium vexillum Sardoæ belli signum magna adhibi- ,, ta pompa, in arce proponit.

Petrus Frederici Regis F. patre adnitente, omnibus Sicilia regni ordi- ,, nibus vna mente, magnoque applausu assentientibus, atque e republica ,, fore consentibus, in regnum, regiumque nomen adsciscitur: vt vna impe- ,, rij consortes regnum administrent. A. D. XIII. K. Mai sacro resur- ,, rectionis Domini die a patre regalibus, sollempnibusque cærimonijs ,, Panhormi coronatur: & sacro oleo perungitur: quibus Siculi anti- ,, stites interdicti causa non interfuere. Ea confociatio stabiliendo regno ,, in tam

MCCCLX. MCCCXXII.

ABRA NAT. CHR.  
MCCCLX. MCCCXXII.

in tam ancipiti rerum statu maxime consentanea Frederico visa est. Petrus altero vertente anno Isabellam Henrici II. Carinthiæ Ducis F. qui Bohemiæ regnum appetiuit, in matrimonium ducet.

FREDERICVS, ET PETRVS FRED. F.  
SICILIAE REGES.

A. D. XIII. K. Iun. sacro Ascensionis Domini die Rex Ilerdæ Petro F. Comitatum Ripacuriæ condonat. Dignitatis supremæ iura, & summam ditionis potestatem sibi, posterisque Regibus cauens, recipit: sollemneque cærimonia, in sacra maxima æde vestitu, insignibusque Comitatus exornat. Veteribus, communibusque Barcinonensium consuetudinibus, assiduisque vsibus, Cataloniæque institutis, imperio, potestatique Ripacuriam terram subiicit. Emporitano etiam comitatu, quod Malgaulinus nullis superstitijs liberis e vita excesserat, Petrum F. donat.

A. D. II. Non. Iul. Raimundus Cardona copiarum Ecclesiæ, & Regis Roberti in Cisalpina Gallia præfectus castellum in Padi ripa situm, Roccam Bisagni vocabant, obsidet. Cum subsidium obsessis vndique comparatur, Marcus Vicecomes Mediolanensis I. I. M. C. C. equitatu, & peditatu ingenti, atque ex alia regione Gerardinus Spinula collecticio exercitu vno impetu Cardonensia castra adoriuntur: oppugnantque. Cum bis irruptionibus Mediolanenses repulisset, demum Raimundus maxima prælii commotione deuincitur.

A. D. IV. K. Octob. Martis die calamitosum, funestumque prælium inter Fredericum Romanorum Regem, & Ludouicum Baiouarium eius competitorem committitur. In eo certamine, discessu eorum ducum, qui Frederico confociati fuerant, siue eorum culpa, siue infelicitate Imperatoris ignominiosa clades accepta. Fredericus victus, captusque in hostis potestatem venit.

Rex Tarracone festum natiuitatis Domini diem concelebrat.

MCCCLXI. MCCCXXIII.

Res nautica mira festinatione, atque industria expeditur. Classes Barcinonensibus, Tarraconensibus, Dertosanis, Valëtinis, & ad Sucronis Gradum naualibus constitutis, exædificantur, adornanturque. Nam cum portus nostri neque accommodis, neque magnis vterentur, dempto Fango, qui ad ostium, aditumque Hiberi proiectus classibus nostris maxime tutum recessum præbuit, & inuentionibus, exportationibusque plurimas illis sæculis, & maximas commoditates, mirabilisque utilitatis fructum præstitit, summo consilio, atque vigilantia in stationibus, atque ipso Sucronis ostio rem naualem administrant.

Vitalis Villanoua Regis legatus, A. D. XII. K. Febr. Auenionem auxilia aduersus Pisanos hostes petens contendit: breuem occasionem ferendi auxilij, & inuadendæ, asserendæque Sardinia memorans. Haud enim segnus, quam e re publica dignum erat, exercitus ductus, comparataque classes erant. Pontifex interuentu Cardinalis Tusculani, Neapolionis, Lucæ Flisci, & Petri Colunę Cardinalium, qui ad eam diem regiæ expeditionis causam promouerant, ab ea Regem deterret. Iacobus præterea Caietanus Cardinalis, alijque eius collegæ operam dant, ne bello, de asserendo Sardinia regno, sedi iure contendat. Rex vana spe auxilij elusus Gibellinorum, & Vvelphorum factiones sibi conciliare, & præcipue Florentinos, Senenses, Bononienses, Pistorienses, ac Perusinos partium Vvelpharum, inter nuntijs Marco,

tij Marco, & Angaraimo Biserni Comitibus adiungere nititur. Sed cum Florentini Pisanorum perpetui hostes, ne Rex pactio-  
AERA. NAT. CHR. MCCCLXI. MCCCLXII.  
 nuntate Pisana adiungat, exposcunt, & ea res Sardois rebus maxime officeret, a Regis amicitia auertuntur.

Id. Apr. Hugo Bafsi Vicecomes, Iudex Arborensis bellum Pisanis, qui in Sardinia arces retinent, infert: magnamq; stragem edit. Prælijs compluribus secundis factis, Pisanorum ciuitatis partes deserit: causam enim Regis se suscepturum, eiusque dignitati, & gloriæ enixe fauturum, Auenione, Neapolionis Cardinalis, & Vidonis Archiepiscopi Arborensis interuentu Vitali Villanoux Regis Legato sponderat: cuius promissi, & fidei mira constantia fuit. Hugoni Rex ditiones omnes, quibus in Sardinia potitur, pro regio iure condonat.

Rex Vvelphum Donoratici Comitem, Lucæ Flisci Cardinalis confortinum sibi adiungere studet: quod is possessiones aliquot nobilissimas carissimasq; in Sardinia sibi vindicare exoptat.

Proceres, iuuentusq; omnis ex tota Citeriore Hispania in exterum hostem, & longinquum excitur: & fortissimus quisq; & maxime strenuus accitum Regis arcesitur: euacuatorum firma: maus comparatur: imperia ascribuntur nouæ iuuentuti: & delectus sublati vacationibus habentur. Neque Italici Principes Sardinia: asserenda causa tantam belli molitionem parari existimant: sed præpotentes terra, marique Principes Aragonios Italia: imperio imminere verentur: & Genuensibus præcipue rebus prospiciendum vident.

Dalmatius Rocabertinius Vicecomes, Geraldus Rocabertinius eius patruus, Bertrandus Castelletius, Hugo Sanctapacius Catalani proceres cum imperio in Srdiniam præmittuntur: vti Hugoni Arborensi, ad Pisanorum copias euertendas, subsidiarias manus adiungant. Cum tris onerarias naues adornassent, A. D. II. Non. Mai. Barcinonensi statione anchoras soluunt. Eæ naues c l x x x. equites, & aliquot veteranorum cohortes transportauerunt. Montanerius ad II. M. peditum, & c c. equites præmissos commemorat.

A. D. III. K. Iun. Alfonsus portu Fangosio classem soluit. L X. actuarum, & x x. onerariarum fuisse satis constat. Inter minora nauigia ad c c c. naues paratas, instructasque serunt. Classi Franciscus Carrozius præficitur. Cum commode magis, quam festinâter nauigarent, Id. Iun. ad promontorium Sulcitanum, S. Marci vocant, classem appellant: & Sulcitanæ Palmæ portum tenent: id loco nomen est, ex Sulcorum vetustæ vrbs, Carthaginensiumque coloniarum parietinarum vestigijs.

Exposito exercitu Alfonsus ad urbem, quam Ecclesiarum villam vocant, A. D. IV. K. Iul. castra facit: & aliquot oppugnationibus oppidum insigni opere munitum adoritur. Bellum mari, terrestribusq; copijs acri, vehementique incitatione infertur. Barnabas Oria Brancaleonis F. & alij ex ea gente illustres viri, cum Alfonsus ad urbem castra haberet, se illi dedunt: addicuntque: & Sacrensis ciuitas eos prosequitur. Caralitani, Eccliesenses, Aquafredenses, Ioiosaguardenses, Orgullosij, Oleastrenses, Quirrani, Patrenses: & Terranouenses tuendorum Pisanorum causa bellum suscipiunt, & gerunt.

Eodem temporis interuallo primariam eius insulæ urbem, ac veluti arcem no-

AERA NAT. CHR.  
MCCCLXI. MCCCXXIII.

cem nostri obsident. Castrum Caralitanū vocant. Maior oppugnationis vis ab eo colle imminet, quem Boni aëris appellant. Huic obsidioni Dalmatius Rocabertinius præficitur: & Caralitano portu, quem Franciscus Carrozius xx longarum nauium classe tenuit, obsidionem virgunt.

Alfonfus mari, æstuq; iactatus, cum corpus defatigatione ingrauescit, nihil ab vlla parte curæ, aut laboris remittens, A. D. XI. K. Octob. in grauem morbum, & periculosum incidit. Omnis præterea exercitus ex saluberrimis Hispaniæ regionibus conductus, calamitosi cæli grauitate, valetudine tentatus, grauib; morbis implicitus afflicatur: & morbi contagio in omnes vulgatur.

Die Martis, quæ natiuitatis Domini festū diem antecessit, xxv. actuariæ Pisanorum naues Terram nouam appellunt. Manfredus Rainerij Comitum Donoratici F. & Aragonij Regis consobrinus expositis copijs, ccc. Tautoni equites, & c. sagittarij fuisse prodūtur, obsessis Caralitanis, contra tantam vim auxilium tulit.

Olzinarum, & Solerorum factiones, quarum contentio plures annos Valentino in regno versata fuerat, & intestino tumultu, ac motu proceres concitabantur, interuentu Arnaldi Solerij Montefani ordinis Magistriftri, qui se in pacificationem interposuerat, sedantur: & ab armis discedunt.

Rex Iacobum F. non modo degenerem, & religionis metas egressum, sed turpi, & flagitiosa vita flagrantem coercet: cum se totum libidini, & ignauitiæ adiecisset.

MCCCLXII. MCCCXXIV.

Ecclesienses, cum ab Alfonso circumfessi plures dies oppugnationem sustinuisent, & omnium rerum amissione, desperationeq; conflisissent, ac vires, victusque deficerēt, A. D. VII. Id. Febr. oppidum, propugnaculaq; Alfonso dedunt. Propugnatores, quos fors reliquos fecerat, & que supererat militaris iuuentus, in Caralitanam arcem emigrant.

Præclari in Ecclesiensi obsidione viri mortem obiere Artallus Luna, & Artallus eius F. Gobaldus Beneuentanus, Dalmatius Castellinoui, Gerardus Rocabertinius, Gilabertus Centillias, Petrus Queraltus, Raimundus Berégarius Ceruilionius, Raimūdu; Alamanus, Galcerandus Sanctapacius, & Raimundus Cardona. Sed cum tot procerū morte victoria cōstitit, Artalli Lunæ, & Artalli eius filij funeribus, magna facta est iactura.

A. D. VI. K. Mart. Alfonso signa, castraque mouet: & Caralitanam arcem circumfidet.

A. D. II. K. Mart. Pisanorum exercitus nauibus expositus ad Decimum, id vico ad decimum a Carali lapidem nomen est, collecticijs Sardonum copijs, quas sibi adiunxerant, Caralitanis subsidio aduentat. Alfonso obsidionem deferens, postero die Boni aëris colle egressus, hostem præueniens, & longe procedens signa confert. Commisso prælio hostes funduntur: cędunturq;. Manfredus Pisanorum ductor, ex acie faucius elatus, in Caralitanam arcem se abdit. Ad Lucocisternam res ea memorabilis in signi nostrorum laude, Mercurij die, quadragesimalis ieiunij initio geritur: quæ magnam hostibus cladem inuexit. Alamanus Luna Petri Marini Lunæ, Simonis Lunæ Tarraconensis Archiepiscopi fratris F. fortiter dimicans eo in prælio mortem occumbit.

Castrucius Antelminellius, qui se Lucæ, partiumque Pistoriensū Germanici Imperij dominum appellabat, eo rerum prouentu Regi recipit, se Pifarum



Pisanorum ciuitati bellum indicturum: illaturumque. Cum ad Regem mandata a Castrucio exponerentur, Rex eam pollicitationem reiecit, Pontificis Maximi causa: quod Castrucio infestus, inimicusque esset.

AERÆ NAT. CHR.  
MCCCLXII. MCCCXXIV.

Eo ipso die, quo Alfonso cum hostibus in Sardinia feliciter confligit, Raimundus Cardona paruum Vvelpharum Imperator minime faustus, a Galeacio, & Marco Vicecomitibus ad Pontem Nauri, non sine magno rei publicæ detrimento profligatur: atque vna cum filio in hostium potestatem venit. Cardonæ postea Florentinis adiuncti cum proelio cum Castrucio decertarent profligati, & deuicti in Castrucij potestatem veniunt: & Raimundus a Castrucio Azoni Vicecomiti Galeacij F. captiuus traditur.

A. D. VI. K. Apr. Barcinonensi statione XXIIX. actuarijs nauibus Alfonso in Sardiniam supplementa submituntur: & quod in eiusdem ætatis Catalanorum nauali disciplina memorabile est, adeo eæ naues instructæ armis, virisque, & ad bellandum paratæ erant, vt institutum esset, si ita casus tulisset, vt in hostium classis conspectum venirent, quæ XXIIX. longis nauibus confiterat, eas adorirentur: neue certamen detrectarent, aut subterfugerent.

Cum continentibus oppugnationibus Caralitani premerentur, nec nō stros satis cohibere intra munitiones, nec suis munimentis arcere vim, ac tueri ab externis irruptionibus possent, Aprilis mensis sine sabbathi die Manfredus Donoraticus arce Caralitana omnem equitatum educens, ad D. Teutonos fuisse constitit, firmissimis veteranorum cohortibus adiunctis, improuiso in Alfonso erumpit castra. Acerrimè vtrimque pugna commissa, hostium cohortes funduntur: & Manfredus magno accepto detrimento, intra Caralitana præsidia pellitur: & paucis intermissis diebus moritur. Ad CCC. equites occisione occisos memorant.

A. D. II. Non. Mai. Rex Barcinone Raimundum Berengarium F. Comitatu Pratenfi, Montanorumque ditione, eorumque oppidorum, quæ Guilielmo Entenzæ paruerant, donat.

Afflictis, & desperatis Caralitani rebus, Barnaba Oria pacis interprete, & internuntio adhibito, cum Pisanis amicitiam petentibus ictum est fœdus.

A. D. XIII. K. Iul. ad concordiam pactiōnem res deducitur. Arcem, vrbemque Caralitani Alfonso dedunt: hęcque traditis Sardiniam omnem, & Pisanorum rempublicam, sub Regis imperium, ditionemque redactas apparebat: quod Pisanorum res funditus deleri viderentur: si Sardinia insula exacti essent. Fide data, & captiuis receptis Alfonso vrbem, arcemque Pisanorum Senatui tradit: supremi iuris, ditionisque dominatu Regibus Aragoniæ recepto. Conuenit ea fœderum pactiōne, vt arces Aquafredæ, Terræ nouæ, Quirræ, Fabæ, Opposadæ, & Gucoiteili, & Petresæ oppidū a Pisanis Regi tradantur: & Pisanorum ciuitas se Regis imperio, ac potestati subijcit. Rainerio vero, & Bonifacio eius filio Donoratici Comitibus Rex Ioiosam guardam, arx ea Caralitani regni est, reliquaque oppida, & portiones eam, quam in argentarijs metallis Ecclesiensibus, Pisanis rerum potentibus possederant, attribuit: suprema potestatem Regi, futurisque principibus itidem salua.

Alfonso bene gesta republica, & Catalanorum, Aragonensiumque gentibus, cognationibusque eorum, qui vna militauerant: oppidis, certisque

X agrorum

AERA NAT. CHR.  
MCCCLXII. MCCCXXIV.

agrorum modis, ac finibus aequaliter, aut forte assignatis, Philippum Sallustium Sardiniae praeficit: & Berengarium Carrozius, Francisci classium ducis F. militaribus numeris ducem delegat: & ei praesidio infidet, quod in arce Boni aëris collis, Caralitanæ arci propinquum, atque oppositum muniti Alfonso placuerat. Franciscus Carrozius toti muneri maritimo praepositur: ad quem imperij summa respicit.

A. D. XV. K. Aug. Alfonso classem ex Caralitano portu educit. Secundum terram propectus, cum ad S. Macarij stationem, equitatus omnis in naues conscendisset, biduo anchoras soluit. Barcinonem A. D. IV. Non. Aug. appellit: in signi gloria victorem exercitum reducens: gemina victoria duobus proelijs parta, profligatisque hostium copijs, atque claris facinoribus editis illustri. Rem memoria dignam Gonzalvus Garcias, & Gaubertus monachus referunt. Cum pater filio uanti occurreret, & Sardonum mastruca indutum videret, fuisse auersatum: & eius sermonem, congressumque aspernatum esse: quoad paludatus se patri obtulit. Tunc honorificentissime exceptum memorant: quod victoris, non deuictæ gentis cultu esset ornatus: qui a victoris insignibus, in deuicti habitum transisset. Castrucius, ut Gennensium aduersariorum iniurias uiscisci queat, acrius incumbit, Regem, Alfonsoque filium cohortando de Corsicæ regno ab eorum dominatu vindicando: & Corso bello suscipiendo. At contra Barnabas Oria, de primarijs eius insulæ uiris regiae ditioni deuinciendis, & uti Regis stipendia mereant, operam nauare simulat.

Francisquinus Mastinus, Brancha Oria, Vinciguerra Oria, pluresque aliae ex Oriarum gente familiae earum factionum principes, qui Sacris insignis Sardiniae ciuitatis dominantur, rerumque potiri affectant, nouis rebus studentes, aduersus regios ministros arma capiunt. Praesidium Sacrensivrbis deiecere nituntur. Postremo aperte deficiunt.

A. D. II. Non. Sept. Formicarijs Cæretanæ oppido moritur Sanctius Balearium Rex. Cum id regnum a Rege affectaretur, quod Sanctius ex Maria Regina uxore, quæ soror Roberti Regis erat, liberos non suscepisset, Alfonso Regis F. Ruscinonensem, & Cæretanam ditionem exercitum immissio, vi occupat. Sed Philippo Sanctij fratre, qui Cæsaraugustæ Regem conueherat, adnitente, atque deprecante Rex de sententia desistit: & Iacobo puero Ferdinandi Sanctij fratris F. agnationis iure, regno Balearico, & reliquis ditionibus illi contributis, suprema potestate recepta, cedit.

#### IACOBVS, III. BALEARIVM REX.

K. Oct. Rex Barcinone Petrus F. Ripacurciæ Comitum ad Pontificem Maximum, tributum, quod II. M. Marcharum sterlingorum, Sardinie, & Corsicæ regni Ecclesiae pendeatur, minnendi, & ad D. redigendi mittit. Ad hæc legatur cohortium auxiliarium, quæ sub Ecclesiae signis militaturæ erant, ex parte dimidia deducendarum, & tributum eius regni remittendi causa. Petrus regio apparatus benigne Auenione excipitur. In biennium Pontifex ecclesiasticorum fructuum decimas Regi elargitur: & in decem proximos annos dimidiam Sardi census partem, ac militarium copiarum stipendia, quæ pontificijs signis militaturæ erant, pro dimidia itidem parte remittit.

MCCCLXIII. MCCCXXV. Robertus Rex cxi. actuarium nauium classem cum adornasset, Carolum

rolum Calabriae Ducem F. Siciliensi expeditioni praeficit.

Martio mense Bernardus Cespuiades Catalanus classis XII. actuariarum dux, praefectusque in Sardiniam praemittitur: quod Pisani, qui arcis Caralitanæ praesidium obtinebant, simulac eis primum occasio visa esset, defectionem facturi viderentur. Barnabæ Oriæ, qui iam decesserat, Regique firmus, & fidelissima gratia coniunctus fuerat, filij Cassanus, Galeotus, Gaufridus, & Branchaleo nouis rebus student. Fredericus praeterea, Azo, & Iohannes Malaspinæ Marchiones, quorum opes in Sardinia late, longeque dispersæ, ac diffusæ erant, arma capiunt. Horum auunculus Christianus Spinula Regi in primis carus erat.

A. D. VII. K. Iun. Carolus Calabriae Dux in Panhormitanam stationem classem appellit: cui neque æqualem illa sæcula ad Italiae litora appulsam viderant. Exposito exercitu Panhormum urbem castris circumfidel: cuius propugnationi a Frederico Rege Iohannes Claramontius praeficitur. Desperata expugnatione Dux A. D. XIII. K. Iul. castra mouet. Cum aliquot loca incurrisset, A. D. XV. K. Sept. inglorius in Bruttiorum oras nauigat.

Gaspar Oriæ XII. actuariarum nauium Genuensis factionis ductor, eorum qui Saouonæ assidentes Germanici Imperij partes prosequuntur, cum Frederico Rege subsidio affuturus videretur, quo tempore Calabriae Dux ex Sicilia regreditur, Frederici causam deserens, Rege Aragonum illo, ac pæne prodito, cum Pisano senatu paciscitur: & eius ciuitatis classis praefecturam suscipit. Nec illud saltem reueretur, quod XII. illæ naues, quibus praefectus fuerat, stipendijs a Frederico Rege persolutis, instructæ, armatæque fuerant.

Pisani Genuensibus factionis Gibellinae adiuncti bellum nostris in Sardinia inferunt.

Franciscus Carrozius regiarum classium praefectus, expeditis veteranorum cohortibus in naues conscensus, Caralitanam arcem circumfidel. Cru dele, & exitiosum bellum aduersus Genuenses, in fortunas nostrorum incurfantes, suscipit.

K. Sept. Caesaraugustæ conuentus Rege celebrante, Priuilegium, quod Generale vocant, Aragonensibus a Petro Rege patre irrogatum, nouo decreto sancitur. In eo conuentu legem rogant, conduntque: ne in cuiusquæ caput quæstio habeatur: nisi nummorum adulterinorum delatione: Romanorum prudentissimorum hominum instituta imitati: qui cum de seruis in dominos quæri noluisent, de incestu tamen, & coniuratione quærendum putauerunt. Nam instituta Atheniensium, & Rhodiorum nimis acerbata visa sunt: quod apud eos liberi, ciuesque torquerentur. Cautum praeterea lege, atque sancitum est: ne cuiuspiam bona, nisi prodicionis conuictorum publicentur. Scribendis legibus adfuere Petrus Luna Caesaraugustanus Archiepiscopus, Sanctius Aragonius Regis frater pro Magistro ordinis Hierosolymitani, Iacobus Exerica, Simon Cornelius, Petrus Martinus Luna, Iohannes Simenius Vrræa, Simon Focius, Raimundus Peralta, Petrus Cornelius, & Raimundus Cornelius Simonis Cornelij filij, Petrus Luna, Blasus Maza ex Vergua, Martinus Egidius Atrosilius, Petrus Ferdinandus Vergua, Atho Focius, Iohannes Martinus Luna, Gombaldus Tramacetius, Guilielmus Entenza: & procuratores Blasus Alagonis, Lupi

AFRA. NAT. CHR.  
MCCCLXIII. MCCCXXV.

Lunæ, & Alfonſi Ferdinandi Ixeritani: Michael Peresius Gotorius, Egidius Garceſius Atroſilius, Michaël Gurra, Thomas Perceſius Focius, Blaſcus Maza ex Cellis, Simon Peresius Pinna, Atorella Orticius, Garcias Peresius Penacuta, Sanctius Lopezius Valimania, Simon Tobia, Petrus Ruiſius Azagra, Pontius Hugo Entenza, Lupus Simenius Luna, Petrus Lainius, Rudericus Orticius Veſimbrius, Michaël Peresius Zapata.

A. D. XVII. K. Oct. Cæſarauguſtano in conuentu Petrus Alfonſi F. Regis N. iuriſiurandi religione, omnium ordinum conſenſu, regnorum heres, & auo, patreque vita functis futurus Rex adſciſcitur. Id ſummo cōſilio cōſtitutū: quod Petrus eius patruus Ripacurcię Comes, ſi Alfonſus frater, Rege patre viuente, e vita excederet, ad ſe agnationis iure, regnorum dominatum, iuraque obuenire contenderet: atque deuolui: & Simone Cornelio partes Petri Regis N. ſuſcipiente, magna procerum contentio in regno verſata fuerat. Petrus in fratris filij verba iurare renuens, vertente anno eius iuris iurandi fide deuincitur.

Iacobo Balearico Regi x annuum agenti ſponſalia dantur Conſtantię Alfonſi F. Regis neptis: quæ v. annorum puella erat.

MCCCLXIV. MCCCXXVI.

A. D. IV. K. Ian. Franciſcus Carrozius cum Piſanorum claſſe, cuius Gaſpar Oria ductor erat, in Caralitano ſinu conſligit. De hoſtibus victoria eſt parta.

Stampacium oppidum, nauali certamine proſtigatis hoſtibus, a Franciſco Carrozio, & Raimundo Peralta terreſtris exercitus ductore circumſeſſum vi expugnatur.

Magna ſeditione in caſtris, a Franciſco Carrozij, & Peralte copijs facta, incurſione, atque impetu militum, & ducum ipſorum, cum caſtra ſanguine infecta tanto ſcelere contaminarentur, vt vix niſi ipſorum ducum ſupplicio expiari poſſent, paulum abſuit, quin magnam cladem Sardoę expeditioni attulerint.

A. D. II X. K. Mai. Regi, Alfonſo F. & Piſano ſenatuī res ad concordiam adducitur: qua Piſani Sardinie dominatu arcentur, pellunturque.

A. D. V. Id. Iun. Arcis Caralitanę propugnacula regijs ducibus deduntur.

Azo Malaſpinæ Marchio, & Fredericus, ac Iohannes, eiusque fratres, Sacerenſisque ciuitas Regi ſe ſubiiciunt: eiusque obtemperant, obediuntque magiſtratibus.

Bertrandus Baucius Andriæ Comes Neapolitana claſſe in Siciliam trāſmittens, A. D. VII. Id. Iun. ſtationem maritimam tenet, quæ inter Pān-horum, & Thermaſ interiacet. Omnes eaſ oras bellicis incurſionibus oppugnat.

Cum inter Iohannem Regis F. Toletanum Antiliſtem, & Iohannem Emmanuelem eius affinem graues eſſent inimicitie ſuſceptę, Alfonſus Caſtellæ Rex Toletano regia ſigna, quibus tabulæ publicæ, litteræque obſignantur, adiunit: quæ Toletanis Archiepiſcopis tradi, moris vetuſti fuit: & eius muneris functione, Cancellarios ſe Caſtellæ nominant. Antiſtes ea indignitate vehementer commotus Archiepiſcopatum Toletanum reſignat: & adminiſtratione Tarraconenſis Eccleſiæ, & eius prouinciæ attributa, in Alexandrini Patriarchatus gradum euahitur. Simon Luna ex Tarraconenſi Eccleſia in Toletanam arceſſitur.

A. D.

A. D. IV. K. Dec. Alfonsus Castellæ Rex sollēni regioque apparatu, Cōstātia Iohannis Emmanuelis filia, Regis Aragonū nepte in matrimoniū ducta, Valleoleti sponsalia celebrat: quæ paullo post rescinduntur: magnæque seditionū incursionēs, & procerū dissidia obeam causam concitantur.

Arnaldus Rogeri<sup>9</sup> Palliariēsis Comes Hugonis Mataplanæ Comitis F. & Raimūdi Folchi<sup>9</sup> Vicecomes Cardonēsis bellū gerūt. Vniuersa Catalonia eo tumultu cōcitata, Alfonsus Regis F. Palliariēsis affinis, qui Vrracā Entēzā Theresiæ Entēzæ vxoris sororem duxerat, partes fouet. Earum seditionū originē, & molitionē Cardonēsis querit: quod Palliariēsis Guilielmū Queraltū, ex proceribus virū maxime illustrē interemisse diceretur.

Præterea Valentino in Regno Iacobus Exerica ita ruit, atque turbatur, vt parētē Beatricē Lauriā arcū possessione armis euertere tentet. Neq; ea vis cōprimi potuit, quin Rex Beatricis partes tuēdas susciperet: & Alfonsus Regis F. Iacobo Exericæ fautor, & adiutor existeret. Mox datur opera, vt Bernardus Sarria gubernationis Valētini Regni vicarius Egidium Ruziū Lihoriū, qui arma pro Exerica sumpserat, e custodia liberet: atq; Rex pacis, & cōcordiæ auctor esse destitit. Exerica Mariā Baleariū Reginā Roberti Regis sororē, quæ pudicitie suæ parū pepercit, in matrimoniū ducit.

K. Sep. Iohannes Regis F. qui ex Ecclesia Toletana, ad Tarraconensem traductus fuerat, ad Patriarchatum Alexandrinum auocatur.

K. Oct. Barcinone Iacobus Balearium Rex iura Balearici regni, & Ruscinonis, Cæretaniæ, Vallepirij, & Coliberis, Mompellerij dominatus, & Vicecomitatuū Omeladesij, & Carladesij ditionum regno contributarum, quæ potestatis summæ Regum Aragoniæ censebantur, Regi iurifurandi fide agnoscit: sancitque: patruo Philippo tutore, & Petro, ac Berengario regis liberis, Galtone Moncada Oscensi Episcopo, Sanctio Aragonio Regis fratre Ampostæ Præfecto, Raimundo Emporitano, Raimundo Ceruilionio Azconensi præfecto, Othone Moncada, Bernardo Capraria, Geraldone Anglesola, Berengario Villaragutio Aldemaro Mossetio, Pōtio Caramanio, Raimundo Melanio, Simone Tobia & proceribus alijs affidētibus. Res ea formulā sancit, quā Sāctio Regi patruo, & Iacobo auo Baleariū Regibus Aragonij Reges cōstituerāt. A. D. XV. K. Nou. Laurentius Gomezus Abreus Alfonsi Portugalliæ Regis legatus Regi denūtiat, de Maria F. Alfonso Castellæ Regi in matrimoniū collocāda, Regē pacifici velle: quod Castellæ Rex, Cōstatiæ Regis Aragonij nepti nūtiū remittere deliberaret. Ea renūtiata legatione, Cōstatiæ sponsalia, nō sine aliquorū scelere dirimūtur. Mariæ vxor ex Lusitania ab Alfonso Rege arcesitur.

A. D. V. K. Nou. Cæsaraugustæ moritur Theresia Alfonsi vxor: Regis nurus: Petro, Iacobo, & Constantia liberis relicta. In cœnobio fratrum Minorum eius vrbis sepelitur.

A. D. IV. Non. Nou. Barcinone Rex e vita excedit: cum sextum, & sexagesimū annū ageret. In cœnobio Sāctarū Crucii, regia funebri pōpā tumulo humatur. Huius Principis mores adeo iusti, integri, & religiosi fuisse feruntur: vt æquabilitatem publici iuris, præstantia regiæ dignitatis minime transgrederetur: moris patrij, veterū cōsuetudinū, & priuilegiōrū irrogatorū scita, atq; instituta rite, ac more, institutoque maiorū ab eo nō obseruarentur modo: sed quodāmodo colerentur: neq; cōmunis libertas tradita vquam intermitteretur: aut immutaretur vetustus vsus Aragonij

AERA NAT. CHR.  
MCCCXLV. MCCCXXVII.

fori: & pristinus mos iudiciorum. Memoria proditur in signem eius fuisse notationem, animaduersionemque censoriam. Nam cum Simonis Aluari Radæ ingenio, & corruptela plerumque iudicia præuaticata essent, & eorū, qui in eius clientela erant propositis mercedibus, & quæstuosis damnis patrimonia exhaurirentur, vidit sæculum illud eum, tamquam sceleratum, exilio fuisse affectum: atque multatum: vt incorrupta quædam iudiciorū integritas tunc maxime vigeret.

ALFONSVS IV. ARAGON. XIIX. REX.

MCCCXLVI. MCCCXXIIX.

Barcinone Alfonsus Rex festum Natiuitatis Domini diem celebrat: neque Conuentu in eam urbem indicto, a patris regno tranquillo, & leni exorsus instituta, & quos vocat vsus Catalonia, libertatesque sancit: quoad coronæ insignibus decoretur. Sacramēto in eius verba Catalani adiguntur.

A. D. III. Id. Ian. Barcinone perpetuæ possessionis iura, ac potestas ciuitatis, & ditionis Segorbiensis, quæ Artallo Luna Artalli F. vita functo, regio imperio deuoluta fuerant, Lupo Lunæ Artalli fratri a Rege traduntur, atque condonantur. ¶ Raimundus Gasto Valentinus Episcopus cum Albarraziniensi, & Segorbiensi Episcopo, quod vterque suam dioccesim, sine fine tueretur, acriter, & vehementer decertat. Albarraziniensis iuam dioccesim a XII. M. P. prope Valentiam terminari, & ab eis finibus propagatā contenderat: atque ea regione constare, quæ Puteolana, Moruedriensi & Lirienfi ciuitate; Castelfauibium vsque continetur: & ditiones, quarum Iacobus Exerica, & Gonzaluis Simenius Arenosius dominabantur, suæ dioccesi esse contributas. Rerum vetustarum ignoratio litigatoribus, & iudicibus mirationem intulit: & omnes in eo hallucinantur, dum Segobrigensis diocesis finibus vetustate intermissis, atque interceptis, Segorbiensem ciuitatem collatione, & similitudine nominis contineri autumant: & Segorbiensem tractum, qui AEdetanorum finibus includitur, Segobrigæ vetustæ urbis in capite Celtiberiæ sitæ territorio adnectunt: tam longo locorum interuallo distento. ¶ Barnabas Oria in Sardinia res nouas molitus, arcem natura munitissimam, Castellum Genuense nuncupauerant, inuadit: quam Cassanus, & Galeacius Oriæ patris præsidij obstruxerant. Dum Azo Malaspina Marchio subsidio Barnabæ accurrit, ab ijs copijs, quas Cassanus, & Galeacius præmiserant, circumuentus in hostium potestatem incidit. Petrus Arborea Iudicis Arborensis F. Constantiam Philippi Salasii F. Raimundi Peralta sororem in matrimonium ducit.

A. D. X. K. Mart. Ilerdæ Rex Blascum Mazam Verguam ad Regem Castellæ oratorem de retinenda Constantia sponsa sororis F. monitorem que præmittit: quando id matrimonium e re, dignitateque sua constituerat: & iura omnia diuina, atque humana cogebant. Iohannes Emmanuelis F. dimissa a Rege Alfonso Constantia F. pro rei in dignitate suas vlturas iniurias bellum Castellæ Regi infert. Iacobus Exerica, & Petrus eius frater regia stirpe orti, summæque potentia, Emmanueli societate adiuncti Almanza, & Cincilla, quæ oppida in Oretanis Emmanueli parent, copias cogunt: & fines Requena incurrunt. Alcaracitanum agrum deuastant. Adeoque effuse peruagantur, vt in Areuacos transgressi, Atienza, Ailionis, & Sepuluegæ populos, & eorum agros diuexent, atque diripiant. Pinnam fidelem naturam munitum oppidū, quod in Vaccæis Emmanuelis ditionis erat, contendunt. Emmanuel exercitu coacto Optem oblidere

obsidere adoritur. Castellæ Rex Scalonam circumfidet: neque tumultuario eo bello deterretur, quin a Constantia diuertat.

A. D. III. Non. Apr. sacro resurrectionis Domini die Rex magnificentissimo, summeq; exquisito, sumptuososq; apparatus Cæsaraugustæ, in maxima Saluatoris æde coronat: & a Petro Luna Antistite sacro oleo perungitur. Ab æde sacra funali equo ouantem, & in arcem ascendentem, regalibus insignibus ornatum apparatissimi ludi profequitur. Fuit is annus maxime insignis harum cærimoniarum pompa: nam Ludouicus Baioarius Romæ Ianuario mense, Philippus Eburouix Nauarræ Rex, qui Iohannâ Ludouici Vtini Francorum Regis F. in matrimoniû duxerat, mense Martio Pompelone, & Philippus Valesius Francorû Rex in octauis sacri diei Pentecostes coronatur. Militari auctoramêto a Rege in maxima illa celebritate honoribus, præmijs, atq; summo splendore hi proceres decorantur: Iacobus Exerica, Petrus Arborensis, Raimundus Folchius Cardonêsis Vicecomes, Arnaldus Rogerius Comes Palliariensis, Lupus Luna, Alfonso Ferdinandus Ixeritanus, Guilielmus, & Berengarius Anglesolæ, Iohannes Simenius Vrrea, Petrus Cornelius, Guilielmus Ceruilionius, Otho Moncada: & Atho Focius. Celebrata peruigilatione singuli eorû procerû militari auctoramento ad CLXX alios virtute, & nobilitate præstantes viros cohonestauere. Præterea Petrus Regis frater Castellinoui, & Villamuri Vicecomites, Guilielmû Erilium, & Gilabertum Cruilliam, & Raimundus Berengarius Regis itidem frater alios eisdem insignibus iuris, legumque militariû societate deuinxere: & a Raimûdo Folchio Vicecomite Raimûdus Cardona eius frater, Amorofius Ribellias, & Petrus Aragal eodê auctoramento obstringuntur. Ad CCL auctoratos Montanerius memorat: & ad cantus, tibicinesq; insigni pōpa, quæ summâ speciem, & dignitatem lychnuchorum frequentia prætulit, ex arce regia Aliaferiæ in ædem maximam Saluatoris Regem fuisse profecutos. ¶ In frequentissima horû regionû ludorum celebritate adfuit Henricus Bomallia Iohannis Bohemiæ, & Poloniæ Regis, Comitisque Lucæburgensis legatus: vltro se offerētis, pollicentisq; in Hispaniâ aduenturû: vt sacro aduersus Mauros bello, vna cum Aragonû Rege Christianæ reipublicæ operâ nauet. Sed ea pollicitatio in insignis cuiusdam impudetiæ ludibriû recidit. Postea enim excusatione militiæ aduersus Duces Brabantis, & Lotharingiæ, Comitemq; Barensem obeundæ, sacro bello prætermisso, ac neglecto est vsus.

Eo sollempni perfecto A. D. XVII. K. Iun. Rex Iacobum F. natu minorem Vrgellitano Comitatu, & Vicecomitatu Agerensi donat.

A. D. III. K. Iul. Rex Ilerdæ Guilielmum Costam Barcinonêsis conuentus Prædicatorum Priorem ad Fredericum patruum Sicilia Regem legatum mittit: cōmonefacitque, a foedere, quod cum Ludouico Baioario Ecclesiæ inimico icerat, abfistat. Cuius hortatione, precibusque fraternis adeo Sículus non commouetur, vt Isabellam filiam Stephano Baioariæ Duci, natu minori Ludouici F. in matrimonium colloset.

A. D. VI. Id. Aug. Rex ad oppidum Carinienam accedit: & cum legatis Abubacaris Mirabuzecri filij Tunetensis, & Bugiensis Regis, & Abdurrahamenis Benmuzæ Tremezenij Regis indutias pacificatur: & ab externis ferme bellis otium fuit.

Petrus Sicilia Rex L. actuarijs nauibus, & xxx. ex Gibellinorum Sax  
X iij uonen;

ABRA NAT. CHR.  
MCCCLXVI. MCCCXXXIX.

uonensium delectu freto Siciliensi nauigans A. D. XIX. K. Sept. Aenariam infulam trajicit. Campaniæ oram præteruectus loca, quæ incurrit, depopulatur. A. D. XI. K. Sept. Herculis portus ostium, aditumque tenet. Eo loci Dux Branzuichius, & Comes Iohânes Claramontius Regem adeuntes, Ludouicum Baioarium, qui Germanici Imperij iura inuaserat, in Corneranam oram, ad colloquium, congressumque eius descensurum confirmant: & in Neapolitanum regnum inuasurum. Orbitellū, Liliū, & Telamon deduntur. In eo Regum conspectu, congressuque, cum omnibus in rebus fatis eorum coniunctioni, amorique esset factum, A. D. IV. Id. Sept. digressis, Petrus Rex Pisas contendit: & A. D. IV. K. Octob. classe in Siciliam deuehitur.

A. D. XIII. K. Sept. Darocæ Rex statuit, decernitque: ne intra x. proximos annos vrbes, oppidave, aut præfecturæ, arcesue a regia ditione, aut dominatu separentur: aut externo iuri deferantur: propriumue ius, aut iurisdicctio, vectigaliave regia pretio, aut dono alienentur. Eo interposito decreto, cum ei Rex postea derogatum voluisset, magnæ inter liberos turbæ, seditionesque concitantur.

A. D. IIX. K. Nou. Barcinone Iacobus Baleariū Rex suprema iura Balearici regni, & ditionum contributarum potestatem Regi cauet: saluaque, & propria posteris Regibus mansura, fidei sacramēto recipit: atque sancit.

A. D. III. Id. Nou. moritur Carolus Calabriae Dux: Roberti Regis, & Iolantis Aragonum Regis amitæ F. Hic princeps vxorem primo duxit Catharinam Frederici Romanorum Regis, Aragonij Regis Iacobi generi sororem: ex qua nulla proles exorta est. Postea duxit Mariam Caroli Vallesij F. & filias ex eo matrimonio genuit Iohannam, quæ Roberto Regi auo regni heres successit: & Mariam postumam.

MCCCLXVII. MCCCXXXIX.

A. D. II. K. Febr. Agredæ Aragonum, & Castellæ Reges pacta, quæ Medina Vaccæorum oppido, Octobri mense, a Rege Castellæ constituta fuerant, in æde D. Michaëlis sacra sanciant: atque confirmant. In ea pactione Alfonsi etiam Portugalliæ Regis fides deuincitur. Fœdera, quæ a Iacobo, Ferdinando, & Dionysio Regibus facta fuerant, reuocantur, atque repetuntur.

Postero die Reges Turiasonem ineunt: & in ea vrbe nuptiæ Regis, & Leonoræ Castellæ Regis sororis, quæ a Iacobo sponso Regis fratre diuerterat, celebrantur. Castellæ Regem comitatur Petrus Toletus Episcopus Carthaginienfis, Iohannes Episcopus Vxamensis, Vascus Ramirius militiæ S. Iacobi Magister, Iohânes Nunnius Calatrauens, & Suggestus Pereñus Alcantarenfis militiæ Magistri, Petrus Ferdinandus Castrēfis, Iohannes Alfonsus Pharenfis, qui Camerionū dominabatur, Rudericus Aluarus Astur, cui Noronienfis dominatus subijcitur, Ferdinandus Ruicius ex Vilaluporum, Didacus Gometius Castaneda, Iohannes Martinus Leua regni finium præfectus, & Alfonsus Gaufredus Tenorius: cui maritimum imperium a Rege Castellæ delatum fuerat.

Turiasone Reges sponsalia Blancæ Petri Castellæ Regis patruī, & Mariæ Regis sororis filiæ, & Petri Alfonsi Portugalliæ Regis filij pepigere. Constantia Castellæ Regina Blancā secum in Castellam ducit. Hæ tamē nuptiæ postea dirimunt: quod Blāca sensus stupore, mētis cōpos nō esset.

A. D. IIX. Id. Febr. Turiasone, nulla ad id tempus belli suspicione inter-



ne interposita, ne imbellem agerent annum, de inferendo Granatensibus bello, foedera a Regibus sanciantur.

AERA. NAT. CHR.  
MCCCLXVII, MCCCXXXI.

Bernardus Caprera Murtiensis regni finibus acre, & magnum bellum Mauris infert.

Rex Valentiae Iunio mense, Valentini regni conuentus agit. Summo odio, atque dissidio ordines, quibus regnum constituitur ecclesiasticorum, optimatum, & popularium inter se, magna partium cōtentione concertant: de ijs oppidis, quae legibus, institutisque Aragonensis fori constituta erant. Magna enim suborta est controuersia: an in eorum ditione, extra Valentina, municipaliaque iura, ac fora, Aragonēsia iura exercentur.

In vetustis monumentis inuenio Fredericum Austriam, qui cum Ludouico Baioario, de Imperij successione armis contenderat, Septembri huius anni mense demortuum. Iohannes Cuspinianus, cui fidem derogare non ausim, Id. Ian. proximis vita functum perhibet. Isabella Regina vxor, Regis Aragonum soror sanctissima femina, calamitosa uiri forte iactata, in miserabili luctu, & inaudito squalore, quoad vir triennium custodia continetur, permanēs, angore se animi dedens, oculorum etiam lumina amisit. Frederico filio infante vita functo, ex Anna, & Isabella filijs, quae uiris adiunctae sunt, nulla superstes soboles relicta est.

A. D. I V. Non. Non. Valentina in arce concordiae, & pacis, quae Agredae constituta fuerat, pacta conuenta a Lupo Ferdinandio Pacieco Alfonso Regis Portugalliae legato confirmantur.

Valentiae Ferdinandus F. Regi, ex Leonora Regina vxore nascitur: cui Dertofana ditio, Marchionatum vocant, & Albaraziniensis dominatus statim subiiciuntur. Rex sanctione ea, quae de non alienando, separando ve, aut effundendo regio patrimonio lata fuerat: cum lator ipse legis esset, filium soluit. Ea re constituta, quod Rex vxorio arbitrio deuinctus, plures alias ditiones e patrimonio regio diuellere conaretur, adeo magna turba miscetur, ut Petrus primigenius metu nouercae, aditum sibi in Aquitaniam patefaciens ad Iacetanos, iuxta Pyrenaei claustra, suorum consilio, se contulerit. Petro opera, & consilio adsident Petrus Luna CæsarAugustanus Archiepiscopus, in quo summa apud omnes auctoritas, & amplitudo erat, Michaël Guerreæ Petri nutricius, qui procuratoris regni munus sustinet, Simon Gurra eius frater Montaragonensis Abbas, Vitalis Villanoua, Garcias Lorizius, & Michaël Perezus Zapata. Sed breui Petrus patri conciliatus procuratori regni praeficitur: quae primigenijs lege est attributa.

Franciscus Oria Leonardi F. suo, & Alionis, Mariani, Fabiani, Di-  
gnanini, & Nicolosij Oriarum nomine Regi se sistit: Regemque deprecans, supplices omnes Regi esse, & obnoxios profitetur: si oppida, quae ex regij iuris proprietate receperant, condonet: & eorum fidem recipiat. Rex uti eos in suam potestatem redigat, neue Sacerenses, qui defecerant, & insula exacti fuerant, foueant, benigne pollicetur. Permittit etiam eos, qui in minima fuerant culpa, Sacerem reuer-  
ti: modo ne quis ex Cathonum, Paliumve familijs, eorumve factione, aut ex Oriarum numero, qui a Berengario Carrozio maiestatis crimine condemnati fuerant, in Sardinia commoretur. Sacerensibus locus, qui

MCCCLXXIX, MCCCXXXI.

AERA NAT. CHR.  
MCCCLXIIIX. MCCCXXX.

cus, qui eorum coetu frequentetur, extra urbis moenia assignatur: modo ne tures ædificent, aut domorum aditus obstruant. Ea vero nationis leuitas fuit, & amentia, vt si vnus, aut alter in fidelitate permanet, reliqui pæne omnes perfidiæ infamia flagrent: & omnes insidias aduersus nostros intendant.

Aitonus Oria 1 x. longis nauibus & 11. pristibus, quas sagittias vocât, & aliarum nauium classe, ex delectu militum Genuensium Gibellinorum instructa, qui Sauonæ commorabantur, Sardinia oras præteruehitur. Ad promontorium, quod Caput terræ appellant, nouem Catalanorum nauigia intercipit: atque euertit. Arcem Caralitanam, ac pæne insulam omnem obsessam tenet. Sardi etiam hac impulsu occasione, qui iam ante se regio imperio subiectos dolerent, ex eo adeo tumultuose tota insula peruagantur, vt nostri omni exitu, & commercio intercludantur: & nostris in Sardinia ingens bellum, multis ex gentibus concitur.

A. D. XIIIX. K. Mai. Barcinone Rex Raimundum Cardonam, qui magnum in republica, & militari vsum habuit, vt male affectis rebus prouideat, Sardinia præficit.

Quod Aitonus Oria classem suppleuerat, & xvi. longas naues instruxerat, ætatem omnem in depopulandis Sardinia maritimis locis confecit. In Corsicam traiciens, & Bonifacij portum tenens, aliquot dies castellum Cinerchæ, quod eius præsidium regia stipendia mereret, & eius ditioni præfectus Lopatxellus, Iudicis Cinerchæ fratris filius Regi fidus, carusque esset, summa vi oppugnat.

Cum acre bellum inter Genuenses, qui Sardinia dominatum affectant, Vvelfæ, & Gibellinæ factionis, & Sauonæ commorantur, & eos, qui Regi in Sardinia parent, qui vno nomine Catalani nuncupantur, commoueretur, & omnes clasarij regij in oppugnatione præsidiorum Sardoniorum, & Corforum attinerentur, & ex Pisano Sardinia castello, quod præcipuum receptaculum hostium clasibus pateret, plurima nostris detrimenta afferuntur, Barcinonensem, Balearicamque classem Rex armis, virisque instrui imperat. Præterea mense Decembri Valentia Guilielmus, & Ombertus Azlorij acturias aliquot naues adornant.

Brennæ Comes, qui Athenarum Ducis cognomen gerit, magna comparata classe, dcc. equites ex Gallico delectu, & v. ex Tuscia milites, ac plures ex Apulia, & Calabria litoribus peditum cohortes educens, Brundisino portu soluens, Peloponnesum præteruectus Atheniensium portus tenet. Catalanis terra, marique bellum infert. Breui Dux dissipatis copijs magno dedecore rem deserit.

Cum suos pacatos Castellanus Rex reddidisset, Aragonio in societate armorum assumpto, summa vi Granatenses adoritur. Omnis hostilis iuentus aduersus tanti belli terrorem, tuendorum finium causa arma capit. Montefani ordinis Magister, Ampostæ, Montalbani, & Alcanicij præfecti, & Capreræ Vicecomes equitatu ex familia, aulaque regia coacto, Aprilis mensis sine Origuela Ilorci concedunt: hostilesque agros depopulantur. x. actuaria naues ad Herculeum vsque fretum, Granatensis regni maritimam oram tenent: & appulsus Maurusiorum auxiliorum obseruant,

Alfonsus Castellæ Rex, insignis animi princeps, intimis Baticæ regionibus

nibus copias deducens Vrsone exercitum conficit: cui Magister ordinis Anisi D. equitum delectorum turmis, ex Lusitania aduectis adiungitur. Cum castra Rex inde mouisset, Thebam oppidum obsidet. Ozminius singularis, præstantissimæque virtutis dux v i m. Mauris equitibus, obsessis auxilium, opemque adiungere festinans, in medium rerum certamen deuenit. Vincitur, & profligatur Ozminius maiore equitatus parte delera. Fuit hæc victoria Augusto mense parta. Theba, & Cannerum, & aliæ arces deduntur. Granatenfis dominatui Regis Castellæ se subijcit: & vnius anni indutiæ cum eo sunt pactæ.

Sanctius Simenius Aierbius Præfectus Iustitiæ Aragonum. Constantia Regina Cypri, Frederici Siciliæ Regis F. Armenia Regi McccLxix. Mcccxxx. nubit.

Petrus Ripacuriæ, & Emporiarum Comes Regis frater Iohannam Fuxensis Comitis sororem vxorem ducit.

Ianuarij mensis initio Valentia, cum Rex arma, & Sardoum bellum spectaret, adeoque immineret, vt periculosissimo tempore hostes in Sardinia nostrorum mœnibus insisterent, eiusque defectionis in dies crescente cura, naualeque opus nostris maxime vrgentibus, Raoulus Roccafortius Philippi Francorum Regis legatus, de inferendo Granatenfibus bello Regem commonet. Pollicetur, Francorum, & Angliæ Reges, qui in pacis condiciones descenderant, Scotiæ præterea, Bohemiæ, & Nauarræ Reges, Burgundiæ, Britannia, & Borbonis Duces, Carolum Comitem Alanzonium Regis Francorum fratrem, & Annoniæ, Flandriæ, & Beamontis Comites, atque alios insignes Gallia proceres sacro eo bello militaturos. Delphinum Viennæ, & Sabaudia Comitem, qui bellum gerunt, depositis armis infesta in Granatenfes signa illaturis. Cum Francus in communi causa maximam sui expectationem cõcitasset, Rex super tantâ, ac tam immensa re deliberaturus, conuentus Dertofam in K. Iul. indicit. Petrû fratrem, & Iohannem Simenium Vream ad Francum mittit: legationẽ eius eludens. Ab Rege enim responsum attulerant, Castellæ Regem non siturum externos principes sua bella gerere: & ab ingressione suarum ditionum omnes, qui se inuito arma in Granatenfes inferant, armis propulsaturum: quod pactæ cum Granatenfi indutiæ essent. Francorum tamen Rex, qui alio animum intenderat, Hispaniensem expeditionem immensa quadam cupiditate obtendens, Lutetia Parisiorum publico in cõgressu sacram militiam se professurum testatur. Ea simulatione, & impudenti fraude ad turpissimum quæstum inuenta; aurum, argentumque sacrum omne Gallicum a summo Pontifice efflagitat. Decumas omnes ecclesiasticas e Christiana republica in v i. annos sibi attribui expõcit: & vt a se ecclesiastica beneficia conferantur. Ad hæc etiam contendit: vt Arelatenfis, & Viennensis ditionis regium nomen natu maiori F. & dominatus Italiae Carolo fratri assignentur. Pontifex intolerabilia postulata a Franco interposita detestatus, & pro rei indignitate summe commotus, eum aspernatur, ac reijcit: allerens exactos annos x l. esse, ex quo Francorum Regibus Gallicæ decumæ in sacrum Hierosolymitanum bellum attributæ fuerant: earumq; quæstû in prophanos vsus, ac motus aduersus Christianos principes fuisse conuersum.

Aprilis mēsis initio Rege Valentia assidete, Lucas Fliscus Genuensiu, qui Ge-

AERA NAT. CHR.  
McccLxix. Mcccxxx.

McccLxix. Mcccxxx.

AERA NAT. CHR.  
MCCCLXIX. MCCCXXXI.

qui Genuæ cōmorantur, vir primarius internūtio Frācisco S. Eulaliæ Regi pollicetur, si pacisci cū ciuibus suis velit, & dāna, quæ nostris data erant, cōdonare, aduersus Gibellinos Sauonenses, qui Sardoum bellū cōmouēt, se regia signa secuturū: & regijs auspicijs, classem x v. longarū nauium deducturū. Rege promissionē Flisci, ac pactionē accipiente, interim cum regia clasissis x L. actuariarū nauium, & x x x. lemborum Cataloniæ litoribus egressa esset, mēse Augusto Ligustinā oram præteruecta igni, ferroq; licētius peruagata, hostiliter culta; atq; amœna Genuensium prædia populat.

Dertosa Rex hiemis initio Valentia adit: nuptias celebraturus, quibus Petrus Exerica, & Bonauētura Hugonis Iudicis Arborēsis filia adiunguntur. Cum ludis intentus esset, qui fuere apparatusissimi, Granatēsis Rex violatis indutijs, omnibus coactis copijs, & magno cōparato exercitu, equitatus roboram Valentini regni fines immittit: Roduano eorū confiniorum præsidij præfecto: & Abucebetio Ozminij filio, & Machliffio, qui Antiquariæ præerat, ductoribus. Ad v. M. equitum, & xv. M. peditum, v. M. sagittariorū interiectis, fuisse traduntur. Origuelsen agrum depopulantur: ac vastant. Guardamare oppidum circumfident. Festo D. Lucæ die, acerrima, & fortissima contentione oppugnant, & in oppidum irruunt.

Gaufredus Gilabertus Cruillias equitatu, peditatuq; omni delecto, Octobris mēsis fine, Rege Dertosam regresso, Illicim procedit. In eo oppido præsidia collocant: quod vniuersa ea regio maritima vasta, ac deserta esset.

Genuenses, qui se Internos vocant, quod vrbis Genuæ propugnacula obtinerent, eiusque potirentur, clade a nostris illata afflictī, & Gibellini Sauonenses, qui ex ciuilibus disidijs, ac domesticis seditionibus inimici in armis erant, aduersus Aragonia conspirantes arma, Roberto Rege in eā se pacificationē interponēte, in pristina concordia redigunt. Pactione ea inita, Oriæ, & Spinulæ excipiūt, vt Siciliēsi bello, quas velint partes prosequi liceat: Spinulæ enim Roberto, Oriæ Frederico Regi se adiūxerant.

MCCCLXX. MCCCXXXII.

A. D. V. Id. Apr. Roduanus x. M. equitum, & xxx. M. peditum fines Illicitanos adortus Illicim obsidet: & die Dominica Palmarum sequenti magna vi oppugnat. Quod nostrorum copia militares cōuenissent, A. D. X. II. X. K. Mai Illicitani obsidionis periculo liberantur.

A. D. IV. Non. Iul. Isabella Regina Dionysij Lusitaniæ Regis vxor, & Alfonsi Regis amita, sanctissima femina moritur: cuius insignem religionem, ac pietatem, & sua tempora venerata sunt: & eius commemoratio consecrata a posteris colitur.

Genuenses cum partium contentio esse desisset, classem ex L. X. nauibus longis, alijsque adiunētis conficiunt: & Cataloniæ oras depopulantur: magno maritimarū regionum detrimento. In Barcinonensi statione v. acturias naues oppugnant: quæ cum in litus deferuntur, & nauibus, & remigibus sunt potiti. Magna præda parta, Octobri mēse Genuam appellant.

A. D. XII. K. Nou. Raimundo Cardona Sacerim profecto, x. III. actuariæ Genuensium naues in Caralitanum portum deuehuntur: nauesq; nostras, quæ anchoras iecerant, adorti, acri conferto proelio Genuenses magno accepto detrimento portu pelluntur.

EXPLICIT LIBER SECVNDVS.

INDICES

253

# INDICES RERVM

AB ARAGONIAE REGIBVS

GESTARVM.

LIBER TERTIVS.



ETERVM CVM ADEVM RE-  
gni statum Principes nostri peruenissent, vt condi-  
cio melior externarum victoriarum a iusto hoste  
partarum, quam domesticarum proponeretur: dū  
certos fines regnorum, iam a priscis temporibus  
ipſi Hispaniarum Reges ſibi conſtituiſſent, inde  
Aragonijs Regibus conſilium fuit, eos hoſtes bello  
perſequi, cum quibus nulla pacis ratio eſſe poſ-  
ſet. Bellum erat paratum eiufmodi, vt noſtri ala-

AERA. NAT. CHR.  
MCCCLXX. MCCCXXXII.

eres, & erecti, quaſi ad tutandam rempublicam, ad decus labore partum, & laudem excitarentur: & eas copias, quas promouendis ſiſibus maiores cōparauerant, ad eorum perniciem conuerterent, qui claſſibus, & naualibus copijs, virtute, & victoria edomandi eſſent: & comprimendi. Res tamen Si-  
cilienſes, & Sardoꝝ eos de curſu ſuo in poſterum demouerunt: & Catala-  
norum, vſque ad auorum noſtrorum memoriam, diſciplina naualis omni  
ex parte perfecta, cumulataque laude remanſit. Iam enim his temporibus,  
eorum tanta fuit induſtria, tantumque excelluerunt in ſtudio, & ſcientia  
rerum nauicarum, vt Indigetum, Aufetanorum, Ilorgetum, Coſetano-  
rum, & Ilergaonum litoribus, omnes namque eꝝ ciuitates mare ſecutæ  
ſunt, magnis inſtitutis claſſibus, atque ornatis, vltimas interni maris oras  
peruſtigarent: atque Arelatenſibus primo, plurimum enim ea ciuitas &  
infero, & ſupero mari pollebat, & mox Piſanis, & Genuenſibus, qui maria  
omnia ſibi patefecerant, & Africanis prædonibus inſigni laude oppone-  
rentur: & ab exteris gentibus mediterranei Cataloniaꝝ populi immenſa lu-  
cra aucuparentur: ac veluti eludo, & pueritiæ diſciplina ad externos exer-  
citus, & in militaria munera delecti ſoli, ex noſtris nationibus, generatim  
duces, milites, nauarchi, claſſiarijque exteris gentibus vim, terrorem, cala-  
mitatemque importarent. Ea demum hoc tempore euenit tempeſtas, vt  
Piſanorum reſpublica, quæ & diſciplina, & potentia nauali omnes excel-  
luerat, quorum maiores nauicis exuuijs, & hoſtilium claſſium ſpolijs vr-  
bem ornatam reliquiſſent, non Sardiniaꝝ modo, ſed maris etiam poſſeſſio-  
ne decederet. Catalanis vero cum acerrima Genuenſium ciuitate, ſumma  
contentione decertantibus, vtraque natio, non de victoria tantum, ſed pæ-  
ne de exitio alterius acerbiffime, & maxime crudeliter bellum gerit: &  
tamquam certamen honoris, & dignitatis etiam conſtitutum eſſet, in eo  
viſi ſunt ſumma vi, & impetu contendiſſe, ne maris poſſeſſione pelleren-  
tur: cum alternis prælijs, grauiffimæ inter eos clades intorquerentur. A deo  
tamen reſtitit, & peruicit Catalanorum conſtantia, & ſtabilitas, vt ea illo  
ſæculo exterarum gentium opinio, & exiſtimatio maneret, nullos hoſtes

Y eis

AERA NAT. CHR.  
MCCCLXX. MCCCXXXII.

eis naualium rerum vsu, & scientia, aut virtute, & animorum firmitate anteferendos esse: & Aragoniæ, & Siculæ classes late, longeque diffusa laudeperuagarentur: Catalanique ductores dignissimi potestate, atque dominatu rerum maritimarum existimarentur. Eam laudem præmio, & pœna constitutis, Principes nostri consecuti fuerant: quibus duabus rebus reimpública contineri, non frustra præstantissimū sapientiæ firmare solitū ferūt. Nam eam seueritatem in nauali disciplina, illa ætate a Regibus adhibitam memoriæ proditur, vt lege capitis pœnam repeterent a nauium ductoribus, nautis, & gubernatoribus, quasi in manifesto facinore deprehensis, qui actuariam nauim, vt hostium impressionem subterfugerent, in litus eiecissent. Brochardus certe Teutonus monachus, in cuius mentionem supra incidimus, eius ætatis scriptor ad Philippum Francorum Regem, de excellenti Catalanorum præstantia hæc scripto prodidit.

» Super alias gentes maris, quæ maiori personarum præeminent probitate, armorum fortitudine, & vigore, industria in factis maris, & experientia certiori, fidelitate, atque constantia firmiori sunt Catalani, & Ianuenses: qui de vasis maris, & gente melius, facilius, & commodius administrare, & exhibere possunt copiam abundantem. Inter istos tamen nunc est actualis guerra grauis: & quia ista guerra sic stante, passagium in his defectum non modicum pateretur: nam omnes aliæ gentes, quæ mare nauigant, quantum ad probitatem, & industriam nauigandi, nihil sunt penitus respectiue: omnino expedit: quod inter istos pax, & concordia componatur: quæ quidem pax faciliter obtinebitur: si maiestas regia voluerit interponere partes suas: cum Catalanis Rex Aragoniæ, & Ianuensibus Rex Siciliae dominetur: qui in tanto, ac tali negotio pacem facere tanto domino nõ negabunt. Vt in ea re hoc maxime admirari soleam: cum summam in amplitudinem potentiæ, & maiestatis postea Aragoniæ Reges peruenerint, & sub eorum imperium, ditionemq; tot regna ceciderint, qui fieri potuit, vt in præstanti, ac florenti eorum fortuna Catalanorum ditioni iam desuetæ factæ a maritimis, & naualibus rebus, vix commercium vllius rei cum exteris nationibus permanferit?

Marianus, & Iohannes Arborenses Hugonis Arboreæ Iudicis filij aulæ se regiæ addicunt: cum inter Orias in Sardinia armorum vi omnia agitarētur: turbarenturque. Galeotus, & Barnabas Oriæ arcem ipsam Oriam oppugnant: & Castanus Oriam cum par illis nullo modo esse posset, ditionem sibi attributam Sardoniorum oppidorum Regi addicere tētat. Marianus Arborensis Timborem Rocabertiniam Vicecomitis Rocabertinij F. in matrimonium ducit.

Magna dissidia, seditionesque in ditionibus regijs suberuntur: atque commouentur: de ciuitatum iure, quas Rex Ferdinando filio condonauerat: conquerente Petro primigenio, verante lege. priuilegium fuisse irrogatum: & Leonora Regina nouerca acerbum in priuignum odium struente: & excitante. Rex tamen, vt bonus in primis auctor Oldradus asserit, iurisiurandi religione obstrictus testatur, se ea sanctione, quam de non separando regio patrimonio condiderat, noluisse vxorem Reginam, aut liberos, ex eo matrimonio genitos deuinciri. Regiæ tamen in priuigni amicos, & ministros acerbum odium excitatur. Hi fuere Michaël Gurrea regni procuratori admotus ipsius primigenij nutricius ex proceribus,  
Simon

Simon Gurrea Abbas Montaragonius eius frater, Garcias Lorizius, Michael Peresius Zapata. Lupus Concutius epistularum magister cum in eculo, in caput aliorum torqueretur, mox turpi morte afficitur: quasi Regnam veneficijs infecisset. Petrus Luna Archiepiscopus Cæsaraugustanus cum Regina de priuigno suspecta esset, ne illi traderetur, procul amandandum curat: & in intimos Iaccetanorum saltus ablegandum.

Cum de appellationum intercessione eorum oppidorum, quæ iurisdictionis Præfæti Ampostæ erant, cōtrouersia suboriretur, Præfæctus Iustitiæ Aragonum causa cognita statuit: vt Hortani ciues Regem appellent: quod ea ciuitas ex foro Aragonio censeretur: & Aragoniū tributum, quod Morabetinum vocant, penderet: neque Catalanis indictionibus subijceretur.

Ianuario mense Henricus, & Fredericus fratres gemini ex Leonora Nūnia Guzmanæ concubina, nobilissima femina Alfonso Castellæ Regi filij nascuntur: tam dispari sortis euentu, vt alter a Petro Rege fratre crudeli morte sit affectus: alter ipso Petro Rege a se interempto, regnū inuaserit: quod filio, posterisque tradidit.

Castellum, quod in Panhormitano sinu Maris vocant, Roberti Regis clas sis nauibus aliquot submissis, in sedijs factis, deditur hostibus: & a Frederico Rege statim recipitur.

Albuhacenijs Maurusiorum Rex ingentes, immensasque copias Mahomati Granatensi Regi subsidio mittit. Ad VII. M. equitum fretum traiecisse commemorant. Anni initio transmisere: quibus Abulmelichius Maurusiorum Regis F. præfuit imperator. Ad Algeziram, in ipso freto sita tam urbem consistunt. Gibraltarium oppidum Calpi monti suppositum Februario mense obsident: summaque vi adoriuntur: Rex veterno languens, & Aragonijs clasibus Sardo bello intentis, difficilimis rebus affini fratri adesse non potest. Iacobus Exerica collecticijs copijs, Constantina Castellano Regi adiungitur. Vtrimque vrguentur obsessi: nec impetus hostium, ex superiore montis iugo decurrentium sustinent: & Iunio mense Gibraltariū hostibus traditur: multorum annorum cladibus domitū.

A. D. X. K. Iun. Barbastri Petrus, & Guilielmus Lupezij fratres germani cum Enneco, & Sanctio Lopezijs iidem germanis fratribus, pro iniquitatis vniculo sibi coniunctis armorum discrimini, atque iudicio se subijciantes, & mutuo ad pugnam prouocantes, ferrum, ac manus conferentes confligunt. Adfuit de more, eorum certamini Petrus Regis F. regni procurator. Cum præcipiti, & efferuescenti infania, & furore vtrimque decertaretur, paresque in diutina belligerandi contentione viderentur, Petrus eos gladiatoria illa pugna educi imperat. Othonis Moncadæ consilio strenui, & præstantis viri, & de consilij sententia, opere, & munere suo functos decernit, ac prædicat. Ex Aragonū enim moribus, militaribusq; regni institutis, re non diiudicata, in posterum diem certamē reijci poterat: vt in deuictos more maiorum animaduertetur.

Petrus, cuius promptum ad asperiora ingenium erat, patre Rege graui, & mortifero morbo affecto, in suspicionem venit, clam, & adhibito dolo, in Setabitanam arcem, quam Regina nouercæ Rex attribuerat, irrupturum. Omnis ea regio partium factione commouetur. Priuignus ingenio, & natura vehemens, & qui summam imperij seueritatem addidisset, opinionum prauitate, & nouercalibus odijs imbutus, donationi Ferdinando

AERA NAT. CHR. MCCCXXII, MCCCXXXIV.

fratri facta, uti immensa assentiri, libere proteruis denegat. A. D. X. K. Febr. Daroca Rex nuptias Petri filij, & Iohanna Nauarre regis filia constitutas iureiurando confirmat. Dos a parentibus filia dicta est C. M. librarum: eorum nummorum, qui Sanctietes appellantur: quorum nummus Turonensium librarum lege appendebatur. Castella utrimque, & arces veluti obsides traduntur. Cum ea dos dicta esset, cautum, ut LX. tantum millia dissoluantur.

Iohannes Emmanuelis F. Castelsaibio, ad ipsa Valentini regni confinia, Regem affinem conuenit: quorum congressui Leonora Regina interfuit. Anterioribus foederibus obstringuntur: paciscunturque ut Iohannis filia Ferdinando Regis F. nubat. Rex principatus Viliena titulo Iohanne donat: decernitque uti Viliena, & alia oppida Viliena contributa, quae Valentini regni finibus continebantur, & eorum ditio Principatus nomine censeantur. Non. Mart. eo in oppido, eius honoris Iohanni, posterisque eius priuilegium irrogatur. Excipit Rex, ne nummus in ea ditio excudatur, iacteturue.

Vetustis monumentis traditur, Iacobum Regis fratrem, qui hereditarium Regnius abrogarat, hoc anno, Iulio mense Tarracone vita functum.

A. D. XV. K. Sept. ad Populum vicum moritur Iohannes Patriarcha, Alexandrinus, Archiepiscopus Tarraconensis Regis frater: vir insigni pietate, sanctitate, summaque sacrorum librorum litteratura praeditus. Corpus Tarraconem deferitur: & D. Augustini festo die sepelitur. Huic Antistiti vere magno, apud posteros maxime gloriae fuit: quod coenobium monachis Carthusiensibus ab Alfonso Rege anno Domini MCLXVII. in paupertatis patientia dicatum, ornatumque, & a Petro eius F. Scala Dei nomine indito, & Iacobo nepote Regibus, honoribus, & praemijs amplissimis decoratum, & a dem continentem ample, magnificeque exornarit. Ex eo enim coenobio in solitudine, & sacro quodam recessu, ad Cosetanorum, & Illegionum confinia sito, quasi caelesti coetu, sacrae religionis fontes hausere ceteri Hispaniarum conuentus: qui eisdem sacris institutis se addixerant: & ad similem laudem, supra quadringentesimum annum sunt propagati.

A. D. III. K. Sept. Burgis nascitur Petrus Castellae Regis F. fax quaedam funesta Hispaniarum: ut aliqui obfirmauerint, quod a Petro Aragonum Rege eius inimico proditum accepimus, non ex Rege Alfonso procreatum: sed a Regina Maria, quae liberos ex sese non pareret, propter fecundum Leonorae Nunniae Guzmanae pellicatum, fuisse suppositum.

Leonora Regina intimo in priuignum odio, siue metu concitata, Attecae Alfonso Regem fratrem conuenit. Iacobus, & Petrus Exericae fratres, se Reginae opitulaturos, qui a Petri amicitia, eius causa se remouerant, pollicentur. Priuignus, ut erat aestuantis, & flagrantis animi, in sui iuris, comodique iacturam conuentum videns, a gre se tenet, quin viuo patre, de regio iure, armis decernat.

Oriarum familiae, qui Sardiniam incolunt, & a Rege defecerant, reliqui que Genuenses bellum in Sardinia permouent. Cum ipsi nullo duce, communita bellum gererent, & pararent, Quirra castellum armatis septu, & natura munitum, atque in ora maritima situm adoriuntur: cui regio ea omnis paret, quam Barbariam vocant: totiusque Caralitani regni propugnaculum



lum erat. Sed cum is labor frustra esset susceptus: quingenti equites agrum Galluritanum incurrentes, Terramnouam vi expugnant. Maritima oppida, ex Olbia vetustæ urbis reliquijs constructa, quæ aliquando florens, potentisque, nunc ita diruta iacet, funditusque deleta, ut vix ipsa vestigia appareant, circumcirca depopulantur.

Iohannes F. Regi ex Leonora Regina nascitur.

Fredericus Rex Iohanne Pont. Max. vita functo, Episcopus omnes regni Sicilia, & viros dignitate, religione, atque doctrina præstantes unum in locum coactos consulit: an sacro interdicto parendum esset. Communi consensu decernunt, tolli debere: quod summus Pontifex moriturus execrationes omnes, atque interdicta, quæ a se promulgata fuerant, consulto rescidisset. Ingenti animorum alacritate, & lætitia Id. Ian. pie, sancteque a Siculis rebus sacris opera datur. Sed Benedictus XII. qui in Iohannis locum successus est, execrationes easdem, atque interdicta in Baioarium, & eius fautores, & affectatores, ut in Catholica Ecclesiæ hostes redintegrat.

Ingravescente indies Regis morbo, Fuxensis Comes, interuentu Balearici Regis, & Petri Regis fratris, qui Fuxensis erat affinis Regem comonet, quod tempus monebat, veterno enim Rex conficiebatur, de testamento videat: & sibi de Vrgellitano comitatu caueat: satis faciatque: nam eam ditionem Fuxensis iure repetit. Rex congressum Fuxensis summe exoptat: quod veretur, ne Rogerio Conuenate adiuncto, externo milite Vrgellitanam ditionem inuadat.

Mense Februario Rex Valentia Raimundum Berengarium fratrem ad Benedictum Pont. M. oratorem mittit: de potestate supremi iuris regni Sardinia, & Corsica, fidelitatis sacramento Ecclesiæ facienda: & census remittendi causa. Sumptus enim bellici ob defectionem Oriarum, & Genuensium in propugnanda Sardinia, & Corsica, regis thesauris sustineri non poterant. Iure se id postulare Rex confirmat: quod Bonifacii decreto Iudex Arborensis, Oriarum familia, Marchiones Malaspinæ, & Dohortici Comites, præter eos Aragonenses, & Catalanos, quorum fructui plurima oppida fuerant condonata, Sardinia omni potirentur: & regis ditioni manserant reliqui Caralitani, Ecclesienses, Sacerenses, & ea arces, quæ Pisanorum iuris, atque ditionis fuerant. Regio enim quæ Banahyra vocabatur, inculta, atque horrida nodum nostrorum armis domita fuerat: quod aspera esset, & montosa. Neque regia vectigalia xxxvi. M. librarum, numerorum Alfonso rum pluris erant: quæ bellici sumptus longe superant.

Petrus Alfonsi Portugallie Regis F. Blanca sponsa, Maria Aragonum Regis sororis filia nuntium remittit: quod vecordi, atque amenti ingenio esset. Constantiam Iohannis Emmanuelis F. Blanca consobrinam in matrimonium postea duxit.

Iacobus Exerica, & coniugio, & stirpe regis domui coniunctus e vita excedit. Is, ut supra memorauimus, Mariam Reginam, Roberti Regis sororem, quæ Sanctio Balearico Rege defuncto vidua manserat, uxorem duxerat. Cum procax ea, & temeraria mulier, non matrimonij consortione, sed sceleris societate, alterius se contubernio adiungeret, Rex impudentiam eius cohibet: & ad fratrem deduci imperat.

Henricus Guliacus regni Navarra procurator bellum in finitimos Guipuzcoanos infert. Petrus Regis F. Navarro quingentorum equitum auxilia sub

AERA NAT. CHR.  
MCCCLXXIII. MCCCXXXV.

fidio præmittit: quibus Michaël Gurrea ex Aragoniæ proceribus longe ætate præuocatus, præficitur. Michaël Perefus Zapata cc. equitū ductor in primis fortis, ac strenuus Nauarrorū cohortibus aliquot adiunctis, cū Castellanos fines incurrisset, ad Tudelā certamē cōmittit. Hostes superiores discedunt. Nostris fufis, ac fugatis Zapata in hostium potestatem deuenit.

Iohannes Claramontius Modicensis Comes rebellionē facta, a Frederici Regis causa defciscens, Roberti classi præficitur: & Sicilia oras depopulatur. Raimundo Peralta xv. longarū nauium Catalanarum præfecto Drepanitanum portum tenente, & in Sardiniam nauigaturo, ea regio ab incurfione hostium liberatur.

Sarraceni Meningis insulæ, qui Frederico Regi paruenerant, xv. longarum nauium Genuensium, & lxx. Roberti Regis appulsu arma capiunt; propugnatoribus ad vnum interfectis, Sarraceni arce potiuntur.

A. D. II. Non. Iun. Rex in Valentina arce, cum Abulhaceno Abencomixa, & Paschali Cirera legatis Iuceffij Granatenfis Regis, iisdem conditionibus pacem, indutiasque paciscitur, quibus a Rege Castellæ depactæ fuerant. Publicæ rei causa Granatam Raimundus Boilius, & Guilielmus Augustinus legantur.

MCCCLXXIV. MCCCXXXVI.

Leonora Regina facinus adorta, Verdegium, & Sometium Aragoniæ castella, in ipsis regnorū confinijs sita, Regi fratri tradere parat: vt facilissimos aditus ad fratrem sibi patefaciat. Petrus priuignus, qui attente insidiatur, & omnia noueræ consilia obseruat, Idib. Ian. operā dat, vt præsidijs firment. Eodē tēporis interuallo, Rege animā agente, Regina Barcinone se in fugā cōferens, traiecto Sicori amne Fragæ substitit. Arces, oppidaq; filiorū Ferdinandi, & Iohānis præsidijs, munitionibusq; obstrui imperat.

Rex ægra, & diuturna valetudine conflctatus, A. D. IX. K. Febr. Barcinone regijs in ædibus Mercurij die hora matutina decedit. In cœnobio fratrum Minorum eiusdem vrbis sepelitur: cum sepulturæ locum in Ilerdensi cœnobio eiusdem instituti sibi delegisset.

Paucis ante obitum Regis intermissis diebus, nuptiæ Iacobi eius F. & Cæciliæ Conuenatum Comitis, & Mathæ eius vxoris F. sunt depactæ. Raimundus Peralta regiarum classium præfectus, eam ob causam in Galliam legatur. Petrus F. regium nomen statim vsurpat.

PETRVS IV. ARAGONVM  
XIX. REX.

A. D. VI. K. Febr. Rex iustis paterno funeri nondum indictis, Cæsar augustæ magna cum inuidia noui principatus, cuius hoc primum specimen edebatur, Ferrerium Apiliam Iacobi fratris nutriciū præmittit, qui Reginam, quæ viuente adhuc Rege Barcinone excefferat, in Castellā properantem, & ingentes thesauros, vti ferebant, secum auhentem anteuertat. Ea vero nimia festinatione mōtes transgressa, Dertosa Hiberum trañciens Turolium, atque Albarazinum contendens Burgensi Episcopo, & Petro Exerica comitantibus in Carpetanos emigrans priuigni manus eua sit. Hinc non simultas modo, sed apertum bellum inter Alfonso, & Petrum Reges suscipitur.

Arcis Setabitanæ præsidium, quod Regiæ nomine occupatum fuerat, Regi deditur.

Ciuitates Catalonia Regem commonent, priusquam de more regijs insigni-

in signibus ornatus coronam fuscipiat, Barcinonem adeat: instituta, atque vsus principatus iureiurando fanciat. Contra vero Aragoniæ proceres coiere, ne qua ex summa indignitate labes regni dignitati aspergeretur: si in ea rerum celebritate, & decore Catalani Aragonijs anteferrētur. In eo potissimum enituntur, & summo cum studio instant Iacobus Comes Vrgelitanus Regis frater, Simon Gurrea Abbas Montaragonius, Iohannes Simenius Virea, qui Biotensium dominabatur, Petrus Cornelius suo, & Simonis Cornelij patris nomine, Lupus Luna qui Segorbiensem ditionem obtinuerat, Atho Focius, Raimundus Peralta, Raimundus, & Thomas Cornelij Simonis Cornelij filij, Gonzaluus Diazus Arenosius, Philippus Castrensis, Iohannes Ferdinandus Luna: quibus se adiunxerant ex domesticis regijs viri genere, & dignitate præstātes Gombaldus Tramacetius, Thomas Perefus Focius, Simon Perefus Pina, Sanctius Perefus Pomarius, Lupus Gurrea maior, Michaël Gurrea, qui S. Encratidis oppidi dominabatur, Garcias Ferdinandus Castrensis, & Garcias Lorizus: & aliquot primarij ex Cæsaraugustanis ciuibus. A. D. XVI. R. Apr. obtestantur, vti primo quoque tempore a Rege Aragoniæ leges sibi fanciantur, atque irrogentur. Maxima de re deliberanti placuit regijs insignibus primum decorari. Petrus, & Raimundus Berengarius patrum, Regi dignitate proximi ægre id ferentes, & Arnaldus Cescomius Tarraconensis Antistes Cæsaraugusta excedunt: neque ex proceribus Catalanis celebritati regij decoris adfuit quispiam præter Othonem Moncadam, & Raimundum Peraltam. Mox publico in conuentu leges iureiurando fanciuntur.

Dominica die, quæ resurrectionis Domini diem festum subsecuta est, Cæsaraugustæ in Saluatoris maxima æde Rex dignitatis regiæ, potestatisque insignibus, magno apparatus splendore decoratur, coronaturq;. Ludos Rex magnificētissimos apparauerat: sic, vt nemo ex superioribus principibus sumptuosiores populari lætitia ediderit. Ouans ex æde maxima in Regiam funali equo vectus muneribus, & congiarijs, epulisque publicis regni ordines, & cunctum populum deliniuit. Ferunt Robertum Regem peritos caelestium admouisse, qui penitus siderum motus dimensi, eorum positus, ac spatia perscrutarentur: quibus Regi diadema imponeretur: vt properum, tardumve regni finem coniectando eliceret: sic enim est traditum.

Calatrauensis militiae præfecti aliquot, a Magistro, qui ei ordini præpositus erat, secedentes cum Garcia Lupio Magistro, cui eius ordinis conuentus magistratum abrogarat, ex Oretanis Alcanicium perfugerant: & ijs, qui eo in loco commorabantur, eiusdem instituti adiuncti in Garcia Lupij demortui locum Alfonso Perezium Taurinum Magistrum deligunt: & in secessione plures annos permanent.

A. D. IV. Id. Iun. Ilerdæ in arce regia leges, constitutiones, & scita Barcinonensia, & priuilegia a Rege Catalanis fanciuntur: atque irrogantur: neq; donationes, aut assignationes a Rege patre ex A. D. XIII. K. Sept. factas, ratas habet. Ea re constituta Catalani more, in regis verba fidei sacramento adiguntur.

Iohannes Emmanuelis F. foedere cum Alfonso Portugalliæ Rege inito, bellum Castellæ Regi illaturus, quod filia Constantiæ condicionem

ÆRA NAT. CHR.  
MCCC LXXIV. MCCC XXXVI.

repudiasset, amicitia societate, & pactionum complexione Aragonum Regi se addicit: mutuoq; fœderis vinculo adiunguntur. Id. Mai Cæsargustæ Rex principatum Vilienæ, qui regni sui finibus continebatur, Iohanni confirmat. Eo fœdere, quod Iohannis præpotentis viri longe parent vires, & dominatus in Castella late esset effusus, Rex aduersus Alfosum Regem, & Reginam nouercam, suas vires satis muniri existimat.

Prosperæ ea tempestate res in Sardinia multæ consecutæ sunt. Azo, & Iohannes Opicini filij Malaspinæ Marchiones, Donoratici Comites, & ciuitas Pisanorum, cui aliquot in ea insula oppida, omni propugnaculorum vi dissecta, neque munita parebant, Petrusque Arborensis Iudex, & Marianus, & Iohannes fratres Regi obsequuntur. Oriæ ad Ardennam a Raimundo Cardona cæduntur. Adhæc Pont. Max. Francorū, & Sicilia Reges, Stephano Columna internuntio nituntur, vt cōpositis, & cōstitutis cōdicionibus Oriæ, qui a Rege defecerāt, pacificētur: Regiq; pareant.

Pax cum Francorum, & Balearium Rege, & Genuesi ciuitate conficitur: Cassani, & Galeoti Oriarum filijs: alijque, qui obsides traditi erant, a Rege dimissis. Oriæ sub specie infidæ pacis, quieti tamdiu manent, dum intestinis seditionibus distrahuntur. ¶ Quod vi, & impresse Rex nouercæ euertere studet, & regni initia inde ducerentur, Castella Regis legati Mendius Lupius Toletanus, & Iohānes Ruius Gaona de pluribus iniurijs Reginæ, & eius filijs illatis, repetitis rebus graues querellas iaciunt.

Alfonso Portugallia Rex Alfonso Regi genero bellum indicit: quod Mariā F. quæ in eius manū conuenerat, & in matrimoniū ducta fuerat, repudiaret: atq; ei nuntiū remittere vellet. Fama enim percrebuerat eo tempore, quo regijs insignibus Burgis adornari summa celebritate constituerat, de ducenda Leonora Nunnia Guzmanæ cōcubina, & coronada deliberrasse: & ab eo cōsilio destitisse, quod id tēporis Maria vxor pregnas fieret.

Iohannes Emmanuelis F. a dominatu, atque ditione Castellæ Regis testimonij denuntiatione se asserit. Eę tabulę A. D. XIX. K. Sept. in arce regia Valentina Regi proferuntur.

Rex aduersus Petrum Exericam summa vi bellū gerit. In oppida eius, atq; arces inuadit: quod Regine Leonore omnes suas opes, auxiliumque detulisset. Didacus Lupius Pharensis, Iohannes Martinus Leua, Lupus Didacius Rogius, & alij ex domesticis Regis Castellæ proceres magno equitatu, atque peditatu, quem, vti Exericę subuenirent, cōegerant, bellum Regi inferunt. Exerica Setabitanis finibus Engueram vsque, suas copias in expeditionem educit.

MCCC LXXV. MCCC XXXVII. Anetenis in arce diocæsis Carnutensis, quo in oppido Philippus Rex Nauarrę, & Iohanna eius vxor resederant, Epiphanię festo die sponsalia Regis Petri, & Marię Nauarrę Regis F. contrahuntur: cū antea cum Iohanna natu maxima filia depacta fuissent. Fidem suam obstringūt, omni opera curaturos, vti Nauarrę regni ordines spondeant, demortua Nauarrę Regina, ad quam regni iura peruenerant, liberis virili prole non superstibus, in Marię verba se fidei sacramento adacturos: & eorū liberos in parentum locum successuros. Iohanna postea nubet Vicecomiti Rhotomagensi: & Blanca natu minima Philippo Valesio Francorum Regi adiungitur: ex qua prognata est Iohanna, quę Iohanni Gerundensi Duci Petri Regis F. primigenio nupsit. Dos eadem L. X. M. librarum dicitur: quæ forori Iohannæ

Iohannæ dicta fuerat. Rex foedus cū socero icit: vt sibi mutuo opitulētur.  
 A. D. VII. Id. Ian. Bernardus Villaragutius, Arnaldus Morera, & Azbertus Caliaza Valentia a Rege ad Benedictum Pont. Max. legantur: qui iura regni Sardinia, & Corsica Ecclesiae addicta, regio nomine summo Pontifici fanciunt.

ASRA. NAT. CHR.  
 MCCCLXXV. MCGGXXXVII.

Bonifacius Nouellus Donoratici Comes dux copiarum militarium, & custodiar vrbis Pifarum Regi fidem suam praestat, eorum oppidorum causa, quae in Sardinia regno a Rege possidet.

Beltraminus electus Episcopus Theatinus, & Henricus Astensis sacri palatii Auditor Pontificiarum causarum, nuntij Apostolici ad Regem mittuntur: de bello amouendo, quod Castellae Rex, sororis Reginae causa inferre parat.

A. D. VII. K. Iul. Fredericus Rex LXV. annum agens, morbo oppressus, morti appropinquans Paternione Catanam proficiscitur. Iter faciens in edicula D. Iohannis Hierosolymitani moritur: longe omnium in re bellica princeps: virtutumq; Rege dignarum praestantia excellens: & omnis laudis genere praeclarissimus. Cum Barcinonem corpus deferendum decreuisset, iuxta matris, & fratris Alfonsi sepulchra sepeliendum: Catanæ in æde maxima sepelitur. Petrum regni heredem, ditione Apuliae, & Campaniae principatu adiunctis instituit. Athenarum, & Neopatria ditiones, quas Ducatus vocat, Guilielmo filio attribuit.

#### P E T R V S I I . S I C I L I A E R E X .

Cum Alfonsus Castellae Rex potius ostentaret, quam gereret bellum, & Aragonius Darocæ, exacto Iulio in A. D. XIII. K. Decemb. veluti hostibus oppositus substitisset, omnem contentionem, quae cum Regina, & Exerica intercesserat, Petro patruo Ripacurciae Comiti, & Iohanni Emmanuelis F. dirimendam remittit.

Albuhacenus Bellamarinius, Maurusiorū, & Tremecensis Rex, qui in Mauritanijs ad summum barbararum gentium imperium peruaserat, nec Africano regno contentus, Hispaniae regnis, angusto freto dirempta imminet, cuius tam late terra, marique praepotentis imperium patet, vt ad vniuersas Africae nationes Babyloniae Soldano praerferretur, ingentes copias, fretum transmissurus comparat. Abomelichius eius F. cum Algeziram, Gibraltarumq; praesidijs contineret, Baream oppidum ditionis Granatensis vi expugnat. Valentino regno id bellum, propter propinquitatem inferri, Rex veritus, quod eae Contestanorum, AEdetanorumq; regiones a dediticijs Mauris incolerentur, vires omnes suas in eam expeditionem intendit. xxx. actuariarum naues adornantur: quae ex regio, & Balearico delectu conficiuntur: quibus a Rege Gaufredus Gilabertus Cruillias praeficit: quod Raimudus Peralta Siculi Regis auspicijs classem duceret.

Simon Luna Toletanus Antistes moritur: & in eius locum Egidius Aluarus Albornozius cognatione ei adiunctus, matre enim Theresia Luna genitus erat, sufficitur.

Peregrinus Anzanus Praefectus Iustitiae Aragonum.

Cum Rex Valentiae sacrum natiuitatis Domini diem celebrasset, Guilielmus Orgolius, & Bernardus Petraleuada Praedicatorum instituti, ab Eduardo III. Angliae Rege legati, veterum foederum commonent: quae reintegrari expetunt. Quod bellum a Philippo Francorum Rege aduersus

AERA NAT. CHR.  
MCCC LXXVI. MCCCXXXIIX

aduersus Eduardum permotum esset, eius belli Regem participem, socium, & adiutorem exposcunt. Sed turbatis domi rebus, neutram in partem mouetur: & A. D. III. Id. Febr. Garciam Lorizium ad Francum pacificatoria legatione mittit: si qua indutiarum inter eos principes spes esset.

A. D. II. Non. Febr. Catanæ nascitur Ludouicus Petri Siciliae Regis F.

Febr. mensis fine Rex Auenionem ad summum Pont. legat Sanctium Lopefium Aierbium ex ordine Minorum virum religione insignem: qui sacrae confessioni Regi adsidet: & Tarraconensi Ecclesiae postea praeficitur. Is operam dat, vti pacto Mariae Nauarrae Regis F. matrimonio, Rex sanctione ea canonica soluatur, quae propinquos, & affines matrimonio adiungi vetat. Exposcit praeterea Magistri, a societate Calatrauensi Alcanicij creati electionem iussam, ratam, atque firmam habeat. Sed ea res impetrari nequit: quod partium factione concitati Alcanicenses, contra eius ordinis instituta Magistrum sibi delegissent: & diutina ea seditio inter Calatrauenses socios viguit.

Martio mense Rex Barcinone Petro Ruizio Azagrae Villae felix domino in mandatis dat, vt controuersias finium componat. Is Conchae Castellae Regem conueniens, qui A. D. X. K. Iun. in eam urbem aduenerat, de foedere aduersus Mauros ineundo paciscitur.

Iulio mense Maria Regina Alauonae ingreditur: Philippo Cabilonenfi Episcopo patruo, & alijs proceribus viris comitata. Cum eo in oppido valetudinis curatione attineretur, sollemnia nuptiarum celebrantur A. D. IIX. K. Aug.

Intemeliarum & Antiochenorum familiarum factiones ductoribus Francisco Intemelio Comite, & Comite Frederico Antiocheno re publica Siciliensem armis commouent: atque perturbant. Claramotij, & Palicij eis adiuncti aduersus Petrum Regem, belli faciendi causa, cum Roberto Rege consentiunt.

Carolus Atrebatensis, Sanseuerini, & Carinulae Comites, Comes Fredericus Antiochenus, & Aldoinus Francisci Intemelij Comitum F. classis Roberti Regis ductores Sicilienses oras incurrentes, Rochellae statione, A. D. V. Id. Mai copias exponunt. Tertio die Golifanum, Graterium, Brucatum, & Montis S. Angeli castellum Neapolitano Regi traduntur. L. nauium actuarum, quas Taridas vocant, ea classis erat. Atrebatensis Neapolim regressus, A. D. XIII. K. Iul. Mylas denuo traiciens, ea statione DCCC. equites exponit.

A. D. XI. K. Sept. Thermæ Roberti Regis ductoribus deduntur: quibus magna Siciliae parte diuexata, atque direpta, in Campania litora reuersis, Graterium, Golifanum, & Brucatum Petro Siciliae Regi deduntur.

Ea ipsa die, qua arces hostibus tradebantur, Guilielmus Petri Regis frater Dux Athenarum, & Neopatriae, cuius praecipue virtute, atque consilij Siculi regni fundamenta constitutebantur, e vita excedit.

Tertio Siciliae regnum sacris interdicitur.

Rex Marianum Petri Arborensis Iudicis fratrem, tituli Gothiani comitatus Sardoae ditionis splendore cohonestat.

Res in Sardinia suspensae, & incertae obscura spe pacis, aut belli timore vacillant. His praesidijs res publica fulta erat, quod arces Caralitana, Aque frigidae

frigida, Ioiofaguardensis, Quirrensis, Castelliorgullofi, Gallicellienfis, Castelpedresienfis, Fabensis ad Olbiensem tractum, Ofoliensis, Sacrensis, Sorritanumque propugnaculum, cui Bastida nomen imposuerant, a nostris tenerentur. Omni prouinciæ Raimundus Ribellias præfidet: arci tamen Caralitanae Iacobus Aragonius Iacobi Regis F. præfectus fuerat: quæ tamquã cõmune nostrorũ receptaculum cõmunita: & obstructa erat. Neque tam nostrorũ vigilantia, aut virtute res sustentantur, quam ciuilibus dissensionibus Genuensium: & discordia, quæ inter Oriarum familias flagrat. Malaspinae suis etiam seditionibus scinduntur. Donoratici Comites, Damianus, Barnabas, & Brancaleo Oriæ in regia fide se permanfuros pollicentur: & spes iniecta est Bernardi Boxadolij legati interuẽtu, in rerum nouandarum metu perutilẽ eorum operam, & fidelitatẽ futuram.

A. D. XIII. K. Sept. Cæsaraugustæ Rex Michaëlem Lehetium ad Alfonso Portugallia Regem, in summo Africani belli terrore, & tumultu, vetustorum fœderum confirmandorum causa delegat.

Rex Valentiam profectus militares ordines, manusque recenset: præfidiaque mediterranea Pinnaguilæ, Madronæ, Castallæ, Pinnacadelli, Saxona, Guadalesti, Castelfaubij, Adamuzij, & oppidi, cui ad Pontem cognomen est inditum, firmantur.

Octobri mense Petrus Ripacurciæ Comes, Regis patruus in Castellam ad Alfonso Regem legatur: concordia inita cum Regina nouerca firmandæ causa. Madriti condicionibus modum finiuit. Dotalia vestigalia ciuitatum Oscæ, Calataiubij, Serabis, Castellionis, Moreliæ, Moruiedri, Algezira, Momblanchi, & Tarragæ a Rege marito constituta restituuntur. Regina Valentiam remigrat.

Madriti, de consilij sententia Iohannes Emmanuelis F. Iohannes Nunnus Larenfis, Iohannes Alfonso F. qui Iohãnis Sanctij Regis fratris nepos erat, Egidius Aluari Albornozius Toletanus Antistes, Gonzaluus Martinus Ouiedus Alcantarenfis militia Magister, qui Castellani regni consiliorum summa præfunt, ad fœderum pactionẽ cum Gonzaluo Garcia, & Lupo Perezio Fontecia Valentino Decano, & Archidiacono Burgenfi Regis legatis, quos eam ob causam, A. D. III. Non. Apr. Valentia legauerat, deueniunt. Constituitur, vti classes regia maritimam oram ad fretum vsque, ab excursionibus Maurusiorum tueantur: & eorum appulsus, atque transmissiones reprimant: atque coërceant: stationes, litoraque omnia, & portus fretenses longe, lateq; classibus occupent. Aragonia classi, & imperio maritimo Gilbertus Cruillias præficitur. Rex, omni bello in Bastulorum regionem ad traiectum, aduersus Mauros compulso, Setabifistit: præfidia firmat: & regni proceres eis præficit. Cocetainæ Alfonso Rogerium Lauriam Petri Exericae fratrem, Gonzaluum Garciam Moxenti, Bernardum Villaragutium Albaidæ, Olphum Prochytam Lucenti, Francisum Carroziuum Oliuæ, Petrum Zapatam Thoi, Arnaldum, & Matthæum Lanzolios Villælongæ, Bernardum Boxadosium Ondaræ, Iohannem Ruizium Coreliam regni finibus præesse imperat: Vitalem, & Raimundũ Villanovas Mensæ, & Popi: Petrum Scribam Arnaldi F. Rafali. Hi delecti duces cum firmissimo copiarum robore rem bellicam administrant: quod in omnium rerum certamen sacro bello suscepto, deueniendum esse omnes arbitrantur.

ABRA. NAT. CHR.  
MCCCLXXVI. MCCCXXXIX.

MCCCLXXVII. MCCCXXXIX.

Conditio

ÆRA NAT. CHR.  
MCCCLXXVII, MCCCXXXIX

Condicio ea status Aragonij regni fuit, & communium rerum in sacro obeundo bello inclinatio eo reciderat, quando intestinæ discordiæ, & no uercalia dissidia sedata videbantur, & restincta, nec reliquus, nisi impius, & transmarinus hostis appareret, vt fraterna odia excitarentur: exitialesque exitus haberent. Nam quod Iacobus Balearicus Rex, qui Constan tiam Regis sororem duxerat, diem de die ducendo, Regi iura regia, pote statemque supremam iurifiurandi religione sancire, in cursu bonorū con siliorum cunctaretur, tergiuerfareturque, & nihil ab eo longius abesse vi deretur, quam ea iura agnoscere, quæ patruus, auusque non distulerāt san cire, & ipse Alfonso, & Iacobo Regibus stabilierat, pæne inuitus, & recu sans Barcinone, A. D. VI. K. Aug. se pacta conuenta obseruaturum, ge nibus Regis aduolutus, conceptis verbis adiurat: seque in Balearico regno, & insularum adiacentium, & Ruscinonensi, & Cæretana ditione, atque Omeladesia, & Carladesia, continentiumque oppidorum, & Mompelle rij dominatu, honorario, & precario imperio defungi contestatur. Scriben dæ sponsoni adfuere Petrus, & Raimundus Berengarius Regis patru, Iacobus Vrgellitanus Comes, & Vicecomes Agerensis Regis frater, Arnal dus Cescomius Tarraconēsis Antistes, Ferrarius Barcinonēsis, & Helenen sis Episcopi, Raimundus Emporitani Hierosolymitani ordinis Præfe ctus, Petrus Fenolletius Insulanus, Bernardus Capreriensis, & Iohannes Sous Ebolensis Vicecomites, Berengarius Villaragutius, Bernardus Sous, Pontius Lupianus domesticis Regis rebus Præfectus, Arnaldus Lordatus pro Cancellario Regis Balearium, Bernardus Boxadosius, Petrus Momi pahonius, Raimundus Boilius regius Quæstor, Lupus Gurraeanitoribus regijs Præfectus, Iohannes Ferdinandus Munionius, & Dominicus Tar ba, qui pro Cancellario Regis munus obeūt: & Iacobus S. Clementis, Gui lielmus Naiarenfis, Simon Olzetus, & Bernardus Rouira consiliarij Bar cinonenses. Excipiuntur iura Episcopi, & Ecclesiæ Magalonensis. Iaco bus ea se deminutione multari existimans incredibili dolore, & ira exar descens, quasi de suo iure, Regis iniuritate, & iniuria decidisset, Perpini a num reuertit.

Julio mense Barcinone, cum Archiepiscopus Tarraconensis, & omnes eius prouinciæ Episcopi prouinciali concilio adsiderent, vt de subsidijs ecclesiasticis Regi conferendis deliberarent, Regesque, & Aragonum, & Balearium Regina, & Eliscendis Regina vidua, Cardinalis Rhodensis Hi spaniarum a sede Apostolica legatus, Petrus, & Raimundus Berengarius Regis patru, Iacobus Vrgellitanus Comes, & Ferdinandus Balearici Re gis frater germanus in ea celebritate comparerent: corpus S. Eulaliæ sacra pompa, sollempnique religione, sub maxima ara, in sanctius sepulchrum transfertur, conditurque.

Barcinone Rex Ilerdam proficiscitur: & in ea vrbe Iolantem amitam, quæ Philippo Romanæ Principi, Despotum vocabant, Philippi Taren tini Principis, Regis Roberti fratris filio primo nupserat, Lupo Luna Segorbiensis ditionis domino, homini nobilissimo, & potentissimo, regio ge nere orto, & disciplinis regijs educato collocat. Is namque, ex quo Artal lus pater, fraterque Artallus natu maior in Sardinia, expeditione bellica obita mortem obierant, ab Iacobo, & Alfonso Regibus, eodem cultu, atq; liberi regij domi altus, habitusque est. Harum nuptiarum adiunctio ple na con-



na concordia fuit. Nam cum Petrus Ripacurcia Comes Iolantis frater, & Petrus Luna Cæsaraugustanus Antistes Lupi patruus animo, & voluntate, partibusque, de summa regni administratione, & curatione rerum, cum Rex ex pueris vix excessisset, disiderent, quam maxime ea coniunctione ad beniuolentiam conciliantur.

Rex comitatu Petri patruus, & Tarraconensis Archiepiscopi, Iohannis Simenij Vreæ, qui Biotensium ditionis dominabatur, & Petri Queralti, & aliorum procerum, vt Pontificem Maximum inuisat, Auenionem contendit. D. Martini festo die, Tarracone egressus, ad Druentia transitum a x x i i. Cardinalibus excipitur: & Balearico Rege comitatus Neapolioni collegij Decano, ex vrsinorum gente, & Conuenati Cardinalibus mediis interiectus regio apparatu urbem introit. Postero die, dum per urbem regia pompa transuehitur, insolenti ministerio stratoris, qui funali equo Balearici Regis præit, ira commotus, paulum affuit: quin in ipsum Regem affinem gladium vibrarit: vt series futuri in Balearicum exitij iam oriretur. Insequenti die Pontifici Max. iura regni Sardinia, & Corsica sacramento recipit, atque sancit. Quod summum Pontificem in se ingrati effectus expertus, neque in postulatis a se interpositis, benigne sibi ab eo effectum, eodem die Villanouam regreditur.

Petrus Regis patruus rerum diuinarum cõtemplationi deditus, cuius vita iam diu a splendore populari, & ambitione remota erat, paulatim a consuetudine rerum publicarum abstrahitur: & Nicolaus Ianuilla Gallus summæ potentia vir, qui in Bruttij Comitatu Terrænouæ dominabatur, & Margaritam Rogerij Lauria F. in matrimonium duxerat, summæ consiliorum a Rege admouetur.

Iunio mense Gaufredus Marzanus Scylacij Comes classis Regis Roberti præfectus, quæ x x v. actuararum erat nauium, & vnus oneraria viris, armisque apprime instructa in A Eolias insulas transmittens, Liparim urbem oppugnat: & in Nouembrem mensẽ circumfidet. Petrus Sicilia Rex vix vnus, & viginti nauium longarum classẽ Catalanorum, & Genuensium militum conficiens, Iohannem Claramontium Modicæ Comitum, Imperij Germanici Marefcallum, qui Petri sororem duxerat, & Orlandum Aragonium fratrem Liparæis subsidio mittit. Cum commeatus, & integra militum manus fauciorum loco summitti possent, obsessi desperata, & inaudita animorum obstinatione subsidiariam opem reijciunt: nisi obsidione omnino liberentur: & hostes insula auertantur. Siculi desperatione eorum commoti, pares se esse hostibus posse, nimium confidentes, dum præsidio obsessis, vt essent, citati feruntur, simul est concursus, ingens fuit cum hoste certamen: Siculique profligati, atque deuicti interfectione cæduntur. A. D. X. K. Dec. pugnatum memoriæ proditur. Cum Marzannus Neapolim transmitteret, subitoque tempestates maximæ essent cortæ, v i i. Siculis nauibus ab hoste interceptis, in Siciliam appulsis, & vna Pisas traiecta nauæ, vectoresque ad I. I. M. liberantur. Claramontius, & Orlandus, reliquique proceres capti Neapolitanis arcibus, & Nuceria, Calabrisque Castellis, & Narbonensis prouinciæ custodijs traduntur.

Castellæ Rex Hispali exercitu coacto Rondensibus finibus, Arcidionensibus, & Antiquarijs hostiles Maurorum regiones circum circa depulatur:

ÆRA NAT. CHR.  
MCCCLXXVII. MCCCLXXXIX

pulatur: & primarijs ductoribus Iohanne Emmanuele, Egidio Alborno-  
zio Toletano Antistite, Alfonso Mendio Guzmano ordinis S. Jacobi Ma-  
gistro, Leonoræ Nunnix, quæ Regi in concubinæ locum ducebatur, pe-  
nes quam omnis potestas erat, fratre germano, Iohanne Nunnio Larenti,  
Iohanne Alfonso Alburquerqueo, magna propinquitate Portugalliæ Re-  
gi coniuncto, Petro Ferdinando Castrensi, Petro Pontio Legionensi, qui  
Marcienæ dominabatur: & Beatricem Petri Exerciæ sororem in matrimo-  
nium duxerat, incendio. & incursionibus vastat. Cum Rex hiberna lega-  
tis, præfectisque tradidisset, Abulmelichius Maurusiorum Regis F. Alge-  
ziris egressus v. m. equitum turmis Xericiensem, Afsidonensem, & Ne-  
briffensem agrum incurfat. Gonzaluus Martinus Ouiedus Alcantaræ  
Magister prædæ onustis obuiam procedēs acie decertat. Hostes profligan-  
tur, & occisione cæduntur. Perijt in eo proelio Abulmelichius: clarissima  
que ea pugna multis sæculis fuit. Nullo enim unquam proelio fugæ mi-  
nus hostium, nec plus cædis fuisse meminerant.

K. Sept. Tauromenij nascitur Fredericus Petri Sici-  
liæ Regis F.

A. D. II X. Id. Sept. Gaufridus Gilabertus Cruillias, cuius singularis  
opera omnibus bellis enituit, 11 x. actuarijs nauibus Septæ Mauritanæ  
portum ad traiectum tenens, aliquot Maurusiorum actuarias deprimit, ca-  
pitque. Ea classe maritimam eam oram incursionibus præteruectus, refer-  
tus spolijs, ingenti gloria parta, Algeziras reuertitur: quod gaudium duci  
neque proprium, neque diuturnum fuit. Paucis enim intermissis diebus,  
dum naualia terrestribus certamina, terrestria classis miscetur, ne deser-  
uisse victoriam, sed præripuisse videretur, cum ex classe naualibus copijs  
eductis, terrestri certamini se immiscuisset, sagitta ictus mortem occu-  
bit. In eius locum, cum fretum nostri classibus occupauissent, regiæ classi  
præficitur Petrus Moncada Othonis F. Rogerij Lauriæ ex Constantia  
F. nepos: iuuenis patre, auoque, & vsu, exercitationeque militari  
insignis.

MCCCLXXXIX. MCCCLXL.

Rex Cæsaraugustæ festum Natiuitatis Domini  
diem celebrat.

Iohanne Conuenate Comite victa functo, Bernardi Conuenarum Co-  
mitis filio, Iacobus Vergellitanus Comes Regis frater, actionem heredita-  
riam intendit: quod Cæciliæ vxori successionis ius deuolutum esset: atque  
eam pro herede se gerere æquum videret: quæ soror Iohannis esset. Cæciliæ  
causam Rex tuetur: interuentu Iohannis Normanniæ Ducis, Philippi Va-  
lesij Francorum Regis filij, Caroli Alanzonij Comitis Regis fratris, Ludo-  
uici Hispani Claramontij Comitis Alfonsi Castellæ exheredis filij: qui  
summæ consiliorum, rerum in Gallia gerendarum præ sunt. Francus Pe-  
trum Raimundum Conuenatem, exclusa Cæcilia, in possessionem mittit.

Garcias Ferdinandus Castrensis Præfectus Iustitiæ Ara-  
gonum. Huius a Iohanne Simenio Cerdano, qui eundem

Magistratum gessit, facta mentio non est: sed Peregrino  
Anzano Peregrinum Oblitam in eo munere substituit.

Fredericus, Azo, & Iohannes Malaspina Marchiones Opizini Mar-  
chionis filij, qui Malaspina, & Villafranca, & aliorum oppidorum Ligu-  
stinæ oræ dominabantur, ita inter se comparant, ditioneque omnes par-  
tiuntur.

tiuntur, vt Iohanni Sarde hereditates cedant: qui cum Iohanne, & Morroello confobrino, Francisci, Opicini fratris, filijs de hereditaria successione decernat.

ABRĀ. NAT. CHR.  
MCCCLXXIX. MCCCXL.

Genuensis, & Pisanorum senatus, & Luchinus Vicecomes, qui Mediolanensis dominatus, mortuo Azone Vicecomite, is vnicam filiam reliquerat, potitur, vt nostros in Sardinia bello persequantur, mutuis foederibus adiunguntur. Rebus nouis, & incertum quo vergerent, Arborenses ea tempestate, Iohannes Malaspina Marchio, & Donoratici Comites Regi obsequuntur. Missi qui foedus in easdem leges renouarent, quibus pacem a Rege acceperant. Orixa in quattuor factiones diuisi, graui partium contentione decernat. Sardinia a Rege Bernardus Boxadofius praeficitur. Aleris Episcopus ab Hugone Cortingo a Petra Allerata, & Lupo Cinercha Ornano Corsicae primarijs viris ad Regem missus legatus, de Corsica a Rege asserenda, atque vindicanda, & regijs viribus in eam expeditionem intendendis commonet. Sed Rege eo bello implicito, quod Maurusiorum Rex Hispaniae Regibus, collectis Africae viribus commouet, ab ea molitione sibi omnino superfedendum censet.

PROELIVM TARTESSIVM.

Cum vero non vnus potentissimi Regis, aut Imperatoris, sed totius Africae regnorum, & prouinciarum bellum Hispaniae Regibus immineret, & paene repentino omnia plena hostium transmarinorum essent, ad L X. M. equitum, & cccc. m. peditem fretum traiecisse commemorant, vt in vno, aut altero certamine ad exitum experiunda res esset, summa vi, non Reges modo, sed vniuersi populi cooriuntur: vt nemo pro tam iusta causa, donec quidquam virium superesset, aut sibi, aut liberis, aut sanguini suo parcendum, nedum fortunis existimaret: ac de suo quisque militari munere ita defungitur, vt omnes corpora addicta, atque operata reipublicae praestent. Garcias Ferdinandus Barrosus ab Alfonso Rege Castellae Barcinonem legatus, vt Aragonia classis expeditionem maturet, enitur. Petrus Mocado, & Galcerandus Marquetius xii. actuarijs nauibus, & lembo, vt ad fretum praesto sint, prima nauigatione transmittunt. Equestres, pedestresque nostrorum copia Regni Granatae finibus opponuntur: & Setabi suas collocat. Sanctius Aragonius Ampostae Praefectus, Alfonso Perefus Calatrauens Magister, Vitalis Villanoua Motalbani Praefectus, Petrus Alquerius, qui Prioris S. Iohannis Cataloniae vicem gerit: Petrus vero Thousius Montefanus Magister equitatum Montefae finibus educit: & Petrus Exerica, qui gubernationi Valentini regni, & exercitui imperator praepositus erat, castra Origuelanis, & Alicantensibus finibus promouet: & vna actuarum naues nostrorum delectu instituta Aragoniam classem consequuntur. A. D. I V. K. Dec. Alfonsi Castellae, & Portugalliae Reges prope Carteam, Tartessum a Graecis dictam, ad fretum situm oppidum iuxta Salsum fluuium, maximo illo, praclarissimoque proelio Abulhacenum Maurusiorum Regem, & Belamarinium, & Granatensem Reges deuincunt. Res memorabilis gesta est: & paene caelestis. Sempiternis enim saeculorum aetatibus, diuina ope victoriam fuisse partam memorabitur. Regis Castellae in eo conflictu prope inaudita virtus enituit. cc. m. hostium caesis, &

AERA NAT. CHR. ingenti gloria parva victoria incruenta fuit.  
 MCCCXXIX. MCCCXL. Rex iacti belli causam prætexens, ut militum animos spe prædæ delin-  
 niat, finibus Almeriensis regni bellum inferre minatur. Barcinone eo ipso  
 tempore, Raimundum Cornelium, mox Valentia A. D. X. K. Ian. San-  
 ctium Aragonium patrum, & Ferrerium Cannelium ad Benedictum  
 Pontific. Maxim. decumarum ecclesiasticarum in tres annos conferenda-  
 rum, & tributi Sardinia regni, in quinquennium remittendi causa, ora-  
 tores mittit.

MCCCXXIX. MCCCXLI. Valentia Rex festum natiuitatis Domini diem celebrat: & Castellæ Re-  
 gi non de bene gesta modo, sed conseruata republica, internuntio Iohanne  
 Scriba, ex consiliarijs viro primario gratulatur.

Francorum, & Balearium Reges, de Mompellerij, & vicecomitatum  
 Omeladesij, & Carladesij ditione asserenda, cum eorum summum domi-  
 natum, potestatemque Francus sibi vindicaret, in magnam contentio-  
 nem veniunt. Adhæc Francus earum ditionum arces, & propugnacu-  
 la suis præsidij occupat. Communi ea causa Balearicus antestatur, Ara-  
 goniumque commonet, uti sibi, si arma inferantur, opituletur. Ma-  
 gnam inde Rex turpitudinis, & auaritiæ labem sustinet: cum se, eo vin-  
 culo vincum, atque obstrictum, indigna Rege fraude, exsoluit: & af-  
 finem Regem percillit. Eodem enim temporis momento Balearicum  
 compellat, citatque: & Barcinone conuentibus agendis, pro institu-  
 to foedere, sibi ab eo asideri imperat. Actionem præterea maiestatis  
 intendit: quod nummi ab eo, in Ruscinonensi ditione excuderentur.  
 Inde consilia futuri exitij in Balearicum Rex meditatur: seminaque  
 sparguntur.

Multis eodem tempore, Regia familia Balearica infausti generis ve-  
 xatur contumeliis: multis iniurijs iactatur. Hugo Cypri Rex Ferdi-  
 nandum generum, Balearici Regis fratrem bello persequitur: & interuen-  
 tu legatorum regionum res ad concordiam deducuntur. Sed adeo breui  
 Ferdinandus vita defungitur, ut ferro, aut veneno e medio sublatum plu-  
 res suspicentur.

Sanctius Aragonius Regis patruus, & Iohannes Ferdinandus Heredia  
 de iure præfecturæ Ampostanæ armis inter se decertant. Heredia Azco-  
 nensem, Mirabetanam, Hortanam, & Vildeconensem arces inuadit: occu-  
 patque. Rex veritus, ne Heredia Ferdinandi fratris Dertofani Marchionis  
 partes tuendas suscipiat, cui Rex aliquid calamitatis semper moliri, &  
 struere destinarat, Herediam magni consilij virum ad sese allicit: & San-  
 ctio Aragonio mortuo eam præfecturam adipiscitur.

Rege Alfonso bellum in Bastulis aduersus Mauros, magna contentio-  
 ne gerente, xx. actuariæ naues classis Aragoniæ, & lxx. Balearicæ freti  
 Herculei angustias obsident: cum ex pacto conuento in Alfonsiana classe  
 lvi. esse oporteret. Permansere tamen ex Hispaniensi delectu Alfonso  
 Regi vii. & xx Ligustinæ: quæ eius Regis stipendia mererent.

Guilielmus Ceruilionius Sardinia præfectus Brancalensis Oriæ par-  
 tes armis tuetur. Is mortuo Barnaba fratre, a Cassano, & Nicolosio  
 Cassani F. & Fabiano, & Damiano Cassani fratribus, & Morroello,  
 ac Valerano, cum omnes ex Oria gente genus ducerent, bello exa-  
 gitatur.

Matthæus

Matthæus Palicius Noharæ Comes, quod cum Iohanne Athenarum, & Neopattia Duce Sicilia Regis fratre summa contentione disideret, & Damianus Palicius eius frater, qui que eam factionem studio partium prosequuntur, a Petro Rege in Sicilia deficiunt, hos Comes Escalor Vbertinus magnæ potentia vir allectatur: & omnes Roberto Regi se addicunt. Fredericus Antiochenus classis Roberti Regis prefectus XL. actuarijs nauibus ad stationem S. Nicolai Blerensis A. D. XVI. K. Iul. appellit. DCCC. equitibus expositis, & omni peditatu Mylas obsident.

A. D. XIV. K. Sept. Leonora Regina Frederici Regis coniux, & eiusdem Roberti soror in æde S. Nicolai ad Catanam urbem e vita excedit. Catanæ sepelitur.

Hoc anno Cœnobium ordinis Cisterciensis D. Mariæ, & S. Fidi ad Orbam fluuium, in suburbano Cæsaraugustano dicatum, a Michaële Pere fio Zapata condi, construique cœpit: quod ex Fonteclaro prope Cingæ ripas regionis Ilergetum translatum fuisse, supra commemoratum est.

Valentia Rex festum Natiuitatis Domini diem celebrat.

Petrus Sicilia Rex ad r m c c equitum, & magnis peditum copijs vnū in locum coactis, Martio mense Mylis obsessis subsidio procedit. Hostes certamen detrectantes, se situ loci continent, tuenturque. Rex infecta re regreditur.

Calataxibetæ A. D. XV. K. Sep. Petrus Sicilia Rex decedit. In æde maxima Panhormitana sepelitur: & sepulchro porphyritis marmoris Imperatoris Frederici atavi infertur.

### LVDOVICVS SICILIAE REX.

A. D. XIII. K. Sept. qui Mylarum arce obsidentur, cum xxx. dierum essent cum hostibus pactæ indutiæ, Roberto Regi deduntur. In ea obsidione Comes Fredericus Antiochenus, qui Roberto Regi se addixerat, in leui pugna ferrum, manumque conferens mortem occumbit: & Escalor Vbertinus, & aliquot primarij viri captiui mansere. Messanæ Theobaldus Pipinellus, & eius filius, & gener rei capitalis damnati morte afficiuntur. Robertus Rex vlciscendi libidine concitatus, in Guilielmum Dezlorium Catalanum, & Luchum Grisaphium, & in duos alios viros nobiles, qui in nauali pugna ad Liparim insulam in hostium potestatem venerant, Neapoli summo supplicio animaduerti imperat.

Ludouicus Petri Sicilia Regis F. quintū annum agens annitente Iohanne patruo, qui tutor pueri Regis institutus fuerat, Panhormi, Talamonis regia A. D. XVII. K. Oct. coronatur: & sacro oleo a Iohanne Tolone, ex instituto Minorū Andreuillensi Episcopo Catalano perungitur: quod Panhormitanus, & Siculi Antistites sacro interdicto, eius functionis munere arcerentur. Simon Claramontius Manfredi Comitis Claramontij F. a Rege militari auctoramento decoratur. Eo ipso tempore Messanæ aliquot ex Paliciorum factione a Rege deficiunt: & Mamertinorum Prætorum interimunt: & cum arcem S. Saluatoris ad freti fauces sitam irrupissent, munissentque, Roberti Regis vexillum perditis ciuibus proponunt. Eofacino re patrato, arcem Carolo Saluacossæ Petri Saluacossæ Aenarien

AFRA NAT. CHR. MCCCXXXI. MCCCXLII. sis F. qui Rhegium præsidio tenet, tradunt. Iohannes vero Dux Athenarum summa celeritate vsus arcem oppugnat: irrumpitque.

Factiones Tarinorum, & Bernardinorum, qui in Cæsaraugustana ciuitate populariter concitabantur, incurfione seditionis, & vi, impetuque multitudinis reipublicæ statum conuellunt. Rex Lupo Lunæ summæ potentia viro, & Iuratis Magistratibus, & aliquot primarijs ciuibus committit, vt illorum furor, atque temeritas coerceatur.

Petrus Moncada regie classis præfectus cum Regis Castellæ classi ad fretum adiungi maturaret: xx actuarijs nauibus xiiii Maurusiorum occurrit: & certamine inito quattuor eorum naues intercipit: & duæ ad Steponam in litus depelluntur. Mai mensis sine pugnam eam pugnatam vetustis monumentis proditur.

### BELLVM FRATERNVM BALEARICVM.

Omne sacrum, Sardoûmque bellum in Balearicum Regem, nihil minus quam vim, aut armâ extimescentem versum, atque compulsum, Rege eius machinatore, cum causæ iustæ inter propinquos, & affines Reges non existissent, ex indignitate, & fraterna iniuria exoritur: cum Aragonius in regnum Balearicum animum intendisset. Clementis P. M. qui in Benedicti locum suffectus est, interuentu, nam Regem hortari non destiterat, vt de controuersijs suis, iure potius cum fratre, quam bello disceptet, Balearicus vna cum Constantia vxore i v. actuarijs nauibus, fide publica Barcinonem proficiscitur. Rex callido quodam consilio, causas eius exitij struens, aut forte oblatas arripiens, primo spe pacilionis perpulit. Mox Regem, & fororis virum, & maximis præterea propinquitatis, & necessitudinis vinculis sibi coniunctum in inuidiam falsi criminis adducit: & calamitatem hospiti machinatur. Simulat enim, & affingit, tunc Balearicum operam nauare, vt ipse, & Petrus patruus, ac Iacobus frater sublicio ponte, qui ex æde sacra Minorum stationi maritimæ adiungitur, conereturque, auherentur: & actuarijs nauibus in Maiorem Balearicum deportarentur: atque attinerentur Alaronis arce: quoad foederum vinculis, quibus Aragoniæ Regibus astrictus erat, solueretur. Rex Constantiam fororem, cum missum eius virum fecisset, demoratur. Balearicus, cum generis præsidia omnia extincta essent, domum regreditur: haud aliter, ac si sibi bellum esset indictum.

Arnaldus Erilius, & Guilielmus Bellera regiarum copiarum ductores, Catalonia omni in Balearicum commota, fines Ruscinonenses, cum magna manu ex improviso inuadunt: & cum prædatorio equitatu in Cæretaniam bellum inferunt: ac ducibus pluribus, & exercitibus res administratur.

MCCCXXXI. MCCCXLIII. A. D. XII. K. Febr. moritur Neapoli Robertus Rex: princeps maximis rebus gestis memorabilis: summa auctoritate, & prudentia præditus. Iohanna ex Carolo filio neptis regnum obtinet. Sanctia Regina Balearici Regis amita, & Roberti vxor Antonium Episcopum Casetanum, & Raimundum Flotam legatos ad Regem mittit: vt conatus bellicos a Balearici pernicie auertat.

Cum bellum Balearicum in expectatione esset, prius quam a Rege susciperetur, Petrum Moncadam xx actuariarum ductorem efreto Gaditang

tano ad se arcessit: & VII longis nauibus, quæ in ostio Sucronis amnis, & Valentina in statione institutæ fuerant, Jacobum Scribam præficit: & naualem, & terrestrem expeditionem aduersus Jacobum Regem vrguet. A. D. IX. K. Mart. Barcinone præceps animi ad explendam cupidinem, cum in folio, ornatu regali federet, more patrio, dum populo iura statuit, quippe qui Balearicum regnum animo iam inuaserat, sententia sua Jacobum Balearium Regem, quod edicto regio euocatus, neque iussus, neque citatus adesset, vt contumacem condemnat. Regia iura, vectigalia, bona, fortunas, possessionesque omnes Balearici regni, & reliquarum ditionum regno contributarum describi, notarique imperat. Si vertente anno adesse iussus, atque citatus non stiterit, & de impositis criminibus se non purgauerit, regnum, ditionesque omnes, bona, fortunæ, & possessiones publicentur: infuscumque conuertantur, decernit. Balearicus ea necessitate adductus auxiliij petendi causa, ad Francum primo, mox ad Pontificem Maximum profectus re infecta redijt: cum tantum ex improviso malum accidisset.

Rex classe CVI. nauium Rubricati fluminis ostio, A. D. XV. K. Iun. soluit: & in Bailearem Maiorem nauigans A. D. X. K. ad Palumbariæ stationem appellit: & Porracio portu anchoras iacit. Ordines in ea expeditione duxere Petrus Regis patruus, qui Senescalli Cataloniæ functus munere, rerum militarium imperium obtinuit: Petrus Moncada maritimo imperio præpositus, Petrus Exerica, Blascus Alagon vexilli Regij ductor, Iohannes Simenius Vrea, Philippus Castrensis, Iohannes Arborensis, Petri Iudicis Arborensis frater, Alfonso Rogerius Lauria frater Petri Exericæ, Galbanus, & Raimūdu Anglesolæ, Acartius Murius, Arnaldus Erilius, Gonzaluus Diazus Arenosius, Gonzaluus Garcias, Iohannes Ferdinandus Luna, Artallus Focius, Michaël Perezus Zapata, vir bellica laude præstantissimus, Petrus Iordanis Vries, & Iordanis Vries, Gonzaluus Simenius Arenosius, Galcerandus Belpucius, Gilabertus Centillias, Olphus Prochyta, Sanctius Peresius Pomarius, Petrus Pardus ex Casta. Balearicus CCC equitibus, & XV. M. peditum obuiam procedens, vt hostium expositas copias a progressu arceat, atque prohibeat, dum signa conferre parat, summa suorum ignauia desertus, turpi fuga insula cedit.

A. D. II. K. Iun. Rex in urbem receptus regium Balearium nomen assumit.

A. D. X. K. Iul. Rex apparatu, insignibusque regijs ouanti similis per urbem magna pompa vectus, eius regni possessionem vsurpat. A. D. VI. K. Iul. nauim conscendens Barcinonem nauigat. Arnaldum Erilium Balearico regno gubernatorem præficit. Numeris militaribus Gilabertum Centilliam ducem constituit. Minoris Balearium gubernationi Gilabertus Ceruera, & Ebusi Michaël Martinus Arbes admoventur.

A. D. IV. K. August. Rex, quasi materia quærendæ bello gloriæ præbita, affinem vlturus, cum id bellum non incidisset, sed eius causa vltro esset illata, Iuncaria excedens, iusto exercitu coacto, Pyrenæi saltum transgressus in Ruscinonensem agrum inuadit. Canneti, & aliarum arceum potitur.

ABRA NAT. CHR.  
MCCCLXXXI. MCCCXLIII.

Cardinalis Rhodensis tituli S. Cyriaci in Thermis, Balearici belli causa in Hispaniam legatus, cum Ruscinonensis ager incurritur, deaflaturque, A. D. XVII. K. Sept. ad Clairanum in regia castra descendens, Bernardo Oliuero Valentino ex instituto ordinis S. Augustini Oscensi Episcopo eius legationis administro, & aliquot Antistitibus comitatus Regem cōuenit: habitusque est illi a Rege honos: & bellum intermittitur. Rex ita pacem dari pronuntiat: si Balearicus de summa rerum liberum de se, & de vniuerso regno statuendi ius permittat.

Quod Rogerius Conuenas, & Gallicarum copiarum duces Arana valle minarentur se in Palliariensem tractum transcensuros, vt Balearico Regi opitularentur, Rex Thomæ Perefio Focio, qui gubernationi Aranæ vallis præfectus fuerat, & Leonis arcis præsidio præfuit, committit vt claustra, saltusque omnes obsepia. Is ex Aragoniis proceribus erat.

A. D. XI. K. Sept. maiore equitatus parte Rex Panizasio colle regressus, Pyrenæum transcendit. Reliquæ equitum turmæ, & impedimēta Clusa, & Pertusio saltu transgrediuntur.

Augusto mense Ceruera nobili agri Ilorgetani oppido nascitur infans immane, ac fœdum monstrum: biceps, facieque gemina: & quattuor cruribus. Viuus parentibus facinori conscijs defoditur: & in eos vt in paricidas more maiorum est animaduersum.

MCCCLXXXII. MCCCXLIV.

Cum Rex Balearico maiestatis actionem intendisset, crimenque obiectaret clandestina, & infidelia aduersus se consilia com Franco, & Castellano Rege, ac Regina nouerca, eiusque liberis, & Genuensium, ac Pisanorū ciuitatibus confociale, A. D. IV. K. Apr. in sacello maioris regie Barcinonensis sollempni cærimonia regnum Balearicum, & ditiones regno contributas regie potestati, ditioni, & iuri, veluti in fiscum conuersa addicit atque adiungit.

Cum Rex in ea regione esset, quæ rebus a se aduersus affinem Regem gestis, imperium regno suo definiret, magnæ seditiones Cæsaraugusta turbulētis, & perniciosis ciuibus concitantur: & aliquot proceribus per vim, & factionem ruentibus, ius, & fas omne intercidit. Iohannes Simenius Vrræ Alcalatensis arcis præfectus, Blasci Alagonis frater, qui Saftagi, & Pinæ dominabatur, & in magna potētia erat, & Martinus Egidius Atrosilius, & Lupus Ferrencius Atrosilius eius frater proceres factiosi, & primarij de Esteruelensi ditione, quæ Mariæ Simeniæ Atrosiliæ Iohannis Simenij Vrræ vxori attributa fuerat, & actione hereditaria armis decertant. Garcias præterea Lorizius, regni gubernationi admotus, aduersus Sanctium Turiafonensem Episcopum, qui illo ipso tempore pontifex sacratu fuerat, belligerare non intermittit: & eius militares copię in Sammanem Episcopi ditionis oppidum irrumpunt. Hominesque ad vim, & facinus delecti Concilics, eius oppidi Lorizius dominabatur, se abdidere. Maiori tamen Athonis Focij impressione, omnes regni partes acerbo disidio commouentur. Is enim parato equitatu, & peditatu, copiisque instructus Arinium oppidum machinis, & telorū tormentis admotis percellit: irrumpitq;: cū in eo Maria Pomaria Athonis Azlorij vxor cōmoraretur: quæ Iohānis Azlorij F. nomine in eius possessionē venerat. Rex ea indignitate cōmotus prouētus omnes, & vectigalia Athonis Focij, militariaq; beneficia notari, describiq; decernit: & Focius Garcie Ferdinādij Castrēsis Iustitiæ



Ititij Aragonum Præfetti interceſſione, atque interdīcto notationem eam abrogandam contendit: ſummaq; de iurisdictione controuerſia ſuboritur. Regij enim aduocati eo actionem intenderant, vt Præfectum Iuſtitia Aragonum reiectione interpoſita, iudicem aſpernentur: atque repudient: id ius eſſe aſſeuerantes, vt in generali conuentu, de ijs controuerſijs diiudicet, atque definiat, quæ cum Rege haberentur: neque illi ius, faſque eſſe, extra conuentum, Regem in iudicium deducere: neque aduerſus regiam dignitatem, pro aliquo iudicium accipere: niſi in ingenuitatis actionibus: aut in eis litibus, quibus Rex, tamquam auctor obſtrictus eſſet: & in his quaſtionibus, quæ aduerſus regios magiſtratus, & iudices conſtituerentur. Quod Regij adminiſtri vererentur, ne Præfectus, qui Athoni Focio cognatione coniunctus erat, notationem bonorum, & militarium beneficiorum abrogaret, Rex Michaëli Peresio Zapata, qui in Garcia Lorizij locum, regni procuratori admotus fuerat, & Præfecto committit, vt Focium in carcerem mittant: qui regia vetita, & iuſſa contemnens, & pro nihilo ducens, facinoroſorum, & Tarinorum factioſorum hominum manus colligens, Cæſarauguſtæ maximas turbas facit: & cum Aznario Pardo Petri Pardi Cæſtæ fratre pugnam conſerunt. Cum multos, & præpotentes viros Rex videret Focio fautores eſſe, neque a Gubernatore, & Præfecto eam ſeditio num labem, atque perniciem arceri e ciuitate poſſe, ad illud extremum, & vltimum perſugium decurrit, quo ſuperioribus temporibus a Principibus noſtris, in diſſenſionibus ciuilibus diſceſſum eſt: contra turbulentiffimorum, & præpotentium vitorū audaciam: vt Iuratis magiſtratibus Cæſarauguſtanis eas partes, ac legem imponeret, vt viderent, ne quid detrimenti reſpublica caperet.

Regi bello Ruſcinonenſi maxime intento, tranſacto Reſurrectionis Domini die feſto, nuntius aduenit, Algeziram Alhadra, longinqua obſidione a Rege Caſtellæ circumſeſſam: in cuius propugnationem omnes Maurorum, atque tranſmarinorum auxiliorum copia, atque vires contenerant, conſpirauerantque, cum res in magnum diſcrimen recidiſſet, in deditioem coactam. Iacobus Scriba, & Matthæus Mercerius x. actuarijs nauibus noſtrarum claſſium maritimos Mauruſiorum hoſtium appulſus arcentes, & propulſantes inſignem laudem, eo in bello ſunt conſecuti. Ea re proſpere geſta, Matthæus Mercerius, v. actuarijs nauibus hoſtiles naues, quæ ex Monceci, & Illiberis naualibus, Balearici ſtipendijs maritimas Catalonia oras incurſauerant, perſequitur.

Clemens Pont. Maxim. Armandum Auxitanum Archiepiſcopum ad Regem legatum mittit: pactarum inter Reges induciarum, in S. Michaëliſ feſtum diem, prorogandarum cauſa. Cum Rex legati precibus non aſſentiret, A. D. II. Id. Mai Ficarijs Iuncariam procedit. Poſtero die in ſtructis aciebus, Panizaſium Pyrenæi ſaltum tranſcendit: & Ruſcinonenſem agrum incurrit: adeoque incitatus fertur, vt crudele, & exitioſum bellum ſuſcepiffe videatur. Helena vrbs deditur.

Pollicetur Armandus cum liberis Balearicum in Regis poteſtatem venturum: arces, & propugnacula traditurum: modo in iudicium capitis ne vocetur: aut in cuſtodiam tradatur.

Balearicus ad vrbs Helenæ muros, ſe Regi offerens, animo demifſo, atque humili, Regis ad pedes, Rex ipſe prouolutus, eius fidem, ac miſericordiam

AERA NAT. CHR.  
MCCCLXXXII. MCCCXLIV.

diam obtestatur, atque implorat: & praesens se, regnumque ditioni eius permittit. Petrus Exerica Balearicum Helenam deducit.

A. D. XVII. K. Aug. Rex Perpinianum Ruscinonensis ditionis arcem, & propugnaculum ingreditur: & summa laetitia a ciuibus excipitur.

Reges equitantes II. M. P. a Perpiniano, comitantibus eos Iacobo Regis fratre, & Petro Exerica, congregiuntur. Summis Balearicus supplicat, per Regem sibi liceat, suum ius persequi: neue summo iure Rex secum contendat. Ad haec expostulat, Ferdinandi fratris germani liberis, tamquam legitimis heredibus, sua iura salua, & incolumia remaneant. Quamuis aequa, honestaque postulatio videri poterat, summa perfidia, & iniquitate praeferox Regis animus, & implacabilis, & inexorabilis iracundia, ac demum ipsa vicit vilitas: & caeca, ac temeraria cupido.

Perpiniani A. D. XI. K. Aug. festo D. Magdalenae die, in aede D. Iohannis, id decretum, quo Rex Balearicum Regnum, & ditiones illi contributas Aragonio Regno subiunxerat, peruulgat: atque edi populo imperat: firmatque.

### BALEARICI REGNI SVB ARAGONIAM DITIONEM SVBIVNCTIO.

Hugo Vicecomes Cardonensis, & Galcerandus Pinofius adeo inter se dissident, ut armis dimicent.

A. D. XVI. K. Sept. Balearicus, nullo comi a Rege accepto responso, Ruscinonensi regione excedit: ac Bergae subsistit: quem locum sibi assignari petierat: uti in eo demoraretur.

A. D. IV. Id. Sept. Rex Barcinonem properans, apparatu regio, magnoque applausu, veluti de hostibus victoria iusto bello parata, acclamante & assentiente populo excipitur. Celeberrimo consiliarium congressu, quod se respectum ad Balearicum Regem habiturum sponderat, de consilij sententia inquam illi legem, & miseram condicionem constituit: & de regni possessione deturbat: neque honos imperij seruatus: & regno multat. Statuit, uti x. m. librarum quotannis Balearico in sumptus assignentur: quoad illi extra regni fines ditio, aut dominatus attribuat: remittitque regalia iura, si qua sibi obtigerant, Omeladesiae, Carladesiae, & Mompelleriae ciuitatis: atque earum ditionum supremam potestatem: modo regio titulo, regisque insignibus Balearicus cedat. Tamen is cum internuntijs Petro Moncada, Philippo Boilio, & Garcia Lorizio Regio nomine ea leges imponerentur, condicionum iniquitatem perspicens, omnes rejicit: consilio enim suorum prestare visum est, omnes difficultates extorrem peti, quam tanta indignitate, & contumelia affectum impotenti tyrannidi Regis affinis, atque propinqui assentiri. Bellum de integro a Rege, ut eum regno exterminet, comparatur: & arces praesidijs muniuntur. Balearicus Petrus Exericam ad certamen prouocat: quod in ferendis condicionibus fidem sciens fefellerit: & per simulationem amicitiae nefarie prodiderit. Artallus Palliarius, Iohannes Balearicus, Petrus Raimundus Codolelius, Berengarius Vlmius, Gaufridus Estendardus, Raimundus Villarnaldus, Perrinus Balma, Dalmatius Dezbolius, & alij Ruscinonenses, & Gallici viri Exericam eodem crimine, in summum certaminis discrimen arcessunt.

arcessunt. Exerica omnibus satisfecisse visus est: & fidem suam liberasse. Petrus Cornelius, & Raimundus Cornelius eius frater, Petrus Moncada regiae classis praefectus, Michael Peresius Zapata, qui gubernationi regni Aragoniae praepositus erat, Philippus Boilius, Garcias Lorizius, & Egidius Ruizius Lihorius ab Exerica fidem Balearico, summa promissi constantia, praestitam obtestantes, se Gallicis, & Ruscinonensibus viris contratendentibus, & certaminis discrimini opponunt.

Balearicus armis, & infami iudicio de regno, ac pæne fortunis omnibus exterminatus, atque expulsus ad Cæretanos recedens, Gaufredi Stendardi Galli, qui Puicerdanæ urbis praesidio praefectus fuerat, ope, atque consilio eius regionis potiri sperat: sed a suis desertus, & proditus, e Cæretanis miserabiliter eijcitur. A. D. IIX. K. Decemb. Pyrenæum transcendens Pimorentio saltu, qui Cæretanos ab Aquitanis separat, cum montes niue obriguissent, frigore, ac fame pæne enectus, tanta animi desperatione erupit: vt conatus fuerit, sibi mortem consciscere. Postremo odijs, atque fraternis disidijs euersum, diuina, & humana iura obtestantem, in abiecta, & contempta fortuna, cum spes omnis in armis reliqua esset, intestino scelere paulatim externa auxilia destituunt: statque detruditur.

Balearico Ruscinonensi ditione, & Balearibus insulis expulso Rex A. D. II. K. Decemb. Perpinianum introit: quo Ruscinonensibus conuentum edixerat. Aimericus Vicecomes Narbonensis bene gestæ reipublicæ gratulatur Regem inuisit. Maria Regina, Constantia, & Iohanna, quæ A. D. VII. Id. Nouemb. Barcinone nata fuerat, filijs secum ductis, eodem contendit.

Guilielmus Roccauallus, Orlandus Ornanus, Henricus Cortingus, & Strambij, qui in Corsica insula regias partes prosequuntur, atque tuentur, Regem, ad eam asserendam hortantur. Aliquot actuariæ naues, & Catalanorum lembi eius insulæ oras incurfant: & in Syracusanum portum, Bonifacij appellant, inferuntur.

Raimundus Villaragutius Ludouici Siciliae Regis legatus, de Constantia Aragonia Regis F. Ludouico Regi in matrimonium tradenda, legationem renuntiat.

Ea tempestate xv. actuariæ, ex nostrorum etiam hominum delectu adornantur: quæ Iohannis Athenarum, & Neopatriæ Ducis, Marchionis Randacij, Ludouici Siciliae Regis patrum signa sequuntur. Is in Atticam nauigaturus erat.

Festo natiuitatis Domini die Rex insignibus regijs, apparatuque regali ornatus, veluti iusto bello prostratis, deuictisque hostibus, triumpho exultans, victoria, non opimis spolijs, sed fraternis exuuijs parta, Perpiniano transfuehitur: cæda tamen imbrium subito coorta tempestate, in gloria ea pompa disijcitur. Didacus Garcias Toletanus Regis Castellæ legatus, de controuersia, inter Regem, & Ferdinandū, & Iohannem eius fratres dirimenda Regem conuenit: numquam enim Rex se mitem, ac placatum fratribus præbere poterat.

Ferdinandus Iohannis Emmanuelis F. Iohannam Raimundi Berengarij Regis patrum, & Blancae Romaniae Despinæ, Philippi Principis Tarentini filia matrimonio genitam vxorem ducit.

Nicolaus

ABRA. NAT. CHR.  
MCCCLXXXIII. MCCCXLV.

Nicolaus Januilla, is Comes Terrenouæ inter regios consiliarios principem locum obtinet, Gallicæ gentis, & summæ potentia vir, qui Margaritam Rogerij Lauriæ F. duxerat, cui pro pleribus in rem publicam meritis, & honores a Rege habentur, & gratiæ referantur, Michaël Perefius Zapata, Iohannes Ferdinandus Munionius regijs rationibus, & Bernardus Olzinelias æratio prepositi insignem legationem ad Pontificem Maximum obeunt: a quo benigne, comiterq; Auenione, A. D. II. Id. Mart. accipiuntur. Hi quasi publici regni nuntij iuste, ac de more legati commovent, ne Pontifex de restitutione Balearici regni amplius laboret: contentatve. Nihilominus Pontifex honorificus in Regem fuit: decumasque ecclesiasticas horum regnorū in x. annos, in sumptus classium, quæ ad Herculeum fretum Maurusiorum appulsibus restiterant, largitur. Dimidia ex parte Sardoum tributum, in totidem etiam annos remittit.

Constantia Balearici vxor iussu summi Pontificis a fratre Rege dimittitur: quam Lectorenfis Episcopus nuntius Apostolicus ad virū deducit.

Quod Balearicus sortem omnem fortunæ, regniq; sui cum Gallicis rebus inuoluisset, ne Francorum Rex de Balearico in regnum restituendo, operam insumat, Rex Iohannam Nauarræ Reginam socrum interponit. Vt artioribus præerea fœderibus concilientur, curat: & altera ex filijs Carolo natu maiori Iohannis Normanniæ Ducis filio, & Bonæ eius vxoris nubat: & earum rerum obtinendarum causa Rex sibi amicitia deuinctos habet Ludouicum Hispanum Fortunatarum insularum Principem Claramontium Comitem, qui & Telamonis Comititis cognomen suscipit, Carolum Alanzonium Comitem, Borbonium, & Burgundiū Duces, Armeniacensem Comitem: & Arnaldum Roccafulium, qui summæ consiliorum apud Francum præponuntur.

Insidias Regi a Ruscinonensibus parari, collocariq; ad eum interficiendū, mulierculæ fides adhibetur. Franciscus Vlmus, Richelmus Verneius, & Guillotus Clairæ, qui deferuntur coniurationis principes, vincti Barcinonem mittuntur. In fontes animaduersum, Petrus Galcerandus Pinofius Perpinianensis arcis præfectus, aliquot equitum turmis, & peditum copijs coactis, Puicerdanum contendit: quod coniurationem a ciuibus haberi Rex vereretur. Arnaldus Saga Cæretanis præfectus Querolis, & Liuiæ castellis præsidia collocat.

Perpiniani Andrea Danduli Venetiarum Ducis legati Septēbri mense Regem conueniunt: cuius ciuitatis ita late patebat dominatus, vt Dalmatia, & Croatia prouinciæ in eius ditione essent: quartæque partis, & dimidiæ Romæ Imperij se dominari Dux attestetur. Hi a Rege impetrant, vt pacem a Guilielmo Ceruilionio Sardinia præside, cum Veneto rû senatu pactâ cõfirmet: veretur enim ne Genuenses Regis Balearici impulsu, nouas res moliantur. Eo metu præcipuo Rex sollicitus, atque suspensus Galeacium, & Brancaleonem Orias, qui a se defecerant, largitione ditionum Sardoniarum conciliare studet.

Gaufredus Marzanus Scylacenus Comes, qui XL. actuarijs nauibus fretum transmiserat, Non. Iul. ad stationem S. Stephani Mamertini litoris copias nauales exponit. Messanam obsidet: cuius propugnationi Orlandus Aragonius cum institisset, & xxx. actuarijs nauibus, & terrestri exercitu Iohannes Athenarum Dux subsidio aduentaret, postero die A.

D. IV.

D. IV. Id. Augusti Marzanus Rhegium remeat.

A. D. XVII. K. Oct. cum Rhegij Marzani classis in anchoris esset, Andreas Ludouici Hungariæ Regis frater, qui Iohannam consobrinam Reginam vxorem duxerat, domesticis insidijs, & intestino scelere circumuentus, foeda morte, Auerfæ laqueo est interemptus. Iohanna Ludouico Tarentino nubit, Philippi Tarentini principis filio, & Catharinæ Caroli Valesij filia, & secundæ eius vxoris: quæ Philippi Constantinopolitani Imperatoris filia fuit, & Balduini neptis. Eo patrato facinore, rebus Neapolitani regni perturbatis, Siculi regni status vicino, & præpotenti hoste implicito, respirare libere, & adquiescere cœpit.

Tarracone Martij mensis initio Rex classem aduersus Genuenses hostes institui, & adornari imperat. Rege Populeteni in cœnobio Augusto mense degente, Ludouicus Hispanus Alfonso, quem exheredem illa ætas cognominauerat, F. & Alfonso Castellæ Regis pronepos Claramontius, & Telamonius Comes, in eam expeditionem, quam de asserendis Fortunatis insulis, & a barbaro, & fero dominatu vindicandis susceperat, quæ a summo Pontifice fuerat illi commissa, & titulo Fortunæ Principis est cohonestatus, auxiliares a Rege copias exposcit. Summus Pontifex de eare Archiepiscopum Neopatrensem, & Rodolphum Lofeiram nuntios ad Regem legat. Cum large, & honorifice Rex pollicitus esset, ab ea expeditione, ob funestam cladem ad Cresiacum ab Anglis hoc ipso tempore Philippo Francorum Regi illatam, cui Ludouicus maxime acceptus, & carus erat, desitum est. Alfonso exheres, silentio enim prætermittendum non erat, Mosaldam vxorem duxerat: vti coniectura ducimur, stirpe Narbonensium Vicecomitum genitam: cui Lunellum oppidum dotale est attributum. Ex eo matrimonio Alfonso filios suscipit Ludouicum hunc Claramontium Comitem Iohannis Cerdæ parentem, a quo Cerdarum familia effluxit, & Carolum Hispanum Connestabulum Franciæ.

Turbatis Neapoli, Regis Andreæ morte, rebus, Iohannes Ludouici Sicilia Regis patruus Dux Athenarum Mylarum arcem, quæ in hostium potestate manserat, obsidet. A. D. II. Non. Aug. Mylæ deduntur. Qui in eo præsidio reliqui fuerant, cum bonis in Bruttios Tropæam, Rhegium que dimittuntur.

Valentiæ Rex festum natiuitatis Domini diem celebrat. Expeditis Balearicis rebus, atque eobello confecto, cum de hereditaria regni successione Constantiæ F. asserenda Rex deliberasset, quod liberos virilis sexus non suscepisset, superque ea re dissensio cum Iacobo germano fratre commota esset, & regnum filia affectans non procerum modo, sed popularium libertatem aduersam habuisset, animo inquietus, & suapte natura, & ingenio deuius, ad vim promptus, & ad seditionem paratus sensim fratrem in fraudem, & insidias induxit: impulitque: cum se ius suum persequi, grauisimorum iuris prudentum aduocatione confirmat: in quorum numero celebre Iacobi Butrigarij iuris ciuilibus peritissimi nomen fuit. In ipso dissensionis initio fratrem, cuius non dubia eo tempore successio, vt qui facilis capeffendis inimicitijs esset, procuratione regni, quæ legitimo heredi deferri consuevit, priuat: ac deijcit. Iacobus Alfonso Castellæ Regem, Ferdinandum fratrem, Valentinum populum, & regni Aragonij ordines

AERA. NAT. CHR.  
MCCCLXXXIII. MCCCLXV.

MCCCLXXXIV. MCCCLXVI.

MCCCLXXXV. MCCCLXVII.

AERA. NAT. CHR.  
MCCCXXXV. MCCCXLVII.

dines ad se perlicit: vt se in regia procuratione tueantur. Intra breue deinde spatium belli ciuilibus initia exarsere.

Maria Aragoniæ Regina Valentiaë filium enixa, qui, quo die editus fuerat, moritur, quinto die e vita excedit: Constantia, Iohanna, & Maria filijs superstitionibus. In D. Vincentij cœnobio eius vrbes sepelitur.

Belamarinius Maurusiorum Rex naualem rem magno apparatu adornat: & Valentino regno, & Balearibus insulis exitiosum bellum minatur. Riffio flumine, quod inter Velezium, & Targam maritimas Tingitaniae prouinciæ vrbes in mare effunditur, Tamudam esse arbitror, XL. actuariæ naues adornantur.

Lupus Gurrea, & Petrus Guilielmus Estaimbosius a Rege ad Alfonso Regem Portugalliaë, de Leonora Portugalli F. in matrimonium Regi collocanda, legati mittuntur. Alfonso Castellæ Rex Ferdinando Perefio Aiala, & Iohanne Alfonso Alburquerqueo internuntijs, summopere enititur eas nuptias auertere: vt Ferdinando sororis F. Regis Aragonij fratri nubat: quod eo pacto matrimonio, Aragonium ab amicitia Portugalli seungi sperat. Cum in eo enixe elaborat, & legatos finibus Lusitaniae intercludit, obita tamen legatione, annitentibus Iohanne Emmanuelis F. & Cõstantia Iohannis Emmanuelis filia, quæ Petro Portugalliaë Regis filio nupserat, & Maria Simenia Cornelia Petri Portugalliaë Comitum Dionysij Regis filij vxore, & duobus magnis Portugalliaë Regis amicis Ferdinando Gonzaluo Cogomino, & Lupo Ferdinando Pacieco Ferrariæ domino, nuptiæ sunt pactæ.

#### V N I O A T Q V E C O I T I O V L T I M A A R A G O N E N S I V M.

A. D. IV. K. April. Rex gubernationis regnorum magistratus ijs, qui Iacobi Vrgellitani Comitum fratris nomine id munus obierant, abrogat: & Valentini regni procurationi Petrum Exericam præficit: & A. D. VII. Id. Apr. emancipata Constantia F. gubernationis munus, quæ primigenijs attribui consuevit, filiaë, tamquam legitimæ regnorum heredi defert. Ea res Hugonis Aufetani Episcopi, Petri Thousij Montesani Magistri, Petri Exericæ, Petri Fenolletij Insulensis Vicecomitis, Aldemari Mossesij, Gonzalui Diacij Arenosij, & Galcerandi Belpucij procerum consilio sancitur. Petrus Regis patruus Constantiaë tutor constitutus, in eius verba iurisiurandi sacramento adigitur: ea lege, vt si Rege viuente decerneretur, Iacobo eius fratri, aut alteri successione ius deferendum esse, pro irrito, & infecto id iurandum duceretur. Magna procerum turba consentiens, & pæne conspirans Regi se addicit.

Iacobo Vrgellitano Comite a Rege disidente, & populos concitante, vt procurationis regni munus sustineat, ingens in Aragonio, & Valentino regno, de libertate vindicanda, atque retinenda fit seditio: vnionisque vetustæ, quæ colluuiò, atque euersio ciuitatum erat, denuo nomen, & partes excitantur: profanaque, & sacra armorum licentia permiscetur. Pluribus seditio ducibus delectis, cum eius mali cõtagio per clara nomina vigeret, & inde ad perditã, atq; infimam populi faciem labi cœ pisset, Cæsaraugustæ conuentus agunt. Conuentu discusso, omnium rerum ius, ac potestas,

potestas ad seditiosorum concilium peruenit. Tanta plerosque labes audacia, & confidentiæ oppressit, ut noua insignia in vexillis appinxerint: & signa cæla uerint Regis effigie, ornatu regali in folio sedentis: & populi astantis: manus ad Cælum tollentis supplices. Crebræ inde continuis diebus, ex concursu multitudinis concitationes factæ.

Primo vere Balearicus disidentibus, tumultuantibusque populis occasione captata, classem adornans, Gallicæ classi adiunctus, cuius Carolus Grimaldus, qui portum Herculis Monœci præsidio obsederat, ductor, ac præfectus erat, Maioris Balearum portum tenens, urbem adoritur. Cum eius insulæ spes eum esset frustrata, Illiberim renauigans, Confluentem, quam vocant regionem incurrens, Vinzam obsidet, vique expugnat. Iunii mensis initio, Rex obuiam illi anteuertens cum prodiret, Confluenti omni tractu eiicit: atque excludit.

Rege Perpiniani contra Balearici conatus assistente, ac simul seditionum intestinarum causa, quibus regna flagrare cœperant, infesta eorum consilia præcauente, qui amentia præcipites feruntur, A. D. V. Id. Iunias amicis, & consiliarijs Episcopo Ausetano, Petro Fenolletio Insulæ Vicecomite, & Galcerando Anglesola Belpucij domino arbitris, & auctoribus, callida quædam ratio inuitur. Secreto enim Rex contestatur, si quæ instituta in posterum a se sanciantur, aut priuilegia irrogentur, quæ e republica non essent, aut lege, ac foro, sanctionibusve patrijs condi æquum non sit, minime ve oporteat sanciri, ea omnia rescisa, irrita, infectaque sunt. Quod Iohannes Vrrea Biotæ dominus, & Iohannes eius F. ac Petrus Cornelius ex Aragoniæ proceribus earum secessionum, seditionumque auctores, & principes essent, fœderis eius commonet, atque appellat, quo initio regni eos sibi deuinxerat. Hi enim seorsum, ad Regis pedes genibus innixi, pollicibusque apprehensis in Regis verba iurauerant: more a priscis temporibus instituto, quando subditi se imperijs Regum deuinciunt, atque obnoxios constituunt. Sed cum eos ad se venire Ilerdam imperasset, & ut in fide manerent, obtestatur, dicto minime obtemperant: & ad voluntarium interitum ruere non desistunt.

Quod Balearici tumultus occasione quæsitæ, Cæsaraugustæ palam a proceribus, qui facem belli extulerant, in republica magno motu, atque impetu omnia turbarentur, Rex proceres omnes, atque optimates Catalanos euocat: & optimum quemque ex ciuitatibus ad se elicit.

K. Iul. Granolesio Barcinonensis agri vico, in summo rerum tumultu, atque trepidatione Rex sibi, ac suis diffidens, quod earum seditionum incurfio, ac labes cunctorum animos infecisset, & communis libertatis causa arma caperent, viuendique licentiam, atque impunitam omnium rerum libertatem amplexarentur, amicos, ac domesticos iurisiurandi fide obstringit: ne se deserant: neue quid de maiestate, dignitateve regia deminui patiantur. Hi inter primos sacramento adiguntur: Michaël Gurrea Aragonij regni gubernationi admotus, Garcias Loriuzius, qui Torrelliarum ditionis dominabatur, Petrus Iordanis Vriesius Cubiculo regio præfectus, & Iordanis Peresius Vriesius, Perrus Sime-nius Pomarius, Lupus Gurrea minor, Iohannes Scriba, Matthæus Mercerus, & Nicolaus Peresius Oteicia. Rex dum videt seditionem Valenti-

ÆRA NAT. CHR.  
MCCCLXXXV. MCCCXLVII.

no in regno gliscere in dies, Cæsaraugustæ Turolium oppidum VII. Id. Sept. vrbis cognomine donat, atque cohonestat: quod ea ciuitas in primis fidelis iura regalia, iurisdictionemque, ac regios omnes nutus obseruet. Haud ferme vlla ciuitas intacta labe eius motus fuit: sed post Cæsaraugustanos primi Valentini erupere: apud quos maior moles exorta: quanto ciuitas opulentissima externis armorum incursionibus magis opportuna. Valentine seditionis auctores cum aperte bellum parare cœpissent, Ferdinandum Regis fratrem ex Carpetanis euocatum ducem sibi adsciscunt. Petrus Exerica populi partium maxime aduersus, ceterique proceres regiarum, optimatumque partium vindices Villaregali conueniunt: vt popularium furori, atque præfidenti, & indomitæ violentiæ resisti possit.

Seditioforum factiones, manusque Valentiniæ, & Aragonenses, dato ab omnibus iureiurando, de bello consilia inire incipiunt audacius: fœderibus, facinorumque societate implicantur: & ad arma concurrunt. Ferdinandus, & Iohannes Regis fratres D. equitibus Castellanis delectis stipati, septique Cæsaraugustanæ seditioni se addicunt: cuius coitionis, quam Vnionem vocant, instituta fœdere, ac sacramento faciunt.

Cum eo prorupisset seditioforum hominum audacia, vt palam omnia ruere viderentur, Rex Cæsaraugustam properans conuentum in A. D. XII. K. Sept. indicit, agiteque: cum ab inito regno ad eam diem, & tumultu domestico, & Balearico bello præpeditus, conuentus Aragonijs indicere intermisisset. Conuentus in cœnobio Prædicatorum coguntur: quo cum omnes, qui coitionem fecerant, armis tecti impotenti audacia concurrerent, Rex Ruderico Diacio pro Cancellario committit, vt conuentus in posterum diem prorogentur: & Garcia Ferdinandio Castrensi Præfecto Iustitiæ ad se arcesito contestatur, se vrbe discessurum, nisi vis, atque arma seditioforum hominû, & facinorosorû comprimantur. Præfecto de ea ipsa re conquerente, & nihil a se prætermisum esse obtestante, quod aut pro tumultu, & vi sedanda deplorandum esset, Ferdinandi, & Iohannis Regis fratrum excusationem fuisse indicat: se instituto more armis tectos conuentui agendo interesse: non in cuiuspiâ perniciem: sed vt sine motu, ac tumultu rixæ dirimerentur. Rex, vt satis præfidijs prouisum esset, Iuratis magistratibus Cæsaraugustanis edicit, vt videant, ne quid de trimenti respublica capiat: qui de vi, hominibus armatis interdiciunt: & eorum iussu prædicatur, ne quis armis tectus conuentui intersit: & si secus faxit, grauissimæ pœnæ sunt ab eis constitutæ. Aliquot præterea turmis equitum, peditumque cohortibus per urbem dispositis, cum pacatæ res viderentur, & conuentus celebrari cœpissent, neque de republica referretur, sed vt Catalani omnes Regis consiliarij e conuentu expellerentur: communi ordinum consensu pelluntur. Incredibili inde, & exitioso tumultu, atque impetu ab conuentu disceditur: & omnia turbantur: & infima summis permiscuntur. Inuitus, & recusans Rex consiliarios, quorum fideli, & perutili opera tam affectis rebus vititur, domo, atque curia exigit: & seditioforum coitio alios in eorum locum substituit. Qui consiliarij Regi eo inuito, admoventur ij fuere: Iohannes Simenius Vrrea, qui Biotensium dominabatur, Pe-  
trus



trus Cornelius, Simon Perefius Pina, Arnaldus ex Francia, Michael Sime-  
nius Gurdus Cæsaraugustanæ ciuitatis procurator: & Gilabertus Redo-  
nius Oscensis, & Guilielmus Perefius Xixena Barbastrensis procurato-  
res. Bernardus Caprera princeps in consilijs de republica capiendis Gala-  
tianum Tarbam, & Aluarum Tarinum factionis Tarinorum duces in re-  
gias partes traducit: & eorum interuentu Rex ad se allicit Lupum Lunam:  
qui Segorbiensium dominabatur: præpotentem virum. Hunc sequuntur  
Petrus Luna, & Iohannes Martinius Luna, Thomas Cornelius, Petri Cor-  
nelij frater, & Iohannes Simenius V rrea Alcalatensium præfectus, & Bla-  
scus Alagon eius frater.

In ea rerum commotione, republica tantis difficultatibus domi affe-  
cta, & ciuilibus seditionibus prostrata, res Sardoæ in summum discrimen  
decidunt: Matthæo, Nicoloso, Iohanne, Antonio, & Iuliano Orijs,  
& alijs duobus eorum fratribus arma suscipientibus: & Alguerium, &  
alia regia propugnacula Oriæ genti opposita inuadentibus: vsurpanti-  
busque. Oriæ Alguerio, & arce, quam Genuensem vocant, Sardiniam  
omnem incursant. Inde Sardi dissipati vertunt impetum in nostrorum  
stationes: atque præsidia: & libere per campos funduntur hostiles copiæ.

A. D. X. K. Aug. Huguetus Ceruilionius fratris Guilielmi Sardinæ  
præsidis F. Gombaldus Ribellias, Berengarius Erilius, Raimundus Thi-  
morijs, Raimundus Corbera, Berengarius Ragiadelius, Dalmatius Aue-  
nionius, Gerardus, & Raimundus Clarianæ, Iacobus, & Alamanus Carro-  
zij, Agradas Moncada, & Franciscus Villarasa statione Barcinonensi clas-  
sem soluentes viris, atque armis optime instructam Sardo bello concitato  
nostris subsidio appropierant: quod prope seruum auxilium, iam pæne cir-  
cumuentis occurreret. His constitutis, Guilielmus Ceruilionius Sardi-  
niæ præpositus, quod nuntijs acceperat Genuæ classem adornari, vt Orijs  
subsidio nauiget, & ipsi Oriæ propugnaculum Sorræ, Bastidam vocabant,  
regio præsidio munitum continenti die, ac nocte prælio oppugnarent,  
ad famam hostium intentus, cum accidere visa esset facultas bene gerendæ  
rei, eam accelerans, coacto exercitu, hostibus obuiam procedens, signis col-  
latis prælium conferit. Nostris profligatis, hostes magnum eorum nume-  
rum, qui signa deserunt, cæcidere. Cadunt Huguetus, atque vna Gerar-  
dus, & Monicus Guilielmi filij: cursu, ac lassitudine exanimati: vulneri-  
busque confecti: & magna equitatus pars deletur. Ipse Guilielmus præ-  
stantis ducis munere functus, strenuus, peritusque militiae, ad ancipitem  
maxime pugnam equo aduectus, perditis rebus, quando in apertum di-  
scrimen res euaserat, acie excedens, nemore abditus, æstu, sitique eneectus,  
mortuus concidit. Magna in eo conflictu a nostris clades accepta: tot præ-  
cipue illustrium virorum amissione Ceruilionæ gentis. Sardois rebus  
Riambaudus Corbera præficitur, & Pontius Sanctapacius toti imperio  
maritimo præponitur. Præterea Rex Gerardum, & Barnabam Donora-  
tici Comites ad sese allicit: eo emolumento captans, quod ditiones omnes  
Thomæ Donoratici Comitis, eorum fratris, qui nullis superstibus libe-  
ris decesserat, illis attribuit: cum nulli Bonifacij Donoratici, & Rainerij  
eius filij heredes reliqui essent. Ad eam diem Marianus iudex Arborensis  
in fide manserat: & Iohannes, & Nicolaus Arborenses eius fratres omni  
opera, Regi se penitus dederant.

AERA NAT. CHR.  
MCCCXXXV. MCCCXLVII.

In Aragonia cum partium contentio, in ciuili dissenfione acriter verfa-  
retur, & maiori difsidio indies diftraherentur, pluresque ex opti-  
matibus eum rerum ftatum odiffent, Lupus Luna, qui Segorbij do-  
minatur, Petrus Exerica, Blafcus Alagon, Petrus Luna, Petrus Fer-  
dinandus Ixaritanus, Thomas Cornelius, Iohannes Simenius Virea  
Alcalatenæ arcis præfectus, & Iohannes Martinus Luna fumma pot-  
tentiaæ proceres, magno confenfu, aduerfus Iacobum Regis fratrem,  
ad liberandam rempublicam confpirant. Rex reconciliatis fibi opti-  
matibus, Bernardi Caprera monitu, viri, & fummi confilij, & maxi-  
mi animi Petrum Ripacurcia Comitem patruum fummaæ confiliorum  
præficit: fed Caprera inter regios amicos primum obtinet gradum: omnes  
enim ad eum honores, omnia imperia, omnes opes, copia denique omnes  
conferuntur: vir omnium æftimatione optimus: & omni fortuna digniffi-  
mus iudicatus. Qui cum com meatum a Rege adquiefcendi a publi-  
cis, & militaribus muneribus petiffet, ac fe in cœnobio Saluatoris ad  
Bream vicum, facrorum cultui addicere, tamquam emeritis ambitio-  
nis ftipendijs, fperat, mifero fuo, funeftoque cafu, ad rem publicam eft  
compulfus: cuius infignis virtus priuata gratia aditum apud Regem pate-  
fecit: vt regijs arcanis admoueretur.

A. D. II X. Id. Septemb. tumultuofa, & feditiofo conuentui Rex  
Cæfarauguftaæ afidens, priuilegium ab Alfoufo III. Rege Aragonen-  
fibus irrogatum, quo xvi. caftella, atque arces, veluti pignora dedi  
imperantur, quæ alij Regi tradi pollent, nifi ea rite obferuarentur,  
quæ ipfo cauentur priuilegio, palam confirmat: quo maxime feditiofam  
eam coitionem ftabiliri arbitrantur.

A. D. I X. K. Nouemb. Rex publico in conuentu Cæfarauguftaæ,  
in æde maxima Saluatoris fuggeltum ascendens, concione habita, con-  
uentum dimittit: & Iacobo fratri regni procurationem reftituit: cuius per  
celeri interitu, & quod vinculis frater eum attineri conflituerat, veneno  
necatam, omnibus eft perfuafum. Moritur Barcinone: Rege in eam vr-  
bem profecto.

Ea ipfa die, qua Iacobus Regis frater e vita excedit, claffis Por-  
tugalliaæ Regis, qua Leonora eius F. aduehitur, Barcinonem appli-  
cat: quam Rex fumme concupierat, fibi in matrimonium colloca-  
ri, infigni pulchritudine feminam: fed ob eam præcipue caufam, vt  
a Ferdinandi fratris connubio feparet. Ea tamen nuptia nulla alacri-  
tate, aut læticia voluptate populum afficiunt: quod acerbiffimis  
odijs, & inteflinis feditionibus, atque armis ciuilibus regnum ar-  
deret.

Quod feditioforum manus Valentino in regno, fæpe prælio no-  
ftros lacefferent, A. D. II. Non. Decemb. obuiam itum hofti: &  
ad Setabim ancipiti primo prælio, dimicatum eft: Gilaberto Scin-  
tillia, & Alfoufo Rogerio Lauria Petri Exericaæ fratre, regiarum co-  
piarum ductoribus. Regija collecticia popularium equitum, militum  
que colluie caduntur, atque fugantur. Andreas Guilielmus Scriba,  
qui Valentini Regni procurationi Petri Exericaæ loco, admotus fuerat, &  
eius filius mortem occumbunt.

Cum Aragonia bello arderet, & veluti inter ciues calamitofum, &  
exiuabile

exitiabile malum indies ingrauesceret, A. D. V. Id. Decemb. Cæsaraugustani vexillum sollempni cærimonia, in Ecclesiam beatæ Mariæ Maioris sacrandum traducunt: publiceque proponunt. Militares seditiosorum copiæ coguntur: & Valentiam subsidio fœderatorum festinanter appropierant: Lupo Luna, & Iohanne Simenio Vrrea, Iohannis Sime-nij F. ductoribus: sed Lupus & optimates, qui se Regi addixerant, coitio-nis partes palam deserunt: & Darocæ intercludere omnes seditionū vias, & regni præsidia munire adnituntur.

Paucis post Setabitanum proelium intermissis diebus, cum infensis animis Valentini vtrimque concurrunt, & quotidie signa in aciem proferunt, Petrus Exerica, & Alfonsus Rogerius eius frater, Petrus Thousius Montefæ Magister, Gonzaluus Diacius Arenosius, & Raimundus Riufecius regiarum copiarum ductores ad Beteram, cum Valentinis ciuibus confligunt. Proceres, eorumque copiæ fusæ, fugatæque cæduntur. Occumbunt ea pugna Arenosius, & Petrus Munionius qui Turolî quæstoris, ac iudicis munere fungebatur. Respublica Valentini regni in maximum periculum, & extremum pæne discrimen deducitur. Nulla pax, nulla concordia: bello ciuili publice fæuiente.

Raimundus Peralta Siculæ classis præfectus Liparim urbem, quæ in Iohannæ Reginæ ditione erat, terra, marique circumsidet. Liparæi Ludouico Siciliæ Regi se dedunt: atque eius imperio addicunt.

Iohanna Regina seditione Neapolitanorum commota, & a Ludouico Hungariæ Rege obfessa, pacem cum Siculo conficit. Condiciones has paciscuntur. Siculus Siciliæ regni titulo dempto, & Trinacriæ suscepto spondet, si Hungarico bello Regina prematur, se classe xv. actuarium nauium subsidio aduenturum: & C L. grauis armaturæ equitum auxilia missurum. Præterea pollicetur, se in singulos annos III. M. vnciarum tributum Reginæ, posterisque Neapolitanis Regibus conlaturum: quod Regina, auus, ac proauus festo Sanctorum Petri, & Paulli die Ecclesiæ pendere consueuerant. Recipit præterea I X. M. vnciarum per soluturum, debitorum Ecclesiæ tributorum ratione. Regina iure Siciliæ regni, & adiacentium insularum cedit: & ab Apostolica sede se impetraturam pollicetur, vt dirarum, execrationumque noxæ, & sacra interdicta tollantur.

Ludouicus Hungariæ Rex Apuliæ, Calabriæ, & Campaniæ ditionum potitur.

Exitiosum bellum in Valentino, & Aragonio regno Leonora Regi-nanouerca, & eius liberis coitionis principibus, atque fautoribus commouetur. Ferdinandus Regis frater ciuitates Valentini regni partim vi, alias voluntate imperio suo adiungit.

Iohannes Simenius Vrrea minor Morelia, cum ijs copijs proficiscitur, quas ex delectu Aragonio, & seditiosorum, & consceleratorum colluue comparauerat. Ad D. equites, & X I X. M. peditum conuenisse proditur: & Valentini Ferdinando Regis fratri adiungitur.

Cum belli ciuilis summa Valentino in regno, a seditiosis ciuibus Ferdinando Regis fratri delata esset, neque dubitaret ipsum caput, atque opes regni adoriri, optimatum partium proceres, regiarumque copiarum du-

AERA NAT. CHR.  
MCCCLXXXVI. MCCCXLIIX

tores, qui aduersus Iacobum Regis fratrem coniurationem habuerant, Ixeritano dempto, qui a Rege denuo defecerat, Darocam, extremum Celtiberum oppidum in primis nobile, proximumque AEdetanorum finibus vallo, ac fossa, aggereque muniunt. Copijs coactis, Casaraugustanis, reliquisque foederatis coitionis ciuitatibus bellum inferunt.

Abbas Merensis Pont. Max. Apostolicus nuntius pacificatoria legatione functus, si res vlla pacis, ac foederum condicione sedari possent Regi, ac Reginae Leonorae nouercae, & eius liberis tolerabiles condiciones fert: conaturque, vel iniquis rationibus Regem ad eas perducere: modo exercitus dimittant, & praesidia remoueantur. Seditiosorum tamen viribus, atque armis maxime vigentibus, Rex hereditaria iura Ferdinando fratri defert: cum Moruiedri haud aliter, atque in libera custodia attineretur. Statuit regni successionem fratrem aditurum, si ipse liberis maribus non superstitibus decedat.

Rex Moruiedri coactus, ac recusans, Valentiam contendit. In ea rebe indigne, atque inhonorate, neque pro regiae maiestatis decore Regem habito, incurfione seditionum, & vi, atque impetu populari noua turbæ concitantur: & duces plus inter se irarum, partium factione, quam aduersus impios hostes animigerunt: & supplicia ciuium a ciuibus sunt exacta. Intus multi mortales caesi, & faccis obuoluti, in profluentem deiecti.

Bernardus Caprera gnarus, & prudens impendentium malorum, qui ex Regis amicis ad intima eius consilia peruenerat, principemque locum obtinebat, cum e Valentina colluie Regem vi, atque armis oppressum educere nequit, proceres, ciuitatesque Cataloniae commonet: earum seditionum poenas expetant: & armis reipublicae hostes persequantur: vt dignitas, maiestasque regia conseruetur. Nihil per eos dies inausum, intentatumve seditiosorum, & perniciosorum ciuium duces relinquunt.

Contagio pestis funestae paene omnes orbis regiones peruagatur: & simul belli terror in Aragonia infremuit: & pestifera vis incubuit.

Iniquae leges, grauesque condiciones Regi sunt a Ferdinando fratre, & Valentini ciuibus, seditionumque auctoribus per vim, iuris, ac fidei oppressione constitutae. Cum regni status conuersionem omnem, in illo temporis vestigio repositam boni, & innocentes viri arbitrentur, Rex Valentia, Valentinoque regno, vt se in libertatem vindicet, Iunio mense egreditur.

Quod crebris belli ciuiliis Valentini, & Aragonij rumoribus Sardi animos sustulissent, Orijs nostros graui bello prementibus, Riabaudus Corbera egregia animi virtute rebus labantibus subuenit. Sacerim diuturno tempore ab hostibus circumfessam obsidione liberat: quo in bello virtus enituit egregia Mariani Iudicis Arborensis: & Iohannis eius fratris: cuius fidelia, & maxime opportuna auxilia fuere.

Cum Oriæ exacti Sardinia insula essent, Brancaleonis opera ciuitas Genuensis pacis foederibus violatis, bellum nostris infert, Iohanne Murta Genuensi reipublicae praesidente, & Ducis nomen obtinente. Eo tempore tum fidelitas, tum ipsa potentia enituit Gerardi, & Barnabae Comitum Donoratici: quibus ditionem, oppidaque Nouelli Rainerij Donoratici

ratice Comitis patris, magni Pisanorum, & Lucensium ductoris Rex attribuerat. Gerardus tamen, & Barnabas, & Roccharum familia a Pisano populo ciuitate pelluntur: cum in suspicionem venissent appetendi dominatus. Sed neque eorum exilio contenti Lonius Monterchius, quem potestatem vocabant, & Rainerius Merula copiarum ductor, & vniuersus Pisanorum senatus summopere nituntur, vti ab Rege Sardinia pellantur: & bona eorum publicentur: eorum ditio, & oppida Vgolino attribuantur, Guidonis Gonzagæ Mantuæ domini filio. Is Aemiliam eo tempore vxorem duxerat: Rainerij Comitis sororem, Bonifacij Comitis filiam. Maxime in eo elaborant, & enituntur Ludouicus Gonzaga Mantuæ, & Regij dominus, & Guido, Philippus, & Phelcenius eius filij: & Mastinus Scala, qui Veronæ, & Vicetiæ dominabatur.

A. D. II. Non. Apr. Iohannes Athenarum, & Neopatria Dux, Ludouici Siciliæ Regis patruus Catanæ moritur: Fræderico F. ex Casaria vxore herede relicto. Dum Sicilæ vires ab externo hoste premi non possent, Iohanne Ludouici Regis patruo vita functo, penes quem regni regendi gubernacula manserant, intestinis seditionibus diuertatæ, in vltimum decidunt discrimen. Isabellam Reginam Regis parentem causam omnium malorum subministrasse satis constat: dum Clarantonium, & Paliciorum partes fouet: & inter eas familias, & Blascum Alagonem Mistretæ Comitem summæ potentæ virum, & Catalanos, & Aragonios, qui Blasco adhærent, acerrimæ pugnæ concitantur.

Gravius bellum a Rege inter suos, quam aduersus externos geritur: & domesticis malis nostri affliantur: dum ipsa seditio & bello aleretur, & bellum aleret. Cum regiæ vires ad omnia ea bella minime suffecturæ viderentur, accitis ex Castellæ regno DC. equitibus Aluaro Garcia Albornozio duce, qui propinquitatis necessitudine Lupo Lunæ erat coniunctus, præsidij dispositis, & communitis arcibus Lupus Turiafonsibus, coitionis labe infectis bellum infert: & cum plura oppida sub ditione hostium essent, neque ad ea circumferri bellum posset, auxilia regiæ præstolatur: neque huic spei, & expectationi diffusus manus conferre distulit. Ferdinandus Regis frater disiectis, & interclusis regijs copijs, cum depopulatis agris, haud facile ab oppidis vim regiarum copiarum prohibet, accelerandum ratus, A. D. XII. K. Aug. Casaraugusta egressus Epilam regio præsidio munitam oppugnare odoritur: sed popularis turba militiæ insolens, rixæ, quam pugni aptior erat. Constitutis haud procul porra signis, Lupo subsidium Epilensibus maturante, prælium inter læua moenium, & dextrum fluum Salonem committitur. Lupus in laude bellica in primis dux egregius transgressos hostes felici rerum euentu fugauit, ac fudit: nec dubia, nec difficili victoria dimicat. Regius equitatus ordines perumpit: quacumque impetum dedit & populares fugantur: cædunturque. Ferdinandus, cum in nostrorum potestatem venisset, ex acie saucius effertur, atque dimittitur. Iohannes Simenius Vrræ Biotæ dominus, ex proceribus aduersarum partium princeps, & Gombaldus Tramacetius, Simon Peresius Pinæ, & Galbanus Anglesola mortem oppetunt. Iohannes Vrræ, Iohannis Simenij filius, & Petrus Ferdinandus Ixeritanus captiui remanent: sed in Iohannæ grauiore pronuntiata sententia, non palam est animaduersum: sed intra tabernaculum

ABRA NAT. CHR.  
MCCCLXXXVI. MCCCXLIX

naculum ducis obrutum fuisse paulo post apparuit. Non alias magis anxia, & pauens ciuitas Regi victori, & externo militi obnoxia, expulsaque: neque acerbe, pro ingenio Rex victoriam in plebem exercuit. Nonnulli proceres iudicium veriti profugerunt. Ixeritanus cum in Castellanos manus incidisset, LXXX.M. solidorum pecunia calamitatem redemit. Huius pugnae victoria libertate assuetis dominationis metum iniiecit.

Insignem adeo calamitatem Lupus Luna eo praelio, internecione exercitus hostibus intulit, vt in Aragonia bellum confectum sit: in quo ducis vis animi, consilijque maxime viguit.

A. D. III. Non. Aug. copijs a Rege Cariniensium coactis, victoria Epilensi praelio parta, Cæsaraugustam inuit. Cæsaraugustani legatos sui purgandi gratia ad Regem miserant: & vt rem omnem publicam, & fortunas in eius potestatem redigant. Cum prauis consilij a regia fide defecissent, & veluti frenis exsoluti proruperant, proiectis armis mortem deprecantur.

Galatianus Tarba Præfectus Iustitiæ Aragonum.

A. D. X. K. Octob. Rex Lupum Lunam Comitem Lunam appellat: atque eius oppidi ditione donat: successoribusque attribuit: quam cum precario teneret, hereditario iure obtinuit: quo dignitatis decore, numquam antea quispiam a superioribus Regibus, in Aragonia cohonestatus fuerat, nisi filius, aut regia stirpe generatus.

A. D. IV. Non. Octob. cum Rex conuentum Cæsaraugustæ ageret, vt obliuione præteritorum discordiæ ciuiles finirentur, scita, institutaque popularia, coitionis impressiõne facta, & singillatim duo illa priuilegia ab Alfonso Rege III. Aragonensibus irrogata, & quod ipse turbatis rebus constituerat, & confirmauerat, rescinduntur. Noua a ciuitate in seditiosorum capita instituta sanciantur: & aliquot ciuibus factiosis, & turbulentis rei capitalis damnatis, generatim eo instituto a ciuitatibus poenæ, multæque irrogantur: & vt quisque præcipuus turbator, conquiritur: atque ita merito euenit, ac iure: vt priuilegia, quæ commotione, atque populi impressiõne quæsitæ fuerant, atque parta, & quæ armis tuebantur ciuilibus: armis amitterentur: Aragonia bellis dilacerata, & intestino malo pressa. Cum in eo conuentu iudiciorum causa suscepta esset, nihil antiquius duxerunt summo ordinum consensu, quam vt Gubernationis regni magistratum, qui reliquos omnes antecellit, perturbatione rationis, atque ordinis diffluentem coercerent: & in ordinem redigerent: & modum quendam adhibentes, iudiciorum seueram honestatem, & decus sincerum conseruarent. Nam cum ad eam diem eius magistratus muneri plerumque proceres regni, & in veteri nobilitatis dignitate, fortunaque nati præpotentes viri præficerentur, corruptaque ab eorum ministris, contaminataque iudicia essent, & leges ac iura, communisque regni libertas labefactarentur, & tradita, atque inueterata cõsuetudine, in nobiles viros presentis mortis poena animaduerti nõ posset, neque in iudicium capitis vocarentur, rerumve capitaliũ condemnarentur, cautum est in posterum, & diligenter lex perscripta est: ne proceres, nobilitatisue decore insignes viri Gubernationis magistratũ gerat: sed indi-

sed indigenis regni mandaretur, qui simplici auctoramento militia decorati essent: ut par, & æqua poena in eum, qui iura violaret, & traditam libertatem conuelleret, constitui posset: & sine inuidia culpa capite etiam plecteretur.

VNIONIS NOMEN, ET VI-  
RES DELETAE.

Coitionis, & vnionis nomine, atque memoria viribusque rogatione deletis, bella intestina in Aragonia perpetuo sedantur. Sublatis enim vnionis priuilegijs, de vnione perpetuo abrogata lex promulgatur. Ex eo magistratus, & Præfectura Iustitiæ Aragonum stabiliendæ communis libertatis causa, antiquitus legibus septa, atque munita, in eo vires suas exercere coepit, ne quis contra regionum ministrorum extraordinariam potestatem, iussa, atque imperia auxilij egeret: aut potentiorum iniuria premere tur: ac fere de omnibus controuersijs publicis, priuatisque ne vis inferatur, constituit. Si quis aut priuatus, aut populus eius decreto non steterit, grauisima poena afficitur: neque petenti ius redditur: aut vllus honos communicatur: eiusque auctoritas et ciuitate exterminatur: idque legibus habent sancitum. Institutum vero eius Præfecturæ interdictis tale temperamentum fuit, ut tenuiores, & qui locum ciuitatis infimum tenent, cum principibus viris æquari se arbitrentur: & eam sciendarum legum rationem nostri secuti videntur, in eo magistratu muniendo, ut regijs iudicijs opponeretur: quemadmodum Lacedæmone Ephori a Theopompo Spartanis Regibus oppositi fuerant: & apud Romanos Cōsulibus Tribuni plebis. Sed ne existimatio, atque auctoritas eius magistratus vnquam imminui posset, aut popularis fieret, atque omnes iuris supremæ legis obtemperarent, & cum omnibus ea lex semper vna, atque eadem voce personaret, ut vere populi salus suprema lex esset, ac vinculum, & firmamentum libertatis, atque omnes, quod dici solet, quasi sacre legis cathenis constringeretur, ea cautio adhibita est, ne ex infimo ordine, aut populari suffragio, quispiam eum magistratum adipisceretur: sed militari decore honestatus: & a Rege adscitus: atque susceptus. Moderatione quoque ea Præfectura, non ad popularem auram prouecta, sed temperatior a maioribus instituta est, quam Ephorum magistratus a Lacedæmonijs fertur introductus: qui se adeo insolenter efferre consueuerat, ut in more, institutoque positum esset, ut in tribunali sedentes Regibus ne assurgerent: neue eos venerarentur: & singulis mensibus iurifurandi religione obstringeretur: Reges se patrijs legibus obtemperaturos: Ephori vero se Regum imperio obedientes fore: dum leges, ac scita, institutaque maiorum ab illis obseruarentur. Inde euenit, ut non dissensione, ac dissidio, sed more instituto in vnus Præfecturæ magistratu respublica Regijs magistratibus opposita non imbecilla esset: sed magnum applausum assentiente populo consequeretur: & turbidi, concitati que motus in posterum comprimerentur: atque intestinæ dissensiones sine vlllo tumultu, aut motu sedarentur.

Octobris mensis initio, adeo pestifera vis morborum Cæsaraugustæ incubuit, ut eius contagionis vitijs magna ciuitatis pars infecta sit: & conuentus dirimerentur. In A. D. III. Id. Nouemb. prorogantur: & Tuzolium transferuntur.

Leonora

ABRA NAT. CHR.  
MCCCLXXXVI. MCCCXLIX

Leonora Regina eodem mense Exericæ, nullis superstitibus liberis e vita excedit.

Valentini in seditione permanentes, cum suo nomine, & sua sponte bellarent, semperque spes victoriæ redintegraretur hostibus, & publicæ mallent ruinæ succumbere: quam sua proteri: & pleriq; quos ad bellum spes rapinarum, aut nouarum rerum studium illexerat, dilaberentur, A. D. II. Non. Decemb. Rex Moruiedro exercitum ducit: & castrorū munitione ad Mizlatam Valētiā obsidet, & oppugnare adoritur. Tamdiu ab oppugnatione desistit, dum spem deditiois ciuibus non adimat. Sed cum a suscepta causa, obstinataque sententia nulla vis, aut periculum depellere posset, & leuiore quadam incurfione inita, proelium ad Mizlatam collatis signis committeretur, quod insigni virtute, & præstantia fortissimorum ducum Michaëlis Zapatæ, & Raimundi Riufeci aliquot equitum turmę improviso in munitiones hostium Mizlatenses irrupissent, Valentini profligatis, atque cæsis vrbs deditur.

Rex vrbe Valentia potitus, vt erat acris, & vehementis animi, feroxq; natura, vt pro tali facinore, stirps, nomenque ciuitatis funditus tolleretur, vrbe inflammādam, & aratrum, sparfo quod aiunt sale, circumducendum constituerat: vetusti moris exemplum secutus: quod euerfis vrribus aratrum imprimeretur hostile: & Carthagini euenisse memoriæ proditū est. Cum eruendam, delendamque vrbe opulentissimam censuisset, ab inimani tamen, & fera sententia, suorum consilio deterretur. Nihilo tamen minus tam superbe, atque elato animo initam vrbe apparuit, quā si capta foret. In ciues lenius vindicatum, quam criminum magnitudo posebat. Instructis aciebus vrbe A. D. I V. Id. Decemb. introijt. Vt acerbata Principis seueritas ad remissionem animi contorqueretur, in Iohannem Ruizium Corelliam, Raimundum Scornam, Iacobum Romaninū, & Pontium Soleriu nobiles viros, more maiorum animaduersum. Ab impunitate excipiuntur Berengarius Villaragutius, Bartholomæus Machofes, Gerardus Fabra, Garcias Lupefius Peralta, Petrus Espluguas, Franciscus Esquerrius, Iohānes Ceruatonus, & Petrus Zapata Thousius. Damnorum a seditionis ciuibus illatorum iudicio, a Rege præficiuntur Iohannes Lupefius Sefefius, Garcias Lorizius, Thomas Marzanus, Blasus Ferdinandus Heredia, Egidius Ruizius Lihorius, Arnaldus Iohannius, & Munionius Lupefius Tahustius. Cum Ferdinandus Regis frater illo temporis puncto Requenæ sinibus exercitum cogeret, tamquam in Aragoniam inuasurus, magnus terror de ea re Cæsaraugustanæ ciuitati iniicitur. Michaël Gurrea regni procurator arcesitis proceribus Blasco Alagone, Thoma Cornelio, Petro Luna, Iohanne Simenio Vrra, Petro Ferdinando Ixeritano, Iohanne Martinio Luna, & Athone Focio, & ciuitatū procuratoribus, huic sollicitudini subuenit: & propinquis oppidis opitulatur. Pontius Sanctapacius Valentini regni finibus Ferdinādo opponitur.

MCCCLXXXVII. MCCCXLIX

Guilielmus electus Cæsaraugustanus Archiepiscopus, & a sancta sede Apostolica confirmatus, & sacrari iustus.

Iacobus Balearicus multis, magnisque præsidis nequicquam perditis, vt de integro bellum sumat, Mompelleri iura, ditionem, ac dominatum CXX. M. nummis aureis, quos scutatos vocant, Philippo Francorum Regi addicit. Ex eo, regno, & auitis ditionibus, & fortunis omnibus paternis euerfus



euersus, Clarentij cognomen fortitur. Magnam in Galliā prouinciā litoribus classem adornat: & caput ipsum regni adoriri parat: magnisque equitum, peditumque copijs auxiliarijs a Francorum Rege, & Iohanna Regina arcessitis, expeditionem maturat. Rex Valentinis rebus componendis implicitus, Raimundum Berengarium patrum Catalanis exercitibus præficit: vt Ruscinonensibus, & Cæretanis subsidio accurrat. Clarentio Animus accessit: & Regi timor iniectus est: non auxilijs tantum externis hostem excitari, sed ope, & arcessitu fautorum Valentinarum & Aragonensium seditionum commoueri.

Menſe Maio cum in procinctu Ferdinandus Regis frater rem accelerare videretur, & omnes vererentur eum in Valentini regni fines incurſaturum, Rex obuiam illi procedere ſtatuit: atque eius accitu euocantur Petrus Mòcada, Galcerandus Pinofius, Infulenſis, & Cannetenſis Vicecomites, Berengarius Caſtelli noui, Raimundus Rogerius Comes Palliarienſis & Artallus Palliarienſis eius frater. Petrus Gonzaluus Heredia ex proceribus, turmis equitum grauis armaturæ aduerſus Balearicum præficitur.

Videbantur finita ciuilium bellorum mala, cum longinqui hoſtis infidelitate aucta ſunt. Nam pace domi parta, compositisque inteſtinis ſeditionibus arma intentantur: & Sardinia bello ſagrat. Oriæ, Malaspinæque cõſpirantes Sacerim obſidione premunt. Cum ſoluendæ obſidionis cauſa Huguetus Corbera, Riambaudi Corberæ præſidis frater, qui in Catalonia nauigarat, Sacerenſibus, qui in diutina concluſione, plures meſes obſidionis mala pertuliſſent, opem ferens, cum Orijs confligit. Noſtri caduntur: maleque multantur.

Abohanenus Albohaceni Bènamarinij Regis F. patrem regno pellit. Rondam, Zaharam, Gibraltarum, Ximenam, Marbellam, & Steponam, a patre poſſeſſa oppida præſidijs occupat. Alfonſus Caſtellæ Rex generoſi, & bellicoſi animi princeps, quod ea oppida ab Albohaceno, qui cum patre erant ab Aragonio Rege induitiæ, defeciſſent, bellum Abohaneno illaturus, nouæ pacis condiciones Regi offert: & Gibraltarum terra, marique obſidet.

Rex Bernardum Capreram Vicecomitem ad Alfonſum Regem legatum præmittit: de Iohanna filia in matrimonium Henrico Alfonſi Regis F. Traſtamariæ Comiti tradenda. A. D. I V. K. Sept. Gibraltar Caprera, & Iohannes Alfonſus Benauidijs condiciones fœderum paciſcuntur. I V. actuarias naues Raimundo Villanoua ductore Rex ad Herculeum fretum nauigare imperat: ccc. ſagittariorum præſidio munitas: quod in præcipiti, amico Regi magna cura ſubuentum eſſe cupit. Paulo poſt Caprera totidem longis nauibus Villanouæ adiunctus fretum tenet.

Cum ad inuadendam Maiorem Balearium inſulam Clarentius classem comparaffet, ſuam Rex, ſi qua vis externa ingrueret, adornat: cui Petrum Moncadam præficit. Is in Siciliam militaribus copijs coactis nauigaturus erat: Frederico Randacenſi Marchioni Iohannis Athenarum, & Neopatriæ Ducis F. & Catalanis, atque Aragonenſibus, aduerſus Claramontios, & Palicios, qui inteſtinis ſeditionibus Siciliam armis diuexant, auxilium laturus. Clarentius tamen xlv. actuarijs nauibus & lxx. ontrarijs, quibus ccc. equites, & lxx. peditum cohortes impoſuerat, anteuertit. Earum copiarum ductores Carolum Grimaldum Monæci dominum, & Ai-

AERA NAT. CHR.  
MCCCLXXXVII. MCCCXLIX

tonem Grimaldum, Genuensesque aliquot primarios viros, quibus Maiorem insulam addiderat, attribueratque, praeficit. Armatus vindex fortunae, dignitatisque suae, ut viro forti dignum erat, quodcumque belli casus tulerit, pati constituit: ne priuatus superstes regno suo, in contemptu, atque inopi dedecore vitam perducatur. His copijs expositis cum signa in urbem inferrentur, Gilbertus Cruillias, Balearico regno praefectus, cum Minori Balearium Umbertum Siscarium praefecisset, & Riambaudus Corbera, qui commodum in Maiorem ingentibus copijs appulerat, ad CCC. equites, & XX. M. peditum conuenisse, vetustis monumentis proditur, obuiam Clarentio prodeuntes, proelium committunt: & magno impetu deturbatur hostis. Pariter resistentes, fusi que, inermes, atque armati caduntur. Occumbit Clarentius fortiter dimicans: neque aliam laudem ei defuisse, praeterquam fortis successum apparuit: cui a veterano mi. ite, ceruicibus caput est abscissum. Iacobus filius pugnans, ne spes reliqua afflictæ miserabili regi superesset, faucibus in nostrorum venit potestatem. AERumosi principes, & misera, afflictæque fortuna ad perniciem, & exitium semper iactati. Pugnata est ea pugna Dominico die A. D. IIX. K. Nou. & in ea virtus enituit egregia Riambaudi Corberæ.

Vetusta foedera a Rege, & Iohanna Nauarræ Regina, & Carolo, & Philippo Reginae liberis renouantur: & terminandorum finium causa Michaël Gurra, & vnus ex Nauarris proceribus praeficiuntur: neque diu Regina viuuit: & Carolus in regnum adsciscitur.

Claramontij, & Palicij, qui Ludouicum Regem puerum oppressum tenent, nostros in Sicilia atroci bello persequuntur: neque modus Aragonensium, & Catalanorum internecioni paratur. Classes Genuensis, & Monæcia Constantino, & Emmanuele Orijs ductoribus, qui in Sardinia defecerant, hostibus adiunguntur. Praecipui hostium ductores rem bellicam administrant Comes Matthæus Palicius, & Franciscus Palicius Mamertinus, Scalor ex Vbertis Florentinus, Fredericus Claramontius Agrigentinus, Ottobonus, & Conradus Oriæ Genuenses, Ludouicus Incisa: & plures alij proceres: qui ad delendum Aragonium, & Catalanum nomen pæne omnium generum, atque ordinum consensu conspirauerant. Hi Messanam praesidijs tenent. Blasus Alagon Mistretensis Comes, & regni vicarius, Fredericum Iohannis Athenarum ducis F. cui tutor datus fuerat, secum educens Catanam se recipit: eoque ex nostris includuntur Guilielmus Peralta Calatabolletæ Comes regni Cancellarius, Guilielmus Raimundus Moncada Augustanus Comes regij vexilli praefectus, Henricus Russus Aidonensis Comes praefectus ratiocinatoribus, Orlandus Aragonius Frederici Regis F. Franciscus Valguarnera, & Thomas Spathafora: atque omnes Aragonij, & Catalani proceres, ducesque, qui maximo furore, & scelere inflammatos hostes euaserant. Bonanato Iasserio Catalano in Catalonia praemisso, contra tantam vim transmarinum subsidium expofcunt: atque is ad opem afflictis rebus ferendâ, nationes nostras concitauit.

Leonora Ludouici Siciliae Regis soror, quæ Regi in matrimonium collocata fuerat, Valentiam classe aduehitur: atque in ea urbe, sollempni carmonia nuptiæ a Rege celebrantur.

Petrus Moncada IX. actuarius nauibus praefectus, optime instructis, paratisque, Siciliensi bello intestino nostris opem laturus ad Catanensem stationem

tionem Decembris mensis sine appellit: & copias exponit. Cum soluta esset obsidio, & signis collatis nostri superiores euasissent arces, & propugnacula ab hostibus intercepta Genuensibus fautoribus traduntur. Cum hostilis Genuensium classis Messanæ portum teneret, nec Moncada naua li proelio rem in discrimen deducere vellet, in Cataloniam renauigat. Varijs, diuersisque pugnis summa Blasci Alagonis virtute certatur: & ad Catanæ muros conferta pugna Guilielmus Peralta Comes Calatabelloæ Raimundi Peralta F. occumbit. Orlandus Aragonius, & Franciscus Valguarnera strenuam in ea reipublicæ miseria operam nauant: & vnus Blasci Alagonis præstanti virtute, & consilijs, labantibus rebus, fide, atque opibus, miseros reipublicæ casus sustentat.

Clemens Pont. Max. cum Iubilei sacri expiationes centesimo quoque anno celebrari Bonifacius 11 x statuisset, ad quinquagenalis celebritatis decursum pietatis, & religionis ergo redigit: vetustæ legis ritum imitatus: quæ quinquagesimum quemque annum, ob remissionem noxarum sacrare sanxerat.

Valentiæ Rex festum Natiuitatis Domini diem concelebrat.

Profligato iam, & ad exitum deducto Balearico bello, Petro Fenolletio Insulæ, & Canneti Vicecomite legationem ad Francorum Regem obeunte, super Mopelleria ditione, & Omeladesij, & Carladesij dominatus iure, quæ Balearicus Franco addixerat, Rex cum eo paciscitur. Decidunt, ut rata sit emptio a Franco facta: modo reliqua pretij summa Regi dissoluatur. Præterea cum de collocanda Constantia maiore natu Regis F. Caroli Iohannis Normaniz Ducis F. Philippi Francorum Regis nepoti, cui hoc ipso tempore Vienensis Delphinatus attributus fuerat, antea in deliberationem venisset: paciscuntur, ut Ludouico Caroli fratri Andegauenfi Comiti nubat. Eo foedere, quod Rex ici primo quoque tempore sperat, Ferdinandi, & Iohannis fratrum consilia preuenit: quos male oderat, quod in successione regni Constantiæ filiæ se antetulerant: & in eadem iuris contentione permanent: & armis, si ita ferat occasio, ius suum persecuturos Rex maxime veretur.

Iohannes Lupius Sefesius Præfectus Iustitiæ Aragonum.

Dies festi magna celebritate, cum recentibus beneficijs Bernardi Caprera viri & potentia, & regia amicitia præclari, tum generi, nomini, & familiaribus Caprerarum, & Lunarum debiti Cæsaraugustæ agitatur: quod nuptiæ matrimonij dignitate splendoris plenæ coniungerentur. Bernardinus Caprera Bernardi Caprera F. Margaritâ Fuxensem ducit: Vicecomitis Castellonij, & Constantiæ Lupi Lunensis Comitis sororis F. Constantia vero Artalli Lunæ F. ex Constantia Peresia genita fuerat: quæ filia fuit Iacobi Peresij Regis Petri filij. Bernardus Caprera filium Vicecomitatu Caprerensi donat. CA. D. V. K. Iul. Pompelone Carolus Nauarræ Rex, cum xv i annum ageret, regium diadema suscipit.

Quod diuturna obsidione Sacerensium, Sardoæ res in summum periculum essent adductæ, Rex Brancaleonem Oriam, & Manfredum, & Matthæum eius fratres sibi conciliat: atque ut Oriarum aduersam Brancaleonifactionem, & Malaspinæ Marchiones ad se pelliciant, curat.

Iacobus Erecius Pisanorum legatus, eorum senatus, & Gerardi, & Barnabæ Donoratici Comitum nomine pollicetur, eos in Sardoo bello regias partes suscepturos.

Rex Iohannem Valutem Genuensem Ducem, qui se defensorem Gebij nuensis

AERA. NAT. CHR. MCCC.LXXXIIX. MCCC.L. nuenſis populi appellat, & Genuenſem ſenatum, populumque commo-  
neri imperat, vt ab propugnatione Algueris vrbiſ, & Oriarum perduel-  
lium deſiſtant.

Vi peſtilentiæ toto orbe, omne mortalium genus depopulante A. D. VII. K. Apr. Alſonſus Caſtellæ Rex, cum Gibraltari arcem acri obſidio-  
ne premeret, eius contagione attactus interiit.

A. D. VII. K. Sept. Caſarauguſtæ, cum conuentus celebrarentur, omnium ordinum conſenſu Turolenſi oppido vrbiſ appellatio, dignitas,  
auctoritasque virtutis ciuium ergo ſancitur.

A. D. XVII. K. Ian. Perpiniani Rex decretum interponit, quo in po-  
ſterum tabularum, litterarumque publicarum monumeta, non AERa, quod  
Hiſpaniarum prouincijs, ex Gothorum regno in hæc ſæcula uſurpatum  
fuerat, aut Incarnationis Domini annorum ratione, atque interuallo obli-  
guentur: ſed Natiuitatis Domini annorum ſeries connumeretur: vt ſtata,  
ſibi que congruens annorum ratio, non variata, ac diſcrepanti, ſed certa, cõ-  
ſtantique conuerſione, ſimplicique obſeruetur.

MCCC.LI. Perpiniani Rex feſtum Natiuitatis Domini diem ſollemni cari-  
monia concelebrat.

A. D. VI. K. Ian. D. Iohannis Apoſtoli, & Euangeliftæ feſto die fi-  
lius ex Leonora Regina vxore Regi naſcitur: cui Iohannis eſt inditum no-  
men: quæ res maxima lætitia populos omnes affecit: quaſi ſtirpem, ac ſe-  
men malorum omnium ſuſtuliffet genitus infans.

A. D. XII. K. Febr. Rege in Perpinianenſi arce reſidente, Iohannes  
F. Gerundenſis ciuitatis ditione, & dominatu donatur: & Ducis nomine,  
ac titulo decoratur: cuius cognomine in poſterum Regum liberi primige-  
nij, regni que heredes nuncupentur. Paucis intermiſſis diebus, vt moſ  
fuit illius ſæculi Hiſpaniæ Regibus, vt natis liberis nutricios ſtatim impo-  
nerent, qui ab ipſis crepundijs teneram infantium ætatem informarent, re-  
gerentque. Rex Bernardum Capreram prudentiſſimum, & ſapientiſſi-  
mum virum, & genere, ac nobilitate præſtantem, aſſiduam comitem, mo-  
deratorem, educatoremque filio adiungit.

Cum Rex in filij verba iurari a Ruſcinonenſibus concupiſceret, Petro  
Exerica, Iohanne Ferdinando Heredia Hieroſolymitanæ militiæ in Ara-  
gonia pro Magiſtro, & Iohanne Lupio Seſeſio Iuſtiæ Aragonum Præfe-  
cto, & alijs primarijs conſiliarijs ſuaſoribus ab eo propoſito deſiſtit: quod  
Reges ad ea uſq; tempora, Regumq; primigenij filij ab Aragonenſibus Ca-  
ſarauguſtæ more, primum iuris iurandi ſacramento in regiam dignitatem,  
atque legitimam ſucceſſionem adſciſcerentur: eueherenturque. Viſus  
namque eſt Rex depoſita iam dominij, & regij iuris acerbitate adſueſcere  
æquum ſe præſtare ſuis: & parentem, atque auum Reges imitari, qui cari-  
tate potius, quam metu ſuos ſibi adiungere maluerant.

A. D. XI. K. Apr. Perpiniani Rex Valentini regni militares copias  
cogi imperat, quod Ferdinandus frater, noui principatus Petri Caſtellæ  
Regis confidentia, magnas equitum turmas, & armatorum manus inſtru-  
xerat: minitareturque, ſe Valentinum regnum inuaſurum: foedusque cum  
Mauriſiſſet.

Philippo Francorum Rege vita functo, cum Iohanne eius F. qui ad re-  
gnum euectus, de pacis condicionibus agitur. Vltro a Iohanne Perpi-  
pianum

nianum legantur Raimundus Salga Parisiensis Ecclesiæ Decanus, Guilielmus Durantius, Iohannes Leiuissus Mariscallus Miralpexis dominus, & Robertus Balhadartus. Rex Bernardo Capreræ, & Petro Fenolletio Caneiti, & Insulæ Vicecomiti, is Capreræ affinis erat, uti de pacis, ac fœderum conditionibus vna cum legatis transigant, committit. A. D. VI. Id. Febr. paciscuntur: quod constitutum fuerat cum Philippo Rege, ut Constantia Regis F. Ludouico Andezauēsi Comiti Iohannis F. nuberet, noua pactione statuunt: Ludouicus Iohannam natu minorem Regis F. ducat. Francus Ludouicum F. Mompellerio dominatu, Latensi arce, atque omni ditione, quam Balearicus adiunxerat, donet. Rex filiæ dotem L. M. florenorum conficiat: Mompelleria, & Latensi ditione cedat: & Omeladesio, & Frontiniano, ac summo Carladesij iure. Præterea uti artiori fœderis vinculo astringantur, Francus L. M. florenorum Regi numeret: quæ liberis Ludouici, & Iohannæ assignentur. Matrimonio, nullis superstibus liberis soluto, aut minime adiuncto, Francus Regi C. L. M. florenorum intra tres annos dissoluat: ex quo nuptiæ coniungi desierint. Eorum pactorum confirmandorum causa Francus Cameracensem Episcopum ad Regem legatum mittit. Is A. D. V. Id. Mai in sacello regiæ Barcinonensis, iurifurandi religione spondet: Francum Ludouici filij nomine sollempnia nuptiarum, deducta Iohanna celebraturum: modo nexu propinquitatis sanctionibus canonicis a summo Pontifi. soluantur. Id pactum Galcerandus Anglesola Belpucij dominus regio nomine confirmat: & Iunio mense proximo Francus ad S. Audoenem, prope sanum S. Dionysij, & Rex Valentia sacramento rata, atque firma futura spondent. Pecuniæ pignore, quæ Regi assignatur Miralpexis, & Roccafulli domini obsides traduntur: quæ cum tot vinculis astricta essent inania, atque irrita, is horum Regum mos fuit, euasere. ¶ Rex Genuensi bello intentus Iohannam Reginam, & Ludouicum eius virum, qui in prouincia Gallia cōmorantur, amicitia fœdere sibi deuincit. Paciscuntur, uti Iohannes Gerundæ Dux Catharinam natu maiorem Reginæ filiam, nec dum nubilem in matrimonium ducat: qui hoc ipso anno genitus fuerat. Contendit præterea Rex, uti prouinciæ Gallia, & Folcalquerij Comitatus Catharinæ doti addicantur: solutoque matrimonio, aut nullis eius matrimonij liberis superstibus, ij Comitatus regno Aragoniæ cedant, atque contribuantur. Ob eam causam in prouinciam Galliam legantur Abbas Ripollius, Bernardus Caprera, Lupus Gurrea, & Bernardus Olzinellias I. C. quibus legatio ad summum Pontificem data fuerat. Margarita tamen, & Francisca Iohannæ Reginæ filijs, pueris infantibus mortuis, pactiones eæ dirimuntur.

Quod Rex Ferdinandum fratrem calamitatem sibi moliri, & externis Castellæ Regis auxilijs aliquando erupturum, bellique fortunam periclitaturum timeret, Carolum Nauarræ Regem ab amicitia Regis Castellæ auertere conatur. Curat præterea ne sinat Blancam sororem, quæ vidua puella, ex Philippi Francorum Regis connubio manserat, Castellæ Regi in matrimonium collocari. Nauarrus in ea rerum commutatione Regem ea suspicione sollicitum, metuque suspensum liberat: confirmans veteri Gallia consuetudine obseruatum, ne viduæ Reginæ, quamuis in puellari ætate constitutæ denuo nubant. Eo ipso tempore Nauarrus, quod magna mobilitate, & leuitate animi nouis semper rebus studeret, amicitia, ac fœ-

NAT. CHR.  
MCCCLI.

deris necessitudine Petrus Castellæ Regem sibi deuincit. Mense Maio Nauarrus, & Aragonius Momblanco congregiuntur: & cum in eo summe Rex elaborat, ut Nauarrus Leonoræ Reginae vxoris sororem ducat, matris monio sibi adiungit Iohannā Iohannis Francorū Regis natu maiorē filiā.

Gasto Fuxensis Comes, Soi, & Queraguti arcium summum dominatū, ac iuris Onesani oppidorum, atque aliarum ditionum potestatem supremam A. D. II. Non. Mai Barcinone Regi iureiurando sancit. Pollicetur Rex, se opem illi laturum, si Anglus ditione ea euertere conetur: & manu quod aiunt, tenere: atque sub sua potestate recipit.

Bello inter Genuenses, & Venetos acri, & magno commoto, Iohannes Gradonicus Venetorum ad Regem legatus summe contendit, ut Rex cū Venetis aduersus Genuenses fœdus pactione sanciat. Magna de ea re inter Regis consiliarios dissensio suboritur: alij Genuensium amicitiam, rebus Sardois pessime affectis, præferentibus: quorum ea tempestate erant vires, opesque in re nauali præstantes: alij vero contra tendentibus, suadentibusque, insignem eorum perfidiam, atque exsultantem audaciam contundendam, atque armis esse vindicandam. Huius consilij princeps, & auctor fuit Caprera. Bonifacius primo Camulius, & mox Christophorus Paullus Genuensium legatus instat, atque vrguet: & a Rege requirit: suam de pace cum Genuensibus ineunda, aut bello indicendo, sententiam proferat. Demum Gerundæ A. D. XIII. K. Mai Genuensibus spes pacis præciditur. Consilij & publicis, & priuatis hi præcipue admouebantur: Nicolaus Ianuilla Terrænouæ Comes, Petrus Moncada, Petrus Fenolletius Vicecomes Insulensis, Bernardus Caprera, Aldemarus Mossetius, Galcerandus Anglesola, qui Belpucij dominabatur, Raimundus Riufecius, Bernardus Sous, Garcias Lorizius, Thomas Marzanus, Rudericus Diazus pro Cancellario, Bernardus Codinachus ratiocinatorum præfectus, Ferrarius Manresa, Bernardus Olzinellias, & Iacobus Ezfarius.

Fœdere cum Venetis icto, Barcinone A. D. III. Non. Augusti missis Genuam fœtialibus, Duci, Senatui, populoque Genuensi bellum indicitur. Legati Genuenses dimissi minaces, atque insolentes, arroganti iactantia verborum efferuntur. Res nauticæ consilio Ferrarij Manresæ, Bonanati Dezcollij, Francisci Fenestris, Guilielmi Morei, Andreæ Oliuellæ, & Iacobi Boscani prouidentur: & expediuntur.

Pontius Sanctapacius, ex Catalanis proceribus vir singulari virtute, & generis nobilitate præstans, regiæ classis præfectus Septembris mensis initio, Magonis portu, xxxvi. actuarijs nauibus soluit: Thoma Gradonico, & Blasio Marionio Venetis Quæstoribus comitatus. Hæ naues apud prime paratæ, atque omni genere armorum instructæ erāt. Cum Caralitanum portum tenuisset, & in Siciliam plenissimis velis nauigaret, Siciensi freto Pâcratius Iustinianus xxx. actuariarum Venetarum ductor, regiæ classi Martino in portu adiungitur. Quod hostilis classis in Thraciam nauigaret, de ea Peram vsque persequenda deliberant: cuius oppidi Genuenses, ad vrbs Constantinopolis mœnia potiuntur: fretensiq; portu prouehuntur. Perinus Grimaldus Genuensis classis ductor, quæ lxxv. actuariarum confecerant, cum Chalcidem nobilem Eubœæ insulæ urbem, quæ in ditione Venetorum erat, circumfideret, oppugnatione relicta, Constantino polim versus vela facit. Regiæ, Venetæque classibus Nicolaus Pisanus Venetus,

netus, qui xiv. actuarijs nauibus subsidio Chalcidensibus procefferat, & Bernardus Ripollius Catalanus v. actuarijs, ex Valentino delectu instructis, summa hieme adiunguntur.

Id. Febr. in ipsis Ponti faucibus, ac Bosphoro Thracio, cum ix. actuariæ naues Iohannis Palæologi Constantinopolitani Imperatoris, qui aduersus Genuenses bellum gerit, nostris adiungerentur, ad ipsius Constantinopolis vr̄bis conspectum, prælium nauale committitur: celebritate famæ maxime memorabile. Neque enim erat quisquam omnium, aut Genuensium, aut Venetorum, qui non in eius pugnæ successu, rerum publicarum statum contineri arbitraretur: vt nullum aliud tempus ad conandum habituri viderentur. Cum diu, atq; supra humanas vires, pugnatum esset, tanta virtute regij, Venetique enituntur, vt quamuis grauissima hieme omnes & cæli, & maris sæuiente tempestate afflictaentur, superiores pugnando euaderent. Præter eas hostium naues, quæ vi tempestatis in litus incitata deprimuntur, xxxiii. a nostris sunt interceptæ: maiorque militum, & nautarum pars in mare demersa perit: reliqui occidione sunt occisi. Ex regia classe xii. naues tempestate depulsæ in litus detruduntur: milites, nautæque Constantinopolitana ora euasere. Duæ ex nostris nauibus, in quas hostes impetum fecerant, capiuntur: & in earum propugnatione Ripollius occumbit. Pontius summa & animi, & corporis defatigatione oppressus, Martio mense Constantinopoli moritur. Ex Venetis mortem in eo præliis oppetisse Stephanum Contarenum, Iohannem Stenum, & Bonanatum Bembum M. Antonius Sabellicus in Veneta historia prædidit: & Pancratium Iustinianum vulneribus exceptis paucis interpositis diebus interisse: vt pæne pari euentu regiar, & Venetæ classis ductores corruerint.

Primo vere Aragoniæ, Cataloniæque proceres, copiæque militares ad regni confinia præsto occurrunt: vt Ferdinando Regis fratri minitanti, & res nouas molienti resistent. Sed Ferdinandus, quod in Castella res nouarentur, Leonora Nunnia Guzman a Rege Petro, fratrum Leonoræ filiorum incredibili odio interempta, quos Alfonso Rex pater affluentibus fortunarum copijs ditauerat, ab armis defisit: magnæque seditionū turbæ inter Henricum, & Regem fratrem concitantur.

Maior mense, cum Ilerdæ Rex naualibus expeditionibus instaret, is enim locus, & com meatuum exportatione, & vicinis stationibus ad eam rem maxime appositus videbatur, & Genuenses x. actuarias naues, aut refecissent, aut magna industria armassent, & Andreas Dandulus Dux Venetiarum totidem a Rege exposceret, xii. instrui, armarique imperat: quibus Matthæum Mercerium nauum, & industrium virum, & rei naualis scientissimum præficit. Is classem soluens xi. actuarijs, quæ Byzantino litore regiar classis reliquijs collegerant, & Venetæ classi ad Eubœam adiungitur.

Pontifex Max. vt Venetorum, & Genuensium paci consulatur, & terra, marique omnia pacata reddantur, e republica esse censens, Regem summopere ad compositionem ineundam, vt animum adijciat, hortatur. Imperator præterea Carolus, & Iohannes Francorū Rex, vt ab armis recedatur, se in eam pacificationem interponunt. Rege exposulante, vt Genuenses Corsica insula excedant: & quæ in Sardinia eorum ar-

NAT. CHR.  
MCCCLII.

mis expugnata fuerant, tradatur, pristina bellâdi sententia nō defistitur. Non. Sept. Casaraugustâ in æde maxima Saluatoris, Rege conuentibus absidente, Iohanni F. Gerundâ Duci legitima regnorum successio, sacramenti fide, vti primigenio sancitur.

Raimundus Coponius, & Franciscus Romanus Regis legati Auenione, de condicionibus pacis cum Venetorum legatis deliberant. Pontifex sedis Apostolicæ nomine, rei tam arduæ consultationi Prænestinum, & Talairandum Episcopum Albanensem, & Sabinensem Episcopum, & Guilielmum tituli S. Stephani in monte Cœlio, & Egidium Aluarum Albornozium tituli S. Praxedis S. R. E. Cardinales præficit.

A. D. I V. Non. Octob. interuentu Iohannis Alfonsi Alburquerquei regia cognatione Portugalliæ domus illustris, Metellinensium domini, & Bernardi Capræ, ab Aragoniæ, & Castellæ Regibus legationem obeuntium, cum aliquot Regum consiliarijs, qui in Turiasonenfibus finibus conuenerant, concordiæ fœdera sanciuntur.

A. D. XIII. K. Decemb. Valentia Rex Raimundū Lullium ad Andream Dandulum Venetiarum Ducem de apparanda, atque instruenda classe aduersus Genuenses communes hostes, legatum mittit. Nam Iohannes Gradonicus, & Nicolaus Quirinus Veneti legati, eadem ob causam Regem conuenerant.

Genuensibus condicionibus pacis, quibus Corsicæ præpugnaculis cedere cogebantur, non consentientibus, breui Pontifex e vita excedit: qui Auenione A. D. IIX. Id. Dec. moritur. Intra diem vndecimum in eius locum sufficitur Stephanus Albertus Cardinalis Ostiensis, maior pœnitentiarius Lemouix: Innocentius nuncupatus: cuius suafu, in ipso Pontificatus initio indutiæ inter Genuenses, & Venetos sunt depactæ: vt se arbitro, perpetuæ paci consuli posset.

Cum Genuenses Alguerij, & arcis, quam Genuensem vocant, in Sardinia potirentur, & bellum aduersus nostros gererent, Marianus Arborensis Iudex, qui nihil prorsus intactum, neq; quietum patitur, capto Iohanne fratre, quem vnum eius nationis expertus Rex fidelissimum fuerat, ne farie res nouas molitur. Fredericus, & Azo fratres Malaspinæ Marchiones, qui Sardo bello a Rege defecerant, Regi parent: seque, ac sua in Mariani defectione Regi dedit. Osolum castellum, & alia oppida, quæ ab Alfonso patre, victoria de Sardis parta Malaspinis fuerat attributa, Malaspinarum familijs condonantur: & Iunio mense Ilerdæ rex Fredericum earum ditionum honorario iure donat.

Riambaudus Corbera Sardinia præses Montileonis castellum, quod Matthæi Oriæ ditionis erat, & Terræ nouæ arcem, quæ Iohanni Arboreæ Mariani fratri parebat, præsidij firmat: & Roccaforti propugnaculū construit, munitque: vt Mariani insolenti audaciæ obuiam eat: qua indignitate Mariano commoto, magno in Riambaudum odio, & in regium imperium graui offensione concitatur: neque ex insidijs, sed aperte rem gerit: & bellum vtrunque summa ope paratur.

Rex dū naualē aduersus Genuenses apparatus vrgueret, aliquot naues excipit, quas & equitū turmis, & sagittariorū cohortibus armat: quibus Stephanum Aragonium Guilielmi Athenarum Ducis F. & Frederici Sicilia Regis nepotem præficit: vt difficillimo tēpore Sardois rebus subueniat.

Cum



Cum Neapolitani Reges ab Hungarico bello Innocentij Pont. Max. ope, atque auxilio liberati, atque soluti essent; arma ad excidium Sicilien-  
sum rerum, & Ludouici Regis conuertunt: Claramōtij, & Palicij, qui ante  
ea aduersus Alagonios, & Aragoniam, & Catalanam nationem bellaue-  
rant, Neapolitanorum copijs freti, aduersus Ludouicum aperte deficiūt.

A. D. II. Non. Nou. Rege in arce Peniscolæ oppidi adfidente, & for-  
midoloso bello externo, & longinquo, & maritimo instante, de consilij  
sententia decernitur, vti L. actuariæ naues in litoribus, stationibusque Ca-  
talanis, & Valentinis Genuensi bello adornentur. Classi, quæ in Barcino-  
nensibus naualibus cōstruitur, ex Pratenfibus mōtibus, ad Siuranæ castel-  
lū longe a mari sitis, quæ res maxime memorabilis visa est, siluæ cædūtur.

Valentiæ Rex Natiuitatis Domini diem festum concelebrat.

MCCCLIII.

Valentini regni ciuitates, atque oppida, sacrique, & militares ordines  
in apparatus bellicos magnos sumptus conficiunt.

Matthæus, & Manfredus Oriæ fratres cum a Rege defecissent, denuo  
in eius verba adiguntur. A. D. II. K. Febr. Valentia Monteleone, &  
Claromonte, & aliorum oppidorum ditione donantur.

Rex K. Febr. Valentia Cerueræ oppidum Comitatus iure, & ditione  
cohonestat: & Iohanni filio attribuit.

Adornata classe XLV. actuariarum, quas vxeres vocabant, & v. lem-  
borum, & v. onerariarum a Rege Villafranca Penedensium oppido con-  
uentum agente, Catalani in sumptus nauales benigne operam, opesque  
suas pollicentur: modo Rex Bernardum Capreram classi præficiat: quo  
neque præstantiorem, neque fortiorem, aut ad pericula constantiorem il-  
la ætas tulit: omnes enim ad vnum, Capreram imperatorem expetunt. Id  
munus obeunti Rex Vicecomitatum Basensem donat.

Classis regia ad Magonis portum vniuersa conuenit.

Rege Valentia expeditionem naualem maturante, Iohannes Vicedo-  
mus Arretinus Caroli Imperatoris Regis Bohemia epistularum magister  
Regem deprecatur ad condiciones, pactionesque accedat: quæ inter Ge-  
nuenses, ac Venetos, pacificatorio Imperatoris interuentu proponuntur.  
Rex se Innocentij, & Clementis summorum Pontificum reuerentia pa-  
cem concupiuisse, atque pollicitum esse asseuerat: dum Corsica insula Ge-  
nuenses decedant: se ea tunc lege, quamuis ingenti pecunia in classem ero-  
gata, arma depositurum confirmat.

A. D. X V. K. Sept. Capreæ Magonis portu classem soluit: Minus  
idoneam tempestatem nactus ad Algeriensem stationem octauo die ap-  
pellit. Vrbs ea a nostris obsidebatur: quod arcis hostes essent potiti. Cum  
terra, marique Algerienses premerentur, & Riambaudus Corbera oppu-  
gnationem vrgueret, Nicolaus Pisanus xx. actuariarum Venerarum du-  
ctor regis classi adiungitur. Genuensium classis præsto aduentat: quæ L.  
actuarijs, & v. onerarijs nauibus constiterat Antonio Grimaldo ductore.  
Capreæ, penes quem summa imperij redigitur, spei bonæ plenus, atque  
animi hostili classi occurrit: & acerrimum vtrimque certamen conferi-  
tur. Connisi omnes vno animo hostem adoriri, xxiiii. hostium nauibus  
captis, nostri gloriosam victoriam sunt consecuti: quæ Martis die,  
ad portum, quem vulgo Comitæ vocant, A. D. VI. K. Sept. parafuit.

Ad II X. M. hostium occisione occisis, III. M. CC. captiui remanent.

Algue-

NAT. CHR.  
MCCCLIII.

Alguerientes profligata hostium classe, cū ad vrbis defensionē spes nulla reliqua esset, Orijs dimissis, in deditionē rediguntur. A. D. III. K. Sept. vrbē inuit Caprera: & ingenti applausu in arce regiū vexillū collocatur. Postero die, medio in foro Fabianus Ruffus Oria, qui captus in nauali pœlio fuerat, & perpetuā defectionem fecerat, capitis supplicio pœnas luit.

Alguerienti pœsidio Caprera Gisbertum Castelletium pœficit. Nec dum naues cōscenderat, cū Alguerientes ad seditionē commoti, cum pœlio nauali bellum confectum videretur, subito Mariano iudice Arborēsi, qui Sardinia regnum, regiumque nomē appetiuerat, & consilia cū Iohanne Vicecomite Mediolanensi Archiepiscopo, & Mediolani domino confociarat, Sardorum nationem concitante, suscepto scelere, arma rapiunt. Marianum in ea defectione affectātum non Genuenses modo, & Oriarum factio, sed maior Sardorum nobilitatis pars: qui ad ea tempora Regi fideles perstiterant: atque ij pœcipue, qui in Caralitano regno nimia potētia dominantur: adeo hoc malum in eas vrbes inuaferat. Timbor Rocabertina Mariani vxor, impotens animi femina, & regni, supra quam credibile sit, appetens, tamquam furia virum pœcipitem agit.

Cum Caprera Caralitanum portum classe teneret, & Sardi armis ad Caralitanos vsque muros nostros persequerentur, in vico, quem quarto ab vrbe lapide Quartum vocant, signis collatis confligit: magnumque hostium numerum cædit.

Sardo bello suscepto, ne Sacerenses reliquis copijs intercludantur, aliquot militum cohortes Caprera summittit: & in eius vrbis pœsidio collocat: Caralitanam arcem, & reliqua castella commeatu, pœsidijsq; firmat: & in Catalaniam nauigat: Rimbaudo Sardinia pœside, & Arnaldo Palliariensi rebus bellicis pœfecto delectis, pœbitisque.

Nouēbri mense Rege Valentia cōmorante, Lupus Gurrea, Berrardus Thousius, & Franciscus Romanus legati ad Innocentiū Pont. Max. mittuntur. Hi de more Pōtifici, atq; sedi Apostolicae Regem subiectum, atq; obedientem futurū iurisiurandi fide sanciūt: & iura regni Sardinia suprema, Ecclesia stipulatione addicunt. Cum Pontifex summopere niteretur, vti Rex, Genuenses, Venetique bello districti rursus in pristinam concordia reducerentur, quod nisi res ad pactionē veniret, longius videret bellum futurum, regij legati condiciones omnes reijciunt, nisi Bonifaciana arce, & Corsica omni Genuenses permissu Mediolanensis Archiepiscopi cedant: & cuius se imperio, remque publicam nimis demisse, ac suppliciter addixerant, ab eius se dominatu in libertatem vindicent.

Zacharias Contarenus Venetorum legatus, cum Valentiam venisset, magnopereque contenderet, vt bellum aduersus Genuenses, summaviriū contentione, omniq; conatu geratur, quod ope, auxilioq; Mediolanensis Archiepiscopi, cui res suas omnes tradiderant, magnam ædificarent, ornarentq; classē: Rex ea mente bellum suscipit, vt primo quoque tempore in Sardiniam se transmissurum confirmet: quod vt faciat, idque maturet, Decembri mense Barcinonem contendit: & expectatione hominum maiore, quam spe, Sardoi belli molem suscipere statuit.

Barcinone Rex festum Natiuitatis Domini diem celebrat.

Michaël Peresius Zapata, dux ea ætate prouectus, & rei militaris scientia, & consilio ceteris pœstans ductoribus, x i. actuarijs nauibus in Sardiniam

MCCCLIV.

diniam LXXX. grauis armaturæ, & xx. leuis armaturæ equitibus, & D. sagittarijs impositis, vt Riambaudo Corberæ, & Artaldo Palliasio subueniat, præmittitur: quod Sardonum furiosis conatibus obiecti, & oppositi in maximis periculis, insidijsque versantur.

Ianuarij mensis initio Barcinone sollempni celebritate, atque cærimonia vexillum in arce proponitur: regiarum expeditionis insigne.

A. D. II. Id. Apr. Alcanicij Rex Oscan, quæ vetustis Romanorū temporibus a Q. Sortorio maximo duce, vt disciplinarum omnium, & humanitatis aptius receptaculum, Hispanæ nobilitati cõstituta fuit, sanctione publicis litterarum gymnasijs præficit: vt in ea vrbe disciplinarum omnium scholæ explicentur: honorariæque priuilegia artium liberalium magistris, viuendique præceptoribus irrogantur.

Lupus Ferdinandus Luna Cæsaraugustanus Archiepiscopus.

Quod atrox in Sardinia bellum, omnibus eius gentis viribus in arma accensis ortum esset, classem L. actuariarum, & xx. oneratarum nauium Rex ædificandam, armandamque curauerat: copiasque militares mille grauis armaturæ equitum, & D. leuis armaturæ, & militum partim mercenariorum, partim imperio, aut gratia comparatorum ad X. M. numerum expleuerat. Naualibus, ac bellicis rebus Bernardus Caprera præponitur: ad quem summa imperij recidit. Cum tot annos varie in Sardinia bellatum esset, multa que clades acceptæ, & bellum numero hostium ingens exoriretur, socij etiam principes, & externi duces exciti regia signa sequuntur. Regis Poloniæ patruus, nomen non editur, & Robertum Baiohariæ Ducem fuisse arbitror: qui Leonoræ Aragoniæ Reginæ sororem duxerat: Roberti Ducis parentem: qui ad Imperium, Venceslao Imperatore ab Imperij gubernaculis deiecto, est adscitus, cum aliquot equitum turmis, militumque cohortibus, vt Regi operam nauet, Barcinonem, mutatis ad celeritatem equis properat: & Iohannes Grellius, Buchi capdalem vocat, & Sparæ dominus ex Aquitania ad Regis exercitum, atque in eius militiæ disciplinam proficiscuntur. Proceres, ac duces belli gerendi administratores Rex secum in expeditionem educit in rebus bellicis administrandis maxime acres, & industrios: quorum nomina hoc loco adscribuntur. Lupus Lunensis Comes, qui Segorbiensis ciuitatis dominabatur, Philippus Castrensis, Iohannes Simenius Vrrea, Iohannes Martinus Luna, Ferdinandus Ruizius Tabustius Montalbani Præfectus, Blasius Ferdinandus Heredia, Lupus Gurrea, Stephanus Aragonius Ducis Athenarum F. Petrus Iordanis Vriesius, & Iordanis Peresius Vriesius, Didacus Gonzaluis Cetina, Raimundus Peresius Pifa, Emmanuel Entenza, Simon Gurrea, Iohannes Zapata, Petrus Gilbertius, Garcias Lupesius Cetina, Raimundus Linianus. Hi ex Aragoniæ regno ordines duxerant. Valentinorum vero turmis, atque cohortibus præficiuntur Petrus Exerica, Gilabertus Scintillias, Olfus Prochyta, Alfonsus Rogerius Lauria, Petrus Maza, Raimundus Ruifecius, Gisbertus Castelletius, Matthæus Mercerius, Gonzaluis Castelluisius, Petrus Lupesius Oteicia, Rogerius Rauenachius, & Petrus Boilius Præfectus stabuli. Catalani ex proceribus hi ordines duxere: Hugo Vicecomes Cardonensis, Bernardus Caprera maritimo imperio Præfectus, & Bernardus Vicecomes Caprensis eius F. Andreas Vicecomes Cannetenis, Otho Mon-

NAT. CHR.  
MCCCLIV.

Otho Moncada, qui Serofij, & Mequinenciæ dominabatur, & Rogerius Bernardus Vicecomes Castrî boni. Sacramento obstringuntur, se in ea expeditione militaturos Iohannes Ferdinandus Heredia Ampostæ Præfectus, Arnaldus Rogerius, & Raimundus Palliarienses, Artallus Focius, Guilielmus Bellera, Bernardus Cruillias proeecta ætate vir: qui in Italia bellicæ laudis insigne nomen est cōsecutus: & alter Bernardus Cruillias, qui tyro in eo exercitu fuit: Gilabertus Cruillias, Pontius Fenolletius, Franciscus Ceruia, Galcerandus Pinofius, & Galbanus Anglesola.

Rege nauim conscensuro Mariani Arborensis nuntius pollicetur oppida, quæ inuaserat, omnia traditurum: & magnam pecuniæ vim, quæ in nauales, bellicosque sumptus erogata fuerat, curaturum: & Marianum se custodiæ Petri Regis patruî commissurum: quoad promissa, pactaque seruentur. Rex, quod veretur Marianum interpositam fidem habiturum ludibrio, mandata rejicit. Petrum patruum procurationi regnorū præficit.

Ecclesienses, quorum oppidum munitionibus, operibusque, inter omnes Sardiniaæ arces maxime septum, atque a nostris præsidio firmatum erat, hostibus deduntur: arce in nostrorum potestate remanente. Eo fit, ut pæne vniuersa insula hosti pareat. Regijs enim præsidijs, munitionibusque tantum continetur arcis Caralitanæ propugnacula, Ioiosaguarda, Aquæ frigida, & Ecclesiensium arces, Saceris vrbs, & eius arx, Oriæ, Ofolique castella: in quæ Aragonenses, Catalanique omnes se abdiderant.

A. D. X VII. K. Iul. Rhodæ percelebris olim Indigetum vrbs portu Rex classem soluit. Minus idonea tempestate vsus Sardiniaæ portum, xxxi v, ab Alguerio stadijs, quem Comitibus vocant, tenet: & A. D. X. K. Iul. exercitus, magnaue tormentorum vis educitur. Beati Iohannis Baptistæ festo die Alguerientes terra, marique arcta obsidione circumfidentur. Portæ stationibus, muriq; præsidijs firmantur: magna auxilij intro-missionis in vrbs spe.

Quattuor Siculaæ actuariae naues, Orlando Aragonio Ludouici Regis patruo ductore, regiam consequuntur classem: & Rege obsidionē vrguente xxx actuariae Venetorum nostris adiunguntur. Sed Orlandus magis a Rege auxilia expostulatum venerat, ut intestino Siciliensi bello classe subueniat, quam ut nostris opem ferat. Genuenses x. longarum nauium classem instituunt, ut Algueriensibus auxilia subministrarentur. Rege terra, marique oppugnationē vrguente, Iohannes Contarenus patricius Venetus ab Andrea Dandulo Venetiarum Duce legatus Regem hortari nō destitit: ut mandata legatis, quos Auenionem præmiserat, det: de pacis fœderibus, & condicionibus cum Genuensibus, & eo principe, qui Mediolanensibus dominabatur, ineundis. Rex enim id mandatum legatis dare renuerat: nisi primo Genuenses Archiepiscopo Mediolanensi, qui eius ciuitatis dominatum inuaserat, opitulari desistant. Curat præterea, ut Archiepiscopum fœdere deuinciat spe earum ditionum, quas in Gallurensi regione, tamquam legitimo successione iure appetierat: atque eo munere a Genuensium amicitia auertere. Is adeo infenso animo se Regi opposuerat, ut Raimundū Lullium Regis legatum captiuū attineret: in quo vno Marianus Arborensis Iudex spem sibi omnē, & firmamentū reposuisset.

A. D. V. K. Nouemb. Oterdesillis Castellæ Rex a Petro Regis patruo procurationi regnorum præposito exposcit, ut Ferdinando Regis fratri

fratri bellum indicat, inferatque: quod aduersus se, vna cum Iohanne fratre, & Henrico, & Tellio, ij Castellæ Regis fratres erant, & Iohanne Alfonso Alburquerque, & Ferdinando Castrensi magnæ potentia proceribus nouas res molitus esset: magnoque ñ factionis consensu aduersus Regem conspirauerant: quod Blancam Borboniam vxorem exegerat: atque de matrimonio deturbauerat. Sed cum paulo post, constanti rumore perferretur, Ferdinandum ipsum magnas procerum Castellæ copias coëgisse, & amicitiaæ foedere Castellæ Regi se adiunxisse, vt inuadenti Aragoniæ regnum auxilia deferantur, Michaël Gurrea, qui regni Aragoniæ gubernationi præpositus erat, & Iohannes Lupius Sefesius Iustitiæ Aragonû Præfectus crebris ad regni confinia dispositis præsidijs, omnia firmant: & nobilitatem omnem commouent, vt in eo tumultu Ferdinandi molitionibus, qui mobilitate, & insigni leuitate animi, Rege lōginquo, & extero hoste distracto, & acri bello terra, mariq; implicito, nouis rebus studet, obuiam iri possit: cuius audacia, ni mature subuentum foret, discordiarū, armorumq; ciuiliū reliquijs collectis rempublicam perculisset. Satis constitit mortuo Iohanne Alfonso Alburquerque, quem proceres Castellani, qui coitionem fecerant, sibi delegerant ducem, sacro foedere aduersus Aragoniū Regem eos proceres fuisse deuinctos: qui Ferdinando eius fratri regnum inuasuro opem laturos polliciti fuerant: & se sacra Eucharistiæ communionē ad ea foedera obstrinxerant: & hi fuisse perhibentur. Ferdinādus, & Iohannes Regis Aragoniæ fratres germani, Henricus Comes Trastamarensis Regis Castellæ frater, Iohannes Cerda Ludouici Comitis Claramontij, & Telamonis, & Fortunatarum Principis F. Fredericus Vclensis ordinis Magister, & Tellius, qui Laræ, & Viscaia dominabatur Regis Castellæ fratres, Ferdinandus Castrensis, & alter Ferdinandus eiusdem Castrorum gentis Petri Guerræ Castrensis F: & Iohannes Alfonso Benauidius. Ad hæc Ferdinandus Petri Aragoniæ Regis frater summæ coniunctionis vinculo, Alfonso Portugalliæ Regi, ac Petro eius filio adiungitur: pactis sponsalibus Mariæ Petri filia, & Constantia eius vxoris, Iohannis Emmanuelis filia. Regi ad odium, quod in fratrem conceperat, nihil acerbius accidere potuit. Sollemnia nuptiarum Eboræ magno apparatu celebrantur.

Cum a Genuensibus, qui Algueræ vrbs propugnationem, summa animorum contentione susceperant, res nulla ad virtutem deesset, & a nostris vehementissime oppugnarentur, Marianus, qui vniuersæ Sardinia potiri polle sperans, Matthæum Oriam sibi adiunxerat, ac Iohannem fratrem, reliquosque Regi fideles, contra ius, fasque in custodias tradiderat, & frater, fratrisque F. in vinculis mortem obierant, I I. M. equitum, & XV. M. peditatu, ad quartum ab Alguerio lapidem signa proferens, inter Sacerim, & regia castra consistit: cuius auxilium, in re trepida ab obseis implo ratum erat. Petrus Exerica Mariani affinis Marianum a temerario armorum conflictu auertere nititur: & vt Regi pareat, summo opere elaborat. Exacto Octobri mense cum Marianus, Exerica, & Caprera congregerentur, ad condiciones, pactionesque cum ignominia, ac dedecore est accessum. Cum eodem tempore Marianus Quirranam arcem obsedisset, ab oppugnatione non desistit, quo ad Rex, qui in grauem morbum inciderat, satisque vehementer, diuq; ægrotarat, pacta conuenta confirmet.

NAT. CHR.  
MCCCLIV.

Deditur Regi Algerium: & quod cæli grauitate exercitus magna parte deminutus, atque infirmatus esset, A. D. V. Id. Nou. urbem equitatu omni comitatus inuit.

Algerium Catalano, & Aragonensi ciue, ac populo constituitur: fundique, & agrorum modi singulis in eius territorio definiuntur.

Abrahinus Tunetensis, & Bugiensis Rex imperio, potestatique Regis se subiicit, atque addicit: polliceturque II. M. nummorum, duplices vocant, tributum, in singulos annos, ex regni portorio collaturum.

A. D. VII. Id. Dec. Algerio Rex VII. actuarijs nauibus, Reginam se cum educens, Caralim versus nauigat: & insulam, quam Rossam vocant, tenens, quæ a Caralitano promontorio CCC. distat stadijs, in terrâ egres- sus, inde terrestri itinere Caralim proficiscitur: cum Genuenses XL. actua- riarum classe, & aliquot onerariarum Hadriaticum sinum præterue- rit essent.

MCCCLV. A. D. IIX. Id. Ianuar. sacro Epiphaniæ Domini die Rex Caralitana-  
arcein ingreditur. Classis in Malfatæ portum ex alto inuehitur.

Febr. mense Rex cum Gerardo Donoratici Comiti vita functo actio- nem perduellionis intendisset, quod Mariani consiliorum auctor, defe- ctionisque fautor fuerat, in arce Caralitana, regali in solio, ornatu regio sedens, cum sceptro, & insignibus regijs, maiestatis lege condemnat. Ex eo Donoratica familia, inter Italicas nobilissima, Sardis opibus expulsa ad interitum redigitur. Malaspina etiam Marchiones Sardinia exacti, Ni- cæ Mafsilientium dominio ad continentem incumbunt.

Cum eodem tempore Rex conuentui præsideret, quem Sardis, & ijs, qui a Regibus patre, & auo, atque a se possessionibus donati fuerant, Cara- lim indixerat, Marianus, quem Rex non in se contumacem modo, sed ne- farium hominem cognouerat, adesse renuit: neque Caralim Regis salutan- di, aut visendi causa accedit: aut militares copias dimittit: adeoque palam regnum appetit, vt suis condicionibus stare noluerit.

Marianus non expectata Regis in Hispaniam profectio, animo ma- gno, & elato, quod Rex Galluram terram, pacto conuento non tradidisset, bonorum direptiones, iniqua nostrorum iudicia, vim denique, & con- tumelias, quibus Sardos oppresserant, publica periculi denuntiatione cõ- questus, & minis, ac barbaro, atque immani terrore infectatus, veluti pro communi salute arma capit.

Petrus Exerica, & Bernardus Caprera exercitu coacto, insultanti Ma- riano obuiam egressi, D. Iohannis Baptistæ sacro die, cum hoste leui certa mine confligunt: qua pugna Africæ regulus quidam regia signa secutus, siue is Tunetensis Regis legationem obierat, occumbit. Quoad debella- tum cum hostibus esset, passim manus conferuntur: alia enim regione Ar- tallus Palliaris Pisanorum oppida oppugnat: atque alij duces Matthæum Oriam bello persequuntur. Marianus ipse belli modo, modo pacis mora Regem ludificari non desistit.

Innocentius P. M. qui magno conatu paci semper consuluerat, atque eam inter Venetos, ac Genuenses conciliarat, de compositione tantum confecit, vt ab armis recederent: atque in perpetua pace, vt eæ nationes esse possent, Rege ab ea reiecto, Auenione prouiderit: Venetorum Duce Marino Fallero ad eam pactionem traducto, qui eodem tempore, occu-  
pato

pato tyrannidis dominatu, de opprimenda republica conspirat. Veneti legatos ad Regem mittunt: atque secreto confirmant, pollicenturque, si exploratam cum Genuensibus pacem tamdiu obtinere cupiat, dum foederis vinculo inuiolata Regi cum Venetis concordia maneat, firmam, stabilemque futuram. Quod si eam conciliari nolit, se quam constituerant concordiam non confirmaturos. Rex quod se in scio pacem confecissent, & Marianus, Matthæusque Oria suo obtemperaturos imperio pollicerentur, tractandis pacis condicionibus animum conuertit.

A. D. V. Id. Iul. quod Rex iustis legibus, & æquis condicionibus bellum componere cupit, Sanlurij oppido pax Mariano datur: confirmaturque. Iurisiurandi religione Marianus obstringitur, se fidelem Regi perpetuo mansurum: & vna cum Matthæo Oria supplicem se proficitur: & ad Regis pedes iacuit. Sed Oriæ in signi scelere, atque perfidia pax ea, paucis interiectis diebus violatur: & rebellionem facta Mariano animos addidit: ut ope, atque auxilio Oriarum totius insulæ ditionem, & propugnacula obtinere speret.

Compositis, quoquomodo Rex se expedire potuit, transmarinis rebus, A. D. VII. K. Sept. Caralitano portu nauim cõscendit: & vniuersa classe Alguerium versus prætereuehitur. Comitum portum ingresso, cum classem solutus esset, certi a Mariano nuntij referunt, Vrisenses Galluræ oppidanos, Regis imperio non parere, neque arcem tradere: quod Marianum præstare debere, ex pacto cõuenerat: ut quo in statu res collocatæ essent, appareret: qui deterior esse non poterat. Nihil enim se absente, pro fide Marianum facturum Rex arbitratur: cum præsentis, & victoris imperium neglexisset: vir animi, bellique obstinatissimus: & qui belli moram redimere tantummodo videbatur: & insita pertinacia æqua semper aspernaretur. Cessit itaque Rex ei, quem bello deuicerat.

A. D. IIX. Id. Sept. Rex Comitum portu egressus imposito exercitu naues soluit. Idonea tempestate vsus, A. D. II. Id. eandem terram attingit Laletanorum. Ad Betulonem, haud procul Barcinone quietam nactus stationem anchorasiacit.

Iulio mense Fredericus Dux Athenarum, & Neopatriæ Iohannis Athenarum Ducis F. Frederici Regis N. Blascus Alagon Comes, quorum virtute, atque potentia Catalani, quibus Siciliensis res publica sustinenda tradita fuerat, sustentabatur, mortem obiere. Ludouicus Rex Attica, & Neopatriensi ditione Fredericum fratrem donat. Cum nihil mali esset, quod nostri in ea expectatione rerum non sustinerent, Artailus Alagon Blasci F. Mistretæ Comes in signi laude suas opes, viresque omnes Claramontijs opponit.

A. D. XIIIX. K. Nou. Ludouicus Siciliae Rex annum agens xvi. Iacij moritur. Catanæ sepelitur: in cuius locum Fredericus frater sufficitur: annos natus xiii. Ludouicus ex concubina Antonium, & Ludouicum Aragonios filios reliquit: & Antonius Beatricem Petri Exericæ natu maximam filiam in matrimonium duxit: & successionis Exericensium ditionum spes eum est frustrata.

FREDERICVS PETRI III. F. SICILIAE  
REX. DVX ATHENARVM,  
ET NEOPATRIAE.

NAT. CHR.  
MCCCLV.

Erat in procuratione regni Siciliae, propter Frederici pueri aetatem Euphemia soror: & cum intestinarum seditionum vi, belloque externo omnia turbarentur, non quod antea acciderat, inter Catalanos, & Claramontios dissidia modo vigent, sed inter eiusdem nationis familias, earumque cognatos, atque propinquos. Neque ad regalia statim insignia, nomene regum adsciscitur Fredericus: quoad cum Artallo Alagonio, aliisque proceribus paciscatur. Ea tempestate res Siculae in vltimum decidunt discrimen: sacris ab Ecclesia interdictis: bello acerrimo a Iohanna regina inlato: deficientibus etiam ab imperio, ac regio nomine Claramontijs: ac Rege demum ipso puero vecordi, ac pæne amenti: & femina regni gubernacula moderante. Primus ex Siculis Regibus Fredericus ditionis Athenarum, & Neopatriæ titulum vsurpat: & posteris Regibus tradit.

Caroli Nauarræ Regis iussu Carolus Hispanus Alfonsi F. Ferdinandi nepos, Regis Alfonsi Castellæ pronepos Franciæ Connestabulus Aigle oppido, in lecto iacens, interimitur. A Francorum Rege socero Nauarrus dissidens Ducatus Burgundiæ ditionem repetit tamquam maternam hereditatem. Regina enim Iohanna Nauarræ mater Ludouici Hutini Francorum Regis F. erat: & Margaritæ filia primigeniæ Roberti Ducis Burgundiæ. Præterea Campaniæ, & Briæ Comitatus repetit.

Decembri mense, Rege Perpiniani commorante Nauarrus, qui a Rege Francorum socero defecerat, Iohanne Cruzate Tudelenfi Decano internuntio, vt Rex Eduardo Angliæ Regi, aduersus Francum fœdere adiungatur, summopere contendit: & Constantia Mariæ Aragoniæ Reginæ sororis filia Eduardo Vvaliæ Principi Angliæ Regis filio nubat. Rex, qui Franci amicitiam complexus fuerat, artiorique fœderis vinculo ei adiungi concupierat, ea fœdera pactione nuptiarum Constantiæ filia, quæ mox Frederico Siciliae Regi nupsit, recusat. Quin in ea sententia perstat: vt Iohanna natu minor filia Ludouico Francorum Regis filio nubat: interuentu Iohannis Armeniacensis Comitis regni Galliæ procuratoris: & ob eam causam Carcaſonenſis Senescallus ad Regem Perpinianum legatus fuerat.

Rex Auenionem, summi Pontificis conueniendi causa proficiscitur.

MCCCLVI.

Festo Natiuitatis Domini die, Auenione Rege assidente, sacra a Pontifice Maxim. summa religione, sollempnique cærimonia conficiuntur. Peractis sacris, in eodem sacello Dianium Contestanorum oppidum, vetustate antiquissimum, ac portu insigne, Comitatus honore, tituloque a Rege decoratur: quo Alfonsum Petri Ripacurciæ Comitis filium patruelem fratrem a Rege donatum, Regis commentarijs proditur.

Pontifex de tradenda a Rege, condonandaque Genuensi ciuitati Corsica insula consultat: de re publica deliberationem suscipiens: quod potestatis Ecclesiæ, ac supremæ ditionis esset: modo Regi ius proprium, supremumque dominatum Genuenses excipiant, sanciantque: & tributum quotannis pendant. Id se magnopere exposcere Pontifex testatur: quod Genuenses, mediæ eius insulæ partis, qua ante c. annos a summo Pontifice, se fuisse donatos contendunt, certum sibi ius prætenderent, Rex L. M. florenorum annum tributum sibi pensitari potestuat.



stulat. Inter eas condiciones Mediolanensis princeps ius suum persequitur: quod Vicecomites, qui Mediolani dominati fuerant, in Galluræ ditione ex successione, atque agnatione filia Nini Galluræ Iudicis, ex Vicecomitum gente prognati, quæ Ricardo Camino Trevisi domino nupsit, sibi vsurpauerant. Sed ea controuersia, neque tolluntur Pontificis interuentu, neque sedantur. Pontifex aliqua in re gratificari Regi cupiens, canonicis sanctionibus Constantiam Regis filiam, quæ Frederico Sicilia Regi consanguinitate propinquo nuptura erat, soluit: contentionemque omnem, quæ Siculo Regi cum Ecclesia vertitur, Bononiensi, Prænestino, & Magalonenfi Cardinalibus committit.

Ianuarij mensis initio Rex Auenione Perpinianum reuertitur.

Franciscus Periliosus Ianuario mense Perpiniani legatione ad Francorum Regem suscepta, de matrimonio Iohannis Gerundæ Ducis, vni ex Regis Francorum filijs adiungendo, & Euphemia item Reginæ sorore, Petri Sicilia Regis filia Alanzonio Comiti in matrimonium tradenda, mandata retulit. Præterea Rex deliberat, vt Blanca, & Iolans Euphemie sorores matrimonijs Francorum procerum Regis propinquorum, aut affinium collocentur. Retulit etiam de Isabella Balearici Regis filia Iohannis Comitis Armeniacensis filio in matrimonium collocanda: adeo Rex omni foedere, atque cognatione regiam Francorum stirpem sibi deuincire studet. Isabella a Rege dos ex ea summa dicitur, quæ Iacobo fratri Balearici filio pretij Mompellerij dominatus, a Francorum Rege constituta fuerat.

Quod Francorum Rex Carolus Nauarræ Regem captum in custodiam tradidisset, Gasto Fuxensis Nauarri affinis Perpinianum Iulio mense contendit: summoque opere adnititur, vt Rex a Gallico foedere descedat: & Nauarro affini, atque oppresso opituletur. Aragonius summa stabilitate, atque constantia, in amicitia Franci permanet. Francorum enim Rex Iohannem Thalemardem consiliarium, & Petrum Statistem quæstorem ad Regem legauerat, vt de iniurijs a Nauarro sibi inlatis, & cum ignominia regij decoris impositis Regem perdocerent.

Martij K. Rex Ausam nobilem quondam urbem, quæ Ausetanis provincie Hispaniæ Citerioris populis nomen indiderat, & calamitosorum bellorum euentu, Maurorum in Hispanias irruptione, ad Vici nomen, & miseram condicionem redacta fuerat, comitatus titulo, atque honorario munere donat. Regionem I V. M. P. vrbi continentem contribuit: atque eo honore, ac ditione Bernardinum Capreram Bernardi Capreræ ex Timbore Fenolletia primaria femina F. donat: Comitatemque Aufonensem appellat.

Cum biennio pacis condicionibus tractandis Regis legati Auenione adfessent, neque Rex æquitatem reijceret, Genuenses ius, fasque omne insolentius asperrantur: quod Mattheus Oria foedere violato Oriam arcem occupasset: & plane hoc spectant: vt eo duce bellum geratur. Sardis contra foedus auxilia missa.

Classe comparata, vt Sardois rebus subueniri possit, summis difficultatibus affectis, Rex Gilabertum Scintilliam exercitui præficit: arma-

NAT. CHR. turā varia peditatus, & equitatus instructo. Cum Barcinonensi statione  
 MCCCLVI. classis ea soluisset, & ad Iiberitanum portum militares copiae Mai mensis sine naues conscendissent, Iulij K. alto prouehuntur. Galcerandus Fenolletius Lugudoriæ regioni præficitur.

BELLVM CRVDELE ET EXITIABILE A CASTELLAE ET ARAGONIAE REGIBVS  
 VTRIMQVE SVSCEPTVM.

Atrox, & intestinum bellum inter Aragoniæ, & Castellæ Reges, vtrique non grauisimorum modo inter se motuum, sed pæne exitij causa fuit. Franciscus Periliosus, x. actuarijs nauibus præfectus, quæ Francorum Regis stipendijs, in Cataloniæ stationibus armatæ, instructæque fuerant, & in Veneticum Oceani litus nauigaturæ erant, Herculeum fretum præteruēctus, cum Gaditanum portum subire vellet, naues duas Placentinorum, qui mercaturas fecerant, inuadit: & coram ipso Castellæ Rege, ludicra forte exercitatione, & thynnorum captura ludibundo litus incurfante, intercipit: diripitque: neq; Gutterio Gomezio Toledo internuntio, ut liberarentur Regi præsentis, & roganti honos, aut respectus habitus: quod Genuensium hostium esse dicerentur. Præda accumulata, non satis ducēs Periliosus Regis præsentis imperium sibi ludibrio esse, ostio Bætis fluminis inuēctus xvi. m. p. apertissime prædatus, nauigationi intētus, in Gallicis portibus piraticam facit. Petrus Castellæ Rex sæui alias, & præferocis animi ira exardescens, & pro rei indignitate concitatus, cum Egidium Velazquium Segouiensem, aulæ regiæ Prætozem Barcinonē res repetitū legasset, & is quod ius, ac pacta fœdera Rex imminuisset, atque violasset conquestus esset, & Regem cōmonuisset, ut Gonzaluum Melsiam, & Gomezium Carillium, qui in Castella res nouas moliti fuerant ex Aragonia pellerentur: atque Episcopus Segontinus, qui se in Aragoniam receperat, captus attineretur, & Rex pollicitus esset, se eos proceres regni finibus exacturum, Catalanos, Aragonensesque mercatores, quotquot Hispali, aut alijs in locis fide publica commorantur, cum bellum indictum non esset, in vincula conijci, & eorū bona publicari imperat. Præterea expostulat, Periliosum sibi constrictum dedi. Regi Aragonio, se ius, iudiciumque in Periliosum, si iuris actio constituatur, se uere administraturum recipienti, pollicenti que bellum indicit: prouocatque. Mirum inde quanta rerum moles: quotiens in extrema summi discriminis vētum. Acerbissimo enim bello res cum grauisimo, & præpotenti hoste fuit.

Cum Rex omnibus rebus imparatissimus necessarium, ac subitum bellum suscepisset, Murtiensis regni, & Molinæ confinijs geri cœptum est: atque eo impotentius concurritur vtrimque, quod proximi regionibus cōcitantur. Deseruerant Aragonij incolæ finitimas sedes: & in munitiora loca, aut in auos, siluestresque montes confugerant: & desperata plurium oppidorum propugnatione, in arces concessere: multa que ignobilia oppida deserta a suis, in hostis venere potestatem.

Castellæ Rege mentis insania, atque furore, & ira efferato, atque præcipite, vires omnes regni concitantur. Aragonius acerbitate itidem morum, & animi pertinacia, atque obstinatione, cū lacesitus esset, inimici vlciscendi causa acrius, grauiusque in id bellum incumbit.

Didacus Garcias Padillia Calatrauensium Magister, magnis equitatus, pedita-

peditatusq; copijs in Valentinū agrū inuadit. Chinofam, & Montem No ueriū vi expugnat. Requenenses v. 11. Aquas, id Valentino oppido nomē est, irrumpūt. Molinenses Darocensibus finibus incurfantes eius ditionis agrum deuaftant: aliquot vicos depopulantur: & Oculi nigri, & Blanca oppida exuruntur. Gallicantinum campum, & Fufetios fines incurunt.

Vniuerfo regno in bellum inftincto, Lupus Lunenfis Comes, Blafcus Alagon, Petrus Luna, Iohannes Martinus Luna, Petrus Ferdinādus Ixe ritanus, & Iordanes Peresius Vriiefius Gubernationis regni procurator re gni Aragoniæ confinijs duces præficiuntur. Valentini regni ductores Al fonfus Dianienfis Comes, & Petrus Exerica: ille vltra Sucronem amnem, hic citerioris provinciæ præfectus constituūtur. Valentiniæ ciuitati impe ratoria dignitate Raimūsus Berengarius Regis patruus præficiuntur. In Ara gonia rebus bellicis adminiftrandis præcipui confiliarij admoentur Mi chaël Peresius Zapata, Iohannes Lupius Sefefius Iuftitiæ Aragonum Præ fectus, Michaël Gurrea, Petrus Iordanis Vriiefius, Lupus Gurrea ex pro cerum familia, regio cubiculo præfectus, & Lupus Gurrea: qui Gurrea oppidi dominabatur.

Quod Rex vereretur maiorem belli impetum in Aragoniæ fines irru pturum, contentionemque omnem armorum eo incurfuram, vt furentes, ac violenti hostium conatus comprimantur, Calataiubij, atque Darocæ emunito fitu, præfidiorum apparatu arces, castellaque eorum confinio rum obftroi imperat. Nam Almansæ aditus, & ea regio, quæ Arabum lin gua, quod Spartarij campi aquæ egentiffimi sint, Montaragonis Manxæ nomen inuenit, nunc vero interuerfo cognomine Aragoniæ Manciam vocant, ad ducendum bellum minime apta vifa sunt: neque diuturno tem pore exercitum alere posse: quod quorum in finibus bellum geratur, eorum opibus hostes subleuari fit necesse.

Lupus Lunæ Comes, signis collatis cum Guterio Ferdinādio Toletō Molinensium confinium duce confligit. In eo certamine Gomezius Ca rilius Guterij F. occumbit. Vici supra L. & Requenæ suburbana nostrom incursione conflagrauerunt. Direptis, & incensis proximis vicis, va gi, palantesque circumiecta populantur. Vterque ita bellum gerit, vt ne que inferre differat, & intra fines suos accipiat: neque aliud vniuerfis re gionibus agi, quam bellum apparari.

Cum vero nuptiæ Ludouici Andegauensis Comitis Francorum Regis filij, & Iohannæ Regis natu minoris filia in Septembrem mēsem reiectæ essent, & eam ob causam bello intestino sæuiente, Rex Perpiniāni reside ret, maximum illud proelium inter Francos, & Anglos in Pictonibus est commissum: quo & exercitus Gallicus funditus deletur, & Iohannes Fran corum Rex in Eduardi V valia Principis potestate captiuus remanet. Ea calamitate res Gallicæ in summū discrimen decidūt: & Ludouicus, quod ita e republica esse existimaret, Iohannæ conditione repudiata, Mariam Britannia Ducis F. in matrimonium ducit.

Constantiæ natu maiori F. sponsalia parum fauste, feliciterq; Perpiniāni, A. D. XI. K. Octob. celebrantur. Nam cum in Sardiniam profes tura esset, vt inde ad Fredericum sponsum Sicilia Regem transmitteret, nuntius Regi aduenit, Mamertinorum ciuitatem a Rege defecisse: & Lu douico Regi, & Iohannæ Reginae eius vxori se dedidisse. Id proditiōne

NAT. CHR.  
MCCCLVI.

Nicolai Cæsariæ A. D. V. K. Decemb. patratum: cum Messanæ Blanca, & Iolans Frederici Regis sorores, & Conradus Oria Siculorum clasis præfectus domorarentur. Claramontiorum præterea factione vigente maioris insulæ partis hostes potiuntur.

A. D. VI. Id. Nouemb. Pinæ oppido, ad Hiberiæ amnis traiectū Henricus Trastamaræ Comes, qui Castellæ Regi fratri perpetuus hostis semper fuit, & eius arma deserens, belli adoriūdi nostris auctor erat, Regi Aragoniæ se vti subditiciū addicit: & iurisiurandi religione fidem suam altrinit, se Regi operam, in fraterno bello nauaturum: & regijs auspicijs militaturum: cuius expeditionis causa ex Gallia, in quam extorris profugerat, aduentarat. Complures arces, atque oppida in Aragonio, & Valentino regno, & Catalonia Principatu Henrico traduntur: atque eæ ditiones præcipuæ illi attribuuntur, quæ Leonoræ Reginæ, & Ferdinando, & Iohanni Regis Aragonij fratribus dotis nomine, & hereditario iure obuenerant. Iurisiurandi fide Henrico obstringuntur, Regem fœdera cum eo patæta obseruaturum, Lupus Ferdinandus Luna Cæsar Augustanus Archiepi episcopus, Petrus Oicensis Episcopus regius Cancellarius, Episcopus Turiafonensis, Bernardus Caprera, Blasus Alagon, Petrus Ferdinandus Ixeritanus, Lupus, & Michaël Gurrea, qui inter proceres censebantur, & Gonzalvus Ferdinandus Heredia. Ex eo Aragonijs exercitibus ductores præficiuntur Lupus Luna, & Henricus Comites. Exitiosa inde Regibus odia, & immania excitantur.

Valentinis finibus Castellæ Rex ad bellum incumbens, quod Ferdinandus Regis Aragonij frater Alicantum, & Origuellam oppida sibi tradi disset, Murtiæ copias omnes militares cogit. Sed Dianensis Comes, & Petrus Exerica Alicantensem arcem, & situ, & opere munitissimam a Castellanis ereptam recuperant. Cardonensis Vicecomes, Dalmatius Queraltius, Raimundus Alamanus Ceruilionius, & Petrus Galcerandus Pinofius Catalanarum copiarum ductores subsidio Valentinis rebus accurrunt. Exteras Galliarum copias Fuxensi Comite, & Narbonensi, & Conferanensi Vicecomitibus, & Rogerio Bernardo Fuxensi Vicecomite Castelliboni Lupi Lunensis Comititis sororis filio, & Môtlesano Comite ductoribus Rex ad se arcessendas curat, vt præpotenti hosti resistere possit.

A. D. IX. K. Ian. Ludouicus, & Iohanna Regina eius vxor Messanæ regio apparatu excipiuntur. Blanca, & Iolans Frederici Regis sorores Neapolim ablegantur.

Cum Frederico Regi, præter Catanam urbem, & aliquot arces, aduersa eius fortuna nihil reliquum esse, ea tempestate voluisset. Siculiq; pæne omnes in Reginæ Iohannæ fide manerent, Constantia Regis F. trienniū demoratur: quod ad virum tuto perferri nequit: quoad Siculorum res, & totus Frederici status in vnus Artalli Alagonij Comititis virtute, atq; præstantia defixus, mirabili rerum conuersione instaurari potuit.

Anni huius fine cum Innocētius P. M. in Cardinalium collegium sex insigni religione, & doctrina præstantes viros cooptasset, Nicolaus Rosfellius Maioris Balearium insulæ ciuis amplissimo eo sacerdotio collega adfiscitur. Is Aragoniæ prouinciæ, Prædicatorum instituto, multos annos præfuerat: & causis fidei quæsitur, iudex que præfederat.

MCCCLVII.

Graue bellum ad Molinæ confinia a Castellæ Rege conuertitur: maxi  
moque

moque conatu, atque impetu infertur. Rex obuiam hosti processurus Cariniense festum Natiuitatis Domini diem concelebrat. Darocam, ad conuentus agendos, finibus appropinquans, statim commigrat: sed Castellæ Rege Molina egresso, & I. M. C. C. equitum copias ducente, iam prope hieme confecta, ne proclium inuitus committat: quoad externis auxilijs exercitus suppleri possit: quorum ductores erant Fuxensis Comes, Narbonensis, & Conseranensis Vicecomites, & Rogerius Bernardus Fuxensis Castellboni Vicecomes: Lupi Lunensis Comitis sororis F. Cæsaraugustæ regreditur. Cum præcipuæ arces in regni finibus firmarentur, Turiasonensem tractum, & ea oppida, quæ ad Borgiaensem fluuium sita sunt, tuenda, & propugnanda Petrus Perefus Caluillius Turiasonensis Episcopus, Lupus Gurrea ex proceribus, qui Gurrea dominabatur, & Michael Gurrea, ac Iohannes Perefus Caluillius egregij, & præstantes ductores suscipiunt.

Ingenti, ac terribili bello conflato, auxilijs ex vniuersa Hispania utriusque confluentibus, Ferdinandus, & Iohannes Regis fratres M. equitum, & II. M. peditum ductores, cum Valentini regni fines incurrerent, Benilupam oppugnare adorti, omnia spe, per vim, atque arma irrumperent, detrimento accepto reijciuntur. Alicantensem inde agrum, hortosque vastantes regni finibus excessere. Iohannes Regi Castellæ adiungitur: qui Sisamonem castris obsidet: & altera exercitus parte Cubellam circumsidetur. Hæc omnia celeritate ingenti acta: omnisque vis belli in Celtiberiam vertitur.

Præsidij arces cum firmarentur, neque regis copiarum, quamuis distractarum non essent, præpotenti aduersario pares esse possent, Rex bellum sibi ducendum ratus, & ad callida consilia conuersus enititur, ut Fredericus S. Iacobi ordinis Magister, & Tellus qui Viscariæ dominabatur, Regis Castellæ fratres, Iohannes Cerda Ludouici Telamonis Comitis, & Fortunatarum Principis F. Aluarus Perefus Guzmanus, atque alij Castellani proceres a suo Rege deficientes, transiione facta, sua signa sequantur. Cerda, & Guzmanus, quos priuatæ accendunt iniuriæ, domesticasque contumelias vlcersi concupierant, quod Alfonso Ferdinandum Cornelium socerum Rex morte affecisset, & Aldonciam Corneliam Guzmani uxorem contubernij necessitudine sibi coniungeret, confiniorum præsidia deserentes, & in Baticam properantes, intestinum bellum tanta confidentia, & temeritate inferunt, ut prouinciam pæne omnem cum Aragoniæ Rege partiri sperent: & Regi Hispalim, Cordubam, Algeziram, Gades, Iañium, Tariffam, & alias insignes vrbes suo prope ingenio attribuant: reliqua omnia sibi vindicent.

Februario mense, cum Celtiberiæ finibus omnem belli molem inclinaturam hostis censeret, denuo in Aragoniam ea regione irrumperit. Bordaluam vi expugnat: castellum, cum spes omnis in mœnibus, non in viribus esset, præfecti ignauia deditur. Cum Embitum oppidum ipse Rex irrupisset, & castellum ingenti balistarum, & tormentorum molitione labefactaretur, summa vi propugnacula defensa sunt: & locus erat munimentò, nataraque tutus: quoad Simon Lupezus Tolon præfectus sagitta confixus mortem oppetit: cuius stabilis virtus arcem tutata erat.

Guilielmus

NAT. CHR.  
MCCCLVII.

Guilielmus S. Mariæ in Cosmedin S. R. E. Cardinalis pacificatoriam legationem obiturus, A. D. V. Id. Febr. Cæsaraugustam aduenit. Recta Deciam ad Regem Castellæ pergīt: quo in loco ingentes copiarū militares conuenerant. x v. dierum indutias paciscitur.

Indutijs violatis, præcipiti furore Castellæ Rex Turiasonem circumfidet. A. D. VII. Id. Mart. in urbem irrumpit. Ciuitatem diripiendam militi tradit: dediturque arx, quam Cinctum vocant: Rege nullis militari- bus copijs coactis Cæsaraugustæ adfidente: quod arces, castellaque præ- fidijs firmare constituit. Sed quod neque eo in loco se tuto esse arbitra- retur, tantis subito difficultatibus obiectis, Cæsaraugustanam arcem Re- giam, Aliaferiam vocant, & omnia urbis propugnacula obstrui, muniriq; imperat: præsidijque maioribus firmat.

Exitioso, intestinoque bello, non modo domi in Aragonio, & Valenti- no regno, sed in Sardinia, & Sicilia aduersus nostros saeuente, quam mise- ra, & calamitosa sit Galliarum condicio, hinc perpendi potest: quod Iohannes Armeniacensis Comes Gothicæ prouinciæ procurator, summo pe- re a Rege contendit, vt militares manus ex Aragonia, & Catalonia duce- re sibi liceat: quæ Regis Francorum stipendia Anglico bello mereri ve- lint. Cum Cæsaraugustam Garinum Abehiri dominum eam ob causum delegasset, Rex Castellæ copijs, quæ suis merent stipendijs, libens si abire malint, permittit: modo ne ijs stipendijs militent, quæ Trastama- ræ Comes Henricus, Iohannes Ludouici Telamonis Comitis F. & Alua- rus Perezus Guzmanus a Rege perromereantur.

Tum Aragonia maximis concussa est motibus. Martio mense exacto, hostis Borgiam circumfidet. Fuxensis regijs auspicijs militaturus in Ara- goniam venit, Magalionemque contēdit: quo Rex obuiam hosti proces- serat, vt obfessis Borgiensibus subueniat. Altera vero ex parte Alebretius eiusque fratres Turiasone hosti adiunguntur: qui VII. M. equitum His- panæ armaturæ, & II. M. leuis armaturæ, quos Ginetes vocant, & maxi- mo peditatu exercitum confecerat. Rex copijs multo inferior insigni vir- tutis præstantia, parem se belligerando præstat: atque hosti occurrens, prope Borgiam, collem occupat: loco situque munitum, Molam appel- lant. Hostis cum prælio signa inferret, aciemque instrueret, & leuia cer- tamina confererentur, nostri hostem insultantem, atque acriter irrum- pentem supprimunt: neque certamen loco confisi, signis collatis detre- stant. Hoste Turiasone regresso, ac Rege Magalione demorante, cum Legatus Apostolicus cōdicionibus pacis tractandis animum intenderet, eo rem deducit: vt omnibus in rebus, quæ in controuersiam vocantur, Re- ges aliquot arbitris, atque disceptatoribus, suo interposito vtantur. A Re- ge Castellæ Iohannes Ferdinandus Finestrosa regio cubiculo præposi- tus, Iohannes Alfonso Benauidius, & Innicus Lupus Horoscus, & no- strarum partium Petrus Exerica, Bernardus Caprera, & Aluarus Gar- ias Albornozus arbitri dati. Legatus indutias ex A. D. VI. Id. Mai in festum D. Iohannis proximum, atque ex ea die in vertentem annum paciscitur: alijque LX. dies adiiciuntur: qui indutiæ appellantur red- diticiæ.

Turiaso, quæ pacto cōuento, x v. dierum spatio Legato tradenda erat, non libera, præsidioque vacua, sed Castellæ habitatoribus, atque equi- tum tur-

tum turmis obseptata relinquitur. Traditis a Rege, vt conuenerat, Alicanro, & eius arce, atque Aquis Alicantensis agri, Legatus ea fraude violatas indutias diiudicans, A. D. VI. K. Iul. Tudelæ in æde beatæ Mariæ, coram Conuenate, & Turiafonensi Episcopis, Garcia Perefio Regis Castellæ procuratore, Berengario Apilia, Francisco Romano pro Cancellario, Iacobo Ezfario, & Iacobo Hospitali Regis Aragonij consiliarijs, lata sententia Castellæ Regem in dirarum obnuntiationem incidisse, & eius regna sacrorum interdicto subijci pronuntiat. Eo magis hostis excitata immanitas.

Reges in bellum tota mente, atque animi impetu incumbentes externa auxilia arcessunt. Hostis Eduardi Normannorum Ducis, & Angliæ Regis eius patris opera suas fortunas fulciri sperat.

Carinienam Rex conuentum indicit, agitque. Equitatus grauis, leuisque armaturæ tuëdis regni finibus instituitur: & Petrus Regis patruus ductor præficitur. Petrus Luna Borgienfi regione, Iohannes Martinius Luna Calataubiensi, Petrus Ferdinandus Ixeritanus Darocensi, & Iohannes Simenius Vrræ Montalbani præfectus Turolensi equestribus copijs hostibus opponuntur. Cæsaraugustani muri, & propugnacula fossa, valloque muniuntur: ac duces præsidij, confinijque præficiuntur. Iohanni Lupio Sefesio Iustitiæ Aragonum Præfecto militaris imperij munus committitur: & omnes ciuitatis vires se ad eius ductum applicauerunt: vicariisque succedit in eo munere, eiusque partes suscipit Ferrarius Nuza. In ea trepidatione, ac tumultu res versabantur, ac si ad portas hostes castra metatus esset: & omnibus vrbs regionibus tributim, & centuriatim descriptis ordinibus, duces delecti: vt quisque eis tuendis, conseruandisque aptior præesse posse visus est. D. Paulli regio, qua magna vrbs pars continetur, ad Innici, & Bartholomæi Lisouum ductum traditur: & D. Mariæ regio, quæ plena erat virorum præpotentium sic, vt nulla tota vrbe frequentior haberi posset, Martino Lupefio Nuzæ Ferrarij F. est attributa. S. Iacobi, Saluatoris, S. Nicolai, S. Iohannis, & S. Michaëlis regionibus duces delegati Ferdinandus Lupefius Sefesius, Simon Gurdus, Raimundus Tarba, Nicolaus Hospitalis, & Sanctius Paternücius Cypresij Paternücij F.

Rex Ludouicum Caroli Nauarræ Regis fratrem pacto federe deuincit: ne Castellæ Rex eum ad se traducat. Ea re constituta, Turolium A. D. VII. K. Nou. ingressus Bernardum Capreram, Bernardum Thousium, Bernardum Olzinelliam, Franciscum Romanum pro Cancellario, & Petrum Iordanem Vriesium domus regis præfectum Oscam ad Apostolicum legatum nuntios præmittit.

A. D. XII. K. Decemb. Oscæ Legatus Apostolicus sententiam pronuntiat: qua Castellæ Regem ob violata pacta C. M. marcharum argenti poena multat: a fidelium communione arcet: & diras grauiori obnuntiatione infligit. Decretis Apostolicis edicit, vt Eduardus Angliæ, & Petrus Portugalliæ Reges, Leonora Regina, Regis Aragoniæ nouerca, & Ferdinandus eius F. Princeps Vvaliæ, Lancastriæ Dux, Ludouicus Nauarræ Regis frater, Armeniacensis, & Leguni Comites, Alebretius, eiusque filij, ac nepotes coniunctione, communicationeque Regis Castellæ, quod execrationibus deuinctus esset, arceantur: neue illi opitulentur.

A. D.

NAT. CHR.  
MCCCLVII.

A. D. VII. Id. Decemb. in silua conuallis, quæ Call's Puteoli vocatur, territorij Albarraziniensis, vasta quadã in solitudine, Berengario primum Apilia, mox Acarto Murio, & Petro Cima, demum Bernardo Caprera internuntio, ac fœderis interprete Rex, & Ferdinandus eius frater, ad colloquia, secretaeque congressus perueniunt. Ferdinandus Regi se addicit: procurationeque regni donatur. Cum Rex Turolij commoraretur, Suggestus Garcias Garcie Suggestij Toleti F. cuius consilio Tellus Henrici Traстамarenfis frater se ad Aragonium Regem traduxerat, & ad eius partes, & arma cõuerterat, pollicetur, se daturum operam, vt Gonzalvus Gonzalvus Luzius, quem Castellæ Rex Turiasonis vrbs propugnacioni ducem primum præfecerat, urbem Regi dedat. Rex spondet, si vrbs propugnacula sibi tradantur Luzium x L M. nummorum aureorum, quos Florenos nuncupabant, donaturum: & x. M. Suggestio repræsentaturum. Ea res interuentu Bernardi Caprera, Gilaberti Scintillia, Petri Iordanis Vriesij, & Matthæi Mercerij sancitur: quæ minime irrita euasit.

Rex, vt vitia Sardorum toties deficietium, ac fraudes ignominia notet, ac multet: Galluritanam regionem, & præfecturam, quæ antea in Sardinia regni, Iudicatusq; nomine censebatur, in posterum regio decreto Luquidonesij, & Caralitani promontorij cognomine appellari, vsurparique imperat. Bernardum Guimeranum ei regioni gubernatorem, procuratoremq; præficit. Caralitanae regionis gubernatio Olfo Prochyta traditur: & copiarum ductores Berengarius Carrozius, Iohannes Carrozius, Emmanuel Entenza, Umbertus Dezzatellus, Raimundus Emporitanus, & Franciscus S. Clementis rem bellicam administrant. Procurationi Luquidonesia Alguerensis, & Sacerensis ciuitas contribuuntur.

Matthæo Oria, qui diu in defectione reciderat, vita sancto, datur opera, vt Branca Oria Brancalensis Matthæi fratris filius, ad quem hereditas peruenerat, Regi se dedat, addicatque. Oppida, ac possessiones publicatae illi tradantur, liberenturque. Sed summa inconstantia, atque animi mobilitate, & perfidia, modo se obeunda hereditatis causa Regi dedendo, modo ab eo deficiendo Matthæum patrum infidelitate, longe prætergreditur. Arborensis Iudex tributa Arborensis ditionis nomine pensitari solita Regi pendere renuit.

Maior Siciliae pars a Claramontia familia, quæ a Rege defecerat, opprimitur: & Neapolitanis regibus Messanae vrbs potitis, cuius ex Italia non solum introitu, sed omnino aditu Siculi arcantur, intercludunturque, Fredericus Rex summo in discrimine versatur: neque vllum aduersæ eius fortunæ perfugium, nisi in soceri Regis auxilijs relinquitur, tam infirmis, ac longe remotis. Pactorum tamen sponsalium cõdicionibus initis, Rex summo opere elaborat, vt generum Pontifici, Ecclesiaeque conciliet. Neapolitani Reges veriti, ne Aragonia classis labantibus rebus opem ferat, Messanae bellum, quod instat, gerere appropierant. Iacim oppidum Catanæ propinquum obsident: sed constantia, ac virtute Artalli Alagonij Mistretæ Comitis, Francisci Intemelij Comitis Golifani, & Guilielmi Peralta Catalabellotæ Comitis, qui circiter I I. M. CC. equites delectos coegerant, & duabus Catalanorum actuarijs nauibus, quæ forte ad Catanensem stationem appulerant, & tumultuaria alia classe adiuncta, noctu V. hesium actuarias adoriuntur, dissipantq;: quarum tris intercipiunt. Obsidio Iacitana de-



tana deseritur: & hostes fugantur, atque cæduntur. Raimundus Baucius, qui & vetustate generis, & maiorum gloria, & sua virtute floreret, in Siculorum potestate captivus remanet.

NAT. CHR.  
MCCCLVII.

Fredericus Rex, summa omnium rerum amissione, & desperatione recuperandi, aut stabiliendi regni Leonoram sororem Aragoniæ Reginam Siciliæ regno, donat: & Athenarum, & Neopatriæ ditionibus, & Comitatu Carinthiæ: qui hereditate materna illi obuenerat Isabellæ Reginæ Henrici II. Carinthiæ Ducis filiæ: qui, uti supra docuimus, Bohemiæ regnum appetiuit.

Festus Natiuitatis Domini dies a Rege Valentia celebratur. Belamario, Maurusiorumque Regi aduersus Castellæ Regem hostem nimis ferum, atque capitalem amicitia adiungitur. Cum ea foedera Innocentius maxime detestaretur, & hortaretur, ut ad pacem cum vicino, & præpotenti Rege ineundam animum inducat: Rex, quod sibi tam crudeliter inimicus esset, & Ferdinandus frater auxilijs Granatensibus exitiosum bellum Valentino regno intulisset, externam opem Maurorum, aduersus Mauros cõmunes hostes, tam propinquos necessario arcessiuisse causatur.

A. D. X. K. Mart. S. Mariæ Poggio Valentini agri nascitur Leonora Regis F.

Castellæ Rex, quod Ferdinandus fratri Aragonio Regi se adiunxisset, animo irato, & percito, per ipsum indutiarium tempus, contra ius gentium acerrimum bellum Valentinis finibus infert. Fredericus S. Iacobi magister, Henrici Trastamaræ Comitis frater Iumillam oppidum, nostrorum præsidio munitum obsidet, quod paulo post vi expugnat: & in arcem irrupit.

Turiasonensibus finibus Castellani Ferrelonio oppido, in Cauni montis tumulo sito potiuntur: neque tam sæuo animo præceps in nostros hostis concitatur, atque in ipsos fratres: in quos infensum eius odium cum finello dissidio erupit: cuius imperio Fredericus eius frater, non tam perspicax ad cauendas fraudes, quam virtute cognitus, & bellandi arte in primis spectatus, & Iohannes Regis Aragoniæ frater crudelissima morte mactantur. Leonora Aragoniæ Regina amita, Iohannis mater, & Isabella Larenfis Iohannis vxor Castri Xericienfis arce morituræ contruduntur.

Violatis indutijs Rex, cum Gerundæ Mai mensis initio adlideret, Henrico Trastamarenfi imperat, ut coacto exercitu in Castellam inuadat. Alcarracij Ilorgetum oppido militarium copiarum recensione facta, Soriciæ finibus bellum infert. Duxere in eo exercitu militares numeros Tellus Trastamarenfis frater, Lupus Comes Lunensis, Blascus Alagon, Simon Vrrea, Petrus Ferdinandus Ixeritanus, Petrus, & Iohannes Martinus Luna, Philippus Castrensis, Raimundus, & Gombaldus Anglesola, Raimundus Spesius, Martinus Ruicius Focius, Petrus S. Vincentij, Gombaldus Tramacetius, Iohannes Ferdinandus Vergua, Ludouicus Cornelius, Iohannes Diazus Latro, Iohannes Remirius Arellianus, Atho Focius, Guilielmus Raimundus Moncada, Augerius Monfalconius, Petrus Moncada, Petrus Ferdinandus Vergua, & Rudericus Diazus Latro. Seronem oppidum expugnant: & cum Alcazarensem arcem natura, ac loco munitissimam admotis machinis oppugnarent, obsidione liberata est. Rege omnem id tempus Gerundæ commorante subsidia militarium copiarum ex Gal-

d lico

WAT. CHR.  
MCCCLIX.

lico delectu, Aimerico Narbonensi Vicecomite, Iohanne Greillio, quem Buchij Capdalē vocant, Arnaldo, & Bertrando Hispanis, Naiqueno Guilielmo Sparræ dño, Guilielmo Pomerio, Arnaldo Rocafullio, & Hortæ Vicecomite fœderatis, amicisque, & alijs Gallis proceribus ductoribus cōparat: vt externi militis robore vernaculas copias fulciat. Rex perfidiæ probrū hosti obiectans, quod pactam indutiarū fidem rupisset, ad pugnā prouocat: & hostem in præliū deposcit: ea lege vt vicenis, aut quinquagenis, centenive equitibus sociati, vno armorū iudicio, litem discernant: & proprio sanguine publicis damnis parētent: ac de fortunis omnibus ferro dimicent. Petrus Tomichius auctor est, Franciscum Romanū pro Cancellario a Rege Auenionem ad Innocentium P. M. legatum: vt Castellæ Regi læse fidei actionem intenderet. Ita constitutum memorat: vt Bernardus Galcerandus Pinosius, qui id temporis Auenione refederat, quod solum exiliū causa vertisset, ex Catalanis proceribus insigni virtute, & generis nobilitate præstans, coram summo Pontifice singulis diebus in frequenti confessu Castellæ Regem proditæ fidei arcesseret: & ad certamen prouocaret. Vt Rex, & Pinosius in eo discrimine, & dimicatione consociati Castellæ Regi, & alteri eius compari opponerentur: & ne Pinosius a Castellæ Rege reijci, aut repudiari posset, Regem decreuisse eum dignitate Balearici regni decorare: quod vere ne acciderit, an inaniter fuerit confictū, penes auctorem fides sit. Satis certe constat, eam prouocationem, qualicumque ea fuerit, ludibrio, ac despectui inimico Regi fuisse.

Cum bellum atrox, atque intestinum Regis ceruicibus immineret: hostis non terra modo se superiorē, sed nauali classe præstare posse iactans, Bæti flumine XII actuaras naues optimo delectu instructas deducit: & vlt alias Ganuensium adiungit. Contestanorum oram præteruectus, Guarda marem terra, marique circumfidet: & A. D. XVI. K. Septemb. vi expugnat. Cum arcem, cui Bernardus Cruillias præerat, magna contentione, machinarumque impulsu oppugnaret, subito maxima tempestate coorta, classis in litora depellitur, dissipaturque. Naues adeo tempestas afflixit, vt XVI. nauis, vectoribusque vacuæ eliderentur: & naufragio interirent. Duæ reliquæ naues in Carthaginis portum refugiunt. Desperata arcis oppugnatione soluta obsidio est. Cum oppidum, disiectasque naues incendisset, & ab obsidione recessisset, magno accepto detrimento, atque ignominia Murtiam sese recipit.

A. D. IX. K. Sept. Epilæ, siue vt alij malunt, Tamaritio Litterensis regionis oppido nascitur Iohannes Henrici Trastamaræ Comitis F. patris in Castellæ regno futurus heres: cuius liberis, is fuit temporum motus, & tanta rerum conuersio, & Castellæ, & Aragoniæ regna subijcientur: cum hoc ipso tempore Henricus pater regis Aragonij stipendia mereret.

Vix dato spatio ad comparandum de integro bellum, Lupus Lunæ Comes, Henricus, & Tellus fratres Farizæ, & Darocæ finibus gerunt. Mensam, & Viliem oppida vi expugnant. Hostis ex Contestanis ad Celtiberos conuersus Almazano, ad Aragoniæ confinia substitit. Biiuescam, & Torrigios vi expugnat.

A. D. II. Non. Sept. Barcinone Isabellam Balearici Regis F. Rex autūculus in matrimonium Iohanni Monferratensi Marchioni tradit. L. M. florenorum dotem dicit. Ea Balearico iuri, & Ruscinonensis, & Cæretanæ ditionum,

ditionum & Mompellerio dominatu Regi ced' t. Iohannes Coconati Comes, & Bonifacius Coconatus, ac Iohannes Ceresetus Transalpini proceres nouam nuptam domum deducunt: & Franciscus Periliosius ad virum proficiscentem apparatu regio comitatur.

NAT. CHR.  
MCCCLIX.

Almunia Rex festum Natiuitatis Domini diem  
concelebrat.

MCCCLIX,

A. D. XVII. K. Apr. Rex Alauesio campo hostium fines aggressus, Pharam castellum obsidet, atque vi expugnat. Scoparium vicinum oppidum adortus: castra prope Medinam Zelimensem metatur: oppidumque circumfidet: & natura, situque, ac praesidio munitissimum. Comteatu exercitum deficiente, ab oblidione desistit: igni, ferroque regionem vastat: vt hosti solitudinem faciat: & in maritimas Cataloniae oras subsidio accurrit: quod hostis magna comparata classe, in Laletanos circumvehi ferretur: vt maritimam eamoram tutari, & inimicum Regem a litoribus arceere posset.

Rex A. D. V. K. Apr. Caesaraugustam introit: & rebus bellicis administrandis summæ auctoritatis, & singularis industria viros Archiepiscopum Caesaraugustanum, Iohannem Ferdinandum Herediam Ampostæ praefectum, Lunensem, & Trastamarenses comites, Petrum Exericam, & Petrum Lunam praeficit. Quod viri ingenuitatis immunitate fungentes, quos Ermunios appellare consueuerant, lege, atque instituto more maiorum, Regi expeditionem bellicam capessenti adesse, non obstringerentur, nisi proelium signis cū hoste collatis commissuro, aut arcem, castrilūve obsessuro: & signa militaria prosequi non consuessent, nisi trium dierum cibario pane conuecto: Rex Caesaraugustanis ciuibus, qui se eo bello in Castellam inuadenti profecuti fuerant, quod ea immunitate, & militia vacatione perfungerentur, agnoscit, ac praese fert, rem minime praedictam esse: & priuilegijs irrogatis staturum: consensurumque.

Guido Bononiensis Portuenis Episcopus S. R. E. Cardinalis regio genere ortus, cui & summa auctoritas, & amplitudo erat, a summo Pontifice in Hispaniam legatus, vt inter Reges conueniat, si ad pacationem contentio deduci posset, magnopere adnititur: quod tam atroci bello omnia in Hispaniarum regnis ruerent, atque turbarentur. Sed hoste impetu animi, vincendique cupiditate raptim, turbateque ruente, cum contra immanem eius potentiam æquis condicionibus se muniri Rex sperat, iræ perucax, & scelerum ferox spem omnem pacis perpetuo eripit: Ferdinandum Regis fratrem, & Henricum, Henricique fratres, & omnes, qui in Aragoniam refugerant, maiestatis crimine, insigni quadam nota, & ignominia condemnans: & quod immanitatem omnem superat, effera vi animi Leonoram Reginam amitam, ac Iohannam Larensem stirpis regiae feminam Tellij fratris vxorem crudeli morte afficit. Isabellam praeterea Iohannæ sororem, quæ Iohanni Regi fratri nupserrat, eius iussu veneno necatam ferunt.

Ne vimquam quieti, aut liberi a bello essent, ipsi etiam Reges propinqui, foederatique passim fidem, iusiurandumq; neglegunt: cum nulla apud eos summæ amicitia, nulla coniunctionis esset reuerentia. Petrus Portugalliae Rex nouis pacationibus Castellæ Regi sororis filio addictus, & cui in maritima expeditione classe opitulatur, hoc ipso tempore, interuentu

d ij generi

NAT. CHR.  
MCCCLIX.

generi sui Ferdinandi, aduersus eum cum Aragonio amicitia foedera inire contendit.

Ferdinando Murtiense regnū inuadere conante, & copijs omnibus Valentini regni comparatis, 1 x. hostium actuariæ naues, & lembus subsidio accurrētes Carthaginis portum tenent: & Alicantū prouehuntur. Hostis Algezirisegressus, x x i x. actuarijs, & i v. lembis, & x. item longis nauibus Mahomatis Granatenfis Regis, & L x x x. onerarijs, Carthaginiensem portum subit. Guardamarem terra, marique obsidet, vique potitur: & arcem expugnat: cursumque ad Hiberi vsque ostium perficit. Garcias Gaudfredus Loaisa Iohannis Garcia Loaisa F. qui Petrerij oppidi dominabatur, hostiles partes deserens se, atque arcem Regi cum Aluaro Nunnio fratre addicit. Legatus Apostolicus, qui Dertofam magna festinatione, secundo flumine iter præripuerat, vt Castellæ Regem ad indutiarum pactionē pelliceret, in ipso ostij Hiberi aditu ventis, remisque in Catalonia oras properantem a contentu cursu cohibere nequit. Ad ipsas fluminis fauces Lanzarotus Pezania Genuensis Portugallia classis præfectus x. actuarijs nauibus, quas Portugallus Castellæ Regi in subsidium miserat, Castellane classi adiungitur.

Rex, quod in Sardeam, Siciliensemque expeditionem magnam classis partem conuerterat, incredibili celeritate classē adornat: instruitque: cui Bernardinum Capreram Aufonensem Comitem, & Huguetum Cardonensem Vicecomitem ductores præficit. Vetus ratio naualis disciplina magna feueritate a Bernardo Caprera, Iacobo Boscano, & Iohanne Lombarda est instituta. Sed hostis anteuertens x x x. actuarijs, & aliquot lembis, & x l. onerarijs nauibus A. D. V. Id. Iun. in Barcinonensem stationem subito, improvisoque prælio irrumpit. x. actuias, quæ moli adherent, & onerarias adortus summa vi oppugnat. Neq; nostri, aut Rex ipse animi præsentia in repentino vrbis terrore, minore animo, aut fiducia de certat: & copijs per litus prætensis, & nauibus, quas sagittarijs, tormentisq; compleuerant, cum acre prælium confereretur, magna que animorum obstinatione vtrunque certaretur, multi mortales, nequicquam opem ferentes ferro, ignique absumentur: & magno afficiuntur hostes detrimento. Vt aqua eos prohibeant, ad Rubricati amnis vada certamen conferitur. Nostri compulsis, cæsisque hostes in Laleraniam, Cofetanamque oram in cursantes in Ebusum insulam transmittunt: vrbemque obsident. Aufonensis, Gilbertus, & Berengarius Cruillia, Bernardus Margaritus, & Petrus Albertus nauibus, quibus præerant, in Illiberitanum portum ex alto inuehuntur. Mouit ea res præsentem Regem haud secus, quam si Barcino ipsa capta nuntiaretur: & A. D. IX. K. Iul. Barcinonensi statione, classe l. actuariarum vela faciens, A. D. V. Non. Iul. in Maiorem Balearium appellit: vt Ebusitanis difficilissimo tempore subueniat. Hostis, cum Aragonia classis præsto adesset: omniaq; raptim turbarentur: tormentis, munitionibusque derelictis obsessionem omittit: & perceleri cursu Carthaginis portum inuehitur: neque eo portu omnis classis cursum conficit. Caprera Comitis Aufonensis pater, tanta auctoritate dux x v. longis nauibus partem hostilis classis Almeriam vsque insequitur: & Castellæ Rex omni postea classe collecta Alicantum prouehitur.

Cum bellum summa vi gereretur, & in Valentini regni ciuitates eius  
vis omnis,

vis omnis, tempestasque terra, marique conuersa esset, Celtiberum proelium cœptis interuenit. Quod Aragonij cum Castellanis ducibus, & eorum militaribus copijs disiderent, & Rex eam sibi rem maxime cauendam, & prouidendam videret, Iordanem Peresium Vriesium regni gubernatorem consilio Henrici Traстамarenfis admouet. Præterea quod Henricus Imperatorio munere in Aragonia defungeretur, Cæsaraugustanum Antistitem, Iohannem Ferdinandium Herediam, Lunensem Comitem, Petrum Exericam, & Petrum Lunam consiliarios, ad eas deliberationes, quæ de re publica, & bellica habiturus erat, applicat. Henricus, & Telli fratres, Petrus Luna, Iohannes Martinius Luna, Iohannes Ferdinandus Heredia Hierosolymitani ordinis in Aragonia præfectus DCC. equitum turmis, & peditatu Agredæ fines incurrun: & cum Castellanis eorū confiniorum ductoribus, qui MCC. equites sub signis cœgerant, acri proelio ad Cauni montis radices, in æquata agri planitie, Arauianæ campum appellant, configunt. Hostes funduntur: cædunturque. Pugnata est ea pugna A. D. X. K. Oct. qua Iohannes Ferdinandus Finestrola, eorum confiniorum primarius ductor, vir egregij animi, atque consilij, Ferdinandus Garcias Ducius, Petrus Ruizius Ofores, & Gomezus Suggestus Figueroa ordinis S. Jacobi in Legionensi regione præfectus occumbunt. Interclusi, captique sunt Innicus Lupius Horoscus, Ferdinandus Ruicius Villalupius, Iohannes Gomezus Bahabon, Furtatus Diacius Mendoza, & Didacus Sanctius Porras: illustri gentis viri: & inclitæ famæ, virtuteq; præstantes: qui præclaram, insignemque nostrorum ducum victoriam efficiunt. Gonzaluus Sanctius Vlloa Ferdinandi Castrensis signifer signum prætendens fortissime dimicans interficitur.

Ilerdæ festus Natiuitatis Domini dies a Rege celebratur.

MCCCLX.

Non præsentis modo bello, sed etiam reliquo tempore, victoria ad Arauianam a nostris parta, ferociore hoste reddito, cum bellum in dies singulos vehementius ingrauesceret, Rex A. D. III. Non. Ian. Cæsaraugustam inijt: & conuentus peragit. Stipendia MCC. equitum contribuuntur: magna industria officinis armorum institutis bellum apparatus: & quo studiosius armarentur, ornarenturque insignis, præmia sunt a Rege proposita: atque constituta. Præterea quod Gonzaluus Gonzaluius Luzius Turiasonenfis præsidij a Castellæ Rege præfectus transitione, vti memorauimus pacta, urbem Regi traditurus erat, Rex Magalionem procedit: & A. D. IV. K. Mart. præsidio dedito Turiasonem urbem ingreditur. Luzius Iolantem Iohannis Simenij Vrræ, qui Epilensi proelio occubuit, & Eluiræ Cornelie F. vxorem ducit: & Biotæ, Baij, & Asinij oppidorum iura, ac ditiones dotis nomine attribuuntur. Vrbi, & arci Turiasonenfi Petrus Simenius Samperius spectatæ, & nobilitatæ virtutis dux præficitur. Illo ipso tempore Petrus Ferdinandus Velascus hostilium copiarum regni Murtiensis ductor a Rege Castellæ deficiens Aragonio se addicit.

Aluarus Vazquius Petralzada, & Gonzaluus Iohannius Begia Patri Portugallie Regis legati Regem ad pacis condiciones deducere nituntur: sed secreto foedere Reges aduersus Castellæ Regem adiungere student: quod a Ferdinando Regis fratre relatum fuerat. Impetrant, vt foedus datur: & ob eam causam Petrus Boilius a Rege in Portugallium legatur.

d iij Trasta-

NAT. CHR.  
MCCCLX.

Trastamarēsis, & Aufonensis Comites Turiasonensibus finibus M. D. equitum, & III. M. peditum exercitu coacto, in Castellam inuadentes Pharu castellum vi expugnant. Sanctius Trastamarensis frater Pharenfi præsidio præficitur. Ad Naiaræ vrbis muros, cum magis nostri inferrent, quam arcerent pugnam, & communis adhuc Mars belli esset, nec dum discrimē fors fecisset, proelium cum Rege inimico conferunt. Hostis cum acie multo esset superior, clade suorum victor euasit.

Quod Rex, Simonque Buccanigra Genuensium dux controuersiarum omnium iudicem Iohannem Monferratensem Marchionem, qui Isabelam Balearici Regis F. in matrimonium duxerat, constituisent, Astæ A. D. VI. K. Apr. pacis condiciones statuit. Rex Algerium, Genuenses Bonifacium Corlicæ primariam arcem concordia pignora, in quinque nium Monferratenfi tradant. Edicit præterea A. D. XI. K. Iul. vt Orijs, qui a Rege defecerant, si ei se addixerint, paruerintque, bona, possessionesque omnes Sardoæ ea condicione reddantur, qua anno trigesimo supra millesimum, & trecentessimum obtinuerant. Caralis, Algerium, & Saceris vrbes, Ecclesienseque oppidum excipiuntur.

Lupus Lunæ Comes fato perfungitur: vir, & auctoritate, & potentia præstans: qui longe princeps inter Aragonios proceres: primarias & insignes regni familias auita nobilitate fuerat complexus. Rex Egidij Aluari Albornozi Cardinalis S. Sabinæ Episcopi, sedis Apostolici in Italia legati permissu, & interuentu Briandæ Agaoutæ Comitissæ vxoris, Bertrandi Agaouti Comitissæ filia, qui Clementis V. Pont. M. fratris filius erat, Martinum filium natu minorem maiori natu Lupi Comitissæ filia Mariæ matrimonio adiungit. Maria omnium Lupi patris ditionum, & possessionum ditissimarum, latissimarumque heres existit.

Matthæus Mercerius i v. actuarijs nauibus Onensem Tingitaniæ portum ingressus Bohamonis Abdaliæ Muzæ Tremezenij Regis partes secutus, qui cum Algarbij Rege inimico, quod Tremezenium vi eripuerat, bellum gerebat, a Georgio Tartaro v. actuariarum Regis Castellæ ductore interclusus, cum proelium iniret, nostrorum naues expugnantur, & intercipiuntur. Mercerius in continentem delatus in hostium potestatem venit: & in eum, & complures alios Castellæ Rex supplicium constituit: Hispalique capite plectuntur. Pontius Altaripa a Rege aliquot actuarijs nauibus præficitur, vt a prima ora Granatensis regni, vsque ad Oceani fretum armata classe in stationes omnes incurrat. A. D. II. K. Aug. Rex Barcinonem introit: vt classem adornet: quæ in Sardiniam nauigatura erat.

A. D. II. Non. Nou. Olfus Prochyta Sardinie præses classe i v. actuariarum, & ii. onerariarum nauium Barcinonensi statione Constantiam Regis filiam, quæ Frederico Sicilia Regi nuptura erat, in Sardiniam educit. Caralim classe præteruecta, quod hiberna nauigatio Regine molesta esset, Carali hiemali tempore residet.

Ludouicus Andegauensis Comes Iohannis Francorum Regis F. qui Iohannam Regis F. ducturus erat, Mariæ Caroli Blesensis, qui Britannie ditionem appetierat, filie matrimonio adiungitur. Innocentius Pont. Maxim. & ipse Rex Iohannes Regi confirmant, patre inuito, atque Calete ad Itium portum arta custodia incluso, sponsalia ea depacta fuisse.

Anni

Anni fine duæ Cypriæ ætvariæ naues Barcinonem appellant: quibus a Petro Lusiniæ Cypri Rege, qui Hugoni patri regni heres successit, & Leonoram Petri Regis patru, Ripacuriæ Comitis filiam vxorem duxerat, inter alia regalia dona mittuntur pardus inaudita celeritate, vna cum venatoribus, aliarum ferarum venationi assuetus: vestesque Tartarorum Regum: arcusq; cum pharetris Tartaricis, & sagittis veneno tinctis: quibus proeliari consueuerant.

Blasus Ferdinandus Heredia Iustitiæ Aragonum, in demortui Iohannis Lupij Sefelij locum a Rege præficitur. Is Iohannis Ferdinandij Herediæ Ampostæ Præfecti, cuius magna apud Regem, & in primis grauis auctoritas fuit, frater germanus erat.

Barcinone Rex Natiuitatis Domini diem festum concelebrat.

MCCCLXX.

Castellæ Rex homo propalam ferus, trucidatis insignibus viris, cū virtutis ipsum ornamentū, & decus, hac ipsa tempestate excindere cōcupisset, Guterio Ferdinādio Toletio interfecto, cui infensum, ac præter animū ad flagitia præcipitem, se inimicū præstat, quod in dando consilio, summa & fide, & religione rationes omnes exquirēs vir pius in primis, & sanctus vteretur, haud aliter, ac si tyrānidem occupasset, fit odiosior. Proceres Castellani p̄ne omnes ad Ferdinandū Regis Aragonij fratrem, regni Castellæ legitimū heredem se vertūt: quod Rex iusta vxore Blanca viuentē, ex Maria Padillia concubina liberos tulisset: quibus regnum destinarat.

Cum animi Castellanorum procerum indies, ad Regis odium renouarentur, & Ferdinādo iam primas partes in expeditione bellica, tamquam herede legitimo assumentē, Barcinone Ianuarij mensis exitu Leonoræ Reginæ interuentu, & Iohannis Ferdinandij Herediæ, & Bernardi Capreræ, & Francisci Romani pro Cancellario, penes quos summa consiliorū vertitur, ad eam pactiōem Rex, & Ferdinandus frater veniunt. Rex I. I. M. D. equitum auxiliaribus copijs, in quattuor menses fratrem prosequi, quæ Ferdinandi stipendia mereant, spondet: & D. equitum, & totidem sagittariorum Aragonia stipendia pollicetur. Ferdinandus paciscitur, si regno tyrannum exigat, Murciense regnum, atq; vrbes omnes, & insignia oppida in confinijjs regnorum sita Regi contributurum: aut omnem ditionem addicturum, quæ armis vindicaretur. Secreto ea pactio cōuenit interuentu Acartij Murij, & Arnaldi Franciæ, qui ad intima Ferdinandi consilia peruenerant: quod Henricus Trastamarenfis Comes cum Ferdinando graues inimicitias gerens, magnas Aragoniæ procerum factiōes, & clientelas, & præcipue Lunensem, quæ Ferdinando palam aduersabatur, sibi deuinxerat: quæ res haud multo post Ferdinando exitio fuit.

A. D. XIV. K. Mart. Rex Barcinone Ilerdam incitato cursu proficiscitur. Cum eo in loco mensem integrum rem bellicam administrās, commoraretur, Armeniacensis Comes, & Iohannes eius F. hostilium partium fautores Ruscinonenses fines incurere adoriuntur. Rex Raimundū Berengarium patruum Comitem Emporitani sumæ Ruscinonensium rerum præficit: Francisco Ceruia primario ex Catalanis proceribus viro gubernationis munus obeunte: qui militares copias cogit: vt in eo tumultu obuiam hostili incurfioni eat.

A. D. III. Id. Apr. nuptiæ Frederici Siciliæ Regis, & Constantiæ Aragoniæ Catanæ regali apparatu celebrantur.

d iij Iohanna

NAT. CHR.  
MCCCLXI.

Iohanna Regina, & Ludouicus eius vir Artalli Alagonij Mistretensis Comitis virtute, & insigni animi præstantia terra, marique prope Catanam profligati, Messana egressi, desperatis Siciliensibus rebus, domum regrediuntur. Præter Messanam, & Liparim insulam, nihil ex tanto conatu illis fit reliqui. Claramontij desciscientes, vbi se desertos ab eis videre, quorum fiducia arma sumperant, Frederico Regi adiungi, addicijq; student.

Rex Terrerium, satis magno cõparato exercitu, vti affectæ vires, opesque regni ferebant, cum holte signa collaturus, contendit. Cum Cardinalis Bononiensis legatus summopere institisset, vt ab acerrima armorũ contentione discederetur, Non. Mai Calataiubium regreditur: quoad pacis, bellique liberum arbitrium esset.

Tractandis pacis condicionibus, fide indutiarum interposita, qui auctores paciscendæ amicitia fuerant, Bernardus Caprera, & Mendus Rudericius Biedma sequestribus, atque arbitris Petro S. Benigni Digunensis, & Iohanne Fiscampensi Abbatibus Apostolicis internuntijs congregiuntur. Pace interuentu legati facta, ab armis recedunt. In primis paciscuntur, vt Ferdinandus Regis frater, & omnes Castellani proceres, & eorum militares copia, quæ stipendia Aragonij Regis auspicijs merentur, spatio dierũ 11 x. Hiberum transeant: neue quisquã ex Castellanis proceribus ordines ducat. Arces, & Castella capta, vt restituantur, obsidesque dentur, pactis conuentis cauetur. Conuenerat adhæc, vt Ferdinãdus regnorum procuratore amoueretur. Pax ea a Rege Calataiubij A. D. II. Id. Mai sancitur: quã pridie eius diei hostis, cum apud Deciam maximo, & fortissimo comparato exercitu castra haberet, fidei religione stabiliuerat. Ex Aragonio regno se eas pacis, ac fœderum, conuentorumq; condiciones obseruaturi, præstaturique erant iurisiurandi sponsione Iohannes Dux Gerundensis, Tarraconensis, & Cæsaraugustanus Archiepiscopi, Valentinus, Dertofanus, & Turiasonensis Episcopi, Petrus Exerica, Dianiensis, & Aufonensis Comites, Gilabertus Scintillias, Petrus Luna, & Bernardus Olzinellias: ac Tarraconensis, Cæsaraugustanæ, Valentinæ, Maioris Balearium, Turiasonensis, Calataiubiensis, Darocensis, Turolensis, & Setabitanæ ciuitatum procuratores. At ex Castellæ regno ea se iurisiurandi fide obstringendi erant Carthaginensis, Burgenfis, Ouetensis, & Calagurritanus Episcopi, Ferdinandus Castrensis, Iohannes Pontius, Alfonsus Perefius Guzmanus, Henricus Henricus, Bertrandus Gueuara, Iohannes Alfonsus Benaidius, Mendus Rudericius Biedma, Egidius Buccanigra classis regis præfectus, Martinus Lupius, & Martinus Iohannius: ac ciuitates Burgenfis, Tolerana, Hispalensis, Cordubensis, Murtiensis, & Conchenfis: atq; oppidani Molinenses, Sorientes, Medinazelinenses, & Almazanenses. Ad hæc constituunt, vti Aragonius earum pactio num obsides tradat Aufonẽ sem Comitem, & Petrum Lunam: Castellanus vero Ferdinandũ Castrensem, & Martinum Egidium Alburquerqueum Iohannis Alfonsi Alburquerqueij F. qui Nauarræ Regis, aut Ludouici eius fratris custodia committendi erant, ea condicione constituta, vt obsides eius Principis, qui intra quattuor menses pactis conuentis non stetisset, aduersario Regi nexui traderentur: & in eos vitæ, ac necis potestate vteretur. Arces præterea tamquam obsides eorum fœderũ a Rege Aragonio tradendæ erant Farizẽsis, Verdegienfis, & Alhamẽsis: & a Castellano Rege Deciẽsis, Alcazarẽsis, & Cigue-



Ciguelensis. Nominatim ab eâ pace excipiuntur, qui a Castellæ Rege defecerant, & in Aragoniam emigraverant: & Ferdinandi: & Henrici partes profecuti fuerat Petrus, & Gomecius Cariliij, Petrus Lupius Padillia, Sugerius Peresius Quinionius, Didacus Peresius Sarmentus, Gonzaluis Gonzaluis Luzius, Garcias Lassus Carillius, Alvarus Peresius Guzmanus, & Petrus Rudericius Sandonal.

Bononiensis. Legatus latam a Castellæ Rege sententiam, qua Ferdinandum Regis fratrem, Henricum Trastamarêsem Comitem, Petrum, & Gomecium Carillos, proceresq; alios regni Castellæ maiestatis cõdemnerat, rescindit: in pristinamq; condicionẽ, & statum restituit: quod iudiciũ adeo Castellanũ afflixit, vt quasi repẽtina aliqua vis, atq; tempestas percussisset, pauculis intermissis diebus, horribilis armorum fremitus repentino sit exauditus: maximãq; ex eo bello vtrimque calamitates sint acceptæ.

Pace superiore anno, inter Eduardum Anglorũ, & Iohannem Francorũ Reges cõposita, cum exercitus dimitterentur, ad XXV. M. numero, vt hominũ fama erat, fusi per oppida, ac dispersi, Malandrinorũ nomen in vulgus retinuerant, passim tota Gállia vagantur: maximasque prædas faciunt: & oppida hostiliter irrumpunt. Cum bona eorũ pars in Ruscinonensem tractũ inuasisset, Rex Barcinone A. D. XI. K. Sept. Gerundam contendit: eas prædonum manus bello finibus euerurus. Gerunda signis promotis egresso, nec dum transenso Pyrenęi saltum, hostiles copias in Galliam repellit. Bernardinus Caprera Comes Aufonensis, Dalmatius Roccabertinius Vicecomes, Gilbertus Cruillias, & Bernardus Palous res repetitum in Castellam legantur. Conuenerat enim, vt arces Villelia, & Iumillienfis, quarũ altera Aragoniã, Valentini altera regni finibus continebantur, nostris traderentur. Obiã præterea legatio ea est, vt iurifurandi Antistitum, & procerũ stipulationibus scribendis adessent. Rege vero Castellæ cunctante, tergiuersante, & conquerente, quod Rex pactis conuentis non sterisset, quod ante præfinitum 1. x. dierũ spatium Ferdinãdus Hiberam annem non transisset, quãuis Casaraugustæ grauiter egrotare cõpisset, & Hiberum, & Cingam trañcit: & Fragam ditionis suæ oppidũ emigrat: eumq; Rex, vt regnorũ procuratiõẽ abitraheretur, cõmonuerat. Nec tamen his constitutis arces, quæ a Rege Castellæ veluti eorum conuentorum obsides tradendæ erant, deduntur: cum Rex suas Iohanni Remirio Arelliano tradi imperasset. In tam ancipiti, & incerto rerum exitu Bernardus Caprera Decembri mense, de tradenda in matrimonium Castellæ Regi, quod pacto conuenerat, Iohanna Regis filia in Castellam legatur.

Rex Barcinone festum Natiuitatis Domini diem concelebrat.

Cum opera daretur, vt firma, & perpetua amicitia Reges adiungerentur, ac de matrimonio Iohannæ Regi Castellæ collocandæ, & de Alfonsi, Regis Castellæ, & Mariæ Padillia filij, & Leonoræ Regis filia sponalibus condiciones ferrentur, vt beneficijs parta gratia, pax perpetuo obtineretur, contra religionem iurifurandi bellum subitum, atque improuisum non nascitur, aut sensim infertur, sed repente exardescit, atque erupit: Rege Castellæ præpotenti exercitu fines inuadente: & pacationes omnes bellicas, & hostiles interuertente, ac perturbante.

Petrus Exericæ regia cognatione, & insigni virtutis laude vir præstantissimus, cum bello sacro aduersus Granatêses Mauros expeditionẽ ador-

naret, vñ

NAT. CHR.  
MCCCLXXII.

haret, vt Castellæ regis honori inseruiret, ad Castrum Garcia Munionis, id oppido nomen est, vitâ perfungitur: & in sacello regio Ecclesiæ Cordubentis post Alfonsum Regem se humari iubet. Exericæ illustris gloria magnorum in patriam meritorum constanti fama peruagata est. Sanctium, & Iohannem Alfonsum, atque Henricum filios ex iniusto connubio reliquit. Ex eo Exericarum regia familia deficere cœpit.

Mai K. Iacobus Balearici Regis F. qui custodia durissima septus, in arce noua Barcinonensi continebatur, cum ferrea cauea noctu includeretur, adulterinis clauibus claustra refringens, excubijs necatis, & Nicolao Rouira arcis præfecto iugulato, e vinculis emittitur. Adeo opportune id effectum est facinus: vt non libertatem modo consequatur, sed ex vinculis, & ipso pæne tormentorû aspectu, ad opulentû, & magnum regnû capessendum excitatus videatur: cû illis ipsis diebus, A. D. VII. K. Iun. Ludouico Neapoli fato perfuncto, eius regni possessio vertetè anno Balearico offertur: Iohanna Regina in matrimonium ducta: si insigni leuitate feminæ, & impudenti audacia coërcita, viris parere didicisset.

Quod hostis suo maxime tempore, & nostris alieno adoritur bellum, & omnia opportuna loca præoccupata antè ab eo fuerant, quam nostri obuiam procedere possent, Castellæ, & Nauarræ Reges, Aragonio in vltimis Ruscinonis finibus externo bello implicito, & pacis foederibus deuincto, repentinum bellum inferunt. Nauarrus Solum oppidum confine castrorum obsidione oppugnat. Fariza, Atteca, Terrerium, Mori, Cetina, Bilbilitanorum Aquæ, cui oppido e re, a Mauris Alhamæ nomen est inditum: quod calidi in eo fontes scaturiant, vi a Castellæ Rege expugnantur. A. D. III. Id. Iun. Calataiubium nobile in primis oppidum caltris circumfidet.

In Perpiniensi arce A. D. VII. K. Iul. Mahometus Abenedrizius, & Iuceffus Abenabdalla Bohamonis Abdallæ Tremezenij Regis legati pacationem, & induciarum foedera cum Rege in quinquenniû icunt. Scribendo foederi adfuere Petrus Tarraconensis Archiepiscopus, Bernardus Caprera, Raimundus Alamanus Cèruilionius, Artallus Focius, & Franciscus Ceruia. Qui in Mercerianis nauibus, in Mauritanæ litus delatis intercepti fuerant, & in Algarbiorum ergastulis continentur, liberantur. Quod equorum summa esset inopia, qui pacis tempore, ex Contestanis Alcaracionum saltubus, & Turdetanis Bæticæ regionibus ad nostros importabantur, neque eorum commercium esset, aut educendi potestas fieret, mille equi in vsus bellicos ex Maurusijs aduehuntur.

Calataiubium fossa, ac vallo septum, castris circumfessum summa vi hostes oppugnant: & moenia ipsa adoriuntur: vineis, alijsque operibus percellunt. Nostri stratis ariete muris, summis obsidionis periculis deturbantur. Tantæ enim hostium copiæ conuenerant, vt XII. M. equitum, & XXX. M. peditum constiterint: cum hostis ad murum castra posuisset. Guilielmus Domirius Prætor vrbanus, ex primarijs ciuibus, ne patriæ superesset, se ipsum deuouens, & in armatas hostiû copias immittens, inter intenta tela fortiter dimicans occumbit. Sunt, qui ferant, cum ex prouocatione cum hoste supra pontem confligeret, vna in flumen demetfos.

A. D. IV. Id. Iul. Regi Filius nascitur Perpiniæ: cui Alphonso nomen est inditum.

Bernardinus

Bernardinus Caprera Aufonenſis Comes, Petrus Luna, & Artallus eius frater, Guterius Diacius Sandoual, & Raimundus, & Vitalis Blaniſ fratres cum Calataiubiensibus obſeſſis, quocumque capitis periculo ſubuenire, quod prætorè, duce, & imperatore ciues carerent, & furtim in urbem euadere nituntur, ad oppidum Miedefium a Rege Caſtellæ intercluſi, A. D. X VI. K. Sept. hoſti deduntur. Nam cum arcem, in quam conſugerant, oppugnare Rex eſſet adoruſus in deditiõnem cogit. Miedefij Guilielmo Eſtorio duce ſingulari virtute repugnante hoſtili furori obſiſtunt: quoad pactis indutijs, Eſtorio internuntio regio iuſſu oppidum dedunt: & Darocam fide publica emigrant.

A. D. I V. K. Sept. cum eſſent de pacta cum hoſte a Calataiubiensibus XL. dierum indutiæ, & rerum deſperatio omnium animos occupauiffet, neque ſubſidij ſpes reliqua eſſet, quod crebris prælijs, quibus mœnia tutabantur, & opera hoſtium impediiebãt, magna oppidanorum multitudo varijs caſibus abſumpta eſſet, & ſuprà humanas vires fidem Regi præſtitiffent, ac munere quodam neceſſitatis, & graui opere eſſent perfuncti, Rege conſcio, & aſſentiente, oppidum hoſti Regi ea condicione dedunt, vt iura municipalia, priſtinamque libertatem retineant. Omnis ea regio hoſti parat.

Rex cum Mahomate Granatenſi, & Mahomate Abdurrahamenis filio Fezenſi, & Algarbiensibus Regibus concordia fœdera fancit.

Conuentus Montionem in A. D. II X. Id. Nouemb. a Rege indicitur: quod ex acri, & vicino bello maius, & crudelius exoriretur: Anglicis, & Aquitanicis auxilijs ab hoſte arceſſitis: eo enim ſubſidio ſe aduerſus Francum Regem inimicum, Blanca vxore Francorum Regis fratris filia crudeli morte interempta, muniri ſperat.

A. D. V. K. Febr. Rex Iohannem primigenium F. dominationis omnium regnorum, & ditionum regiarum vicarium conſtituit: ac lege eum liberat: nam ætas eius muneris obeundi legitima nõ erat: quod XIII. annum ageret: & iuriſdictionem eam abſoluit.

Februario ineunte Rex Turolio, Monregali, & illius ditionis oppidis, atque confinijjs Petrum Vrgellitanum Comitẽ fratris F. militaribus copijs, atque præſidijjs præſicit: Darocensibus vero Petrum Municium Gothoium Calatrauenſis militiæ Magiſtrum: qui ſe totum Traſtamarenſi addixerat. Cubellum, Abantum, Fontes Silocenſes, Monterdum, Pardi, Sometum, & Nueuali, & eorum oppidorum arcẽs, & caſtella muniuntur. Darocenſium rerum gubernationi a Rege præficiuntur Petrus Gilbertus Brunus, Petrus Martinius Turrianus, Egidius Garlon, Sanctius Manies, Lupus Atienza, & Iohannes Simenijs Algarada. Cariniensibus, ſatis magno equitatu in præſidio collocato, Ludouicus Cornelijs præſuit. Hoſtis anni huius initio ex Bætica feſtinanter magno comparato exercitu Calataiubium contenderat: & cum militares copiæ ad Aragoniã aduentare dicerentur, eius exercitus pars Sometiam arcẽ obſidet: & quod polliciti eſſent, qui eius propugnationi impoſiti fuerant, ſe Regi Caſtellæ in deditiõnem redacturos, niſi intra aliquot dierum ſpatium ſubuentum foret, pactis indutijs, Municium Gothoium, & Petrus Gilabertus Brunus Darocenſis arcis præfectus incredibili celeritate, & præſtanti virtute opem, & ſalutem obſeſſis intulere: & obſidione liberantur. Fontani Silocenſes ſtrenue

NAT. CHR.  
MCCCLXIII.

strenuè operam nauantes oppidum, & castellorum receptacula ab expugnationibus tuentur. Summis viribus tanti belli discrimen aditurus, quo maiore animo capesseret bellum, vndique copias contrahit.

Cum Magalionis oppidi propugnationi præferti fuissent præstantes in primis Andreas Fenolletius Cannetenensis, & Insulensis Vicecomes, & Aimericus Scintillas, oppidum hosti deditur: & in eius potestatem duces tradantur. Borgianis itidem oppressis iam, & ab omnibus desperatis oppidum hosti deditur: & Berengarius Carrozius, & Petrus Simenius Samperijs, qui equitatus præsidio id oppidum firmauerant, in hostis quoque potestatem veniunt. Turiaso denuo in victoris manus recidit: tantoque violentiæ præpotentis impetu nostrorū vires opprimuntur, Rege tot incommodis conflictato, vt inexpugnabilia castella, arcesque omnes, aut dedantur, aut complanentur.

Iohannes Ferdinandus Heredia, & Franciscus Perilliosus Regis Legati Villanouæ Auenionenfi vico Urbano V. in demortui Innocentij locum suffecto, Aprilis mensis initio in pacis fœdera, cum Franciæ, & Nauarræ Regibus conueniunt. Francus contentionem eam, quæ cum Nauarro de Burgundiæ successione iure vertitur, ad Regis arbitrium reuocat. Horum legatorum opera, magna Gallicarum copiarum pars, quæ confectis stipendijs in Gallia tumultuabantur, ad Regis stipendia perlicitur.

Henricus Trastamarenfis ingentes copias ex Gallia, in expeditionem aduersus fratrem educens, A. D. VI. K. Apr. Montionem ingreditur. Eius aduentu, facta commutatione rerum, admirabili, & prope incredibili confidentia regnum appetens, Rege fratre præpotenti, & rebus feliciter gestis victore, & rerum potente, & Ferdinando iusto, ac legitimo regni herede, in ætatis flore proceres pæne omnes Castellæ in suas partes omni cautione, & fœdere deuinciente, Regis fidem in eam diem, & stipendia secutus, A. D. II. K. Apr. cum Rege transigit: suadetque, vt se regali solio deturbantem fratrem, regnumque occupantem, atque inuadentem iuuuet, tueatur, atque conseruet. Spondet sextam omnium vrbium, ditionum, atque oppidorum partem, quæ bello vindicentur, Regi addicturum, traditurumque: quæ Regis arbitrio Aragonio regno contribuantur. Ex quo ea pactio inita fuit, qua tantum dedecus est admissum, fratres fratribus perniciem, exitiumque moluntur.

Buretæ Aragoniæ oppido, cum procerum suorum conuentum in eum locum Castellæ Rex indixisset, aliquot ciuitatū defectione maxime permotus, Beatricem, Constantiam, & Isabellam ex Maria Padillia filias regni heredes pronuntiat: quod Alfonsus F. fato esset perfunctus. Darocæ confinijs atrox, cruentumque bellum infert: & in Valentinum regnum maiorem belli molem transfert. Vaguenæ castellum vi expugnat: in cuius arcis propugnatione Michaël Barnabas præfectus fortissimè dimicās, ne arcem dedat, crudelissima morte turpitudini anteposita, flammarum incendio viuis comburitur. Ob id facinus a Rege ordinum frequentia cōmuni consensu deposcente Michaëli Barnabæ filio puero, & eius posteris, non modo viris, sed & feminis, agnatis, atque gentilibus ingenuitatis ornamenta sunt constituta. Cum fines regni ad Carinienam vsque, & Epilam hostis non modo peruassisset, sed vindicasset, vrbes, oppidaque muniuntur capta: & arcibus præsidia imponuntur.

A. D. XVI.

A. D. X VI. K. Maj hostis Carinienam, Care oppidum vetustis saculis nuncupatum, obsidione premit: atq; vi expugnat. Crudeliter in victos exardescens, excruciatos necari imperat: suppliciaq; morte miseriora constituens pedes, manus, atque nares plerisque abscinduntur.

Cum Cariniena in intima regni regione obsideretur, adductaque esset publica res in summum discrimen, & inexpiabile bellum cum immani, ac præpotenti Rege sibi susceptum Rex videret, in vnus prælii exitu victoriam terminari destinauerat: quippe externa auxilia operiri, & trahere bellum, exitiosum omnibus videri: & in populos perquam graue. Sed a temerario consilio deterretur: quod Ferdinandus, & Henricus Castellanarum copiarum, quas suis stipendijs adiunxerat, ductores, grauioribus inimicitijs susceptis exagitati, adeo inter se dissident, vt Rex magnopere vereretur, ne armis decernerent. Maior earum copiarum Castellanarum pars, quæ Henrici ductu militant, ab eo deficiens, Ferdinando, quem iam vti Regem suscipiunt, atque obseruant, se adiungit.

Afflictis, ac pæne euerfis calamitate regijs viribus, in tanto impetu, cursuq; rerum, omnis ferme nobilitas, atque iuuentus ex Catalonia excitur. Præclara opera, atque omni laude digna commonet, vt insignium virorum nomina recenseantur: qui pæne occidenti regno opem tulerant: hi enim fuisse comperiuntur: Raimundus Berengarius Regis patruus Emporitani Comes, & Iohannes Emporitani eius F. Iohannes Comes Pratensis Regis consobrinus, Raimundus Rogerius Comes Palliariensis, Hugo Cardonensis, Rogèrius Bernardus Fuxensis Castelloni, Dalmatius Roccabertinius, Petrus Villamurenensis, & Bernardus Sous Ebolemis Vicecomites, Gasto Moncada, & Guilielmus Raimundus Moncada, Raimundus Ribellias, Berengarius Apilia, Berengarius Cruillias, Arnaldus Erilius, Petrus Galcerandus Pinolius, Guilielmus Raimundus Ceruilionius, Guilielmus Galcerandus Roccabertinius, qui Cabrencij dominabatur, Raimundus Arnaldus Bellera, Raimundus Anglesola Berengarij Anglesolæ F. Berengarius Castellinoui, Sicartus Lordatius, Huguetus Sanctapacius, Franciscus Ceruia, Iaspertus Castelletius, Pontius Caramanius, Gilabertus Cruillias, Petrus Melanius, Berengarius, & Petrus Cardonæ, Dalmatius Murius, & Acartus Talarnus: omnes ex procerum familijs orti. At ex reliqua nobilitate hi memorantur: Raimundus Alamanus Vriolius, Petrus Raimundus Coponius, Guilielmus Palafogius Berengarij Palafogij F. & filius Berengarij Castelaulinij, Guilielmus Barbara, Iacobus Cornelianus, Bernardus Gerardus Boxadofius, Bartholomæus Villafranca, Bernardus Senesterra, Gaufredus Castelaulinus, Petrus Casteluinius, Berengarius Besora, Guilielmus Crexelius, Guilielmus Mõtoliuius, Berengarius Vlmus, Franciscus Viues, Bartholomæus Falchius, Galcerandus Villarixius, Bernardus Sortius, Guilielmus Togores, Gerardus Vlugia, Iohannes Berengarius Ragiadelius, Raimundus Peguera, Iacobus Marchius, Bernardus Tagamanetius, Pontius Lupianus, Petrus Montornesius, & Guilielmus Zaci rera. Cum Rex, vt labantibus rebus subueniat, L. M. florenorum Fuxensi Comiti expendi imperasset, vt externis auxilijs stipendia persoluantur, Fuxensis Armeniacensi bellum inferens Hispanam expeditionem omittit: cum in eam rem se, suamque fidem interposuisset.

Quando pares nostrorum copiarum non essent, quæ signis collatis dimica-

NAT. CHR. rent, vnum hosti superest belli genus vrbium expugnandarum. Turo-  
MCCCLXIII. lium, Segorbium, & Moruiedrum nobilia, & valida in primis oppida in  
foedam, & ignominiosam deditioem coguntur: cum obsidione liberari  
non possent.

A. D. XII. K. Iun. Valentia ab hoste summa vi, tamquam ipsum re-  
rum caput, obsideri cœpta. Hostis primo ad Zaidiense cœnobium, inde ad  
arcem regiam prope vrbis muros castra metatur. Vrbis opulentissima, &  
pulcherrimæ propugnationi Alfonso Dianij, & Ripacurciæ Comes, Re-  
gis frater patruelis præficitur: qui potentissimo Regi, & maximo, & for-  
tissimo exercitui oppositus, hostium conatus omnes, & acerrimos impe-  
tus, insigni animi virtute, & robore propellit: & exsultantis hostis auda-  
ciam contundit.

Ad D. Matthæi fanum Ilergaonum oppidum Rex copias omnes re-  
censens aduersus hostem exercitum ducit: qui Valentina obsidione reli-  
cta, ne signis collatis dimicaret, suis diffusus, Moruiedrum, tamquam muni-  
tissimam arcem se recipit.

A. D. II. Id. Iun. iuxta Moruiedrum regia castra in conspectum hosti-  
bus data. Explicatis in Nulensi campo aciebus, Rex prope Losæ fontem  
intento, atque infesto exercitu, in spem victoriæ deductus hostem præ-  
lio lacepsit. Cum se murorum, munimentorumque propugnaculis conti-  
neret, nostri in Burrianensia plana regrediuntur.

Cum Rex in Burrianensibus campis castra metatus esset, & tentandas  
sibi hostis vires prælio, atque vterius procedendum constituisset, Fiscam-  
pens Abbas Apostolicus nuntius nimia perseuerantia instat: debere Re-  
gem suarum virium rationem inire: & iracundiæ acerbitate deponere: ac  
pertinaciæ finem facere: neque amplius tot iacturis, atque incommodis ac-  
ceptis fortunam periclitari. Demum Ludouici Nauarræ Regis fratris in-  
teruentu, qui in Regis Castellæ comitatu aderat, Regem ad spem concor-  
diæ deducit. Reges enim ipsi, quia traheretur diutius spe ipsorum bellum,  
a finienda tam difficili, ac terribili armorum conflictione, & concursu non  
abhorrent. Nec recusandam pacem Rex statuit: nec committendum, vt in  
discrimen tanti casus se, regnumque obijciat. Alfonso Dianiensis Comes,  
Bernardus Caprera, Raimundus Alamanus Ceruilionius, & Berengarius  
Paus ad Regem Castellæ Moruiedrum legati de compositione A. D. VI.  
Non. Iul. mittuntur. Cum tractandis condicionibus vtrunque conuenif-  
sent, in eam pactionem deuentum est. Vrbes, oppidaque Aragoniæ om-  
nia, atque arces, quæ ab hoste bello expugnata, aut dedita fuerant, dotis no-  
mine Iohannæ regis F. addicantur: quam Castellæ Rex vxorem ducet.  
Isabella Castellæ Regis F. Alfonso Regis F. nubit: & vrbes, arces, atque  
oppida Valentino in regno capta, deditave dotalia accipiet. Vt pacta con-  
uenta a Regibus confirmantur in ditiæ in A. D. XIII. K. Sept. sunt pa-  
ctæ: quibus condicionibus Rex magnam indignitatis iacturam, atque ho-  
noris se facturum animaduertit. Neque dubium fuit, ea foedera per sum-  
mum dedecus, atque ignominiam fuisse sancita: nam postea palam hostis  
testatus est, ea se illico diremisisse: quod sacramento Caprera obstructus es-  
set, Regem Aragonium operam daturum, vt Ferdinandus, & Henricus  
trucidarentur: & pactis non staretur.

A. D. XVII. K. Aug. Rex Iohannem F. cum XIII annuum ageret vni-  
uersa

uerſæ gubernationi regnorum præſcit: cū antea vicariæ poteſtatis partes tradidiſſet. Satis conſtat ſiue Ducis, ſiue Vicarij, ſiue gubernatoris munere fungeret, iuriſdictionem ab eo fuiſſe abſolutam.

Julio menſe Catanæ e vita excedit Conſtantia Regina: Maria vnica filia relicta.

Rege Caſtillionem Burrianenſis agri caſtris metatis reſreſſo, & Ferdinando fratre, ob pacta fœdera, copijs omnibus militaribus, quæ illius ſignis merebant, in Galliam proficiſci nitente, Henrici eius inimici fraude, atq; fallacijs facinus iam diu præmeditantis, Caſtillionem ad prandium inuito, cum ab immiti fratre cõuiui exceptus eſſet, & attineri eum imperaſſet, ne Caſtellanis copijs deſtitutus, hoſtis furori, poteſtatiq; obijceretur, neque ſibi vim magni animi princeps inferri ſineret, fratris Regis imperio obruncatur. Inſigni Henrici confidentia, quem inimicum inſeſtum Ferdinando palam omnes cognouerant, id flagitium patratum fuit: qui Rege conſcio, & adminiſtro Caſtellanum regnum viuente Ferdinando legitimo herede appetierat.

Dertoſæ A. D. XIII. K. Aug. Rex Berengarium Carroziũ & virtute, & generis nobilitate præſtantiſſimum comitatus Quirrenſis titulo, atque in ſignibus donat. Is ab ineunte adoleſcentia Sarde, & Sicilienſis, & mox Caſtellano bello mirabilia facinora ediderat. Petro Lupeſio Bolea ductore militares copiæ in Sardiniam tranſmittuntur: qui egregiam itidem operam in Sardeis, & Genuſibus expeditionibus Imperatoribus nauauerat.

Caſtellæ Rex hoſtis nimis ferus, & immanis condiciones, pactionesque omnes Moruedri initas, atque conuentas periurio perturbat, violatque: & princeps inferendi belli nefarium, & omni odio imbutum bellum reintegrat. Semper eo in ſtatu res erant, vt longe ſuperiores hoſtes haberentur.

Carolus Nauarræ Rex fecerat potius cur Regi ſuſpectus eſſet, quam ſatis ſtatuerat, vttram foueret partem: conſilioque magis, & perfidia, quam impetu his, aut illis ſe adiuncturus videbatur. Eum omni ratione Rex ad ſe perlicere ſtudet: apud quem honeſtate vtilitas ſemper erat antiquior: præſentia per dolum amicitia fide. A. D. IIX. K. Sept. Vncaſtelli oppidi arce, ad concordia colloquium peruenientes, interuentu Henrici Traſtamarenſis fœderum vinculis ſe mutuo aſtringunt: ſeorſimque deuincientes Caſtellæ regna ſecreto inter ſe partiuntur. Ad turpem præterea, & infamem, atque iniquam pactiõnem deuentum eſt: Rege pollicente, ſe vrbem Iaccam, & Iaccetanam conuallem, quam Canalem vocant, Sofium, Vncaſtillum, Exeam, & Thermas oppida, & CC. M. nummorum florenorum Nauarro condonaturum, ſi Caſtellæ Rex interemptus, aut captiuus ſibi traderetur. Caſtellæ quoque Rex ſimili odio incitatus, atque incenſus recipit, ſe bello parta Regi traditurum, ſi Traſtamarenſi nex afferretur: tanti hoſtiles inimicitias ſuſceptas æſtimant. Eo ipſo tempore Ludouicus Regis Nauarræ frater, cum Aragonenſes fines hoſtiliter incurreret, ſciens, ac prudens in Alfonſi Ripacurciẽſis Comit̃s poteſtatem deferretur captiuus.

Caſtellani Caſtelfaubiam arcem vi expugnant.

Henricum Traſtamarenſem, inſidias ſibi a Rege paratas, mortemque imminere exiſtimantem, ſimulantemve, quod Rex, vt belli damna re-

e ſi dimat,

NAT. CHR.  
MCCCLXIII.

dimat, hosti eius exitiū pollicitus esse traderetur, omni cautione, fœdere, atque execratione eum vt deuinciat, summo opere curat. A. D. II. Non. Oct. Castellione, ad Cingæ fluminis ripas cōgressi, Rex vt omni metu liberet, Henrico Alfonso F. obsidē tradit. Petrus Clastquerinus Archiepiscopus Tarraconensis Regem iurisiurandi religione obstringit, liberos Comitum Aufonensis. Bernardi Capreræ nepotes, cum quo Henricus mortales inimicitias susceperat, & regionum amicorum & intimorum consiliariorum filios Raimundi Alamani Ceruilionij, Francisci Periliosij, Petri Iordanis Vriesij regis domus præfecti, Iordanis Peresij Vriesij Aragonie gubernatoris, & Lupi Gurræ earum quoque pactioinum obsides traditurum. At contra Henricus Iohannem F. & Rudericum Municipium Gonzalui Mesiæ consobrinum, & natu maiores liberos Iohannis Gonzalui Bastani, Suggestij Peresij Quinionij, Gonzalui Gonzalui Luzij, Gomezij Carilij, Ruderici Gonzalui Transmerensis, & Gonzalui Mesiæ Pontani, & Iohannis Ferdinandij Grigialuæ fratrem, & Petri Ferdinandij Velasci, & Petri Gózalui Carilij filias Iohanni Ramirio Arelliano, aut Iohanni Martinio Lunæ se obsides traditurum pollicetur. Ea omnia secreto perniciose, & pestifere in vnus Bernardi Capreræ exitium a Rege, & Henrico sanciantur: & inde multo grauius de integro, & atrocius bellum exarsit.

Decembri mense Castellæ Rex, cum tot bellorum faustis successibus, maximis semper auctibus efferretur, Alicantum, Illicim, Creuilleniū, & eius arces vi expugnat. Mola, Callosa, Monfortium, Dianium, Gallinaria, Rebolletum, Gandia, Oliua, aliaque castella initis conditionibus deduntur. Saxonæ dolo potitur: & Valentiam denuo castris circumfidet. Bellum atrox, & exitiosum vtrunque ingenti rerum commotione suscipitur.

MCCCLXIV.

Rex Ilerdæ Natiuitatis Domini festum diem concelebrat.

Ludouicus Regis Nauarræ frater, & Iohannes Honacurtius Montione Regem conueniunt: & legationem de pactioinum fœderibus cum Nauarro ictis, sancientis, atque confirmandis obeunt. Sarinienæ tranfigunt, vti Reges denuo ad colloquium congregiantur: & sacro Epiphaniæ Domini die Bernardus Caprera summæ pactioinum omnium constituendæ, & loci congressus, & colloquij assignandi causa ad Nauarrum legatur.

Cum regij auxilij aduentu, & Rege ipso imperatore Valentina res egerent, neque in præsentiam rem, non inclinatum modo, sed pæne desperatam obfessi sustinerent, quamdiu Rex ad exitiosa colloquia cum Nauarro congregitur, Iohannem F. quem summæ rerum x i v. annos natū præfecerat, præmittit: comitesque illi adiungit Petrum patrum, qui instituta sacra D. Francisci professus, se religioni addixerat: & Petrum Vrgellititanum Comitem fratris F. & Cardonensem Vicecomitem: quibus summa imperij, bellique administrandi permissa est: consilij vero principes, bellicæ laudis præstantes viros Catalanos delegat: Berengarium Apiliam, Bernardum Soum, Guilielmum Guimeranum, & Thomam Marzanum: quorum consilij adeo Rex innititur, vt nihil geri imperet, nisi quod tribus, aut duobus ex i v. viris placeret: modo Marzanus vnus eorum assentiat. Adeo Marzani consilia in ea rerum confusione, tamquam clarissimū lumen, omnibus anteferuntur.

A. D. VII. K. Mart. Aragoniæ, & Nauarræ Reges dum inter se capti  
tes frau-



tes fraude, & auaritia certant, occulta colloquia expetunt, & legationes in fames cōmeant, Sanguessæ congregiuntur: & post biduum Sotium ineūt: quo in loco K. Mart. pacta inter eos conuenta denuo firmantur. Rex Martinum F. eorum conuentorum obsidem se traditurum pollicetur: & vt artior ea colligatio esset, non propinqui modo, cognatique regij, sed maior procerum pars sacramenti religione, ad ea fœdera conseruanda deuincitur.

Mortuo ad Londinum urbem Iohanne Frãcorum Rege, & Carolo eius filio Normanniæ Duce, & Viennensi Delphino ad regni gubernacula adscito Rex Franciscum Periliosum, & Franciscum Romanum pro Cancellario ad Carolum legatos mittit: veterum pactioñum, & fœderum sancientorum, & confirmandorum causa. Hi Iohanni Ferdinando Herediæ Hierosolymitani ordinis in Aragonia præfecto adiuncti Tolosæ A. D. VII. Idus Martias, cum Ludouico Andegauensi Duce, Regis fratre, & Marscallo Audenensi, Petro Dauoirio Cancellario regio, Petro Statisse, & Iohanne Hospitali quæstoribus regijs, & vetusta fœdera confirmant: & noua aduersus Nauarræ Regem icunt: Ludouico recipiente, atque obtestante, se Nauarræ regnum inuasurum, & Regi attributurum: eoque ipso temporis momento & Francus, & Nauarrus concordia fœdere deuinciuntur: & Rex se ad Nauarri amicitiam applicat: omnium fœderum, & pactioñũ fide contempta.

Dominicus Cerdanus Præfectus Iustitiæ Aragonum.

Regina Aragoniæ, Nauarræ Rex, & Henricus Trastamarenfis Alfonso Ripacurciensis Comitis, Berengarij Apiliæ, & Iohannis Ramirij Arelliani interuentu scelesti, & nefarij facinoris consilia in Capreræ falsis criminacionibus insinulati exitium ineunt: quod Almudeuari a Regibus sacro passionis Domini die, conspirante eorum consensu conflatur: Caprera in prodicionis crimen vocato. Cum veritati, & innocentia nusquam perfugium esset, & vndique circumuentus, & exitij certus acerbam tēporis procellam coitione inimicorũ, & inuidia falsi criminis oppressus insidias subterfugere niteretur: Rex sæuus, immitis ira, atque impotentia præceps elabi conantem intercipi iubet: Nauarro Rege administro, cuius imperio, in Noualesium castellum includitur: cum ad Nauarrum vicinum Regem, quasi fidissimũ subsidium, perfugisset: & paulo post Cæsaraugustam retrahitur: vir omni decore, & laude ornatus, & nullius ante flagitij cōpertus.

Aprili mense exacto, ingentes Gallorum copia militares, quæ tumultuosa emeritorum stipendiorum licentia, & temerario impetu, tota se Gallia effuderant, in Confluentis Cæretanæ regionis confinia, ad ipsa Pyrenæi iuga procedunt: quarum incursionē Castellæ, Aragoniæ, & Nauarræ Regibus magna bellici tumultus trepidatio incutitur: sollicite respectatibus populis, quanta a veterano, & extero milite impendeat tempestas: siue hostis is sit, siue hospes.

In tanta temporis atrocitate tot, tantisque difficultatibus afflicta, ac pæne enecta republica, & præpotenti hoste totius ferme prouinciæ cis Hiberum, & Valentini regni potiente, neque Rege modo, sed ciuitatibus rebus omnibus exhaustis, & hominibus exinanitis, quãquam Urbanus, ex quo in pontificatũ euectus fuerat, summa in Regem benignitate vsus fuisset, & beneficia omnia ecclesiastica Cardinalium, & aliorum morte vacantium

NAT. CHR.  
MCCCLXIY.

indigenis elargitus esset, decumasque eorum in aliquot annos Regi contulisset, manus in vectigalia, ac fructus omnes sacros Cardinalium, & absentium Pontifice Maximo infcio, & obsistente, edictis publicis propositis iniecit. Cum de ea re, ad senatum summus Pontifex retulisset censent, Regem imprecationum, & interdictorum pœna coercendum: & Sardinia regno, Arborensi Iudice Rege constituto, multandum. Earum pœnarum, quæ proponuntur, terrore commotus Rex Petrum patrum, & rerum gestarum decore, & religione, & prouecta ætate venerandum, & Gasparem Treguram iuris & publici, & pontificij scientissimum oratores deprecandi causa, datis mandatis, per quæ Pontificem lenirent, ad summum Pontificem delegat. Cum excusatione peruulgata vterentur, Regem inuitum, ad ea subsidiorum remedia, grauissimorum virorum, & doctrina præstantium consilio descendisse, qui extremæ necessitati, qua res præmebantur, & funditus pessum ibant, parendum, & consulendum decreuissent, eoque rerum conflictu, cum aræ, & foci, & penates ipsi hostili furori subijcerentur, licere nõ vectigalia modo ecclesiastica, sed aurum, & argentum omne sacrum, ex sanctioribus ararijs, & dona præterea fanis, atq; delubrorum sacrarijs propter religionem dicata, auferre: dum in necessarios propugnationum vsus conuertantur: quibus & sacri, & profani ordines, reipublicæ tuendæ causa æque astringuntur: modo Ecclesijs cautum sit, vt in certum tempus ablata reponantur: Pontifex de consilij sententia amplius pronuntiat: & iudicium in posterum differt. Verum quod sedes Apostolica exsecuta ad extremum non est, id Arborensis Iudex suapte perfidia adnititur: vt Regem Sardinia regno vi, atque impressione euerat. Tum in ore vulgi, & in communi prouerbio dictum antea versatum, sæpissime a nostris hominibus vsurpatur: Regi, quantumuis præstanti, atque præpotenti fatis, superque haberi: si vnicum tantum bellum gerat.

A. D. V. K. Mai Rex cum tanta se belli mole vrgueri videt, & Henricum Traстамarensem, & Henrici copias, infami capitis Capræ pactio-  
ne, & obsidibus traditis, suis adiunxisset, Burrianensibus campis castra promouens III. M. equitum, & iusto exercitu coactis, hosti obviam procedit: signa postero die conferturus. Hostis, cum totius oræ maritimæ potiretur, & miseras ciuitates euerteret, Ilergaonum regionem, qui ad Hiberum amnem se effundunt, & Dertosam urbem eius regionis arcem irrumperere conatus, inter Valentinum Gradum, & urbem Valentiam confederat: vt maritimis com meatibus interclusis, desperatisque auxilijs, Valentini in deditionem redigerentur. Petrus Boilius vrbis præfectus, cum ciuitas in opere, ac labore assiduo reficiendorum propugnaculorum teneretur, cunctis in partes muneris sui benigne operam pollicentibus, & senioribus, qui per ætatem, ac valetudinem sufficere poterant, per se munus vigiliarum obeuntibus, cum vrbi præesset, armata iuuentute, dispositisque præsidijs, singulari virtute, tuta omnia, atque tranquilla, in tanta bellici tumultus commotione facit: & insultantem hostium ferociam coercet: cum annona Valentinis, in Aprilis tantum finem suppeteret.

Hostis repentino Regis aduentu, Valentiam obsidionē deferens Moruedriensi arce includitur. Postero die Rex insigni laude parta, & magno triumpho

triumpho exultans Valentiam urbem iniit: cum pro explorato haberet, hostem proelio non esse concertaturum.

Rex denuo castra deducit: vt proelio cum hoste signis collatis dimicet. Cum ad D. Mariæ Podium castra fecisset, & Puteolano in agro biduo hostem, vt proelium ineat, armis laceffit, Saguntina se hostis arce continet. Noster, postquam satis, diuque aduersarium a se ad dimicandum prouocatum superfedere pugnae animaduertit, copias reducit.

Interea hostilis classis, quæ xxxv. actuarijs, & lvi. onerarijs, & alijs minoribus nauibus constiterat, ad Moruedriensem Gradum adiuncta nostrorum commeatus intercludit. Cardonensis Vicecomes xii. actuariarum ductor Sucronem amnem classe subit: vt hostium incurfus deuitet.

Castellæ Rex Moruedriensi Gradu nauim conscendens classe A. D. XIII. K. Iun. Sucronis ostium occupat: & iii. depresso nauibus, fluminis fauces obstruit: actuariasque scaphis annectens, & anchoris distinens aditus, atque incurfus nostrorum propugnationi accurrentium impedies Cardonenses naues oppugnat. Cum riparum fluminis aggere magnis sagittariorum cohortibus dispositis hostium impetus reprimeretur, neque nostrorum nauibus detrimentum aliquod afferri posset, breui sæua tempestate coorta, cum in extremum discrimen hostilis classis deuenisset, hostis vniuersa classe in Moruedriensem Gradum reuehitur: & morbo conflictatus Turolium recedit. ¶ Tam duris, & impeditis regni temporibus, Maria Petri Portugalliæ Regis F. Ferdinandi Regis fratris vxor, quod Rege inuito, & repugnante ad patrem proficisci decreuerat, Oscæ continetur: & custodia Elfæ Gurreæ, & Theudæ ex Rigulis vxoris Petri Iordanis Vriesij maioris quæstoris matronarum optimatum committitur. Rex vt eius parentem ab amicitia Castellæ Regis reuocet, Cardonensem Vicecomitem, & Olfum Prochytam classe ad Lusitanum, de nuptijs Iohannæ filia, & Ferdinandi Mariæ fratris collocandis delegat.

A. D. VII. K. Aug. Cæsaraugustæ, cum accusatio aceruo criminum in Capreram congesta esset, prodicionis insinulatū, & nullius flagitij conuictum, sed consilij suspectū, ex quo filium dolo hosti obsidem tradidisse arguebatur, Iohannes Regis F. in solio, ornato regali sedens maiestatis, & nefariorum scelerum crimine, lata sententia, capitis condēnat. Summum supplicium, cum tormētorum cruciatu constituitur: Iohanne ipso iudicij præside, & in nutricium animaduertente: Præfectoque Iustitiæ Aragonum Dominico Cerdano libertatis custode, ac vindice assessore. Cæsaraugustæ, in ipso foro illuue, & pedore obitus, squalensque, vir exacta ætate, virtute, & consilio præstantissimus, atque nobilissimus, summa rerum gestarum gloria parta, capite obruncatur. Caput eius Barcinonem ad Regem, Regis ipsius iussu defertur: qui eo patrato facinore, verum prouerbiū effecit: Aragonio foro cautum, vsurpatumq; esse, vt pro magnis meritis, acceptisque beneficijs, non præmia, sed supplicia rependantur. Commentarijs regijs, quibus earum rerum memoriam Rex breuiter complexus est, res memorabilis traditur: cum imminens mors supplicij causa constituta a Berengario Apilia, & Iacobo Monelio pro Cancellario Capreræ denuntiaretur, & se maiestatis, & rei capitalis delato, indicta causa, non iudicium modo de factis, famaue sua fieri, sed capitis condemnari diceret, & postulare, vt sine inuidia, neque præiudicata cau-

NAT. CHR.  
MCCCLXIV.

fa, culpa plecteretur, Apiliam respondisse: vera ea, atque testata esse. Sed illius facti in mentem veniret: quod eum morem primo ab eo suatore, & impulsore introductum viderant: quando Iohannes Simenius Vrea, qui Epilenfi proelio captus fuerat, ex Aragonijs proceribus vir primarius, & Raimundus Marquetius Barcinonenlis ciuis, qui demersus regio iussu in mare fuit, quod Raimundum S. Vincentij interemisset, indicta causa, capitibus pœnas pependissent. Cæde Capreræ patrata, Regi tali facinore incredibile odium execratione procerum omnium contrahitur. Hic exitus viri militiæ, domique præclarissimi fuit. Magna sine Rege strenue, ac feliciter gesserat: Rex sine illo nihil magnæ rei opere, aut consilio aggredi ausus. Ita vir optimus, regi que antea maxime acceptus, & carus, cuius neque consilium vniquam, neque virtus frustra fuerat, a quibus minime debuit, circumuentus, indigna principibus viris fraude interiit. Neque Ferdinadi fratris cædes maiorem Regi excitauit inuidiam. Ditiones omnes, ac bona Capreræ, quod Regis furor omnibus eius fortunis immineret, publicantur: & in regium fiscum conuertuntur.

A. D. III. Non. Aug. Iohannes Emporiarum Comes Raimundi Berengarij F. Regis frater patruelis Blancam Frederici Regis Siciliae sororem in matrimonium ducit.

Castellæ Rex Castelfauibianam arcem irato, & percito animo obsidet: quod iterum a se ciues defecissent: vt in ijs regionibus vsu venit, in quibus acerbum, diuturnumque bellum versatur. Quod Rex tum Cæsaraugustæ conuentui præfideret, & de republica retulisset, contenderetq; vt Iohannes F. regni gubernationi præficeretur, causam obtinere nō potuit: quod filius quartū decimū annū non haberet. Vt consentaneæ leges eo in conuentu imponerentur, promulgarenturq; & aliæ dissoluerentur, & abrogarentur xv. viris munus delegat. Quaterni ex singulis ordinibus deliguntur Lupus Ferdinadius Luna Cæsaraugustanus Antistes, Simon Ep̄s Oscensis, Abbas S. Iohannis Pinnatenfis, Guilielmus Apilia pro Præfecto Ampostæ, Alfonsus Ripacurciensis, & Petrus Vrgellitanus Comites, Ludouicus Cornelius, Philippus Luna, Petrus Iordanis Vriesius, Raimundus Tarba, Garcias Perezus Casuanus, Simon Perezus Salanoua: & duo Cæsaraugustani ciues Garcias Perezus Nagia, & Fortunius Liso: Martinus Anzanus Oscensis, & Guilielmus Crexencianus Barbastrensis ciues. Rex cum Castelfauibianis obsessis opem ferre destinasset, ne conuentus rescindatur, Dominico Cerdano Iustitiæ præfecto, regiam omnem decernendi, & stabiliendi publico in conuentu potestatem permittit.

A. D. XVI. K. Nou. Rex Montalbanum emigrans, eo loci sex dies militaribus copijs cogendis commoratus Moram XII. M. P. a Castelfauibio procedit: cuius propugnationi militarium copiarum ducem præfecerat Sanctium Lupefium Orunium. Obsessi, cum indutias cum hoste pepigissent, neque earum tempus exisset, inter ipsas indutias deficientes arcem hosti tradunt.

Castelfauibio in ditionem coacto, hostis Aioram vi irrupit. Castris Origuelam circumfessurus Illicim contendit. Origuelam omnium tormentorum, machinarumque vi oppugnat.

A. D. VI. K. Dec. Rex Villaregali castra promouet: Algeziramq; contendit: vt Origuelana obsidione suos liberet: cum hoste concertaturus. Sed ho-

Sed hostis ipsis copiarum suarum ductoribus diffidens, quorum animos exploratos, & alienos habere veretur, præliū refugit. Noster, cum in Origuelanam conuallem A. D. III. Id. Decemb. descendisset, eo loci sex dies commoratur: uti præsidio, & comæatu Origuelanos muniat. Regia hostium castra Illici promotâ Calpem maritimum oppidum circūsidet.

Guterius Gomezius Toletus Alcantarēsis militiæ Magister, cum Moruiedrum præsidio, & comæatu confirmare niteretur, & Alfonso Riparcienſis Comes, Petrus Municus Gothoſus Calatrauēſis Magister, & Valentiaē vr̄bis militaris manus obuiam egrederentur, conferta prope Alcublas pugna, victus mortem occumbit. Iohannes Martinius Rogius, & complures alij nobiles viri in noſtrorum potestatem deueniunt. Ea clade accepta, hostis Calpis obſidione abſiſtit: Hispalimque proficiſci ſtatuit.

Cardonenſis Vicecomes claſſe Calpenſibus ſubuenire contēdens, cum hoſtili claſſe conſiſtit. Noſtris prælio proſtigatis hoſtes v. actuarijs nauibus potiuntur: & Rege ipſo Carthaginem introeunte, & in milites noſtros, atq; remiges doloris iracundia erūpente, omnes contrucidantur: his tantū conſeruatis, qui reconcinandis remis operā nauare conſueuerant.

K. Ian. Rex Valentia Dertosa, quam in vr̄bem conuentus agendos Catalanis indixerat, proficiſcitur. Ingentem, ut illa ferebant tempora, pecuniæ vim pollicentur: curantq;. Ad DCCC. L. M. librarum Barcinonenſium fuiſſe comperio: vnde ſumptus neceſſarij in rem militarem in biennium ſuppeditentur: atque eo ſtipendiorum, & comæatum auxilio aduerſus præpotentem hoſtem adeo ſubleuatur, ut magnam Aragoniæ, & Valentini regni partem ab hoſtibus interceptam, quæ, uti Rex ipſe teſtatur, ipſius Valentini regni fines ſuperaret, eripuerit. Ad Luſitanum Regem Guilielmum Coniliū cœnobij Barcinonenſis Prædicatorum Priorem delegat: de dimiſſa Maria Regis Luſitaniæ F. Ferdinandi fratris vxore certiorē faciens. Franciſcus præterea Perilioſius, & Franciſcus Romanus de inſito fœdere Tolofæ cum Andegauēſi, & vetuſtis fœderibus ſanciendis ad Francorum Regem legantur.

MCCCLXV.

A. D. X. K. Mart. Rex S. Matthæi fanum contendit, & Caſtra Moruiedro admouet, oppidumque circūſidet: cum Origuelam ipſo temporis ſpatio hoſtis fortiter oppugnaret.

A. D. XIII. K. Iun. hoſte Origuelam oppugnante Alphonſus Perſius Guzmanus, ex Caſtellanis proceribus primarius, hoſtilia ſigna inferens mœnibus, eo in certamine occumbit. Intra octauū diem ciues vr̄bem hoſti, arcemq; dedunt: Iohanne Martino Eſlaui ex proceribus arcis præfecto ſagitta confixo: qui venenata plaga confectus eſt. Quod Moruiedrū a noſtris vehemētiffime oppugnaretur, & obſeſſi ſumma vi premerentur, neque hoſtis periculo obſidionis ſuos liberare, aut noſtros inde arcere aggrederetur, Hispalim proficiſcitur. Summā imperij diſcedēs nulli tradit.

Militares Caſtellanorum copiæ, quæ in Moruiedrenſi præſidio permaſerant ductoribus Gomezio Perſio Porriano S. Iohannis Hieroſolymitani Priore, Petro Manrico Caſtellanorum limitum præfecto, Aluaro Perſio Caſtro, & Alphonſo Ferdinandio Montemaiorio, poſt Regis ſui diſceſſum diſſidentes, & rebus deſperantes oppidum Regi tradunt. A. D. XII. K. Octob. Rex Moruiedrum introit. Dediticij, quod Regis Caſtellæ ſummum, & crudele imperium vererentur, ad Henrici ſe ductum,  
Regis

WAT. CHR.  
MCCCXLV.

Regis Aragoniæ auspicijs applicauerunt.

A. D. XIII. K. Nou. Valentini regni parte pacata, Moruiedro Rex Barcinonem contendit. Cum conuentum in A. D. VII. K. Decemb. Cæsar Augustam indixisset, & Barcinone res bellicas administrat, neq; ad constitutam diem venire posset, conueniendi tempus prorogat. Quod vero Gallicas militum copias, ad sua stipendia aduentantes excepturus esset, neque conuentui agendo interesset tot, tantisque rebus implicito facultas esset, Duci Gerundæ filio committit, uti conuentum & agat, & transferat. Duce vero ordines regni in curiam cogente, obtestantur, ne eius coitionis causa præiudicium, libertatis deminutione in posterum fiat: quod is conuentus, neque dici Rege absente, saluis legibus, neq; agi, peragere posset: perindeq; esset, ac si singillatim, nulla potestate, mandatove conuenissent.

Iohanne Alfonso Benaudio Segorbiensis præsidij, & arcis præfecto, Hispalim ad Regem Castellæ proficiscente expostulatū, ut suis obsessis, & præpotenti vi circumuentis subueniat, in vincula a Rege coniecto, & Petro Vrgellitano Comite obsessos vrguente, qui vrbi, arcique præfecti fuerant, in deditionem rediguntur.

MCCCXLVI.

Cum Galliæ pæne totius oras, quacumque militares copias, diuturno bello confecto dimissæ iter fecissent, quasi calamitas quædam peruasisset, vagisque discursibus raptarentur: Urbanus Pont. Max. & Carolus Francorum Rex summopere sunt adnisi, uti ex suis prouincijs tam magna, & perniciosa reipublicæ sentina exhauriretur. Rege vero Aragoniæ pro viri li parte ad se, eas copias deducere conante, uti eorum auxilijs tam diuturna belli mala finiantur: Petro Regis patruo, & Francisco Periliosio internuntijs conuenit: uti Pontifex, Regesque Aragonū, & Francorū centena M. florenorum dependant: cuius summæ subsidio in Hispaniam emigrent. Præter id viæ auxilium iusta stipendia a Rege, & Henrico Trastamarenfi decernuntur. Neque minoribus Henrici pollicitationibus, atque promissis ea natio pellicitur: quod eius impotenti fortitudine, atque audacia innixus fratrem regali folio, ac fortunis omnibus se deturbaturum in animum induxerat. Excitati fuere, ad eas copias in Hispaniam deducendas viri bellicæ laudis virtute, & decore in primis præstantes Bertrandus Gesquinas Longauillæ Comes Brito, Audenani dominus Galliæ Mariscallus, Claræuallis dominus, Hugo Caluileius Anglus, & Marcæ Comes. Ad X. M. equitum Ruscinonis, & Cæretaniæ regionibus Pyrenæum transgressos, memoriæ proditur: neque maiores exterarum gentium copias in Hispaniam ex Vbedensi prælio aduentasse constitit. Ian. K. Barcinone Gallici duces a Rege magnifico, & splendido apparatu, tempestiuo conuiuio accipiuntur.

A. D. V. Id. Ian. Rex Bertrandum Gesquinam Borgia, Elda, & Nouelda oppidis honorario Comitibus titulo donat. Barcinone A. D. XII. K. Febr. Tarraconem contendit: & Cæsar Augustam venire properat: ut decreta stipendia militarijs numeris persoluerentur. Id. Febr. in urbem introiit. Trastamarænsis Tamarito Litterensi iter faciens, eo loci Iohannam sororem Regis Alfonsi F. Philippo Castrensi, qui Castri, & Peraltæ ditio num dominabatur, collocat: & Gonzaluo Mefsia, Gomecio Carillio, & Didaco Lupefio Pacieco comitatus, & urbem ingressus capeffendi regni consilia inire cœpit.

Henricus

Henricus Trastamarenſis, cum inuictum exercitum ex militibus Gal-  
lis ſuperbiſſimo delectu conduxiſſet, & ipſo anni tempore ad gerendum  
bellum vocaretur, Phari oppidi finibus Calagurim contendit: & in ea vr-  
be cum purpura, & ſceptro, & inſignibus regijs, regale Caſtella, & Legio-  
nis nomen fauſtis acclamationibus ſuſcipit. Ea rerum inclinatio, minimo  
temporis momento facta eſt: vt vrbes, arcesque omnes, atque oppida, quæ  
in Aragonio, & Valentino regno hoſti parebant, quibus Noua Caſtella  
nomen indiderat, repentino ab hoſtibus deſerantur: tradanturque: Re-  
ge Caſarauguſtæ conuentui præſidente. Eo in conuentu A. D. III. K.  
Apr. Rex Franciſcum Perilioſum conſilio, & manu præſtantem virum,  
virtutis ergo, nobilitatis decore cohoneſtat: & Vicecomitem Rotæ appel-  
lat. Rotam, atque Epilam oppida Saloni flumini impoſita, eius iuri, atque  
ditioni attribuit.

Caſarauguſtano conuentu Calataiubium prorogato, atque traducto  
Calataiubium, & Daroca vrbiuſque cognomine, & ampliſſimis honoribus,  
atque præmijs, ob egregiam in eo bello a ciuibus nauatam operam a Rege  
decorantur. Omnium ordinum conſenſu Rex præclarum iudicij testi-  
monium Calataiubiensibus ciuibus, mortuis, ac viuis, vt nec Iudæos qui-  
dem, aut Sarracenos exciperet, virtutis, & fidelitatis ſummæ erga patriam  
tribuit: Dominico Cerdano Iuſtiæ Aragonum Præſecto Conuentus iu-  
dice aſſidente.

Cum Burgis Henrico, veluti legitimam regnorum poſſeſſionem vſur-  
panti, ſollempni cærimoniæ pompa regium diadema eſſet impoſitum,  
Iohanna eius vxor Caſarauguſtæ A. D. VII. K. Jul. in ſacrario Cœno-  
bij Minorum iuriſiurandi fidem interponit, ſe enixe operam daturam, at  
que omni conatu curaturam, vt pacta a viro conuenta incolumia, ac ſalua,  
integraque retinerentur: eaque pars regni Caſtella traderetur: quam Ara-  
gonio regno contribuendam pepigerant: Epifcopo Gerundenſi ſacræ  
Domini corpus præ ſe ferente. Ei ſanctiſſimæ ſcribendæ obteſtatione, ac po-  
na ſacræ adſuerunt Iacobus Alſonſi Ripacurciæ Comitæ frater Derto-  
fanus, & Innicus Gerundenſis Epifcopi, Vicecomes Cardonenſis, Gon-  
zaluus Gonzaluus Luzius, & Aluarus Garcias Albornocius. Julio men-  
ſe ineunte, Leonoram Regis filiam ſecum ducens ad virum proficiſcitur.  
Leonora enim, & Iohannis Henrici filij nuptiæ depactæ fuerant. Ca-  
ſarauguſtanus Antifteſ, & Bernardus Thouſus, & Dominicus Lupe-  
ſius Sarnes, qui a Rege ad Henricum legati fuerant, Leonoram magno co-  
mitatu proſequuntur.

Petrus Caſtella Rex imminentem fratris, & Gallicarum copiarum tu-  
multus furorem deuittans, & ad externa etiam, & aduenticia auxilia decur-  
rens Luſitanæ, & Galleciæ regionibus Baionam Aquitanæ urbem, & in-  
de ad Eduardum Angliæ Regem cum theſauris, quorum cautior, quam  
regni cuſtos fuerat, contendit.

Bugienſis, Conſtantinienſis, & Tunetanus Reges tributa quotannis Re-  
gi conferre aſſueti, cum ob inſterna bella dependere intermiſſent, nouo-  
rum fœderum pactiõibus, conditionibusque alliciuntur. Cacinus Abu-  
halmalius Zahabenus Babylonius Imperator, Sultanum vocabant, Chri-  
ſtianos omnes in Aſia, & Aegypto negotiantes, commorantesque, cum  
comprehendi imperaſſet, quod Petrus Luſinianus Cypri Rex ſubita in-  
curſione

NAT. CHR.  
MCCCLXVI.

curfione Aegypti oras incurriflet, & Alexandria partē diripuillet, Om-  
berto Fonollario, & Iasberto Camplongio a Rege in Aegyptum legatis,  
refpectu ad Regem habito, Catalanos omnes, & Aragonios dimitti iubet.  
Ifque Regi honos est habitus, vt D. Barbaræ corpus, quod Aegyptio quo-  
dam fanopie, religiofeq; alleruabatur, & Rex ad fe deduci fumino pere po-  
ftulallet, quod etiam Alfonfum Regem, Ferdinandi Regis, qui magnam  
Bæticæ prouinciæ partem a Maurorum dominatu vindicauerat, filium  
maxime concupiuilfe memoriæ proditur, Sultanus ad Regem aſportari  
permiferit. Summa tamen fiue pietate, fiue obſtinatione Chriſtianorum,  
qui vaſtas Aegypti ſolitudoſ, atque reſcelſus incolunt, & Diuæ reliquias  
ſanctè venerari, colereque, ac fauorem deprecari conſueuerant, ne ad no-  
ſtros deuehantur, occuluntur.

Marianus Arboreſiſ Iudex, & Salebroſus Oria bellum in Sardinia,  
quod cum Genuenſibus pace, & otio reſederat, noſtris inferunt. Olfus  
Prochyta claſſe in Sardiniam tranſuehitur: & Hugo Santapacius aliquot  
militares copias comparans Sarδοis rebus Octobri menſe ſubuenit: & Be-  
rengario Carrocio Quirrenſi Comiti adiuncti bellum hoſtibus inferunt:  
cum Arboreſiſ ſuperior eſſet. Sanctapacius Galluritana regione copijs  
coactis ſe reſiciens, fortiter hoſti reſiſtit: ac Fabanam arcem cõmunito præ-  
ſidio obſtruit: & Oliuerium Togorem nauum, & ſtrenuũ virum arci præ-  
ficiť. Iohannes Carrocio Alguerienſibus dux delegatur. Quod Piſani Re-  
gis permiſſu denuo aliquorum oppidorum, atq; arcium Sardinia poſſeſ-  
ſionem uſurpauerant, atque ij omnes Mariano potiſſime opitularentur,  
Rex Iohannem Agnellum Ducem Piſarum, ac ſenatum cohortari, ac com-  
monere non intermittit, quo ab eo conſilio deſiſtant: neue Francus, aut  
Aimericus Vicecomes Narbonenſis ſinant, vt in portubus, ſtationibus ſue  
ſuis Mariani claſſes inſtruatũ: aut armentur. Piſani vero, vt a Rege impe-  
ria quoquo modo perferant, grauiffime dolent.

Rogerus Bernardus Fuxenſis Caſtelboni, & Franciſcus Perilioſus Ro-  
tæ Vicecomes Septembri menſe exacto Tolofæ, cum Ludouico Ande-  
gauenſi Duce Regis mandato, aduerſus Nauarrum foedera icunt: qui ſe  
Angliſ, & Petro Caſtellæ Regi addixerat. Eo in colloquio pacifcuntur: vt  
Francorum, & Aragonum Reges, & Henricus Traſtamarenſis foederibus  
adiuncti Eduardo Angliæ Regi, Vualia principi eius filio, & Nauarra Re-  
gi bellum inferant.

Rudericus Orizius ex intimis Nauarra Regis, & Egidius Garcias Dia-  
nizius copiarum militarium Nauarrorum, & Anglorum ductores Arago-  
nia fines incurrentes, Septembri menſe Iaccam urbem circumſident: op-  
pugnantque. Garcias Latraſius Iaccetanarum cohortium præfectus in ea  
propugnacione mortem occumbit. Cum fruſtra obſidio ſuſcepta eſſet, re-  
gionem eam deprædantes, vaſtantesque in Nauarram regrediuntur.

MCCCLXVII.

Petrus Portugallia Rex, qui artiori foederis vinculo, ad Henrici ſe Tra-  
ſtamarenſis partes applicuerat, moritur. Ferdinandus eius F. in regnum  
adſciſcitur: qui magnis propinquitatis, & affinitatis vinculis Regi erat ad-  
iunctus. Cum eo, & Iohãne, ac Dionyſio fratribus A. D. I V. Non. Mart.  
Alfonſo Caſtelnouo Regis legato internuntio, vetuſtorum foederum pa-  
ctiones firmantur: Ferdinando in S. Irenes ſinibus, regia Alcannaharum  
villa reſidente.

A. D. VI.



A. D. VI. Id. Mart. Ilerdæ in arce regia, cum Abiceno Gallipò Alcapelli Mahomatis Granatenfis Regis legato pacis fœdera aduerfus Petrum Castellæ Regem fanciuntur. His pactionibus ora omnis maritima a promontorio Contestatorum Ceruero nuncupato, ad Leucatam supra Salfulas Narbonenfis prouinciæ oppidum, & adiacentes infulæ continentur.

A. D. III. Non. Apr. ad Naiaram urbem Petrus, & Henricus fratres de fua potentia, atque imperio externis auxilijs, exitiofo prælio dimicant: quo vires Henrici omnes delentur, atque profternuntur. Eduardi Vvaliæ Principis virtute, atque excellenti præftantia, & Angli militis robore victoria ea conftitit. Henricus acie profligatus, ac pæne ad exitium deductus, perniciofo equo impofitus euafit: atque erupit: & dum non maiore equitum præfidio, quam quibus vitam committere audet, in fugam fe conijcit, fumum vitæ difcrimen adit. Demum latebris, ac faltibus fe eripiens, & in Illüecam Iohannis Martinij Lunæ oppidum fe conferens, comite Petro Luna Iohannis fratre, tranfuerfis itineribus, & commutatis perfonis Aragoniæ Regem, haud aliter, atque hoftem deuigans, Iaccetano faltu in Elufates, Fuxenfes vocat, tranfgreditur. Capti memorabili eo prælio fuere Sanctius Henrici frater, Alfonsus Ripacuriæ Comes, & Bertrandus Gefquinas Gallicarum copiarum primarius ductor, confilio, & virtute in eo bello infignis. Vvalus tantæ ferocitatis victorem, ne in fuos fœuiret, cõprimere non potuit. Nuntio eius cladis accepto Toletanus, & Cæfarau-guftanus Antiftites, qui Burgis cum Iohanna Henrici vxore perftiterant, contento curfu Reginarum, & Leonoram nurum deducetes in Aragoniam perfugiunt: & ex victoris hoftis manibus elabuntur.

Tam inſperato rerum euentu Rex, poſtquam extenuari ſpem ſuam, atq; euaneſcere videt, præſertim Henrico, qui in ipſo regni aditu Murcienſe regnum, atque ingentem aliam regionis ditionem, quæ cum Aragoniæ regno continens eſt, ſi regnum adeptus eſſet, attributurum ſponde- rat, tradere renuente, ad noua ſe conſilia traducit: & Regi victori, & Vvaliæ Principi fœderum pactione adiungi nititur. Tantum momenti in vna victoria fuit: vt plane Henrici res, non acciſæ modo, ſed deſperatæ omnibus viderentur. Præcipui conſiliarij Regis ad Angli amicitiam traducendi fuere Romæus Ilerdenſis Epifcopus, Petrus Vrgellitanus Comes, Vicecomes Cardonenſis, Iohannes Ferdinandus Heredia Ampoſtæ præfectus ordinis S. Iohannis Hieroſolymitani in Castellæ, & Legionis regnis Prior: quorum ſuaſu Rex ad Petrum Castellæ Regem de fœdere ineundo Sanctium Gonzaluum Herediam legauerat: & ad Vvaliæ principem, ob eam rem, Burgos a Rege legati fuerant Raimundus Peguera, & Iacobus Ezfarius. Vvalus Armeniacenſem Comitem, vt de ea re tranſigeretur, Deciam præmittit: & Ilerdenſis Epifcopus, Vrgellitanus, Cardonenſis, Prior Hieroſolymitanus, Lupus Gurrea, & Iacobus Ezfarius Moris oppido ſubſiſtunt: vt conſilia cum Armeniacenſi propius communicentur. Eo colloquia reciderant, vt iam legatorum conſilio Aragonius, & Vvalus cum Nannæ, & Portugalliæ Regibus Castellæ, & Legionis regna partirentur.

Henricus ſingulari, & incredibili virtute, admirabiliq; feſtinatione uſus, vndique periculis cinctus celeritate conſilij, atque ope Caroli Francorum Regis, & Ludouici eius fratris ſe, ſuaſque res ex innumeris difficultatibus,

f & in

**NAT. CHR.** & in commodis explicat. Copias militares repente delectu conducens  
**MCCCLXXII.** Arana valle, & Ripacurcienſi Pyrenæi ſaltu in Aragoniam Rege inuito, atque repugnante accelerans, cum a tranſitu arceri non poſſet, A. D. VIII. K. O. & II. M. P. ab Oſca ſubiſtit. Rege conuentum Caſarauguſtæ agente, equitatus omnis educitur, vt Henrici copiæ intercludantur: ſeditineribus deuijs antecedens, & ad Azagram oppidum Hiberum tranſiciens Catagurrim cõtendit. Cum fratris immanis dominatus eo erupiſſet, vt vix iam reliquum eſſet, vnde ſe reficeret, aut vbi lapſus reſiſteret, in tanto mortaliũ odio, ciuitates pæne omnes aditum ad regnum capeſſendum Henrico patefaciunt. Burgenſi caſtello, totius regni arce, & Iacobo Balearico Neapolitano Rege, qui in eius arcis cuſtodiam a Petro Rege incluſus fuerat Henrico traditis, tanta ſtatus, atque imperij conuerſio ſubito fit, vt præter vtriuſque ſpem, ad alterum ſpecies victoriæ peruenerit, fruſtus alteri partus fit: & Henricus pæne vrbes omnes, atque arces tranſcenſo Pyrenæo ad ſe traduxerit: fratre in vltimis terris commorante.

A. D. III. K. Nouemb. Barcinone Rex Albarraziſenſem ciuitatem ſub regale imperium ſubiungit: & in regiam ditionem, poteſtatemque redigit.

Rex, & Vvaliæ Princeps, & Nauarrus haud aliter, ac ſi regnorum Caſtellæ, & Legionenſis populi hereditariam auctorem conſtituerent, quaſi ea dare alterũtri fratrum, aut adimere poſſent, Tarbam Aquitanicæ urbem legatos mittunt: quem in locum Petri ipſius Caſtellæ Regis legati conceſſerant. Nouembri meſe, de auxilijs Petro mittendis deliberant: pactione urbium, & oppidorum, quæ vnusquique eorum Principum iam ſpe, & opinione obduxerat. Eo ipſo tempore Rex interuentu Cardonenſis Vicecomitis Anglo, & Petro adiungi, & cum Ferdinando Portugalliæ Rege, & Nauarro concordicæ fœdera ſancire, vt regna Caſtellæ, & Legionenſis populi inter ſe partiantur, conſtituit. Seorſim ſua Henrico fœdera, præcipiti cupiditate regni, imperijque dilatandi ſanciantur.

Vrbanus P. M. hoc anno Cardinalium collegio dolente, ac pæne coactõ Auenione Romam nauigat.

**MCCCLXXIII.** Cum Rex Anglo, & Vvaliæ Principi eius F. pactione fœderum adiungi conſtituiſſet, magnæ Gallorum manus turbulenta, & temeraria incurſione vagantes, Februario ineunte Arana valle erumpentes, aliquot oppida diripiunt, atque incendunt. Rege ſuſpicante, id facinus Regis Francorum conſilio patratum, vt ſe ab Angli amicitia reuocet, Franciſcum Perilioſium, & Iacobum Eſzarum in Galliam, C. M. florenorum, ex Mompeterij pretio exigendorum cauſa, & damnorum, eruptione earum copiarum illata, reſarciendorum, quod regijs ſtipendijs aduentaffe fama percrebruerat, legatos mittit. Paciſcuntur, vti Francus Regi, aduerſus Petrum Regem, & Arboreſem Iudicem opituletur: & Henrico bellum inferat: niſi ſuo iudicio dirimendam eam controuerſiam ſtatuat, quæ illi cum Rege, de Murtienſis regni donatione, ab eo poſtremo facta, vertitur. Francus Perilioſium rebus maritimis præficit: & claſibus, bello cum Anglo reintegrato, viri præſtantia, & virtute cognita, penitusque perſpecta, ducem præbuit.

Sardis totiens vinci aſſuetis, & numquam pacatis, aut omni ex parte perdo-

perdomitis, Mariano Arborensi omnium defectionum principi, & regnū appetenti, qui tot oppida, atque arces vi expugnasset, postremo Sanlurienses, & Ecclesienses deduntur. Rex difficillimo tempore, vt suis subuentum sit, clasi, quam comparauerat, Petrum Lunam, qui Almonezirij, & Polæ dominabatur, virum ex Aragonijs proceribus primum præficit. Copijs expositis, & bello illato, cum Arborensis nostrorum impressione se in Oristanam arcem abdidisset, atque in eum locum compulsus, castris circumfederetur, Luna rei bene gerendæ studio ad dimicandum impellitur. Deminutis paullo post copijs, & excubijs, vigilijsque defidia, atq; nostrorum ignauia intermissis, eruptione facta, obsessi castra adoriuntur. Nostris cæduntur, atque profligantur. Luna, & Philippus eius frater mortem in certamine occumbunt. Cum ea accepta clade, maximo in discrimine res Sardoæ versarentur, tot detrimentis acceptis, Rex in Sardiniam se traiecturum, vt suis omni ratione subueniat, palam denuntiat.

A. D. X. K. Iul. Rex Martinum F. Befalunenfi ditione, honorario Comitibus titulo, atque cognomine donat.

A. D. XII. K. Aug. indutiæ cum Petro Castellæ Rege pactæ in A. D. K. Sept. prorogantur.

Henrico bellū in Vaccæis gerente, cum Oterdefumos oppugnat, Berardinus Caprera Aufonensis Comes, qui se Henrico, patris alioqui extintori addixerat, in oppugnatione fortiter dimicans occumbit.

Cum Henricus arcta obsidione Toletum circumfedisset, Francorum Regis legati obtestantur, vt de controuersijs omnibus, quæ in disceptationem, cum Aragonum Rege vocantur, Francum iudicem sumat: & in certam diem dirimantur. Iurisiurandi religione, præsentibus Petro Regis patruo, Toletano Antistite, Petro Ferdinandio Velasco, Ferdinando Perefio Aiala, Didaco Gomezio Toletio, Gonzaluo Melsia Pontano, & Petro Tenorio Archidiacono Cauriensi in tabernaculo obstringitur, se in Francorum Regis iudicium controuersias eas reiecturum.

Copiæ per Gallias prouincias in fortunas omnium temere incurstantes, Decembri mense Pyrenæi saltu in Pallariensem tractum inuadunt. Trempim Lacetanorum oppidum vi expugnant, diripiuntque: & regionem eam omnem depopulantur. Eo tumultu nuntiato, cum improviso oppressis, nec animi satis ad resistendum, nec virium esset, Rex Decembri mense ferme decurso, Cerueram properat: hostiles copias montosis locis extrusus. Iohannes F. in Aragoniam accelerans equitatum, peditatumque omnem in eam expeditionem exciuit.

Francisco Sanclemente, & Berengario Dezprato legatis inter Aragonium, & Anglum Reges conuenit: vt Portugalliæ, & Nauarræ Regibus ad iunctis Petrum, & Henricum ad fœdera a se pacta cohortentur: & eis reuentibus: & tergiuersantibus ad regnorum Castellæ, & Legionensis populi partitionem, atque irruptionem congregiantur. Sed in eam pactiōnem deueniunt, quod neque Rege Sardo bello implicito, ab Henrici concordia secedere iusta, aut utilis videtur causa, si pacta conuenta feruentur: neque Vualix Princeps honeste fœderi cum Petro inito deesse potest, si Viscaia, & aliæ ditiones promissæ tradantur.

Barcinone a Rege Kalendæ Ianuariæ, sollempnia incipientis anni, vetera religione, moreque celebrantur.

NAT. CHR.  
MCCCLXIX.

A. D. XVI. K. Febr. Rex, quod in Sardinia regiæ opes contusæ, hostiumque auctæ erant, Berengarium Carrozzium Quirra Comitem Sardo bellum gerendi administratorem, & imperatorem creat. Arborensis capitalis hostis oppidis, præsidijque regijs exitiosum bellum infert. Brancaleo Oria ex perduellium numero definitus, quod Arborensis imperio se addixisset, voluntarij facinoris veniam consecutus, & in fidem receptus, regio se imperio committit. Rex vt majus fidei testimonium illi tribuere videatur, insigni regio militari anchoræ, quo vti assueuerat, eum decorat: ac veluti auctoramento deuincit.

Sardoo bello tam acerbo, atque diuturno nostros opprimente, simulatum proficiscendi in Sardiniam consilium a Rege refertur: & denuo se traiecturum confirmat. Vexillum regiæ expeditionis insigne, postridie festi diei resurrectionis Domini in Barcinonensi arce, sollempni cærimonia proponitur. Cum Rex totus mente, vt apparet, & animo in bello Sardonum insistit, atque ei bello gerendo imperator destinatur, dum naues adornantur, atque impedimenta conquiruntur, exilio, aut morte damnati restituantur, & pecuniæ creditæ tabulis nouis, debitoribus prorogantur, labantes res, spe protectionis diutius fulsit, atque sustinuit.

Arborensi Sacerenses se dedunt: & nostri in arcem confugiunt: quam hostes cum vehementer oppugnarent, Sanctius Simenius Aierbuis Sanctij Simenij Aierbij Iustitiæ Aragonum Præfecti nepos in propugnatione occumbit.

A. D. II. Id. Mart. Petrus, & Henricus fratres de summa regni ad Montielem in Oretanis dimicant: quo in prælio, cum Petri acies funderentur, eo in arcem Montielanam refugiente, atque compulso, & muro, ne elabi posset, & corona militum septo, cum fide, & pollicitationibus Bertrandi Gesquinæ inductus se illi tradere constituisset, & fraude, ac fallacijs impulsus in Bertrandi tentorium descendisset, quod ab hostis manibus se eum erepturum sponderat, in fratrem incidens cum ferro, in tenebris dimicant, atque luctantur, Petrus miserandum in modum contrucidatur. Nam ad pedes prostrati, nisi Henricus a suis subleuatus esset, mutuis se ictibus, quod de Thebanis Regibus fratribus fabulæ ferunt, cõcidissent. Henrico, non tam impotenti ambitu, & armorum impressione regnum adepto, quam sæua fratris tyrannide a cunctis ordinibus euocato, atque adscito, in ipsis regni primordijs, dum maxime imperium fundet, atque stabiliat, se Gothicæ gentis more, atque instituto electum, & ad regnum vocatum testatur: vt adscitus potius, electusque a re publica, quam armorum vi, & fraterna nece principatum consecutus videatur: aut regnū scelere partum.

Molinenfis, Requenensis, Cannetana, Fonsaliciensis, & Algariensis arces, in tam celeri rerum commutatione Regi Aragonio deduntur: quī pactis cum Henrico Rege conuentis, se & Murtienfis regni, & plurium aliarum ditionum Aragoniæ finibus continentium potiri sperat. His in fidem acceptis Henricus bellum aduersus Regem parat: quo arces eas, & Molinensem tractum vindicet. Rex Molinensibus præsidij Ferdinandum Lupium Sefesium, arci Garciam Veram, & ducem Ferdinandum Aluarum Cueuam præficit. Albarraziniensibus finibus Ferdinandus Lupius Heredia, & Fariziensibus Sanctius Gonzaluis Heredia equestres copias

pias cogunt: & vniuersi Episcopi Turiasonenfis, & Martini Lihorij ductui, & imperio parent.

Iacobus Balearicus, qui in potestatem Henrici venerat, a Iohanna Regina uxore LXX. M. nummum aureorum, quos duplices vocant, Rege inuito, & contra licente, redimitur.

A. D. XV. K. Mai Alfonsi Regis corpus Barcinonensi tumulo ad D. Francisci humatum, Ilerdam in coenobium fratrum Minorum Regis filij iussu, & iustis funeribus assidentis transfertur.

Molinæ, & Requena finibus nouum bellum excipit: quod Henricus Bertrando Gesquinæ Molinam, & eius oppidi ditionem addixisset: & pactiones omnes confectas, atque conflatas, condicionesque perturbasset. Requenenfis arx a nostris deditur.

Rex, quod omne ad se bellum translatum videt, Ferdinando Portugaliæ, Mahometo Granatensi, & Abaiferio Abdelazizio Algarbiensi, & Fecensii Regibus, & Vvaliæ Principi aduersus Henricum pacta conuenta rescindentem foederum vinculis adiungitur.

Rege conuentui agendo Valentia assidente Aragonensibus conuentum in A. D. K. Iul. Rubiolos oppidum indicit. Sed Praefecto Iustitiæ Aragonum, & Garcia Lupesio Sefesio Regni gubernatore, & his, qui conuocati fuerant, non comparentibus, quod Praefectus non adesset, conuentus in eam diem, quam Rex destinarat, prorogari non potuit: & necessario in aliam indictionem reijcitur.

Petrus Lusinianus Rex Cypri ex Leonora Regis consobrina, Petro filio puero relicto, insidijs, & proditione suorum necatur. Leonora Regina, & Iacobus Lusinianus Cypri Connestabulus demortui Regis frater, & Ianus Lusinianus Iacobi F. Antiochenus Princeps gubernaculis regni praeficiuntur. Rex Francisco Vilarasæ, & Iacobo Fibellerio Cypriam legationem committit: vt suis verbis Reginam consolentur: & regno pueri stabiliendo, atque confirmando operam impendant.

A. D. IX. K. Iul. Valentia Rex Martino filio Senescaliae Cataloniae munere, atque imperio iniuncto, rerum militarium, & bellicarum notionem, ac summum iudicium attribuit: adiungitque, atque adnectit proprium officium, & munus Connestabuli: & instituit, vt regnorum cis mare, & ultra Connestabuli cognomen vsurpet: & ei muneri in posterum, aut liberi regij, aut regio sanguine orti praeficiantur.

Ianuario mense Dertosa Rege ad Sardoum bellum animum intendente, nondum hieme confecta in demortui Petri Lunæ locum rebus bellicis Berengarius Carrozius Quirrenfis Comes praeficitur imperator: & Rex maturius de bello sibi cogitandum statuit. Benuenutus Graphæus Partanae dominus ex Sicilia classe in Sardiniam praeteruectus Caralitanam, & Algeriensem ciuitatem, arcesq; cū celeri opus esset auxilio, & a comæatu & reliquis copijs intercluderentur, extranea vi subleuat. Ioioseguae, Aquefrigidæ, S. Michaelis, & Quirrae oppidorum arces muniuntur.

Primo vere ineunte Brancaleo Oria Arborensi bellum infert. Commisso certamine Arborenses ab Orijs profligantur. Rex, tametsi post id factum paulo quietiorem Sardiniam habet, tamen profectiois suae famam semper adaugens, quasi propinquo tempore profecturus, diutissime suorum expectationem decipit.

MCCCLXX.

NAT. CHR.  
MCCCLXX.

Cum Saluaterra, & Regale oppida Nauarræ finibus sita, & a Nauarris intercepta restituerentur, foederum pactiones cum Carolo Rege firman-  
tūr: eaque concordia aduersus Henricum, ambo reges conciliantur.

Dertosa Barcinonem Rege profecto, Martinus Eborensis, & Iohan-  
nes Siluenfis Episcopi, Martinus Alcobaciensis cœnobij Abbas, & Iohan-  
nes Alfonsus Barcelorum Comes Ferdinandi Portugalliæ Regis legati,  
nauium actuariarum classe in eam oram Iunij mensis fine appulsi vetu-  
sta foedera renouant. Rege maiorem Lusitaniz motum expectante, cum  
a proximis impetrare non posset, vltiorem temptandum sibi, & allicien-  
dum Lusitanum arbitratus, regnorum Castellæ, & Legionensis populi  
pactione, cum vndique a Lusitano bellum parari videret, cum eo consilia  
communicat: & hæc prius Henrico detrahenda auxilia existimat: quam  
ipsum aperto bello laceffat. Hoc inuito consilio, deliberat de Leonora filia  
Lusitano in matrimonium tradenda. Rex fidem suam obstringit, se Se-  
ptembri mense proximo ineunte Henrico bellum illaturum: Murtiensi  
regno, & Molinæ, pluriumque aliarum vrbium, & oppidorum ditione  
sibi attributis. Cum sponsalia, Regis Ferdinandi mandato, Barcinone ce-  
lebrarentur, & Ferdinandi fratre, & Vianæ Comite, Barcelorum Co-  
mitis filio obsidibus postea traditis firmarentur, pacta omnia breui di-  
rimuntur.

Nuptijs Iohannis Gerundæ Ducis, & Iohannæ Philippi Valesij Fran-  
corum Regis filiz ex Blanca eius vxore, Philippi Eburouicis Nauarræ  
Regis filia, Lupi Gurreæ, & Berengarij Apiliz Regis legatorum interuen-  
tu pactis, quibus Rex adiungere sibi Gallorum gentem sperat, cum con-  
uenisset, vt reliqua summa ex pretio Mompelleriz vrbis, ditionisque Re-  
gi dependeretur, & Iohanna ad maritum cum magno comitatu, appa-  
ratuque regio aduentaret: graui morbo Bliteris afflictata, vehementiusque  
ingrauescente, magno omnium mæore, puella excellenti formæ pulchri-  
tudine, Decembris mensis fine moritur.

Magna ea tempestate contentio, ciuilesque motus, Catalonia in partes  
diuisa oriuntur: Rege ipso maximas turbas concitante. Nobilitas enim  
pæne omnis Regis consilio, atque consensu, aduersus Petrum Vrgellitanum,  
& Iohannem Emporitanum Comites, & Vicecomites Car-  
donæ, & Castelboni coijt: quod nobiles omnes suæ iurisdictioni subij-  
cere, tamquam subditicios conarentur. Cum ad Noizæ annis ripas,  
prope Martorellum, Comites copijs coactis confedissent, pæne ad ar-  
ma res deducitur: ingentesque tumultus, Rege nobilium factioni fa-  
uente, atque opitulante excitantur. Vulgo ea nobilium coitio, Conue-  
nientiz nomen sortitur: & Rege Comites coërcente, omnes in ditionem,  
potestatemque regiam paulatim rediguntur. Imperio, ac ditione Comitū  
imminuta, & in ordinem redacta, inter Regem, & Petrum Vrgellitanum  
ex ea contentione, summa de iurisdictione dissensio fuit: quod Petrus Co-  
mitatus Vrgellitani, & Vicecomitatus Agerensis supremum ius, potesta-  
temque summam sibi vindicaret.

Vrbanus Pont. Maxim. reipublicæ Christianæ pro virili parte consu-  
lens summo opere adnititur, vt Henrico Regi ceteros Hispaniæ Reges con-  
cordiæ foedere deuinciat. Eius rei causa Bertrandum Conuenatem, & Aga-  
petum Brixientem primo, & post Olisiponensem Episcopos legat: sed  
Malsilia

Masilia Decembri mense re infecta moritur. Nam cum bellum sacrum, tot per annos in Hispania intermissum esset, nulla, nisi in Regum concordia spes reliqua, ducebatur: & eam per æqua, & iniqua reconciliandam esse vniuersæ Christianæ reipublicæ constituerat.

NAT. CHR.  
MCCCLXX.

Sardois rebus summis difficultatibus affectis, & Arborensi indies imperium, armaque promouente, & Rege profectionem, & expeditionem, non modo desperante, sed neque auxiliorum ratione vlla omnino domi apparente, ea spes fit reliqua, vt Brancaleo Oria in Aprilem inducias cum hoste paciscatur. Eo temporis interuallo Berengarius Ripolius v. i. actuariorum nauium ductor Caralitanam, Alguerensemque arces præsidijs, comœtuque firmat. Arborensis reipublicam egram, labantemq; adeo vrguet, premitque, vt omni ex parte bellum in Sardiniam peruaserit: & nili Dominicus Campofregosus Genuensium Dux, & maior Genuensis fenatis pars in fide permansissent, & pactis conuentis stetissent, funditus omnia euertentur: & Aragonium nomen in Sardinia deletum esset.

MCCCLXXI.

Berengarius Carrozius Comes Quirrensis Auenione exercitum extero no milite conducit. Is exercitus M. equitum turmis, quorum singuli ternis equis merent, & D. hippotoxotis binos equos ducentibus, & M. peditem cohortibus, quibus Gualterius Benedictus Anglus excellenti virtute ductor præerat, constitit: conuenitque, vt externa ea auxilia Liburno portu conscenderent: quo commodissimus in Sardiniam traiectus est: vt equitatus, & impedimenta vectorijs, grauioribusque nauigijs expeditius transportarentur. Cum a nostris in Sardoos sumptus intolerabilia tributa exigentur, nec ferri æqualiter possent, aut continentia bella finem afferrent tributorum, & quotidie raptaretur, lacerareturque populus, clamitare omnes, vt Sardiniam vastam, ac desertam, cæloq; & loco calamitosam, & pestilentem, perpetuis paludibus, siluisque munitam, varie possessam, & sæpe amissam partibus, Rex mastrucatis Sardis, vilissimæ, vanissimæ, & fordidissimæ nationi relinquat: & internis discordijs Genuensium tradat: si Aragoniæ vltioni consultum velit. Sed quamuis ea ab ijs, qui deponendi belli auctores erant, passim iactarentur, & damna bellorum deslerent, atque asidua expeditionum pericula exsecrarentur, magno tamen Rex conatu, rebus afflictis, ac perditis subuenire constituit. Rege Caspe oppido ad Hiberum, conuentum Nouembri exacto agente, Gualterius Benedictus Anglicarum copiarum ductor honorario Arborensis comitatus titulo, & ditione donatur. Adornata classe Olfus Prochyta ei præficitur: & in onerarias naues equitum nostrorū turmæ Berengario Carrozio ductore imponuntur. Ex Gallia item prouincia aliquot copiarum in Sardiniam transportantur: quibus Philippus Lambertus Villafausæ dominus, Ludouicus Rosus, & Raimundus Augerius Pontis Sorgæ delecti sunt duces: sub quibus stipendia faciunt.

Ea ipsa tempestate Iacobus Balearicus Auenione, ex Narbonensis item prouinciæ delectu copias cogit: vt in Ruscinonensem tractum, Cæretanumque bellum inferat: quorum finibus Rex Vicecomitem Insulæ, & Canneti præficit.

Philippus Castrensis regia Aragoniæ domus profapia ortus, & Parientensi ditione ab Henrico Rege affini in Vaccæis donatus, ab oppidanis rusticis hominibus, eius imperium detrectantibus interficitur: Leonora

f iiij filia, ex

NAT. CHR.  
MCCCLXXII.

filia, ex vxore Iohanna Henrici forore relicta.

Gregorio XI. Pont. Max. in summum Pontificatum euecto, qua erat in rem publicam Christianam pietate, summopere adnitente vt pia, æternaq; pax Hispaniæ Regibus sanciretur, in ipso summi Apostolatus aditu, iisdem internuntijs, quos Vrbanus legauerat, etiam, atque etiam id ipsum vrget, instatque. Eo adnitente, atque cohortante Henricus Rex Burgenfi Episcopo, & Alvaro Garcia Albornozio, Rex vero Ilerdensi Episcopo, & Raimundo Alamano Ceruilionio, vti de controuersijs omnibus deliberent, atque consultant, commendant: atque concedunt. Castelsauibij Conuenati Episcopo, qui in Cardinalium collegium cooptatus fuerat, adiuncti statuunt: vti concordia, pactionumque summam tractandam, conficiendamque Reges ad Pont. Max. & amplissimum ordinem, in proximos 11 x. menses decidendam rejiciant.

Cum A. D. II. Non. Ian. Alcanicij Conuenate Cardinali assidente pacta conuenta firmarentur, & A. D. III. Non. Febr. Petro Lupio Padillia Henrici legato præsentate denuo sancirentur, summo Henricus opere adnititur, vt controuersiæ omnes, suo potius ipsorum Regum consilio, & arbitrio, quam alieno iudicio componantur: & bello finem auctoritate sua imponant: cui in nouo principatu stabiliendo summa inerat ad præcauendum, consulendi astutia. Demum omnia polliceri: modo integris suis finibus bellum compositum foret. Fœderibus enim ab Henrico violatis, cuius filio Rex filiam suam collocare, pactione ditionum sibi tradendarum sponderat, quod Rex affinitate ea se se ei deuincire renuit, summam pecuniæ augendo sperat Henricus pretio pacem, & amicitiam Regis coëmere: & ditiones regias retinere.

Summo Pontifice insigni sanctitate prædito principes omnes pacatos reddere adnitente, grauisimoque ad instituendam pacem auctore, & ad confirmandam virtute animi, atque iustitiæ, & innocentia exemplo maxime idoneo, summa, perpetuaque concordia Frederico Siciliæ Regi, & Iohannæ Neapolitanæ Reginæ continenti bello implicitis constituitur: & A. D. VI. K. Sept. Villanouæ ad Auenionem confirmatur. Vt artioribus coniunctionis vinculis astringantur, cum summæ consiliorum præessent Guilielmus Peralta Calatabellotæ, Artallus Alagon Mistretæ, Matthæus Moncada Augustæ, & Adorni Comites, Iohannes Claramontius, & Franciscus Intemelius æquis condicionibus pace composita conuenit, vt Fredericus Antoniam Francisci Baucij Andriæ Ducis filiam ex Margarita vxore, ea Philippi Tarentini Principis, & Catharinæ Constantinopolitanæ Augustæ filia fuit, Iohannæ consobrinam in matrimonium ducat. Ea constituta pace, interdicta, quibus tot per annos Ecclesia Siculos execratur, & sacrorum aditu arcentur, tolluntur: & ob eam causam Salernitanus Episcopus in Siciliam legatur: piaculisque Siculi omnes soluuntur. Iohannæ, liberisque eius, posterisque eorum legitimis summa, supremaque regni Trinacriæ potestas, & adiacentiū insularum a Frederico attribuitur: & eius mandato sacramento sanciri decernunt. Fredericus X. actuarijs nauibus, & C. grauis armaturæ equitibus, auxilia Iohannæ, si hostes eius regnū adoriantur, ferat. Quotannis Sanctorum Petri, & Paulli festo die, Neapoli III. M. vnciarum auri, quæ XV. M. florenorum summam conficiunt, dependet: eius tributū habita ratione, quod Iohanna



Iohanna ex Sicilia infula regni iure quaesito Ecclesia in singulos annos pendit. Praeteritorum annorum tributa remittuntur: atque condonantur. Liparis infula Iohanna mortua Frederici regno contribui debere censetur. Cum ea pacta conuenta a summo Pontifice sancirentur, decretum interponit, quo cauetur: uti feminae Trinacriae Regum filiae, viro- rum prole non superflite, regia iura adipiscantur: nominatimque Maria Frederici Regis F. Aragonum Regis neptis ea condicione ad pater- num regnum hereditarium adsciscitur, arcesiturque. Aragonius nimis graue praedudicium in se a Pontifice factum conqueritur: quod feminis ad regni Siculi hereditatem obeundam, aditus daretur: quas Fredericus Rex maior patruus in partem hereditatis minime vocasset: & ad se eius regni hereditas a propinquis Regibus veniret: & eius rei causa Raimundum Alamanum Ceruilionem ad Pontificem legat: ut obtestetur: se suo tempore ius suum armis persecuturum: quamuis primum eo ipso tem- pore a Sede Apostolica Aragonijs principibus legitima iura Siciliae re- gni sunt quodammodo constituta: quae tot bellorum discriminibus quaesita, ac parta fuerant.

Iunio mense Barcinone Iohannes Gerunda Dux Matham Iohannis Armeniacensis Comitis sororem in matrimonium ducit. Dos C L. M. Fran- corum dicitur. Illo ipso tempore nuptiae Martini Regis filij, & Mariae Lupi Lunae Comitis filiae sollempni caerimonia concelebrantur.

A. D. II. Non. Iul. Barcinone Exericensis ditio Martino Regis filio comitatus honorario titulo attribuitur. Ex eo Comes Exericae, & Lunae, & ciuitatis Segorbij dominus appellatur.

Bernardino Capreræ Bernardini Capreræ Aufonensis Comitis F. qui in Timboris Fenolletiae auiæ, & Margaritæ Fuxensis matris potestate erat, paterna, auitaque bona, & possessiones, ditionesque omnes, hone- stasque, ac dignitas restituuntur. Agnoscit enim Rex, atque profite- tur, se peruerlis, praeposterisque consilijs inductum, in Bernardum a- uum animaduerti imperasse: ut iam res minime dubia esset, qua gratia pressus, quibus inimicitijs circumuentus, & in exitium actus fuerit. Ab ea restitutione Rex sibi, posterisque principibus Aufam urbem, comi- tatumque excipit.

Februario mense, nocte concubia in Lacetanis, & Ilgetibus adeo magnos terremotus factos memoriae proditur, ut ingentia ex Pyrenæis iugis saxa, crepidinesque Ripacurciae regione conuulsa, prostrataque sint: & multi mortales in montosis, atque æquis, & planis locis perierint: multaque turres, atque arcès corruerint: pluribusque in locis labe facta sit: magna que edita strages.

A. D. XI. K. Apr. Olisipone pacis foedera inter Henricum, & Fer- dinandum Reges palam aduersus Angliæ, Aragoniæ, & Nauarrae Re- ges praedicantur: quorum condiciones Bonononiensis Cardinalis inter- uentu sunt depactæ.

Franciscus Periliosius Rotæ Vicecomes, cum ad Iohannem Lancastriae Ducem Eduardi Angliæ Regis F. qui regnum Castellæ, vxorio Con- stantiae Petri Regis F. iure appetierat, a Rege legatus missus esset, & lega- tione obita, Bastulorū oram praeteruehitur, a Mauris interceptus, ad Ma- homatem Granatensem Regem protrahitur. Valentini praeterea, Cata- lanique

WAT. CHR.  
MCCCLXXIII.

lanique mercatores, qui in Granatenſi regno negotiantur, in vincula conſiciuntur: quod Petrus Bernardus aſtuarum nauium ductor, qui Sardo bello merebat, nauim Mahomatis Regis, in Carthaginenſi Africa litore irrupiſſet, euertiſſetque.

Rex Barcinone toto ferme vertente anno, rebus bellicis conſulens demoratur. Nam Genuenſes, quamuis pactionū ſœdere deuincti, primo ſere, magna comparata claſſe in Sardiniam tranſmiſſuros, & Arboreniſi opitulaturos minantur. Supplementum rebus Sardois, Gilaberto Cruillia ductore Luquidoneſiæ regionis præſide adiicitur.

Balearicus Ruſcinonenſibus finibus, & Henricus Rex Luſitano adiunctus ſuis confinijſ, magnis comparatis exercitibus adoriri minantur: & duplex inde terror noſtris illatus. Cum Angliæ, Franciæ, Nauarræ Aragoniæ, & Caſtellæ Reges exitialibus bellis concitarentur, & eorum regna communi arderent incendio, noſter deteriore vt ſtatu ſit, externa Sardinia bella efficiunt.

Henricus Rex, qui interuentu ſummi Pontificis pacem prætenderat, & priuato conſilio ſummo ſemper opere Regi adiungi curauerat: Ludouico Andegauenſi Duce adminiſtro, & ſequeſtre pollicetur, æquis conditionibus obtemperaturum. Bernardo Soo a Rege eam ob cauſam Carcaſonem ad Ludouicum legato, recipit Ludouicus Henricum Molinæ comitatum ea conditione, qua Regi hoc ipſo tempore ſubiicitur, attributurum: Murtienſe regnum condonaturum: & mediam earum urbium, oppidorumque partem, quæ Henricus continentibus Aragoniæ finibus ſe contributurum ſponſerat, addicturum. Sin vero Henricus urbes eas, ac ditiones a Caſtellæ regno ſeiungi, ſeparatim reuocat, curaturum, vt pecunia compenſentur: modo pactæ nuptiæ ſanciantur. Neque multo poſt euenit, vt Ludouicū ex arbitro pacificatore hoſtem Rex, & grauem, acremque inimicum ſentiat.

Iunio menſe Rex Dominico Cerdano Iuſtiæ Aragonum, Arnaldo Orcao Ruſcinonenſi præſidi, & Bernardo Bonaftrio epiſtularum magiſtro committit, vt tranſigendis cum Henrico Rege conditionibus interſint. Poſtea vero Reges decidendas controuerſias omnes Guidoni Portuenſi, & S. Ruſinæ Epifcopo Cardinali S. R. E. legato deferunt: adiunctis Regis Aragoniæ nomine Cæſarogultano Archiepiſcopo, & Raimundo Alamano Ceruillonio: & Henrici legatis Salmanticensi Epifcopo, & Iohanne Remirio Arelliano Camerorum domino. Interuentu præterea Iohannis Emporiarum Comitis, qui Iohannam Regis filiam in matrimonium duxerat, & eiufdem Iohannis Remirij induciæ ſunt pactæ.

Octobri menſe Balthaſar Spinula Angliæ Regis, & Iohannis eius F. Lancaſtriæ Ducis legatus Barcinone, de ſœdere aduerſus Henricum, cum Rege ineundo, legationem renuntiat. Pollicetur Rex ſe Lancaſtrio aduerſus Henricum opem, auxiliaque laturum: ſi ex ditiones attribuantur, quas Henricus ſponſerat, adepto regno, delaturum. Inania vero ea promiſſa Rex parui eſſe ducenda videns, nec ſatis firmitatis habere, ab Henrico iam præpotenti, & vicino, finitimoque ſeiungi veretur: niſi magnis pignoribus ab Anglo retineatur.

Cum Ilerdæ Catalanæ copiæ conueniſſent, quas trãſuectione K. Sept. facta, ad DCCC. equites grauis armaturæ fuiſſe conſtitit, quod ex ijs regionibus

gionibus militum, & veteranorum, & tironum manus quotidianis delictibus exhaurirentur, Nouembri mense in Cæretanæ, & Rufcinonis fines transcendunt. Nam Balearicus Henrici Regis arcessitu, & pollicitationibus inductus, magnas armatorum copias coegerat. Eo enim actu Henricus magni & animi, & consilij princeps, modo minas iactando, & pericula intendendo, modo pacis fœdera prætendendo, id se consecuturum sperat: uti pactiones, quibus Regi astrictus, regnum appetierat, & inuaserat, rescindantur: aut Regem ad suas condiciones deducat.

Henricus, & Carolus Nauarræ Rex legati Apostolici interuentu fœdere deuinciuntur. Nauarrus Biturim, & Lucronium oppida Henrico restituit: paciscunturque, ut Carolus Nauarri F. Leonoram Henrici F. in matrimonium ducat. Ea pactione inita, nihil magis aduersum Regi euenire potuit: qui ope externa Henricum ad se traducere sperat: ut pactionis conuentis pareat.

Genuenses pace erepta, quam Montisferratensis Marchio pepigerat, ab Arborensi in Sardiniam arcessiti, ut Caralim artiori obsidione premant, Polæ præsidium oppugnant. Ingenti Gilaberti Cruillia virtute, qui Berengario Carrocio Quirrensi Comite mortuo, copijs præpositus fuerat, propugnatur. Brancalco Oria in magno rerum discrimine Algueriensibus subuenit.

Iohannes Lancastriæ Dux magno comparato exercitu Castellæ regnum adoriri parat. Rex ad eum Raimundum Alamanum Ceruilionem ad renouanda fœdera, & ut hostilia arma inferre properet, legatum mittit. Hac legatione in Aquitaniam relata, Lancastrius Burdigalæ Ianuario mense, amicitiam Regis omni conatu expetens, Rogerio Bernardo Fuxenfi Castelboni Vicecomite, Garcia Ferdinandio Viliodre, Guilielmo Helmano, & Gualterio Benedicto ad Regem missis oratoribus, Regi fœderum pactione adiungi nititur.

Res Aragoniæ ea tempestate pessime afficiuntur: & in magnum decidunt discrimen: reputante Rege publicum sibi odium concitari: magisque fama, quam vi regnum, & res suas stabiliri: tot exteris nationibus armata vi, vndique Hispaniam interno bello consumptam cingentibus, inuadentibusque: & Henrico Rege Molinæ confinijs arma intente: regijs classibus, copijsque mari longinquo bello distentis: ad summam Rege adnitente consilij, & astu res externas moliri: arma procul habere.

Ianuario mense, Comes Henricus Russus arma, & seditionem spectans a Frederico Rege desciscit: & Messana vrbe potitur. Rege duabus longis nauibus, alijsque actuarijs Mazara cum Antonia Regina vxore Messanæ portum præteruecto, quod Mamertinos, & Russum ipsum ad se deducere confideret, nocte, quæ consecuta est, Russus Fredericum, nihil minus opinantem, excubiasque, & vigilias intermittentem nauis vna longa, & myoparonibus aliquot naues regias, quæ in Rhegina statione anchoras iecerant, repentino incursum adoritur. Cum nauis, quam Regina conscenderat, oppugnaretur, propugnareturque a nautis, & vectoribus, animus Reginam liquit: eaque in continentem transmissa, sequenti die pestilenti, & mortifero morbo affecta, postero e vita excedit. Fredericus actuaria euadens Catanam deuehitur.

Augusto

NAT. CHR.  
MCCCLXXIII.

MCCCLXXIV.

WAT. CHR.  
MCCCLXXIV.

Augusto mense ineunte, turmæ M. grauis armaturæ equitum, fratre Bertrandi Gesquinæ ductore, qui Balearici stipendia meret, Ruscinonis comitatum adoriuntur, incurruntque. Cum eorum equitatus liberius prædandi, vastandique causa, se in agros eiecisset, Perpinianum & opere, & præsidio egregie munitum transgressis, ducente secum Balearico Isabelam sororem Monferratensi viro orbatam Panizasio colle arcetur: quod Pertusij saltus, & Indigetum regionis arces validis præsidij continerentur. Balearici expeditionem & Henricus, & Francus, & Ludouicus Andegauensis magno auxiliorum supplemento iuuerant.

Eadem ferme tempestate Bernardus Fuxensis, quem vulgo Beneharni bastardum vocabant, Medinæ Zelimi Comes, qui Isabelam Ludouici Hispani Telamonis Comitis filiam in matrimonium duxerat, & Gaufridus Rechonus Brito, aliquot collecticijs copijs adiunctis Sometum, & Nueualos confiniorum Celtiberiæ oppida scalis admotis irrumpere adoriuntur: prædicantque, se id bellum auspicijs, & stipendijs Balearici gerere.

Barcinone in regia ad Templariorum ædem, moritur Leonora Regina. Ad Populetum, in D. Mariæ coenobio regio sepulchro conditur. A. D. II. Id. Iun. testamento heredem Iohannem filium reliquit.

Cum Balearicus aditu, ascensuque Pyrenæi, armorum vi ab impediendo, ac lædendo, earum regionum finibus repulsus esset, omnesque nostrorum copiæ eo se conuertissent, Cæretano saltu Vrgellitanam Sedem contendens, Sicoris fluminis conuallibus, montium faucibus superatis in Lacetaniam irrumpit. Septembri mense exacto Rex, domestici belli causa obuiam Balearico processurus, Cerueræ substitit: atque eo in loco copiæ omnes coguntur. Iohannes Dux Gerundensis in eo rerum motu, atque tumultu Aragoniæ regno pro Rege præficit Blascum Alagonem: & consiliarios illi proxime adiungit Cæsaraugustanum Antistitem, Dominicum Cerdanum Iustitiæ Aragonum Præfectum, Dominicum Lupesium Sarnem quæstorem primum, Blascum Azlorium: & viii. Cæsaraugustanos ciues Michaëlem Capellam, Dominicum Palumbarium, Fortunium Lisonem, Martinum Lorbem, Iohannem Aldeguerium, Iacobum Hospitalem, Petrum Simenium Ambelem, & Simonem Gurdum: vt in constituendis, & collocandis, obeundisque rebus bellicis, & militaribus Imperatorio munere, eorum consilio defungi posset: quod ingruentibus bellis apud maiores factitarum erat.

MCCCLXXV.

Huius anni initio, ea fuit in Aragonia agrorum vastitas, atque sterilitas, mensis enim nulla præterito anno fuerat, & siccitate adeo laboratum est, vt inopia frugum, quibus in locis sementem facere consueuerant, frumento ex Mauritania, & Africa importato, impenso pretio vtantur.

Balearico Catalonia expulso, cum Henricus omni ratione eum aduersus Aragonium, & Lencastrum ad se deducere nititur, Rechonum Britonem CCL. grauis armaturæ equitum ductorem, cuius in Aragoniam irruptione, aliquot oppida expugnata, & præsidij munita, & magna accepta detrimenta fuerant, & Petrum Manricum, vt Balearicum Nauarræ finibus excipiant, præmittit. Ea Balearici irruptione, in tanto motu armorum, atque tumultu a Rege satis præsidij prouisum est. Copiæ externæ, quas fama ingentes esse prædicabat, cum per extremos Elufatium fines iter facerent, quo facilius montes transcenderent, & subsidium Henrico ferri pos-

ferri posset, Pyrenæi faucibus superatis, in Vasconum conualles irruentes, Januario mense, e regione Gallici fluminis, præcipiti via, plana loca deua stant. Cum ex omni prouincia comæatu & publico, & priuato prohibe rentur, & reliquis copijs, præsidiorum vi intercluderentur, & a nostris a repentina incurfione peruellerentur, in Castellanos fines, & eorum pacata loca trudentur. Confinijs Sorix, & Almazani fufis, ac disperfis, neque cum finitimis prælio congressis Balearicus decedit. Sorix, ad D. Francisci humatur. Ifabella foror, & Iohannes Malefitus earum copiarum du- & tor, alijsque duces Iohannis Henrici Regis F. ope, atq; prouisione in Aquitania concessere. Concurfio uero ea adeo turbulenta fuit, & ratio rei gerendæ, temporaque periculosa exstiterant, ut plures ex intimis familiaribus, domesticisque Regis in suspicionem uenerint, Balearici expeditionem fouisse: aditusq; ex Catalonia, & Aquitania in Aragoniam clam pate fecisse: & de ea re anquiri coeptum.

Depulſis, diſſipatiſque externis Balearici copijs, & Lancaſtrio Hiſpanienſe bellum uirguente, Henricus alter utram ad condicionem deſcendere cogitur: ut ditiones, quæ de pacta fuerant, Regi attribuantur: aut pecunia eas redimat. A. D. X. K. Mai Almazani in D. Franciſci cœnobio Iohanna Regina Henrici uxore, & Iohanne F. adſidentibus, Cæſaraugustani Antiftitis, & Raimundi Alamani Ceruilionij regionum legatorum interuentu ſummæ rerum conſulitur. Pace inter Reges pacta Iohannis Henrici filij, & Leonoræ Aragoniæ nuptias paciſcuntur. Dos CC. M. florenorum dicitur: quam pecuniam Henricus, cum in Caſtellam inuaſerat, Regi dinumerauerat. Rex Molinam Henrico reſtituit: & bellicorum ſumptuum impenſorum ratione CLXXX. M. florenorum Regi numerantur. Id uero magna eſt admiratione dignum: Regem inuitum, & recuſantem ad earum nuptiarum fœdera eſſe protractum: diuinoque id nutu, ac prouidentia cõſtitutum: ut non modo ex Regis nepotibus maior natu Caſtellæ regnorum potiatur, ſed ut minor etiam auita Aragoniæ regna adipiſci queat: & abnepotibus omnia Hiſpaniarum regna, Portugalliæ regno dempto, cedant.

A. D. XIV. K. Iul. cum Leonora Regis F. Soriam a Cæſaraugustano Antiftite, & Raimundo Alamano Ceruilionio regio comitatu deducta eſſet, nuptiæ ſollempni cærimonia celebrantur: Iohanne Henrici F. puellam ducente.

Ludouicus Andegauenſis Dux bellum primo quoque tempore, nouo regni iure adepto illaturus, Regem prouocat. Nam Ifabella Balearici foror Balearicum regnum, ditioneſque omnes regno contributis Ludouico detulit. Inſperata, nec opinata res Regem cum percuſiſſet, conuentus Montionem Aragonijs, Valentinis, & Catalanis, & Balearicis indicit.

A. D. II. Non. Dec. Barcinone Rex Hugonem Cardonam Comitatus Cardonæ cognomine, & eius honoris ſplendore decorat.

A. D. XVI. K. Apr. Rege Montionem ingreſſo, & in eius oppidi arce conuentum agente, de bello a Ludouico Andegauenſi indicto refertur. Expoſcit Rex, ut conuentus ipſius ſcito facto pecunia numerata in ſtipendia M. grauis armaturæ equitum decernatur. Conuentus nomine Regi de ea re reſponſum latum eſt: ſe in eam diem, maioresque ſuos, Regibus, bel-  
lis uirguentibus præſto adfuiffe. Iudæorum uero, & Maurorum conuenti-

NAT. CHR. tucula consueſſe, ſiſte conlata bellicis ſumptibus inferuire. Adeo enim in  
MCCCLXXVI. ſumma nummaria difficultate regnum conſtitutum erat, vt vix in eorum  
militum ſtipendia exigere poſſet, qui periculum, quod a Ludouico in om-  
nes intenditur, propulſent. Nam nihil æque plebem ea tempeſtate diue-  
xat, quam pecuniarum exactio: & conſultio: quæ neceſſitate armorum  
exculata, intermiſſo que bellorum conſictu, pacata etiam tempora co-  
mitantur.

Repulſo externo Gallici hoſtis motu, Sardois rebus tranſmarinum ſub  
fidium efflagitantibus, in tantis periculis noſtri verſantur, vt communes  
omnium calamitates Rex nequiret, non modo iuuare, ſed nec miſerari: Ca-  
ralitanæ que arcis præfectus fame compulſus deſtinauerit fuga, & mariti-  
ma opportunitate, deſperatione quæſita, arcem vrbs incendio, & flammis  
conflagrandam relinquere.

Mariano Arboreniſi hoc ipſo tempore vita functo, Hugo F. in patris lo-  
cum heres ſuccedit. Hic & in ſuos intoleranda tyrannide, & in Regem in-  
ſigni perfidia, omni diritate, atque immanitate teterrimus, longe patri an-  
teceſſit. Iohanne Arboreniſi Mariani fratre, & Petro eius F. qui arca cuſto-  
dia, tot annos diuexati fuerant, mortuis, Rex Benedicte Arboreniſi Iohan-  
nis Arboreniſis, & Sibyllæ Moncadæ F. quæ Iohanni Carrochio nupſit, Bo-  
ſam urbem, quæ Iohannis Arboreniſis ditionis fuerat, propter multa pa-  
tris in rempublicam merita, & eius poſteris condonat. Benedicte liberi  
Berengarij Carrochij hereditate Comitatum Quirrenſem iure repetunt.

Iohannes Ferdinandus Heredia ſummus, & ſingularis vir, qui uſum in  
republica magnum, auctoritatem que erat conſecutus, ordinis Hieroſoly-  
mitani Magiſter, cum aliquot actuarijs nauibus ex Italia in Rhodum nauigat,  
in prædonum Turcarum manus de improviſo incidit: diutius que ma-  
net captiuus.

Septembri meſe Gregorius Pont. Max. Auenione egreſſus, ampliſſimi  
ordinis collegio comitatus Rhodano flumine in Italiam nauigat: vt ſacro-  
ſanctum pontificium tribunal Romæ auget, conſecrata que in ſede, ex  
diuturno exilio, & ſumma indignitatum, & rerum difficiliſſimæ perpeſſio-  
ne, in comuni omnium terrarum, & gentium patria collocet: & ſacræ,  
religioſæ que ſedes, ac ſana, delubra que diuina ope conſtituta, & fundata,  
& Principum tot ſæculorum magnificentia, & pietate amplificata,  
& ornata, totius orbis terrarum concurſu pie, ſanctæque adirentur, &  
colerentur.

MCCCLXXVII. Februarii meſe, de Antonia Barnabouis Vicecomitis Vicarij Impe-  
rij, & Gallia Cifalpina, & Mediolani domini filia Frederico Sicilia Regi  
in matrimoniū collocanda, Arathone Spinula Lucullo Comite Palati-  
no, & Balthaſare Puſterla Barnauobis in Siciliam legatis miſſis tranſigi-  
tur. CXX. M. florenorum dos dicta eſt. Nuptijs vero nondum celebratis,  
neque Antonia in Siciliam tranſmiſſa, A. D. VI. K. Auguſt. Fredericus  
e vita excedit. In teſtamento Frederici patris Maria filia Sicilia regni, &  
ditionum Athenarum, & Neopatria, & inſularum Sicilia adiacentium  
heres ſcripta erat: Melita, & Gaulis exceptis: quas Comiti Guilielmo Ara-  
gonio F. & eas Germania vrbes, quæ materno Carinthia domus iure ſibi  
obuenerant, relinquit. Guilielmum F. quem naturalem filium vocat, Ma-  
rie F. ſecundum heredem inſtituit: & in eius locum, nullis ſuperſtitibus li-  
beris

beris Aragonij Regis filios heredes scribit: quibus duas filias Guilielmi Pe-  
raltæ Calatabellotensis Comitis, & Leonoræ eius vxoris, quæ Iohannis  
Athenarum Ducis patruī filia erat, substituit. Summæ rerum, in procura-  
tione regni Arrallum Alagonem Mistretæ Comitem præficit. Vetera dis-  
sidia inter Artallum Alagonem, & Manfredum Claramontium, & eorum  
factiones denuo excitantur: & Sicilia bello, & ciuilibus seditionibus ardet.  
Manfredi partes Franciscus Intemelius Comes & eius fratres, Comes Hen-  
ricus Russus, & Guilielmus Raimundus Moncada suscipiunt.

NAT. CHR.  
MCCCLXXXVIT.

MARIA TRINACRIÆ REGINA DVX ATHE-  
NARVM ET NEOPATRIÆ.

Rex Episcopum Segorbiensem, & Andream Valterram eius fratrem  
mittit legatos ad Gregorium P. M. de Sicilia regno a se, hereditaria Regis  
Frederici maioris patruī actione vindicando, & repetendo: ne finat, vt ius  
suum armis persequi necesse habeat: pollicenturque Regem supremum  
eius regni dominium Ecclesiæ excepturum: quæ a Pontifice renūciuntur:  
qui legitimam excusationem habuit: quod Petrus Rex Regis proauus nul-  
lo tempore ab Ecclesia ad regnum fuisset adscitus: & vetustarum donatio-  
num lege, quas Ecclesia concessu suo sanxerat, feminæ etiam ad hæredita-  
rium regnum arcesserentur: vt Regina Constantiæ Frederici Imperato-  
ris parenti obuenerat.

Præfecti arcium Athenarum, & Neopatriæ, ducesque, atque earum di-  
tionum procuratores, militaresque manus, Frederico Sicilia Rege vita fun-  
cto, & femina vacuæ regni possessionis herede, cum de principatu, inter  
Mariam, & Aragoniæ Regem eius auum controuersia orta esset, a Maria, &  
eius regni procuratoribus deficiunt: & Regi se addicunt: vexilla, insignia-  
que regia Aragonum Principum Athenarum arce extolluntur.

Iohannes Hugonis Cardonæ Comitis F. natu maximus Iulio mense  
Iohannam Aragoniam Alfonso Ripacurciæ Comitis, & Vilienæ Marchio-  
nis filiam vxorem ducit.

Bonanatus Zapera ad Babylonium Imperatorem, quem ipsi Sultanum  
vocant, de Rege, & Regina Armeniæ, eorumque filijs captiuis redimendis  
legatur. Hi a superiore Sultano, cū Armeniæ minoris potitus esset, capti  
fuerant: & Hierosolymis regijs custodijs asseruabantur. Præcipue vero a  
Rege datur opera, vt Maria Regina Armeniæ senior, quæ Siculis Regi-  
bus, maximis propinquitatis vinculis adiuncta erat, primo quoque tempo-  
re liberetur.

Gregorio Pont. Maxim. decedente, exitiosum dissidium in Eccle-  
sia Dei exoritur.

MCCCLXXXIX.

Vrbanus VI.

Clemens VII.

Rex qua erat prudentia, & calliditate, & alta quadam mente præditus,  
in summo religionis discrimine, lacerataque Christiana republica, duo-  
bus de Pontificatu maximo dissidentibus, & infestissime contendentibus,  
de grauissimorum, & sapientium virorum, procerumque sententia Epi-  
scopis suarum ditionum interdicit, ne in suis diocesisibus alterutrius cō-  
petitorum aut fulciatur, aut refutetur: atque vnus ex Christianis principi-  
bus neutram in partem mouetur. His constitutis ad eos, quorum honoris,

g ij & digni-

NAT. CHR.  
MCCCLXXIX.

& dignitatis pontificiæ certamen erat, legati a Rege mittuntur: si tanto accepto incommodo, ad veram concordiam deduci possent. Rationes omnes earum rerum, quæ in controuersiam, disceptationemque ducebantur, cõquiri, explicarique iubet. Ad Vrbanum legatur Matthæus Clemens regius consiliarius iuris sacri, ciuilibusque peritissimus.

Regnum Siculum a Rege hereditaria Frederici Regis maioris patruï substitutione expetitur: quod in ea feminæ a regno reijcerentur: legitimumque se successorem asserit: repulsa ea pactione, quam Gregorius inter Fredericum minorem, & Iohannam Reginam sanxerat: cuius decreti sanctione feminæ ad regni hereditatem arcessuntur. Sed Vrbanus Pisano auo generatus, maxime infestus Regi visus est: & Sardoæ, & Siculæ expeditioni aduersarius. Cum sermo ea de re multis audientibus esset institutus, Vrbanus iacit, Regem Sardinia regno ab Ecclesia fuisse multatum: seque operam daturum, vti ea res palam denuntietur: & regnum Arborensi Iudici attributurum. Sin autem Siculorum rempublicam iniquo imperio misceat, regnumque inuadat, Aragoniæ regno euerfurum, multaturumque. Sed tantum abfuit, vt earum minarum terrore Rex commoueretur, vt magna classe adornari iussa, quæ in Sardiniam traiciat, & Siculis rebus acurrat, ea se transmissurum confirmet.

Valor Ligius Arborensi propinquitate coniunctus Regi se addicit: & Gothianum, & alia oppida Arborensis ditionis illi attribuuntur.

Damianus Catanæus Nicolai Goarcij Genuensis Ducis legatus, & consiliarius virorum, quibus seniorum nomen indiderant, qua appellatio ne antiquitus, ij etiam censebantur, qui potestate insignes erant, pactionum earum, quæ cum Genuensibus a Marchione Monferratensi constitutæ fuerant, fœdera renouat.

Arrigus Rocca in Corsica regiarum partium fautor aduersus Genuenses bellum gerit.

Alfonsus Ripacurciæ Comes, quem Henricus Rex, pro tantis in se meritis, amplissimo, & opulentissimo Vilienæ ditionis beneficio, Marchionis cognomine donauerat, Sicilia regnum suo iure repetit: cuius actioni Rex se, & Mariam neptem, & postremo Iohannem, & Martinum filios Ludouici, & Frederici Regum sobrinos, propinquitatis iure antetulit: & Alfonso ab ea mente destitit. Petrus Alfonsi F. Iohannam Henrici Regis, Et Eluiræ Inniciæ Vegæ filiam in matrimonium ducit. Ex eo connubio Henricus Vilienæ cognomine, & Leonora liberi nascuntur.

Vrbanus Iohannam Reginam Neapolitano regno multat: & Carolo Dyrrhachij Duci supremo Ecclesiæ iure attribuit: quæ res exitio Reginæ fuit. Carolus Ludouici Dyrrhachini, & Margaritæ Sanseuerinatis Roberti Sanseuerinatis filia erat filius: qui Margaritam consobrinam uxorem duxit: Caroli Dyrrhachini Ducis, & Mariæ, Iohannæ Reginæ sororis filiam. Ludouicus Pannoniæ Rex, & Carolus Dyrrhachinius, & maior Italia pars Vrbanus obtemperant: obediuntque: Gallus vero Rex Clementem, tamquam verum Christi vicarium denuntiare imperat.

Anni huius initio Episcopi, ecclesiasticique ordinis viri primarij, & prudentiæ, doctrinæque laude præstantes Regis iussu Barcinone congregantur. Fructus, & annui redditus, ac bona Apostolico ærario debita, & quæ in posterum eius iuris futura erant, sequeltro committuntur.

Clemente



Clemente in Galliam prouinciam concitata nauigatione remeante, itinere toto Gallia ciuitates aduentus eius festos, atque sollempnes dies celebrant. A. D. XII. K. Iul. Auenionem ingreditur. Ex eo ingrauescens diffidium, non modo egre opprimitur, sed pæne infinitum malum in Ecclesia Dei serpere cepit.

Cum Artallus Alagon Mariam Sicilia Reginam, quam in sua potestate habet, Iohanni Galeatio Virtutum Comiti, Barnabouis Mediolani domini fratris filio in matrimonium collocandam pacto conueno. Sponderet: & classe adornata Iohannes Pisano e sinu in Siciliam traiecturus esset. Gialbertus Cruillias repentino v. actuarijs nauibus classem adonitur: eaque incensa, milites, nauæque ad interuersionem caduntur. Consumpta, & exhausta classe, Iohannes de suo cursu, & mox a matrimonio obeundo reuocatur.

Guilielmus Raimundus Moncada Augusta Comes Aragonum Regis copiarum praesidio, quibus Rogerius Moncada praefectus fuerat, Mariam Reginam, quæ sub Artalli potestate manserat, ex Catanensi arce furtim, oppressis custodibus extrahit: & actuaria naui deducens in Augustæ arcem includit: & paulo post Licatâ, Manfredi Claramontij oppidum transfert. Sunt, qui eam rem gestam superiore anno A. D. IX. K. Febr. testificentur: & Vrbanum P. M. oculos adiecit, ut Maria Regina Francisco Pragano fratris E. desponderetur.

Philippus Dalmatius Vicecomes Roccabertinius Athenarum, & Neopatriæ ditionibus a Rege praepositus, comparata classe, propugnationi arcium Sardinia occurrit: & vrbes, quæ in Regis ditione erant, praesidijs munit. Aduersus Bulahabeziû Regem, cui Tunetana, Bugiensis, & Constantina ciuitates parebant, quod tributum in singulos annos debitum conferre recusat, bellum gerit: & inde in Atticam traicit.

A. D. XIII. K. Iun. Henricus Rex ad S. Dominici sanum, quod via Traiana imminet, e vita excedit: patre Rege, maioribusque suis dignissimus: & qui non nefario fratris patricidio obtristis regnum inuaderet, sed qui iuste, & legitime regnaret.

Iohannæ Neapolitanæ Reginae legati Barcinonem, ad Regem missi de Regina Regi ipsi, aut Iohanni eius F. in matrimonium collocanda legationem renuntiant. Nam Matha Iohannis vxor Armeniacensis Comitissis F. morrem obierat. Quod in magna rerum desperatione varfaretur, pollicentur Neapolitanum regnum Aragonio contributuram. Rex nuptias reiicit: quod Sibyllam Fortianam, quæ Artallo Focio nupta fuerat, ducere decreuisset. Laurentius Valla, qui ex antiquorum annalium monumentis, ac Regum commentarijs, & plura conquisiuisse, & Ferdinandi Aragonia Regis, Petri Regis nepotis historiam concinnasse videtur, a Sibylla haud honeste, & laudate, antequam Regi nuberet, actam vitam inuit: & Isabellam filiam, quam ex ea suscepit, ante nuptiarum sollempnia genitam. Iohanna reiectis ab Aragonio nuptijs, Othoni ex Pransuiciensibus Ducibus enubit.

Huius anni initio Hiberus magnis, & assiduis auctus imbris æqua, & plana Cæsaraugustæ vrbis loca stagnans, in aliû cursum adeo cõtortus est, & deflexus, ut relabentem secuta sit edificiorû, & prædiorû, hominûq; strages. Coercendo flumini extra ripas diffluenti immensi sumptus impensi.

NAT. CHR.  
MCCCLXXX.

A. D. III. Id. Iun. Barcinone Rex Martinū filiū Siculo regno donat; quod eius regni ius Frederici Regis senioris testamēto ad se peruenerat.

MCCCLXXXI.

A. D. III. K. Iul. Neapoli in Ovi arce Iohanna Regina Ludouicum Andegauensem Ducem filium sibi adoptat: ditionumque cis fretum Sici-  
liense, futurum Regem instituit: Prouinciæ, Folcalqueriæ, & Pedemontis  
ditionum heredē scribit: Calabriae Ducatum, ut legitimo successori attri-  
buit. Ludouicus tanto dono Reginae addictus, & foedere obstrictus, sacra-  
mento adactus obtestatur, se pro regno, & Reginae incolunitate, & Otho-  
ne Pransuiciensi Duce Principe Tarentino, aduersus Franciscum Andriae  
Ducem acerrimum Reginae hostem, tamquam pro communi salute, arma  
capturū: & Reginae iniurias ulturum, persecuturumque. Clemens Auenio-  
ne XI. K. Aug. iussa ea rata, atque firma futura sancit: ut Carolū Dyrrachi-  
nū inimicū, atque hostē, & Urbano cōpetitori addictū de regno deturberet.  
Caesaraugustæ Ianuariō mense conuentus a Rege uerunt. Petrus Luna  
qui in Cardinalium collegium a Gregorio Pont. Max. cōoptatus fuerat, a  
Clemente legatus Hispaniarum regna obit.

Ianuarij mensis exitu, tanto apparatu Caesaraugustæ Sibyllæ Reginae  
diadema impositum est, & tam frequentū ludōrum celebratē popularis  
lætitiā exiuit, ut maiore splendore fieri nequirit, si Rex tunc prius uisus  
uus sponfus prodiret: aut regnum adipisceretur.

In Caesaraugustano conuentu Aragoniæ proceres, & ij, qui hominibus  
subditijs dominantur, summo in eos, & supremo iure uti posse, & con-  
fuisse, summumque imperij dominatum in caput, & fortunas eorum obtine-  
re: quos ditioni suæ, ac potestati subiectos habent: & a se premi posse: atque  
in eos uitæ, necisque potestatem habere contendunt. Nam cum Anzane-  
gi oppidani malæ tractationis actionem, aduersus Petrum Sanctiū. Latra-  
cium, eius oppidi dominum intendissent, iudiciumque; de ea re, constitutum  
a Rege esset, contra tendentibus proceribus, & libertatem imminuī con-  
querentibus, eius actionis iudiciū rescinditur: eiusque rei nullā esse actionē,  
& nullum experiundi ius constitutum, in posterum obtinent. Deinceps  
alijs traditū: ut quod nec cōmuni gentiū, nec legitimo iure perscriptū, aut  
sancitū erat, publicave, aut priuata lege, aut priuilegio irrogatū, in sua pos-  
sessione frequenti usu, & diuturna obseruatione retineant: ut nec Regibus  
ipsis eius actionis iudiciū cōstituerē aduersus impotentē eorū dominatum  
permissum sit: & maior ea vis, & eius pœnā non humano, sed diuino iudi-  
cio pro maleficijs, ad extremū puniēda reseruetur: & quod præclare a pru-  
dentissimis uiris usurpatū dici solet, vnum Deū ultorē, & vindicē habeat.

Dissidētibus inter se potentibus, & factiosis proceribus Lupo Simenio  
Vrrea, & Ludouico Cornelio, & armis dimicantibus, quod Brianda Luna,  
Mariæ Lunensis Comitis soror, quæ Lupo Simenio Vrrea nupta fuerat,  
& ab eo diuerterat, Ludouico nupsisset: seditione, & armis ciuilibus Arago-  
niæ ordines perturbantur.

Iohannes Castellæ Rex Salmanticae A. D. XIV. K. Iun. consilij,  
mandatiq; paterni immemor, quasi dijudicata Urbani, & Clementis con-  
trouerfia, quæ Christianorū Principum distractione Ecclesiam ipsam  
dilacerat, se Clementem, tamquam verum Christi Vicarium suscipere, at  
que agnoscere profitetur: suisque edicit, uti abvniuerso regno, generatim-  
que a singulis obseruetur: obtempereturque: qua in re Regem parum ho-  
nefte

neſte Franco gratificatum apparuit.

A. D. II. Non. Iun. Iohanna Regina vi armorum a Carolo Dyrrhachino hoſte oppreſſa, Ludouicum Andegauentem, quem ſibi legitimum filium, & heredem adoptauerat, tumultu Gallico implicitum, in regni ſocietatem adſcituram ſpondet: dum eius præſentia, & aſpectu frui liceat: ſperans ea pollicitatione contra tantam vim, auxilium primo quoq; tempore miſeræ matri laturum.

Qui Athenarum, Neopatriæque ditionum potiebantur, ex acerrima Catalanorum gente prognati, cum Ludouici Nauarri, Caroli Regis Nauarræ fratris, Dyrrhachii Ducis, qui Iohannam Caroli Ducis Dyrrhachii, & Mariæ, Iohannæ Regiæ ſororis filiam duxerat, copijs coactis proelio deuicti eſſent, & hoſtes victoriæ compotes Athenas irrupiſſent, magna virtute reſiſtunt: & eorum populorum auxilio, qui Helladem incolebāt, & Catalanis Atticam ditionem obtinentibus ſe, ſuaque ſubiecerant, Lebedeam urbem, quam Nauarri inuaſerant, & eius arcem vi expugnant: & ereptæ arces recuperantur: & præſidijs maioribus muniuntur: ac magnis munitionibus firmantur. Claſſe, auxiliariſque copijs, Rocabertino Viſcomite ductore, eorum reliquiæ, diſſipatis, perterritiſque hoſtibus inſtaurantur. ¶ Rocabertiniſque ex Auguſtæ arce Mariam Sicilia Reginam eripit: & in Caralitanâ arcem tranſfert. Regis iuſſu haud multo poſt in Catalonia deuehitur. ¶ Ludouicus Andegauenſis Auenione a Clemente regni Sicilia inſignibus decoratur: regaleque nomen ſuſcipit: & eo regno Iohannâ, ab Urbano ditione multatâ, & Ludouicū Clemens donat: atq; illis, poſteriq; eorū A. D. III. K. Iun. attribuit. Sed eo ipſo tēpore Iohanna in Caroli Dyrrhachini Ducis, qui Neapolitanū regnum inuaſerat, poſtatem venit: & Ludouici Pannoniæ Regis iuſſu ſtrangulatur.

Petrus Luſitanus Cypri Rex, Petri Regis fili⁹ & Petri Ripacurciæ Comitis ex filia nepos, vt Bernardinus Corius Mediolanenſiū rerū ſcriptor perhibet, hoc anno moritur: quem tradit ex Valentia Barnabouis Vicecomitis Mediolani domini filia, filiâ pro genuiſſe, quæ patri ſucceſſit. In noſtrâ tamen rerum cōmentarijs apparet Iacobū Petri junioris patruū Cypri Conneſtabulū regno fuiſſe poſitum. ¶ Iohannes Caſtellæ, & Ferdināduſ Portugalliæ Reges ſummo viriū conatu bellū gerunt. Cum Ferdinandus Edmundū Cantabrigiæ Comitem Angliæ Regis F. in belli partes adſciuiſſet, Iohannes fines Luſitaniæ incurſes Alonſum Vilienæ Marchionem exercitus ductorē, caſtris ad Mirobrigam, Ciuitatē Ruderici vocant, admotis, A. D. II. Non. Iul. Conneſtabulū regni creat: fuitq; iſ primus, qui in eo regno eius maſtratus imperiū, dignitatem, ac decus eſt conſecutus. Cum exercitus vtriq; cōueniſſent, ſignis in Caiano campo inter Pacem Auguſtâ, & Ielues oppidū conlatis, ad pacis fœdera Petri Lunæ Cardinalis pacificatoris ſuaſu deuentū eſt: pactūq;, vt Ferdinandus Iohannis F. natu maior Beatricem Ferdinandi Regis F. in matrimoniū ducat.

Leonora Regina Iohannis Regis vxor, Regis Aragonum filia Idib. Auguſti Cuellari appropinquante partu, e vita excedit. Iohannes Beatricem, quæ Ferdinando filio de pacta fuerat, vxorem ducit: vnde ſemina malorū in contrarias partes ſe vertere.

Hugone Arboreni Iudice, cuius mores feri, immaniſque natura erat, a ſuis acerbiffima morte affecto, omnibus enim cruciatibus conſectus neca-

g iij tur, &

NAT. CHR.  
MCCCLXXXII.

MCCCLXXXIII.

MCCCLXXXIII.

NAT. CHR.  
MCCCLXXXVIII.

MCCCLXXXVIII.

tur, & dignum meritis suis vitæ exitum tulit, Sardinia ad spem libertatis erecta est. Classem Rex institui imperat: vt Sardois rebus accurrat. Vt in Sardiniam cum classe adornata nauiget, Pontio Senesterræ ex proceribus Catalanis, qui Violantem Berengarij Carrocij Quirrensis Comitis F. duxerat, committit: & Violanti Quirrensis ditionis, & Comitatus iura, honorario titulo attribuit. Brancaleo Oria, qui Leonoram Hugonis sororem in matrimonium duxerat, Montione a Rege conuentus agente benigne excipitur: & in celeberrima frequetia militaribus insignibus: & Montilleonis honorario Comitis titulo decoratur: Marmilæque oppido, ac ditione donatur. Sardi, quod ea maxime tempestate iugum feruile deijcere, aut Genuesi ciuitati se addicere nituntur, portus omnes occupant, tuenturq;.

Rex ab Urbano, si in se aut promerendi, aut proferendi beneficij locū habere velit, facile impetrare sperat, dum res publica Christiana tanto dilaceratur dissidio, vt Sicilia regnum iisdem condicionibus, pactisque sibi attribuat, quibus ab Urbano item i. v. P. M. Carolo primo delatum fuerat. Sardoium etiam tributum Ecclesiæ debitum, cum continētibus bellis, ob eius insulæ propugnationem, ingenti suorum strage, atque internecione Aragoniæ regna exhausta, ciuitatesque exinanitæ essent, condonari, ac remitti exposcit. Decumarum ecclesiasticarum fructus in decennium in sumptus bellicos redigi, & vti Montesæ magistratus, Ampostæ Hierosolymitanæ militiæ præfectura, & Cataloniæ eiusdem instituti prioratus a se conferri possint, & vectigalia militiæ D. Iacobi, & Calatrauæ suorum regnorum, nouo ordini a se instituendo contribuuntur: & plura alia dignitatis, supremique Pontificij iuris postulat: Darocamque, & Setabim vrbes Episcopalibus sedibus decorari: & vt dioceses illis assignentur deprecatur. Tam multis de rebus, atque tantis ad Urbanum a Rege Petrus Guilielmus Estamboisius, & Matthæus Clemens Apostolicarum causarum iudex, Regis consiliarius legantur: atque eorum legationi comites admoventur Guilielmus Valsicca, & Petrus Zacalmus iuris, & Canonicarum sanctionum consultissimi viri: qui penitus naturam, rationemque iuris, & rei gestæ a competitoribus perscrutentur.

Dertosa A. D. IIX. K. Mai Rex conuentus Montionem indicit. Cum Aragonij, Valentini, Catalani, Balearicique eum in locum conuenissent, de summa maiorum suorum Aragoniæ Regum, & Barcinonensium Comitum, & perfecta gloria multorum, & magnorum in patriam meritorū concionatur. Sūmatim eorum cōmemoratione repetita recenset, a Vulturis monte, qui supra Oscam, inter Pyrenæi iuga eminet, ad Origuellā Contestanorū urbem, & Tamarito, maritimo ad Tarraconē oppido ad Turiafonem celebrē Celtiberū urbem, insigniavidelicet regna, maxime fideli, & opportuna suorum opera armis subacta: & a Maurorū crudeli dominatu vindicata. Eo vsus exemplo, ad similem virtutē, & simile factum eorū stirpem excitās, Sardois rebus ope, atq; consilio, auxilioq; suorum subueniri oportere prædicat. Conuētus de re publica referendū censent. Martinus ipse Regis F. quod admirationē magis mouet, totius conuētus nomine refert, in aula regia, & Ducis Gerundæ fratris domo, cōtra ius, fasque perniciofa, & iniusta iussa vigere: acerbissimis exactionibus imperatas pecunias cogi: remiges, arma, tormenta, vecturasq; imperari: regium statum deminui, atq; conuelli. Ea omnia Regis, ac Ducis Gerundæ consiliariorū culpa induci,

induci: atque irrogari. Eos esse, qui arcana regni, summaque rerum Petro, & Henrico Castellæ Regibus, atque Arborensi, & Ludouico Andegauen-  
 si, & Genuensi senatui, Siculisque proceribus turbantibus protulerint: &  
 qui Balearicum arma inferentem, exterarumque nationes subita, atque impro-  
 uisa formidine incurfantes pellexerint, atque ad nos traduxerint: quibus,  
 pro tantis flagitijs, atque sceleribus magna essent præmia persoluta. Cum  
 Rex in eos studiose inquiri imperaret, aliquot proceres, primariique viri  
 & aula, & Ducis domo exiguntur. Magna mox contentio toto conuen-  
 tu exoritur: quod ex eo confellu, Rex Vicecomitem Rotensem, proce-  
 resque alios depellere imperasset. Hi fuere Gasto Moncada, Aimericus  
 Scintillias, Iohannes Bellera, & Garcias Ferdinandus Heredia Aufeta-  
 nus Episcopus. Magna inde seditionum incurfiones vi, atque impetu pro-  
 cerum concitantur.

Leonora Arborensis ductu petulantis, & ad facinus audacis feminæ  
 magnum in Sardinia bellum concitatur. Cum ducis munia per eos dies  
 obiisset, plurimarum arcium, & oppidorum Hugonis fratris potitur.  
 Brancaleo eius vir, apud Regem commorans, cum in suspicionem vene-  
 nisset, profectionem suam in Sardiniam maturare, vt arma caperet, to-  
 tius conuentus consilio, quamuis fide publica in Cataloniam venerat, do-  
 mi septus, liberali custodia retinetur. Cum pollicetur Fredericum Oriam  
 filium, quem Sardi Iudicem sibi adsciuerant, atque in eius verba iuraue-  
 rant, oblidem traditurum, huius anni initio Bartholomæo Togori, &  
 Lupo Alvaro Speculo a Rege traditus in Sardiniam deuehitur. In Cara-  
 litanam arcem inclusus, in ea custodia, quoad Rex decedit, retinetur.  
 Nam Leonora eius vxor impotentis, & effrænati animi femina, non mi-  
 nore impetu, atque conatu, quam pater, fraterve occupare tyrannidem  
 adnititur: Genuensique ciuitate nixa Sardo regno imminet.

MCCCLXXXIV.

Conuentu Montione in Februarium mensē producto, Tamaritum  
 Litterensis regionis oppidum, & inde Fragam transfertur. Eo in  
 conuentu ditiones, oppidaque a Rege Sibyllæ Fortianæ Reginæ vxori,  
 & Isabellæ filiæ, Bernardoque Fortiano Reginæ fratri donata rata,  
 firmaque fiunt. Hinc acres contentiones, atque dissidia, non modo Io-  
 hanni priuigno cum nouerca, sed patri cum filio existere: Rege perpetua  
 obliuione obruto, quæ in ipso regni adipiscendi aditu, aduersus nouer-  
 cam, eandem ob causam molitus fuerat.

Iohannes Gerundæ Dux patre inuito, & resutante, qui Mariam Sici-  
 liæ Reginam neptem in matrimonium filio collocare statuerat, Iolan-  
 tem filiam Roberti Barenfis Ducis, & Mariæ Iohannis Francorum Re-  
 gis filiæ ducit: magnaque inter eos seditio, atque discordia concitatur.  
 Eo feminarum æmulatio eruperat, vt in partes domum regiam distra-  
 xerit: & procuratione regni paulatim filius, ad quem lege peruenerat,  
 amouetur.

Rex Iohannem Emporiarum Comitem patruelem fratrem, & primo  
 affinem, ac mox generum, quod Iohanni primigenio a se dissidenti se ad  
 dixerat, bello persequitur: eumque Castellionem, in ipsis vestigijs Empo-  
 riarum vetustæ vrbis, pluribus ante sæculis prostratæ, atque dirutæ, situm  
 oppidum includit: obsidetque. Totius Emporitani tractus celebris, &  
 antæni loca oppugnat: atque incurfionibus vastat.

Vitta,

NAT. CHR.  
MCCCLXXXIV.

Vitta, alijq; Galli ductores ccc. equitum galeatorum turmis præfeci stipendia Emporitani Comitis merentes, qui suum auxilium Iohanni Gerundenfi pollicitus fuerat, omnique festinatione suafore, atq; impulsore Iohanne ipso regis F. Comiti subuenire properantes, in Ruscinonensem comitatum Marzano Pyrenæi saltu transgrediuntur. Eiusdem Iohannis suaſu, atque consilio, qui Emporitani peflundedit, M. equitum Gallorum turmas prouinciam Galliam incurſantes, atque deuaſtantes Comes mercede conſtituit: quibus omni Catalano equitatu, peditatuque Rex vna cum Iohanne ipſo filio ad Pyrenæi radices occurrit: totaque hieme in armis permanet: quo facilius ſubſidium prouinciæ ferri poſſet.

MCCCLXXXV.

Martio menſe Bernardus Armeniacenſis Comitis Armeniacenſis frater, qui Iohanni Emporitano Comiti, contra tantam Regis vim, auxilium ſe ſaturum pollicitus fuerat, vltro bellum inferens Narbonis vrbis finibus appropinquans, Iſabellæ Balearici ſororis cauſam, bellumque ſuſcepiffe prædicat. Rex Gaſtonem Mòcadam ad Riuipulli tractum bellicis copijs præficit: vti externarum copiarum aditum, atque incurſum arceat.

Iohannes Gerundæ Dux, qui & auctor, & concitator eius tumultus fuerat, exploratis hoſtium rationibus, Pyrenæi saltu tranſcenſo, ccc. tantum equitibus comitatus concubia nocte, incredibili feſtinatione accelerans, al bente cælo, Durbanum oppidum Ruscinonenſi regioni finitimum, quo ſe exultantes Gallorum copiæ receperant, tanto impetu adoritur, atque oppugnat, vt capti pæne imbelles, direptique fuerint.

Externo hoſte in terra Gallia male mulcato, ac pæne deleto, cuius timore antea diuidere præſidia, & oppida munitione circumdare Rex cogebatur, Vitta, alijque Gallici ductores, qui in Ruscinonenſem regionem inuaferant, A. D. IX. K. Iul. fide publica Carmencionem regrediuntur: vt in Galliam prouinciam inde reuertantur. Emporitani propugnationis Caſtillionenſis diffiſus actuaria naui Vrgellitani Comitis Auenionem Rhodano ſubuectus, eo conſilio, atq; animi obſtinatione contendit, vt bellum nouo delectu, aduerſus Regem cuncta affinitatis iura proterentem, atque conculcantem redintegret.

Rex Ficarijs repentinæ incurſionis timore ſublato, cum bellum, aut illatum defendit, aut Emporitano infert, in æſtiuis rem militarem collocas, Auguſto menſe in grauem morbum incidit: adeoq; vehementer ægrotat, vt eius deſperaretur ſalus. Breui conualeſcens bellum Emporitana regione promouet: & genero inſenſus, exacta ætate nihil antiquius Caſtillionenſi obſidione ducit: nullum ſibi inexpugnabilem locum arbitratus.

A. D. XIX. K. Sept. ad Aliubarotam Iohannes Caſtellæ Rex funeſto, & calamitoſo prælio cum Iohanne Dauſij Magiſtro, Ferdinandi Regis fratre, penes quem regimen ſummæ rerum ceciderat, de Portugalliæ regni ſucceſſione, ac iure decertas proſtigatur. Cecidere ex Caſtellana nobilitate, captique fuere maxime ſplendidi, atque inluſtres viri. Petrus Alfonſi Comitis Ripacurciæ, & Marchionis Vilienæ F. mortem occumbit.

Cum Regi, & Sibyllæ Reginæ cum Iohanne Gerundæ Duce ſumma eſſet diſſenſio, diuiſa namque, & diſcors aula erat, vehementibus in Fortia nam, aut Iolantem ſtudijs, Iunio menſe Iohannes Caſtellolitum cum Iolante vxore ſe recipit: Garcia Ferdinandio Heredia Aufetano Epifcopo, & Inſulæ, & Roccabertini Vicecomitibus, ex primarijs cõſiliarijs eos aſſeſtantibus.

stantibus. Rex summa vi nititur, ut Constantiam, quæ Francisco Perilio-  
 fio viro vita functo, Petro Fenolletio nupserat, & Iolantis Iohannis Ducis  
 Gerundensis vxoris arcanorum compos, atque quodammodo moderatrix  
 erat, summæque consiliorum eius factionis præficietur, e nurus domo  
 exigat: eiusque bona publicat.

NAT. CHR.  
 MCCCLXXXV.

Rex aduersus Emporitani, summo cum studio, de bello in-  
 stat, atque vrguet.

Regina Fortiana operam dat, ut primores regni ciuitates sponfione,  
 pro sua salute, ac defensione, aduersus priuignum obligentur: ditionesq;  
 ac bona tueantur.

Castellio Emporitani Regi deditur. Comes nimium pertinaciter Re-  
 gi infensus, & obstinatione bellum alere cupiens, Iohannem Bononien-  
 sem Bononiæ Comitem, DCCC. grauis armaturæ equitum ductorem,  
 ex vltimis Morinis deducendum curat: ut Emporitani ditionem ere-  
 ptam recuperet.

Barcinone sacrum Resurrectionis Domini diem Rex festa, sollempniq;  
 pompa, regioq; apparatu celebrat: quod quinquagesimus regni adepti an-  
 nus conuersus esset. Eam ob causam, quod ne fando quidem erat auditum,  
 ab Episcopis, & ecclesiastico ordine, in suæ quinquagenariæ lætitiæ sacra  
 celebranda, pecuniarum subsidia appetit: atque deposcit: vniuersæque a  
 regnorum incolis ea collatio indicitur.

MCCCLXXXVI.

Aprili mense Iohannes Gerundæ Dux, & Carolus Caroli Nauarræ  
 Regis F. Casaraugustæ magnis foederum vinculis deuinciuntur: paciscun-  
 turque, ut Iohanna Caroli F. Iacobo Iohannis primigenio filio nubat: &  
 regni Nauarræ, & ditionum Galliæ, Castellæ, & Gothicæ prouinciæ here-  
 ditatæ, si nulli superstitis liberi prolis virilis Carolo fuerint, adeat. Iohan-  
 ni non spes modo propinquæ successione, sed ipsa patris alienatio gratiâ,  
 dignationemque apud ceteros auxerat.

Rex Barcinone A. D. X. K. Mart. Dominici Cerdani Iustitiæ Arago-  
 num magistratum gerentis, quod Primigenij causam iuris præsidio fouet,  
 neque eum inauditum de procuratione regni deijci permittit vitæ, bonis,  
 ac familia: vniuersæ perniciem minatur: nisi Constantiam Periliosam in  
 carcerem detrudat.

Iohannes Bononiensis Gallicarum copiarum ductor ad Ruscinonem si-  
 nes aduenat: & Emporitani se illi adiungens Emporitani ditionem  
 vindicaturus Citgiæ subsistit. Maior exercitus pars Cabestani finibus  
 Vittani, & Bruniueli Vicecomitem CC. galeatorum equitum ducto-  
 res præstolantur. Copijs tamen suis diffisi, neque ad Emporitani ditio-  
 nem recuperandam se pares arbitantes, præsertim cum infra impenden-  
 tium montium altitudines castra metaturi essent, omnesque aditus sepros  
 pertimescentes, repugnante Emporitano Pyrenæi iuga, saltusque, non  
 modo conscendere, sed Ruscinonensem regionem adire recusant: & in  
 Aruernos regrediuntur.

Rex Iohannem filium procuratione regni priuat: imperatque, atque  
 edicit, ne quis primigenio pareat. Iohannes anxius exploratis in se patris,  
 noueræque odijs, ut aduersus regiam potestatem iuris imploraret auxi-  
 lium, Dominicum Cerdanum summo Iustitiæ Aragonum magistratui  
 Præfectum appellat: ad eumq; prouocat: eoque perfugio, & legum præsidio  
 aduersus

NAT. CHR.  
MCCCLXXXVI.

aduersus maiorem vim regie potestatis munitur. Præfectus, vt est consuetudo, de vi interdicit. Tantum cõmuni libertati tribuitur: vt princeps de suo iure, & de legibus disceptaturus ad eum potius magistratum venire, necesse habuerit: cum is magistratum gerat, qui a Rege creatus sit. Eius namque magistratus interdicitis oppositis, nihil regij imperij, aut summæ potestatis sit reliqui: quoad magistratus suum, de interdicti iure iudicium pronuntiet: & sententiam ferat: ne dignitatis regie præstantia, & quabilitatem cõmunis iuris transeat: aut vi oppressos extraordinario imperio coercet. Cerdanus in causa populari, maximeq; plausibili perpetua constantia in proposito, susceptoque consilio permanfit. Eam enim vim intercessionum, inhibitionumque Præfecturæ Iustitiæ Aragonum maiores esse voluerunt, vt nihil inuiolabilius, sanctiusve ducant: & ad eam summã omnia referri velint: vt ij restituantur, qui vi compressi, constricti, aut depulsi, deiectiue fuerint: eaque religione obseruant, & in ea positum fuit semper ratione, atque sententia, vt eius Magistratus ea vis sit, vt præscribat regijs iudicibus, ne quid aduersus interdicta, intercessionemque attentent: molianturve. Inde id perfugium, quasi præsidium communis salutis, legum, & institutorum venerantur: obseruant: arte tenent: accurateq; tuentur: ac primigenium regni heredem ad ea legis præsidia decurrisse, ciuitates omnes gloriantur.

Augusto mense exacto Leonoræ Arborensi, & Sardis, qui a Rege defecerant, certæ pacis condiciones dicuntur. Ditio omnis a Mariano Iudice patre, ante defectionem possessa filie attribuitur. Brancaleo Oria maritus ex Caralitana arce emittitur.

Condicionibus Sardoæ pacis institutis, cum Antonioto Adorno Duce, Senatuque Genuensi a Berengario Apilia Aragonij Regis mandato, & Lucino Escaramupio Antonioto Adorni Genuensis Ducis nomine legatis pactum est: ne actuariæ naues in Ligustina ora, a Monœci portu, ad Coruum vsque, nisi Genuæ, Saonæ, Albigauni, Albintimilij, & Veneris portu ædificentur, instruantur, armenturve. In reliquis maribus Peræ, Caphæ, Famaugustæ, & in Chio insula instituantur, ornenturque. A nostris ædificandarum, armandarumque nauium stationes, portusque designantur Barcinonensis, & Valentina statio: Maioris, Minorisque Balearium, Ebusitanus, Caralitanus, & Alguerensis portus: institutaque Rhodiorum imitati navigationi, commercioque maritimo consulunt. Pacta ea Barcinone A. D. I V. Non. Nouemb. confirmantur.

Iohannes Lancastris magna adornata classe, in Galleciam nauigat: & Castellæ regnũ vxorio Constantiæ Petri Regis filie iure adoriri conatur. Philippo Dalmatio Rocabertinio classe Aragonia Siciliensibus, & Sardois rebus implicito, Rogerius, & Antonius Lauriæ fratres Rogerij Lauriæ nepotes rebus Atticis, & Neopatrensibus præficiuntur: ditionesque eas ab hostilibus incursionibus tuetur. Ludouico vero Frederici filio Aragonio Solensi Comite vita functo, Helena Cantacuzina primaria, & præpotens femina eius vxor, quæ a vicinis iam Turcis bello premitur, a Rainerio Acciajolo vrguetur: vt filiam Petro Sarracino, is erat Rainerij affinis, & primarum in Eubœa partium, in matrimonium collocet. Sed Helena Rainerij audaciam, atque arma vltura, filiam Xuro Simeoni Imperatoris Valachiæ filio Græcis, & Francis inuitis despondet. Ex eo, laceratis intestino



intestino dissidio ditionibus Atticis, Catalanorum stirpis natio in mediū rerum omnium certamen, atque discrimen decedit.

Regi cum Petro Clasquerino Tarraconensi Antistite, pro absoluenda eius ciuitatis iurisdictione, acre certamen suboritur. Raimundus Alamanus Ceruilionius oppidis ecclesiasticæ ditionis, ac iuris bellum infert.

Quod Rex cum Margarita Regina Caroli Dyrrhachini Regis vxore, qui libere Neapolitano regno potiuntur, plurima summæ coniunctionis vincula constituere decreuisset, Octobri mense Regina Antonium Carletam ad Regem legatum præmittit: de Isabella Regis filia Ladislao filio in matrimonium tradenda.

Cum Gerunda Iohannes Dux diuturno, & iam desperato morbo conficeretur, vt vim veneficij vicina iam morte in se grassari sentiret, ea enim fama emanarat, Rex A. D. XI. K. Nou. imperat, vt iurati nagistratus Gerundenses Iacobum Iohannis natu maiorem filium in suam potestatem recipiant: ne patre vita functo, aut Iolans mater, aut ij proceres, qui Iohanni se addixerant, nepotem intercipient. Accedebant muliebres offensiones: nouercalibus Reginæ in Iolantem stimulis.

A. D. IV. K. Ian. Barcinone Rege animā agēte, Sibylla Regina media nocte, Iohannis priuigni intimum, & inueteratum odium perhorrescens e regia cum sorore aufugit. Reginam in tanta rerum perturbatione Hugo Palliariensis Comes, & Reginæ domus administri comitantur. Iohanne eius rei conscio, Martinus frater reginæ procuratori præficitur: & Barcinonem cum imperio præmittitur. Iolans vxor omnibus Reginæ, eiusque affectatorum ditionibus, possessionibus, atque fortunis, quali læsæ, & deminutæ maiestatis rei, atque conuicti essent, donatur.

Carolus Nauarræ Rex K. Ian. decedit.

Martinus Barcinone copias educens Reginam, atque eos, qui in fugam se contulerant, persequens, A. D. III. Non. Ian. Zarocæ castellum obsidet: quo Reginam incluserant: qui eam fuerant persecuti. Vere, ac libere, vt institutum nostrum postulat, hoc dici potest: eovno facinore Iohannem nondum exploratis regni primordijs, patrem imitari, atque exprimere vim: si in extremo patris spiritu, & ipse præterea grauissimè ægrotans, sui vlciscendi causa, supplicium de nouercaumat: cum parentis alioqui laus magna ex parte fuerit: quod se dignum maioribus suis præbuerat: nisi in fratrum sanguinem desæuisset.

Non. Ian. Barcinone, in minore regia Rex ætate prouecta, & varijs, diuersisque generibus bellorum & intestinorum malorum perfuncta, cum vehementer pœnituisset, quod in ditionem ecclesiastici iuris Tarraconensis irruisset, e vita excedit. Ea opinione tota Tarraconensis ciuitas obstricta est, tantaque religio mentes illorum inuasit, vt nulla frequentior fama sit, quam cuius Gonzalvus Garcias S. Mariæ, & Gaubertus monachus auctores sunt: Regem vlticibus furijs, & recentis facinoris, ac sceleris vindicibus agitatū mortē obijisse. Nam cum superiore anno in iura, & ditionē Tarraconensis Ecclesiæ inuasisset, & sacerdotes immisis copijs diuexasset, & ecclesiastica ditione euertisset, neque vllō iuris præsidio, humanove imperio regia vis coërceri posset, eum ordinem D. Teclæ tutelaris numē implorasse memorant: & Regem reum citasse: vt ante Dei Opt. Maxim. tribunal sexagesimo die adesset. Præstituta die, manu percutientis diuæ, acris

h sui numi-

**NAT. CHR. MCCCLXXXVII.** sui numinis vindicis ore stimulado, commissi sceleris cruciatu incitatum, erepta restitui iussisse: & graui, & manifesta pœna exacta, morte fuisse multatum. Ad Populeti regio tumulo sepelitur: neque funeris sollemne, in tanto noui principatus tumultu, perinde, ac superioris ætatis Regibus celebratur. Nam Regina fuga, & obsessione, plus quam alia vlla ex re terroris ortum: interna dissidia, & externam vim, Rege morbo confecto, circumspectantibus.

**IOHANNES XX. ARAGONVM REX.**

Fortiana Regina, & qui se in Zarocœ castellum abdiderant, A. D. II X. Id. Ian. Martino Regis fratri deduntur.

A. D. XV II. K. Februar. Granolesio vico, Rege Barcinonem contendente, & animi vires graui corporis infirmitate retardante, Martinus frater Momblanci oppidi ditione, & Ducatus honorario cognomine decoratur.

Cum Barcinone Rex adeo graui, & desperato morbo esset affectus, vt ei mors appropinquare visa esset, veneficisq; & cantionibus confici con tenderent, de veneficio constituitur quæstio: & seruillem in modum habetur. Fortiana Regina, ceterique, qui cum ea capti fuerant, in quæstionem postulantur: & tormentorum cruciatibus nouerca a priuigno Rege subijcitur: crudelesque inde quæstiones in propinquos, clientesque Regina habitæ: & quod positas Regi insidias deferrentur, graues aduersus eos, seueræque sententiæ feruntur.

A. D. II. Non. Febr. Barcinone Rex Petro Luna Cardinale legato asistente, quasi pro suo iure edicit, atque decernit, prima Cardinaliū comitia, quibus Romæ Urbanus Pont. Max. renuntiatu fuerat, vi, atq; impressio ne habita: ea vero, quibus Clemens creatus erat, legitima, iusta, sanctaque fuisse: eique obedire, & parere omnes, vti vero Christi vicario ius, fasq; esse. Consilio muliebri, vt aiunt deteriori, tanta res gesta est. Nam Frossardus, grauis in primis eiusdem ætatis auctor perhibet, Regem a Iolante regina eius vxore, Barenfi Duce suafore, atque impulsore inductum, vt in Clementis verba adigeretur: cum pater consulto neutram in partem moueretur: maximoque id populi applausu, acclamationeque acceptum: vt est nouarum rerum cupiens, præposterusque.

A. D. II X. Id. Mart. Barcinone, in minori arce, constituta, & scita Barcinonensia, & priuilegia more a Rege iure iurando fanciuntur. Donationes a patre ex A. D. XIII. K. Ian. anni MCCCLXV. in eam diem factas reijcit. Catalani fidei sacramento in eius verba iurant.

Cum Lancastrius in Gallaicis bellum aduersus Iohannem Castellæ Regem moliretur, ac de inito fœdere cum Eduardo fratre Vvaliæ Principe, & equitum, peditumque auxilijs mittendis Aragoniæ Regem compellasset, deque ea re Archiepiscopum Burdigalensem legatum misisset, isque Regem patre fato functo, pertinaci, & nimis acerba locutione, atque minaci perculisset, Rex indignitate permotus legatum in ordinem redigit: liberalique custodia detineri iubet. Anglorum copiar, quod legatus indignissime attineretur, transenso Pyrenæo bellum inferunt: & Castellum Rossanum subita irruptione expugnant. Burdigalensis Pontifex e custodia emittitur. Frossardum vnum auctorem eius rei exstare comperio.

A. D.

A. D. XV. K. Apr. Barcinonensi statione Philippus Dalmatius Vicecomes Roccabertinius classe in Peloponesum nauigat: qui Athenarum, & Neopatria ditionibus a Rege præfectus fuerat. Arces, propugnaculaque omnia earum ditionum, quæ in potestatem Petri Pauli redacta fuerant, a Rege Roccabertinio tradi imperantur.

NAT. CHR.  
MCCCLXXXV II.

Ianuario mense Rex Leonoræ Arborensi ditionem paternam, quæ in fiscum conuersa fuerat, recepto supremo regio iure, ac potestate attribuit. Sardinia, & Corsice infulis Simonem Perezium Arenosium præsidem, ac propugnatorem præficit.

MCCCLXXXIIX.

A. D. VI. Id. Apr. Barcinone in cœnobio Valdoncellensi pacta cum Leonora Arborensi, & eius filio inita, rata, & firma Regi fiunt. Simon Arenosius cum c. c. galeatis equitibus in Sardiniam nauigat.

Iulio mense Robertus Praga Venceslai Romanorum Regis legatus Regem salutat. Benigna is oratione retulit: Venceslaum conciliari Regi ad beneuolentiam, quam maxime cupere: & vt Iohannam filiam illi in matrimonium collocet. Similitudo magna morum illicere, atque attrahere hos maxime Principes visa est. Ambo aucupio, atque venationi supra modum dediti, belli studia deposuerant. Symphonia, & cantu vocû, neruorû, & tiliarum tota regiæ personabât: intempestiua semper conuiuia, multarumque deliciarû comes extrema, vt ille inquit, saltatio: & molli, & effemina nata copia omnia ad voluptatem referebantur. Adeoq; more, & instituto id vsurpatum, vt Henricus Viliena, non minus multiplici, & recondita literatura, quam antiquissima Regum Aragoniæ, & Comitum Barcinonensium stirpe, & Henrico Castellæ Rege auo materno clarus, referat, haud secus, ac de suis rebus maximis Regem legatos ad Francorum Regem, sollemni, publica que legatione misisse, vt vernaculæ linguæ celebres poetæ in Hispaniam ex Narbonensis prouinciæ scholis traducerentur: & studia poetices, quam Gaiam scientiam vocabant, instituere. His vero, quorum ingenium in eo artificio elucere videbatur, magna præmia industriæ, & honoris insignia, monumentaque laudis esse constituta. Postremo Rex desidia, atque inertia deditus, non modo patris, flagrantis animi Principis, & regio plane spiritus præditi, sed ceterorum Regum omnium longe dissimilis committationibus, & voluptatibus affluens, vxorio arbitrio se, & gubernacula regni, & rempublicam tradiderat.

Rex suorum regnorum, & adiacentium insularum conuentus Montionem: in A. D. III. Non. Nou. indicit. In eo conuentu, cum morum, & veteris disciplinæ seueritas, & frugalitas desiderarentur, ac quodammodo nostri patriam virtutem proiecisse viderentur, & molles cultus, mulieraque imperia viri fortes detestarentur, exposcerentque, vt disciplina militaris ad priscos mores redigeretur, de conformandis moribus, & Regis, Reginæ que aula ad pristinam temperantiam communienda, & in ordinem redigenda referunt: & vt certi dissoluti, profligatæque vitæ homines domibus regijs exigantur. Aliquot præterea capita exponuntur, explicanturque aduersus Carrociam Villaragutam primariam feminam: cui se Regina toto animo dederat, addixeratque: & in cuius sinu status regni mysteria reponerentur: cuius arbitrio, cum omnium Regis consiliorum, aut conscia, aut particeps esset, honores, dignitatesque, præmia, & beneficia inconsulte, & temere, nulloque adhibito modo, conferebantur.

h ij Harum

NAT. CHR.  
MCCCLXXXIX.

Harum se partium veluti censores, & morum magistri, profitentur Alfonso Villienæ Marchio, Iacobus Dertofanus Episcopus eius frater, Iacobus Pratenfis, Bernardus Caprera, Insulæ, & Rotæ Vicecomites, Petrus Queraltus, Iohannes Bellera, & Raimundus Bagius: qui magnis coactis copijs, cum Calasancium recessissent, seditioq; magna cōcitaretur, aliquot ex regijs intimis eos ad pugnam prouocant. Res eo deuenit, vt contractis vndique auxilijs, armis decerneretur: nisi Regis mansuetudo, & lenitas ab his longe abhorreret.

MCCCLXXXIX.

A. D. VI. Non. Mart. Cæsaraugustæ ad Orba fluij ripas, in æde D. Encratidis tumuli eius diuæ, & S. Lupercij martyris, effodiuntur, cuius fundamenta ruderibus reiectis iacerentur, quibus sacra corpora condita fuerant: summaq; veneratione, ac religione eorum sacrariū constituitur: quos præcipue diuos nostri precari, venerarique consuevere: quod ijs populus, ciuitasque Cæsaraugustana in tutela sit. Ad eam sacraria D. Braulio Cæsaraugustano Episcopo insigni sanctitate illustris, & non solum amicitia, sed studiorum communione D. Isidoro coniuncto ex ædificatam, sunt, qui non sine certa ratione opinentur. Illud satis apparet, Isidorum ipsum, Cæsaraugustam urbem, non modo loci amœnitate, & delicijs affluentem cunctis Hispaniæ urbibus præstitisse, asserere, sed sanctorum martyrum sepulchris. Cœnobium consecratæ ad continens præcis temporibus monachis D. Benedicti datum; & partim memoria sumptu, ornatuque regali constructum sub D. Hieronymi tutela, & instituto incolitur.

Cum corruptelæ omnis generis inoleuissent, & ob eam causam magna partium contentio secessionē procerum in regno versaretur, A. D. VI. K. Sept. fides publica a Rege Alfonso Villienæ Marchioni datur: vt cum Martino fratre Binesari, vna cum affectatoribus ad colloquium, congressumque veniat.

A. D. VII. Id. Septemb. vt fide publica Montionis conuentui Marchio, eiusque partium affectatores assideant, a Rege est permittum: sigillatimque Lupus Simerius Vrrea, Iohannes Simerius Vrrea Atrosilius, Alfonso Ferdinandus Ixeritanus, & Garcias Sefesius, qui Marchioni, eiusque expostulationi diffluentium regiæ domus morum coercendorum se applicuerant, fide publica in conuentum veniunt.

Garcias Ferdinandus Heredia Cæsaraugustanus  
Archiepiscopus.

Regio edicto Carrocia Villaraguta domo regiæ exigitur. Consuetudine præterea, & familiaritate Regiæ, Gerundæ Ducis Regis primigenij, Martini Regis fratris, regiæque stirpis procerum interdicitur: ab omni que fungendo munere amouetur: conuentusque decreto sancitur. Decernitur etiam: vt diffuentes regiæ mores in ordinem redigantur, coercanturq;: & dum notio, opusque id censorium conficitur, Archiepiscopus Cæsaraugustanus Montione excedat.

Vrbano vita functo, qui Romæ A. D. VI. Id. Oct. obierat, Perinus Thomacellus Neapolitanus S. Georgij Cardinalis, nuncupatus Bonifacius IX. in eius locum sufficitur.

Bernardus Armeniacensis Comitis Armeniacensis frater, magna Anglorum, & Gallorum collecta colluie, quamuis initio latrocinantium

more

more grassarentur, iusto exercitu coacto, traiecto Pyrenæo, in Emporitānum agrum incurrit. Ex copiæ ita ruunt, atque turbantur, vt earum motus, atque impetus quo pertineat, vix a Rege prouideri posset: horribilibusque strages toto eo tractu edita.

Hoc anno in Montioniana arce decedit Ferdinandus Regis, & Iolantis Reginæ filius.

Barcinone Rex festum Natiuitatis Domini diem celebrat.

Bernardus Armeniacensis nimius animi, Reges contemnere, & odisse visus, bello gerendo dux creatus in intimam Cataloniam bellum infert, & strenue gerit. Neque alia bellandi potior causa visa est, quam vt ex copiæ temerario cursu insultantes bello se alant.

Id. Februar. Dominico die Carolus Nauarræ Rex Comes Eburouix in Pompelonensi Ecclesia regium diadema suscipit: & a Martino Zalba Pompelonensi Episcopo, Petro Luna Cardinali legato Apostolico adsideute corona imponitur.

Februario mense externarum copiarum exercitus Armeniacensi ductore Bisuldunum nobile oppidum ad ipsa Ausetanorum, & Indigetum confinia obsidet. Omnes, qui per ætatem arma ferre possint, æreo sonitu more gentis, ad bellum coguntur: concitanturque. Bernardus Caprera, quo in adolescente magna indoles virtutis fulgebat, cum in tam præcipitem casum res publica recidisset, anteuertens, ne nostri oppido desperarent, cum in eo præcipua defensionis præsidia constituissent, oblidionem subit.

Armeniacensis Comes magnas militum copias ex Armorice ciuitatibus Ducatus Britannicæ, & Comitatus Monfortis cogit: vt fratri opem, auxiliumque ferat: neque ea res obstitit, quod Britannicæ Dux Iolantis Aragonicæ Reginæ auunculus esset. Vt mirum videri debeat, quod a Petro Tomichio Catalanarum rerum scriptore, cuius ætas in hæc tempora incidit, memoriæ proditur, earum hostilium copiarum manus XII X. M. leuis armaturæ equitum numerum compleuisse.

Mense Martio, Rege Gerundæ absidente, cum Galli, non Emporitano modo tractu, sed Indigetum, & Ausetanorum regionibus se effudissent, circiter I V. M. equitum, ingentique peditatu, graui delectu collecto, Bernardus Caprera, quod in omnes partes Gallici equites quàm latissime per uagarentur, celeritate præcurrens, ad Nauatam, cum hostilis equitatus parte confligit: acerrimaque pugna summo conatu pugnatâ hostes cæduntur, atque delentur.

Raimundus Bagius ex Catalanis proceribus dux præstantissimus cum Mastino externarum copiarum ductore primario, ad Cabanias in certamen deuenit. Hostes funduntur, & Mastinus a Berengario Villamarino Emporitano strenuo duce in acie capitur.

Cum hostes ferocius primo insultantes male multati repulsi essent, Rex, qui suos a prælio continuisset, atque in præsentia satis habuisset hostem rapinis, pabulationibus, populationibusque prohibere, cum exercitum confecisset, K. Apr. sacro Cænæ domini die, Gerunda magno impetu egreditur: cum hoste prælio dimicaturus. Galli cognito Regis aduentu, subito terrore percussi prælium deuitantes, ad montes se conuertunt: &

h iij Pyrenæum

NAT. CHR.  
MCCCLXXXIX.

MCCCXC.

NAT. CHR.  
MCCCXC.

Pyrenæum concitato cursu transcendunt. Ea ipsa die instructis aciebus, cum eam manus mirabili pugnandi alacritate flagraret, Rex Petrum Latronem Villanouam insigni virtute, & nobilitate præstantem virum, Vicecomitatus Villænouæ, & Cieluæ honorario cognomine decorat. Eo etiam tempore, vt Petrus Tomichius perhibet, Rex nobilitatis ornamenta tribuit Castellarijs, Calataiubijs, Villanouis, Corellijs, & Beluisijs: & alijs generosæ stirpis Valentini regni viris, quorum familiæ, a parto a Mauris regno propagatæ fuerant. Satis constat ab eodem Rege inlustri Scribarum familiæ eadem ornamenta fuisse attributa.

A. D. VI. Non. Mai. Ladislaus Caroli Dyrhachini Regis F. Sicilia, & Hierosolymorum Rex, qui superiore anno totius Neapolitani regni positus fuerat, cum Constantia Regina vxore Manfredi Claramontij F. a Florentino Cardinale, qui a Bonifacio Pont. M. legatus fuerat, Caietæ festâ celebritate coronatur.

A. D. XV. K. Iun. Rex, & Maria Regina Ludouici Regis, Andegauenfis Ducis, qui mortem obierat, vxor paciscuntur de Iolante Regis F. in matrimonium Ludouico iuniori Ludouici Regis F. Hierosolymorum, & Sicilia Regi tradenda.

Eo ipso tempore Maria Sicilia Regina Frederici Regis F. Martino Exericæ Comiti, Martini Momblanci Ducis F. despondetur. Earum nuptiarum pactio diu, ac multum consulta fuerat: vt Martinus pater Sicilia a tyrannis asserendæ expeditionem susciperet.

Iohannes Simerius Cerdanus Præfectus Iustitiæ Aragonum.

Is in Dominici patris locum sufficitur: cuius constans, & perpetua defensio libertatis in interdictorum, intercessionumque præsidio ferendo, proponendoque his iudicibus, quos Cæsaraugustani aliquot ciues horrebant, adeo fuit insignis, vt contra vim regni potestatis Zueræ vitam pro libertate regni in discrimen adduceret: i. x. viris procuratoribus regni cõmuni libertati opem, subsidiumque comparantibus.

Andreas Claramontius, Manfredus Alagon, & Artallus Manfredi F. Artallo Alagone Comite vita functo, fœdera inter se artificiosa faciunt: quibus eorum fides deuincitur: vt Martino Momblanci Duci, qui magna comparata classe regnum Siculum filio, ac nurui in libertatem vindicare nititur, summa vi repugnet.

Armenienses aduersus nostros in Ruscinonensi regione, & Marigotus Marxes Aruernus Regis Aragoniæ auspicijs aduersus Francorum Regembella gerunt: isq; status rerum erat, vt gregales duces potentissimis Regibus bellum inferrent. Marigotus præterea in Aruernis, & Roërgera, ac Lemouicibus Armeniacensem Comitem bello persequitur.

Septembri mense ineunte, Barcinone Vlrucus Herbessel Venceslai Imperatoris legatus, de Iohanna natu maiore Regis filia Procopio Marchioni Morauicæ Principi collocanda, legationem renuntiat: sed is Isabellam Regis consobrinam, Ruperti Baiohariæ Ducis Comitis Rheni Palatini fororem, Petri Sicilia Regis neptem in matrimonium ducet.

Rex in Aragoniâ omni festinatione properat: quod Mahomates Abulhagigis F. Granatensis Rex copias ingentes colligens, Valentini regni fines adoriri minatur: qui cum Petrus Rex pater pacis fœdera corroborauerat: confirmaueratque.

A. D.

A. D. VII. Id. Octob. Iohannes Castellæ Rex Dominico die Alcala Carpetanorū ad Henarem fluium oppido, admissō equo deturbatus, cū latus vehementer offēdidit, fractis, & comminutis ceruicibus interiit: Henrico, & Ferdinando ex Leonora Regina Regis sorore, liberis relictis.

NAT. CHR.  
MCCCXC.

A. Brancalione Oriæ & Sardis, arma, veluti pro communi salute capiuntur. Urbem, arcemque Sacerensem, & alia castella aut occupant, aut vi expugnant. Omnis tractus, ac ditionis Galluræ iuuentus ad eam defectionis insaniam a Brancalione excitur. Cum sepe alias, tum ea re nūtiata, tumultus hostium præcipuus terror omnium mentes inuassisset, & Aragonensis, Catalanaque natio continentibus duorum, & viginti annorum bellis in Sardinia esset exinanita, & copiæ militares imminutæ essent, Rex Cæsaraugustæ, A. D. V. Id. Febr. ex Hispano delectu suppleri imperat: & ij, quibus bona, ditione sive Sardoæ hereditate venerant, intra quattuor menses in Sardiniam proficisci coguntur.

MCCCXCII.

Id. Febr. Cæsaraugustæ Rex Raimundum Periliosum Rotensem Vicecomitem Periliosij Vicecomitatus cognomine cohonestat: eoque titulo, virtutis ergo donare prædicat.

Non. Aug. festo Dedicacionis D. Mariæ ad Niues die, Barcinone Iudæorum synagoga a Christiano populo diripitur. Eo ipso die, in celeberrimis Hispaniæ urbibus, & oppidis conuenticula eius nationis omnia expilantur, vastanturque: & ex immensa, & interminata in omnes regionū partes eius gentis multitudine, innumera eorum vis occisione est occisa.

Quod Henricus Castellæ Rex, ob ætatis imbecillitatem, grauitatemque rerum, gubernandi munus, & summi imperij procuracionem sustinere non posset, & seditionum, & discordiarum vi regni status conuelleretur, omniaque turbarentur: auunculus Rex in pacificationem se interponens, Gerardum Queraltum summi consilij virum, qui Iohanni Castellæ Regi in priuatis rebus conscius fuerat, & S. Felicis oppido Gallecorum nuncupato, ab eo donatus erat, in Castellam legatum mittit: neque compositionis auctor esse desistit.

A. D. XIV. K. Dec. Auenione Pontificatus Clementis anno xiv. Martino Duce expeditionem Siciliensem maturante, Clemens collegij permisso, Mariæ Trinacriæ Reginæ, cum Martino Exerici Comite libere contrahendi facultatem elargitur: quod Gregorij xi. Pont. Max. decreto cautum esset, si forte contingeret feminam, nec dum nuptam, in Trinacriæ regno succedere, ea summi Pontificis explorato consilio, viro Catholico, ad regni propugnationem idoneo, & Ecclesiæ Romanæ non suspecto, aut Iohannæ Reginæ, & eius successoribus inimico nuberet.

REX MARTINVS, ET MARIA TRINACRIÆ REGINA.

DVCEs ATHENARVM ET NEOPATRIÆ.

K. Decemb. Citgij Tarraconensis territorij vico, Martinus Dux Berengarium Cruilliam, & Gerardum Queraltum Sicilia regni procuratores creat: præmittitque operam daturus, vt Siculos proceres, ciuitatesque, de illa animorum prauitate, qua defecerant, deducant: & Martini Regis filij, & Mariæ Reginæ nurus partes suscipiant: & ad sanæ mentis consilia defiscentes reuocent.

Incunte Martio Martinus Dux Sicilia a tyrannorum dominatu vindicanda,

MCCCXCIII.

h iij dicanda,

NAT. CHR.  
MCCCXCII.

dicandæ; & filijs in libertatem afferendæ expeditionem adornans, magnum, & in primis validum exercitum conficit. Cum procerum omne nomen, militumque robur concitaretur, lustrato exercitu, Fangosio portu classem soluit. C. actuarijs, onerarijsque nauibus constiterat. Ad II. M. grauis armaturæ equitum, & ingentis peditatus copias conuenisse memorant. A Edificandis nauibus, contrahendoque militi, ac remigi, nauilibusque adfuescendo certaminibus, atque exercitationibus, ac demum vniuersæ classis imperio vnus Bernardus Caprera præficitur.

Cum A. D. IX. K. Apr. Classis ad Fauinianam insulam appulisset, postridie Drepanitano portu copiæ omnes exponuntur. Quod Panhormitanorum, eiusque insulæ partis Andreas Claramontius Modicæ Comes potiretur, & in superbissimo dominatu esset, Dux itinere terrestri, infesto exercitu, castra apud Panhormum facit. Vrbe obsessa muros labefactare, & obsessos vrguere non intermittit. Inde inter eruptionem sæpius temptatam compulso in urbem hoste, cum occasio data esset nostris irrumpendi, sponione in deditiorem accepti.

A. D. XV. K. Iun. Panhormus Duci deditur. Andreas Claramontius, Manfredus Alagon, & Iacobus Manfredi F. ac ferme omnes primarij domus, ac stirpis Claramontia in Ducis arbitrium, potestatemque veniunt.

Ladislauus Rex Constantiam Claramontiam vxorem exegit: ea illata causa, quod socrum ad se Martinus Momblanci Dux pellexisset. Neque contentus iustæ vxoris condicionem repudiasse, inuitam pæne, ac reluctantem Andream Campano Altauilla Comiti in matrimonium collocat. Mox Ladislauus Mariam Cypri Regis fororem ducit: quæ breui nullis supersticibus liberis decedit.

A. D. IX. K. Iun. Barcinone sollempnia nuptiarum Iolantis Regis filia celebrantur: quæ Ludouico Andegauenfi Hierosolymitano, & Siculo Regi, præsentibus Ludouici legatis, despondetur.

K. Iunij Andreas Claramontius Modicensis Comes, Panhormitano in foro, maiestatis lege, capitis poena afficitur: & Claramontia familia vetus admodum, atque inlustis, quam satis constat maiorum fuisse, in ea insula gentium, extinguitur, & funditus deletur.

A. D. II. Non. Iun. Matthæus Fuxi Comes, qui Barcinonem cõcesserat, Iohannam Regis ex Matha Armeniacæ filiam in matrimoniũ ducit.

A. D. XII. K. Iul. Dux Martinus, Rex filius, & Maria Regina urbem Panhormum inuehuntur. Filius rebus communiter gestis cum patre insigni victoriæ laurea triumphat.

Dux Momblanci, vti legitimus filij tutor, ac procurator Bernardum Capreram, qui exercitui, & classi præpositus fuerat, vt pro magnis in rem publicam meritis honos ei haberetur, Modicæ comitatu, & opulentissima eius ditione donat: qui eius expeditionis consiliarius princeps, ac pæne auctor fuerat: & in eo bello egregia eius virtus quammaxime enituit.

Artallus Alagon Manfredi F. proceresque omnes Alagonij, cuius gentis familiæ in eo regno maxima in laude floruerant, Catanam, & eius vrbis arcem præsidio, & classe, vti vnicum perfugium munire nituntur: sed veriti ne comæatu, & reliquis copijs intercludantur, cum affectatorum auxilia implorant, urbem deserunt.

Rege



Rege Sardoū bellum animo moliente, & in Sardiniam primo quoque tempore transmissurum præ se ferente, ac significante, Iulio mense, Barcinone vexillum regium, futuræ expeditionis in signe, in arce proponitur: ac more, ex ea die stipendium, tabulis quæstorij palam propositis, militibus numeratur: classique regie Gilbertus Cruillias præficitur: Nobilissimus quisque, & fortissimus ad eam expeditionem obeundam acciti regio euocantur: atque ij in primis suam operam, opesque antetulerant: Artallus, & Franciscus Alagonès, Iohannes Simenius Verea Arrofsilius: qui Biotæ, & Baij dominabatur, Alfonso Ferdinandus Ixeritanus, Antonius Luna Petri Luna F. qui Almonézitij, & Polæ hereditariam ditionem obtinuerat: Lupus Gurrea Regie domus præfectus, Iohannes Perefus Cabullius fratris Petri Tuniafonensis Episcopi F. cubiculo regio præpositus, Martinus Lupezius Nuza, & Petrus, & Ferrarius Nuza, Galacianus Tarba, Arnaldus, & Berengarius Bardaxini, Lupus Hospitalis, Arnaldus Francia, Rudericus Perefus Abarca, Blasus Azlorius, Martinus Pomarius, Gonzaluus Perefus Pomarius, Petrus Sanctius Latrasius, Sanctius Perefus Pomarius, Raimudus Turrellias, Ferdinandus Gallocius, Berradus Cosconijs, Petrus Murus, Petrus Casseda, & Iohannes Donelfia. Raimundus Vicecomes Perilliosius, & Rotensis, Rogerius Moncada Valentini regni gubernator, & Raimundus Roccafullius, qui se Regis Castellæ ditioni addiderat, magnis comparatis copijs Regiam expeditionem molientiam seruiunt: eique maxime se ostentant. Quod Granatensis Rex belli denuntiatione nostros terreret, & magna coacta manu in Contestanos, Valentiam versus omni impetu, per concitatos equites irruere contendit, Rex profectionem in Octobrem mensem distulit: & actuarijs nauibus, quæ Sardiniam orastuerentur, Pontius Ribellias a Rege præponitur. Caralitana, Aqua frigidensis, Longofarda, & Algeriensis arces præsidijs a nostris firmantur. Longofarda a Brancaleone Oria, & aliquot actuarijs, quæ ex Corsica traiecerant, oppugnatur.

Procerum Siculorum in Regem proditione, ac perfidia, res in vltimum pæne discrimen decidunt, Comes Guilielmus Peralta, Guilielmus Raimundus Moncada Comes Augustæ, Magister, vt vocant, Iustitarius, & regni Connestabulus, Antonius Intemelius Gofisani Comes, pluresque alij proceres, atque optimates aduersus Siciliæ Regem deficiunt: subitoque ea fit rerum conuersio, vt Dux, Rex eius filius, & Regina Maria in Catanensem arcem includantur: obsideanturque.

Rege profectionem suam in Sardiniam prædicante, & vt apparet, vrgente, & fratri se subuenturum, & Sardois rebus oppressis, ac pæne iam desperatis, opem laturum pollicente, cum cunctatione ficta ludificaretur, Bernardus Caprera, profectionis regie lentum negotium iudicans, & regijs auxilijs subdiffidere incipiens, adductasque res Sicilienses in maximum periculum, & extremum discrimen videns, oppigneratis paternis, auitisque ditionibus, ac fortunis omnibus, incredibili celeritate ex Catalanis, Aquitanis, & Morinis militibus exercitum conficit: & priuatis vt opibus, ita consilij magna ausus, & singulari virtute conata executus, in Siciliam trajiciens, Ducem, ac Regem F. obsidionis periculo liberauit. Catanensi arce egressi urbem obsident.

Cum Ampostæ interea, & Dertosa Rex commoraretur, intermissa profectione

WAT. CHR.  
MCCCXCIII.

MCCCXCIV.

profectione Chersonesum vicinum oppidum inita hieme contendit: & A. D. XII. K. Ian. Comitem Arrigum Roccam Sardinia; & Corsica; praesidē creat. Is ex Corsica, vt Algueris arce obsessis subueniat, trajicit.

Valentia; festi Natiuitatis Domini dies a Rege celebrantur.

Rex profectionis Sardo; consilio, ac fama abfistens, quod frater legatos subsidium rogatum misisset, classis regia; parti, xxv. nauibus longis constitisse ferunt, Petrum Mazam Lizanam praeficit: & ad eius ductum insignes, & praestantes viri, vt Petrus Tomichius commemorat, se adiungere Raimundus Apilia, Olfus Prochyta, & Gilabertus, ac Thomas Prochyta eius fratres, & Villaragutorum familia;, Petrus Marradas, Petrus Andreas Castella, & Franciscus Castella eius frater, Petrus Marzillia, Garcias Saia;, Petrus Luxanus, Ferdinandus Munionius, & Petrus, & Michael Arinij. Cum Lilybaei portum tenerent: oppidum vi expugnant, diripiuntque. Classe Pachynum promontorium praeteruecta, Catanam appellit: qua; a Duce Momblanci obsidione premebatur: adeoque res in extremum periculum deuenerant, vt non minus nostris, quam obsessis clades, atque calamitas impendere videretur. Idem Tomichius auctor est, eo ipso temporis momento, quo classis appulerat, Ducem, cum in actuariam se recepisset, a Mamertinis interceptum: & cum Messanam auheretur, suorum repentino appulsu, incursumque liberatum.

Februario mense exacto, Rogerius Moncada aliquot nauium classem adornat: & copijs, suis stipendijs instruit: quod Momblanci Ducem, & Martinum Regem a domesticis hostibus oppressos, constanti rumore, ex Sicilia perferebatur.

Brancaleo Oria Alguerium arca obsidione premit. Caralitana, & Longosarda arces, earumque praesidia maximo in discrimine versantur.

Catana castris circumfidetur: & A. D. III. Non. Iun. in ea obsidione Martinus Sicilia; Rex Ferdinandum Lupesium Lunam auunculum Hieracienfi Comitatus ditio; donat: qui ob Henrici Intemelij Comitis defectionē publicatus fuerat. Cum Antonius Intemelius Golifani Comes, Francisci Intemelij Comitis F. nostros vi irritaret, ferroque lacesseret, & repentinus semper occurreret, prope Ennam Gerardum Alamanum Ceruilionem, & Raimundum Basium primarios proceres praelio deuincit, captiuosque retinet. Mox ipse in insidias Hugonis Sanctapacij delatus, a Ruderico Zapata strenuo viro intercipitur: qua; res, ad hostes proterendos, & adipiscendam victoriam, permagni momenti fuit.

A. D. V. Id. Aug. Catana Duci deditur. Comes Artallus Alago; Manfredi F. qui maioris Artalli Comitatis frater fuerat, & Fredericus Aragonius, pluresque alij proceres, qui vrbi propugnanda; praefuerant, aliquot actuarijs nauibus in Ligustinum litus nauigant. In ea obsidione Petrus Maza Lizana summa virtute, fideque, & animo singulari, inter illius saeculi proceres insignis, cui nihil solida; laudis, ac vera; dignitatis praestantius accidere potuit, quam Ducem, ac Regem, & Reginam, cunctumque exercitum extremo periculo eripere, e vita excedit.

Dux tota Sicilia, infestis signis exitiosum bellum, vastitatemque perduellibus infert.

Artallus Alagon Comes, ceteriq; proceres, qui ex Sicilia extorres profugerant,

fugerant, Iohannis Galeacij Virtutum Comitis, qui Mediolani, non modo auctoritatem, sed etiam imperium in suos obtinet, auxilia implorant.

A. D. X V I. K. Octob. Auenione Clemens Pontifex Max. decessit.

Vnius, & viginti Cardinalium collegium Auenione in conclaue ascenderant: & nuntij a Carolo Francorum Rege missi hortabantur, ne palam, clamve suffragia in Pontificatu mandando inirentur: quoad aduersarij voluntas, in concordia Ecclesiæ procuranda, exploretur. Patres, cum comitijs superfederi, e republica esse, minime censerent, satis futuræ concordia caueri, prouiderique existimant, si iusiurandum omnes iurent: daturus se operam, vt quisquis Pontifex Maximus renuntiatus sit, si ita e republica videatur, maximo se sacerdotio abdicet. Pæne inuitus, ac recusans Petrus Luna tituli Sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconus Cardinalis Aragonius eo iureiurando obstringitur. Conceptis verbis eam rem sic spondent,

NOS OMNES, & singuli S. R. E. Cardinales congregati pro electione futura in conclauis, ante altare, in quo missa communis celebrari consuevit, pro Dei seruitio, vnitæ Ecclesiæ suæ sanctæ, ac salute animarum fidelium omnium promittimus, & iuramus ad sancta Dei euangelia corporaliter per nos tacta, quod absque dolo, fraude, & machinatione quibusque, ad vniõnem Ecclesiæ, & finem imponendo schismati pro dolor, in Ecclesia nunc vigenti, quatenus in nobis erit, laborabimus fideliter, & diligenter, quatenus ad nos pertinet: seu etiam pertinebit: & dabimus pastori nostro, & gregis dominici, ac vicario Iesu Christi Domino nostro futuro, qui erit pro tempore, auxilium, consilium, & fauorem: nec ad impediendum præmissa dabimus consilium, vel fauorem directe, vel indirecte, publice, vel occulte. Et ista omnia, & singula, & alia vltra præmissa, omnes vias vtiles, & accommodas ad vtilitatem Ecclesiæ, & vniõnem prædictam eiusdem sane, & veraciter, sine machinatione, seu excusatione, vel dilatione quacumque seruabit: & procurabit posse tenus, quilibet nostrum: etiam si assumptus fuerit ad Apostolatam: etiam vsque ad cessionem inclusivæ, per ipsum de Papatu faciendam: si dominis Cardinalibus, qui nunc sunt, vel erunt in futurum, de ijs, qui sunt nunc, vel maiori parti eorumdem, hoc, pro bono Ecclesiæ, & vniõnis prædictæ videatur expedire.

Libentibus animis ad illius iusiurandi formulam accommodatis, A. D. I V. K. Octob. omnibus suffragia ferentibus, & ea, vt mos est, scrutantibus, atque excutientibus, in demortui Clementis locum Petrus Luna Cardinalis Aragonius aduersans, atque repugnans, quod ipse litteris ad Regem missis obtestatus est, creatur: atque sufficitur. Benedicti XIII. nomen edidit. Litteræ dignæ visæ sunt, quæ hoc in loco adponantur.

BENEDICTVS Episcopus seruus seruorum Dei carissimo in Christo filio Iohanni Regi Aragonum illustri Salutem: & Apostolicam benedictionem. Mirabiles elationes maris huius sæculi: magni quidem, & spatio si: illic enim reptilia, quorum non est numerus, spiritualis videlicet mōstra nequitia, quæ cū ipsum mare nauigantibus, portumq; salutis, remige fido petentibus formidabili congressione luctantur: densis nempe surgentibus vndique ventis, horrida sæuit tempestas: & exaltantur terribiliter fluctus eius: quod etsi semper sit turbidū, semper penitus inquietū, his tamen in-

faustis

NAT. CHR.  
MCCCXCIV.

,, faustis temporibus, superabundantibus, ac exigentibus demeritis peccato  
 ,, rum, & dissensionum exitiosa discrimina, quibus inter se dissident, ac non  
 ,, sine grauibus humanorum corporum stragibus, miserandisque cædibus  
 ,, debacchantur omnes fere Reges, & populi Christiani: præterque mala ce-  
 ,, tera vix enarrabilia, quibus miserabiliter concutitur totus Orbis, schisma  
 ,, ticæ diuisionis in Dei Ecclesia superuenit discordia: cuius perniciosissi-  
 ,, mum diluuium catholica climata nunc inundans non modicam fidelium  
 ,, absorbuit portionem. Mirabilior tamen in altis Dominus dominans pote-  
 ,, stati maris: ac motum fluctuum eius mitigans, & tranquillans Petri nau-  
 ,, uiculam, ipsius maris fluctuagis agitatum procellis, & variarum persecu-  
 ,, tionum allisam scopulis, timentemque cum Christi fidelibus, qui præfati  
 ,, diluuij clade territi, ad saluificum ipsius præsidium confugerant, tam sæ-  
 ,, uis inundationibus prorsus obrui, tantaque tempestate demergi, semper  
 ,, a naufragij perditione liberat: & dum magis de suprema periclitatione  
 ,, formidat, tunc eam mirabilius, præter mortalium spem, erigit in sublime.  
 ,, Dumque naucleri sui, eidem pro tempore præsentis ab hac luce migra-  
 ,, tio, pro mortalitatis humanæ necessitate contingit, ne pro rectoris defe-  
 ,, ctu periculum submersionis subeat, secundum exigentiam temporum, &  
 ,, inferiorum merita, ex ineffabili suæ bonitatis clementia prouidet successo-  
 ,, rem: nec semper ad tantæ supportationem oneris satis idoneum, sed infir-  
 ,, ma mundi eligens, vt fortia quæque confundat, vtque liquide pateat,  
 ,, quod ipse nauiculam ipsam per se constructam, suoque sanguine pretioso  
 ,, redemptam per se ipsum regit: protegit, & gubernat. Et ne dictæ nauicu-  
 ,, læ, inter tanta pericula, saluatio humanis adscribatur suffragijs, nonnum-  
 ,, quam eius regimini præficit imbecillum: sicut nos homuncionem viribus  
 ,, debilem, ac insufficientem meritis, ad ipsius nauis clauum, suæ videlicet  
 ,, Ecclesiæ regimen sua dignitate vocando, fecisse noscitur his diebus. Feli-  
 ,, cis siquidem recordationis Clemente Papa v. i. prædecessore nostro, ab  
 ,, huius terrestris incolatu miseræ, nuper ad supera, sicut pie credimus, Chri-  
 ,, sto vocante, translato, corporeque suo, prout mos, & debitum exposce-  
 ,, bant, honorificæ tradito sepulture, Venerabiles fratres nostri S. R. E. Car-  
 ,, dinales, inter quos, & de quorum numero tunc eramus, in palatio Aposto-  
 ,, lico Auinioneñ. vbi dictus prædecessor vitam temporalem finierat, pro  
 ,, electione futuri Romani Pontificis congregati in humilitatem nostram,  
 ,, vtinam non exorbitate iudicio, concorditer, & vnanimiter, per viam scri-  
 ,, tinij concordantes: nos, tunc Petrum S. Mariæ in Cosmedin Diaconum  
 ,, Cardinalem ad summi Pontificij cathedram euexerunt. Verum nos gra-  
 ,, dus altitudinem, & oneris imminentis tantæ celsitudinis ascensori mo-  
 ,, lem, præsertim huius deslendi schismatis procelloso tempore, nobis in  
 ,, Cardinalatus diuersarum legationum officio, experientia longæ partici-  
 ,, pio non ignotam attenta meditatione pensantes, eligentium, & offeren-  
 ,, tium instantiæ, insufficientiæ nostræ imparitatem obiecimus: debilita-  
 ,, tem nostram dictante conscientia, cum repetita multotiens relaxationis  
 ,, supplicatione humiliter allegantes. Cum nec sic cessaret instans fratrum  
 ,, importunitas eorūdem, sed vim inferens nostro proposito Collegij iussus  
 ,, vrgueret, nos ex defectuum nostrorum conscientia diffidentes, de illius  
 ,, tamen confidentes omnipotente clementia, qui pacis, & vnitatis amator  
 ,, vtraque fecit vnum: ac diuersos parietes in se ipso angulari lapide copula-  
 ,, uit: spe-

uit: sperantesque, quod operi manuum suarum dexteram porrigens, nos in tam profunda maris altitudine positum non relinquet, nostris, per fratres eosdem multiplicibus excusationibus non admissis, nec lacrimosis deprecationibus exauditis, ne mundi, graui bellorum multiplicatione diuulsi, potissime tamen Ecclesie sacrosanctae schismaticae peltis, nunc miserabiliter laceratae dissidio, nostrum electioni praedictae denegando consensum, discrimina negligere censeremur, quamquam iniuncti oneris molem in insufficientia nostra diffugeret, de superabundanti tamen plenitudine misericordiae Dei nostri confisi, & nostrae imbecillitatis subiecimus imperfectum: ac debiles humeros Apostolicae superposuimus seruituti. Incusam vero menti nostrae, de tanta molis grauitate formidinem non modicoriter minuit, & ad eam subeundam minus timidos nos efficit ea, quam de sublimitatis tuae, ceterorumque Catholicorum Principum potenti iuamine, circa praeracti totalem extirpationem schismatis, & procurandam ecclesiam vnionem: opportunosque fauores nouis in his, & alijs impendendos principaliter post Deum gerimus, firma spes, ac confidentia specialis. Nos enim ad sedationem schismatis, & procurandam pacem, ac vnionem huiusmodi animum regium, non modo reatibus, tuisque, & alienis scriptionibus, sed ex colloquutione seriosa inter nos, & te, dum in partibus regni tui, legationis Apostolicae fungeremur officio, super hoc sepius habita, a certo scimus voluntarium, & intentum: ad quae nos etiam, sicut officium vrguet assumptum, modis omnibus possibilibus intendere, ceteris omiſſis proponimus, ac toto conamine laborare. Quare serenitatem tuam attente rogamus, ac per Dei misericordiam obsecramus, quatinus pensato perpenſius, quantum supernae retributionis praemium, quantum etiam humanae laudis acquires praerogatum, si Ecclesiam, tam dubie nunc nitentem, nosque ipsius ministrum, qui de praerato regno tuo traximus originem, adiuues: & ad ipsius vnionem, cum fidei sinceritate labores: cor nostrum filialis affectionis exhibitione laetifices: & ad instar clarae memoriae progenitorum tuorum, per quorum potentiam, ac operam efficacem Ecclesia semper haecenus fuit in suis necessitatibus mirifice releuata, nunc accingaris ad opus: ac tuum praeratum, sanctum utique, piumque propositum, prout Deus permiserit, ad executionem deducere non postponas. Nunc itaque carissime fili exurgens miserearis Sion: quia tempus miserendi eius: quia nunc, ut credimus, opitulante domino venit tempus. Insuper etiam amantissime fili potentiae tuae subsidio, in his, quae ad robur sunt ecclesiae libertatis, impositi nobis oneris quae sumus alleues grauitatem: ut per haec, apud Regem aeternum, & temporalis prosperitatis augmentum, & perennis coronam gloriae merearis: nosque in te gaudentes, benedictionis filium, & salutis reperisse ministrum: eaq; quae ad honorem, comodumque gloriosi sceptri tui redundare censuerimus, fauorabilius prosequi teneamur. Dat. Auenion. V. Id. Octobris: Pontificatus nostri anno primo. De curia, Siffredus.

Illo ipso die Auenione Benedicto Pontificium diadema imponitur: nullaque ab Aragoniae, & Castellae Regibus fit mora, quin illi pareant: & eius obtemperent, obediuntque sanctionibus. Ut Ecclesiae partes distractae capiti cohaereant, & in pristinam concordiam reducantur, Auenionensis, & Turiasonenſis Episcopi a Benedicto ad Francorum Regem, & Marchionis

NAT. CHR.  
MCCCXCV.

chionis Salafforum filius, Cardinalis Salaffi frater, frater itidem Cardinalis Agrifolij, & Gaufridus Boilius, qui Auenione legationem Regiã obierat, ad Aragonium Regem legantur.

Turbidis procerum Castellę, concitatisq; motibus, cum ex pueris Henricus Rex non excessisset, neq; gubernacula regni predidisset, Alfonso Ripacurię Comes, cuius Henricus Rex auus tot, & tanta merita habuit, Connestabuli magistratu, & Vilienę ditionis statu deicitur: ea ab aduersarij causa illata, e republica non esse, tam opulentã, & late patentem ditionem a prepotenti viro, & ex stirpe Aragonię Regum prognato possideri.

Iohannes Biturigum, & Aruernorum, & Philippus Burgundię Duces Caroli VI. Francorum Regis patruj, & Ludouicus Aurelianensis Dux frater germanus Auenionem contendentes a Benedicto vehementer expostulant, vt summo Pontificatu se abdicet: magna que ob eam rem commotio in vrbe est facta. Iohannes Cambrillacus ex intimis Francorum Regis administrator ad Regem missus, de vetustis fœderibus confirmandis, & Christiana republica dilacerata in antiquum statum restituenda, vt in vnum, & idem sacrum corpus confluat, ac redigatur, legationem renuntiat. Ad hæc retulit, cum magnopere matrimoniorum vinculis, Regum amicitia artius obstringantur, & ea inita ratione data opera fuerat, vt Iohanna Iohannis Francorum Regis soror, quę in via e vita excesserat, Regi nubere, cupere Regem Francorum, vti Carolus Lebrelius eius consobrinus Lebreli domini F. cuius ampla ditio, dominatusq; in Aquitania pollens, potensq; erat, quem vnice diligeret, quod vna alti, educatiq; essent, Isabellã Sibyllę Reginę F. Regis sororem ducat. Amice, ac beneuole ad ea responsum: sed de Isabella Lebrelio in matrimonium tradenda, illud in præsentem obliterat: quod antea de ea Iano Lusiniã Antiochię Principi Iacobi Cypri Regis F. collocãda, Rex pepigisset. Hęc tamen legatio vni tantũ Benedicto maxime infensa, & aduersa erat: nam illo ipso tẽpore Villãensis Vicarius, homo Gallus Ribadensis Comes, & Thibaudus quidã ad Regem Castellę, de Benedicto, ad summum Pontificatũ abdicandum compellendo, legatur. Benedictus Ducibus patruis Francorum regis, & fratri, qui vt abdicet, enixe contendunt, pollicetur: si quis congressus sibi cum aduersario fiat, operam daturam, vt certis viris, dignitate præstantibus totam eam controuersiam decidendam committant: qui verum Christi vicarium denuntiēt: eaque via, iurisiurandi vinculo, quo se, antequam designaretur, obstringerat, piam, æternamque pacem Christiano populo præstaturum. Duces in sententia perstant: ac sponderi contendunt, si Imperator, Anglię, & Hungarię Reges, alijque principes, & potentatus, qui alteri parti se addixerāt, ita animati sint, vt ius, fasque alia via agnoscere nolint, nisi vterque abdicet. Benedictum abrogaturum.

Biturigum, Burgundię, & Aurelianensis Duces Auenione, Benedicto non salutato excedunt.

Dioscorus Patriarcha Alexandrinus Carcasonenfis Ecclesię administrator, & S. Michaëlis Abbas, aliquotque Patifienfis scholę viri doctrina præstantes ad Regem legati Perpiniã concedunt. Summo ij opere Regem hortari non desinunt, si veram concordiam orbi Christiano constituere velit, resignationis ratio præferatur: quam Rex palam reiicit. Legatione obita in Castellam proficiscuntur. Dissidij præterea quãdam haud

leuis

leuis inter Aragonium, & Francum Reges causa interuenit. Ricardo enim Angliæ Rege nuptias filia Regis, & Iolantis Reginae ambiente, cum Regina parens, nisi Francorum Regis consobrini permissu Anglo collocandâ renueret, & Francus iniquum esse iactaret, si consobrinx filia hosti suo nubat, nuptiaque, eam ob causam disiungerentur, Francus nulla interposita mora, impudentiæ ludibrio Isabellam filiam, nec dum nubilem Ricardo despondet: paciscunturque, vt Aquitaniæ ditio eius matrimonij filio, natu maiori cedat: condonaturque.

Pestifer, & funestus is annus æstate in Catalonia, & Valentino regno fuit. A Setabi ad Alcollum maior pestilentia vis, vulgatique contactu in homines morbi ingruunt. Rex in Bailearem Maiorem insulam nobilem, & amœnam emigrat: atque in ea insula in Nouembrem mensem exactum residet: amœnitatem, & salubritatem secutus.

Rogerus Moncada a Rege, cum in Baleari Maiore afsideret, Sardinia, & Corsica præficitur. Cum is non exiguas copias traiecisset, Longosardum oppidum, quod Brancaleo xxxv. dies terra, marique oppugnauerat, obsidionis periculo liberat.

Iohannes Lusinianus Baruti dominus, Iacobi Cypri Regis fratris filius de nuptijs Iani Lusiniani Antiochia Principis, Regis Cypri natu maioris filij, & Isabellæ Regis sororis, quas iam collocauerant, coniungendis, ad Regem in Cataloniam legatur: quarum fanciendarum causa Raimundus Periliosus Rotensis Vicecomes, & Raimundus Alamanus Ceruilionius in Cyprum legati missi fuerant.

A. D. V. Non. Mai Ficijs Regina Iolans, penes quam summa rerum <sup>MCCCXCV.</sup> vertebatur, & cuius arbitrio omnia constituebantur, Guilielmum Coponium ad Regem Francorum, & Duces patruos, ac fratrem germanum legatum mittit. Is denuntiat, exposcitque ne sinant, vt copia, grauisque armaturæ equitatus, qui in Comitatu Valentino Viennensis regionis in aestiuis erant, in Ruscinonensem tractum transcendant. Periliosij, & Rota Vicecomes, quod ea manus fines appeteret, tumultuareturque, Benedicti, & Regis nomine, ne iter id suscipiant, potioribus donis, muneribusque auertere alio nititur: ne eius belli moles in Cataloniam transferatur: cum superiorum Regum virtute, & fortuna geri non posset.

Cum Rex in Foxano nemore, pomeridiana lustratione agrorum, ante Vriolium Castellum in luporum venationem animum intenderet, & in mani excitata, & agitata lupa, cum eam insequitur, cohorruiisset, equo deturbatus mortuus est inuentus. Siue, quod vetustas credidit, eius feræ visus noxius sit, vocemque homini, quem Lupi priores intueantur, adimi: seu quod credibile est, immodica exercitatione, & graui, immoderatoque cibo obstupescata mente contraxerit animum, & letale, funestumque malum oppresserit: satis constitit, repentina morte, in ea venatione, veneris die, A. D. XI V. K. Iun. interisse. Is princeps summæ rerum parum consulens desidia, atque ignauia deditus, & vxorio imperio addictus, inglorius vixit: & acerbissimo casu morte est affectus. Ad Populeti sepelitur: & iusta regio funeri soluuntur.

Martino Mombanci Duci, cum hostes esset tota Sicilia insecutus, rem bene, & feliciter gerenti, & filium Regem perduellium Siculorum armis vindicanti, Aragoniæ regna legitimo successione iure deferuntur. Maria  
i ij enim

NAT. CHR.  
MCCCXCV.

enim eius vxore præstantissima femina Barcinone aſidente, atque adnitate Catalonia ordinis, eorumque delecti viri regale nomen Martino Duci, magno aſſentientis populi applauſu impartunt: iureq; ad regnum adſiſci ferunt: fratre nullis ſuperſtitibus liberis virilis ſtirpis, vita functo.

A. D. VI. K. Iun. Maria Momblanci Dux, quæ Iohanne Rege morte obeunte, regale ſtatim nomen uſurpat, commune, ſummumque conſiliū cogit. Conſilijs interſuere Innicus Valterra Tarraconenſis Antifites, Bernardus Pinofius, Hugo Angleſola, Rogerius Moncada, Michaël Gurrea, Franciſcus Aranda: qui illis temporibus prudentiſſimus, & ſapientiſſimus habitus eſt, Bernardus Michaël, Guilielmus Puiadas, Gerardus Palolius, & Bernardus Zatrilla: ac de conſilij ſententia ſummæ rerum, & procuratori regi conſulit, prouidetque. Quod Iolans Regina prægnatem ſe eſſe relictam omni aſſeueratione confirmat, & oberuari partum decreuiſſent, quattuor aſſignantur ex ciuitate primariæ, optimateſque matronæ: quæ adhibeantur ad partum. Sed ſimulatione ea Reginam fuiſſe vſam ſtatim apparuit.

#### MARTINVS XXI. REX ARAGONVM.

Hugo Bagius Dertofanus Epifcopus, Iohannes Folchius Cardona Cardonæ Comitis F. Emmanuel Ragiadellus, Raimundus Zaual Barcinonenſis ciuis, & Petrus Grimaldus ex Perpiniana ciuitate in Siciliam eius rei cauſa legantur, vt a Rege celerem eius reditum deprecentur.

K. Iun. Barcinone, de conſilij communis ſententia, libentiſſimis omnibus, plures proceres, iurisque prudentes viri Regis Iohannis conſiliarij in arcem nouam includuntur: liberalibusque, & priuatis cuſtodijs continentur: quod regnante Iohanne regia amicitia, legibusque, & iudicum maieltate ad quaſtum, & libidinem abuſi traderentur.

Tabulæ teſtamenti Iohannis Regis obſignatæ proferuntur: quo Martinus frater Rex ſcriptus eſt: ſi nullis virilis ſtirpis liberis ſuperſtitibus decedat. Iolans enim Regina condicionem ſpei, quam in aluo contineri ediderat, palam renuntiat. Iohanna Regis Iohannis natu maior filia Matthei Fuxenſis vxor, legitimo ſucceſſionis iure prætento, ſe regi competitricem proſitetur: & armis ius perfecuturam.

#### FUXENSE

#### BELLVM.

Antifites, proceres, vniuerſæque Aragoniæ ciuitates pugnationi finium regni conſulentes, Iulio menſe Cæſarauguſtam conueniunt. Martinum Momblanci Ducem, vt legitimum regni ſucceſſorem agnoſci, ſuſcipique debere Olorenſi Epifcopo, & Proyro Matthei Comitis Fuxi, & Iohannæ eius vxoris, qui regnum appetunt, legatis pronuntiant. Regalem poteſtatem, nomenque Martino deferunt.

Iohannes Emporitanus Comes quod belli faciendi cauſa cum Fuxenſi conſenſiſſe iudicaretur, captus in Caſteluiniam Roſanenſis ditionis arcem contruditur: ſed innocentia liberationem culpæ ſtatim impetrauit. Omnium generū, atq; ordinū conſenſu, qui Cæſarauguſtæ mortuo Iohanne Rege conuenierant rerum ſtabiliendarum cauſa, A. D. VI. Non. Oct. in æde D. Franciſci conuenientes primo atteſtantur: quod qualicumque cautione, & præparatione ad tuendam, & conſeruandam ab hoſtilibus Fuxenſis incurſionibus rempublicam a ſe adhibira, præiudicium in poſterū nolle fieri: quin comitate, liberalitate, & beneficentiæ ſua id factum, geſtū, prou-



provisumque appareat: neue ob eam curzationem admouendam, vsus, & instituta maiorum, aut leges, & communis libertas patriæ immiuta esse videantur. Omnes ordines Regni in A. D. Id. Oct. vt Cæsaraugusta conueniant, hortantur: alioqui publicis regni rationibus, & eius incolumitati se, quibuscumque rebus possent, consulturos commonent. Eorum officiorum momenta, in ea cōuersione rerum adeo insignia, & inlustrata fuere, vt digni habiti sint qui eo in conuentu adfuere, vt eorum nomina hoc etiam in loco recenseantur: nam hi adfuisse regijs commentarijs traduntur: Garcias Ferdinandus Heredia Cæsaraugustanus Antistes, Iohānes Martinus Murillius Abbas Montaragonius, Petrus Ferdinandus Ixeritanus Montalbani, & Guilielmus Raimundus Alamanus Ceruilionius Alcanicij Prefecti, Petrus Ruicius Morius pro Ampostæ Prefecto, Prior Rotensis, Abbas S. Eidis, Petrus Latro Vicecomes Villanouensis, qui Mancianeræ dominabatur, Lupus Simenius Vrræa, Ferdinandus Lupeus Luna, Iohannes Martinus Luna, Alfonso Ferdinandus Ixeritanus, Petrus Ferdinandus Vergua, Franciscus Alagon, Petrus Simenius Vrræa, Lupi F. Ludouici Cornelij, Artalli Alagonis, Iohannis Simenij Vrræa Atrosilij, Petri Galcerandi Castrensis, & Antonij Lunæ procuratores: nam, absentium etiam ratio, non horum tantum procerum, sed & aliorum habita est. Ex militari, & ingenuorū ordine adfuere præsentis Iohannes Simenius Cerdanus Iustitiæ Aragonum Prefectus, Guilielmus Palafoxius, Michaël Gurra, Garcias Lupeus Sefesius, Martinus Lupeus Nuza, & Ferrarius Nuza, Sanctius Gonzalius Heredia, & Blasus Ferdinandus Heredia, Lupus Sanctius Ahüerius, Iohannes Peresius Lumbierius, Iohannes Peresius Casseda, Ferdinandus Simenius Gallucius, Raimundus Francia, Petrus Sanctius Latrasius, Iohannes, & Gutterrius Veræ, Galacianus Tarba, Iohannes Lainius, Sanctius Orunius Sanctij F. Gonzalius Linianus, Ferdinandus Sefesius, Berengarius Bardaxinus, Ferdinandus Diacius Pomarius, Andreas Martinus Peralta, Simon Arba, Rudericus Lacunula, Iohannes Mercerus, Iohannes Arcainus, Iohannes Diazus Contamina, Galcerandus Castellbellius, Aluarus Medranus, Arnaldus Bardaxinus, Petrus Linianus, Gilbertus Rotundus, Raimundus Castanus, & Garcias Lupeus Pitillas. Ex Ciuitate Cæsaraugustana, totius ciuitatis nomine interfuere x Ciues Petrus Cerdanus, Iohānes Martinus Alfocea, Petrus Simenius Ambel, Martinus Sunienus, Dominicus Nagia, Antonius Palumbarius, Iohannes Tarba, Iohannes Artus, & Iohannes Capalbus: atque ita comparauerant, vt tres Iurati Magistratus Cæsaraugustani, & totidem procuratores, ac ciues adessent: & his ciuitatum, & oppidorum regionum procuratores adiungerentur.

Matthæus Fuxensis, & Iohanna eius vxor, regnū ad se delatū contēderes, quod ita consentiente Petro Rege cōuenerat: vt Iohanne absq; liberis virilis stirpis vita functo, eius natu maior filia regni heres esset: idq; appetere, atq; occupare conātes, auxilijs Armeniacensiu, & Iohannis Biturigū Ducis Francorū Regis patruj, & aliorū Gallia procerū, magno comparato exercitu, A. D. V. Non. Oct. Arenēsi Pyrenæi saltu M. grauis armaturæ equitū, & III. M. leuis armaturæ, quibus illa ætas Pilartorū cognomē dedit, copijs coactis, in Castelboni Vicecomitatū transgrediuntur. Ferraria valle in Villamuri cōuallem traiciunt: per saltuosa loca, & tramites exer

NAT. CHR.  
MCCCXCV.

citum ductantes. Eo ipso temporis momento varij impetus, & incurfiones armorum ditione Castellonia, Carretana, & Capfiri regione fiunt.

A. D. XVII. K. Dec. Fuxenses Camarafain vi expugnant. In eo certamine Raimundus Spelius, qui eius oppidi propugnationi præpositus fuerat, fortiter dimicans in hostium potestate deuenit. Sub ipsis radicibus montium confedere: qua illis descensus erat in Aragoniam properantibus. Martorellum, Castellum Rosanense, & arces, quæ Fuxensi, in ditione Castellonia parebant, quæ iuris erat Geraldæ Fuxensis matris, Reginae Mariæ deduntur.

A. D. V. K. Dec. Cum Fuxensis exercitus Pyrenæi faucibus emerisset, & Sicoris fluminis ripis in hæreret: & equitatus opimam Ilorgetum, & fertilem regionem, atq; vberes campos incurreret, maleque a Catalano equitatu, peditatuque esset multatus, inter Alguairum, & Almenaram eo consilio hostis subleuit, vt Montionem, aut Barbastrum in signia regni Aragoniæ oppida castris obsideat: alteroque eorum oppidorum expugnato, & communito, quasi arcem, ac receptaculum belli constituat: quod ea regione, Gallicis subsidijs prope esset occurfurus. Inde ad Castellionem Farniæ castra facit. Petrus Vrgellitanus Comes ab Aragoniæ ordinibus, qui Casarangustæ conuenerant, bellicis, militaribusque functionibus, & coactis copijs imperator præficitur. Nouembrijs mensis fine Fuxenses Aragoniæ fines ingressi regale nomen, regiaque insignia vsurpantes Barbastrum obsident: acerrimeq; oppugnant. Cum in vrbis partem irrupissent, arcem propugnatores singulari, & præstanti virtute retinent.

A. D. XV. K. Ian. magni terremotus in Valentino regno, & Castellæ confinijs, & montosis locis Dertosam vsque fiunt: satisque constat plures turres, templaque, & Valdignæ cœnobium Cisterciensis ordinis corruisse: terrasque defedisse. Martinus Alpartilius eiusdem ætatis scriptor, in rebus a Benedicto gestis perhibet, in Algeziriensi Valentini regni agro, duos fontes pitiscetes, cinerei coloris profluxisse: cælestesque faces visas: mirosq; terrores sereno iniectos.

Cum viæ, aditusque omnes a nostris obsiderentur, & Fuxenses, ex omni prouincia, & publico, & priuato com meatu prohiberentur, ac vi, ferro, & formidine opprimerentur, Barbastrensem obsidionem destituunt. Postquam vident montibus, atque hostium copijs se vndique clausos, Olfensi viâ, Montaragone, Bolea, & Aierbio montium lateribus communiti, cum ab Vrgellitano Comite peruellerentur, maleque multarentur, Luetsia viâ properantes, A. D. IX. K. Ian. Caparrosum Nauarræ oppidum contendunt. Inde desperata fuga Pyrenæo transcensio in Beneharnum traiciunt.

Infulæ Comes, & Vicecomes Caramanius Fuxensi additi, Leonachi dominus, Arnaldus Guilielmus Barca copiarum Gallicarum ductores, & manus domini Fontinellis Fuxensium stipendia merentes, cum in Palliarienses fines irruere niterentur, a Palliariensi Comite, & Rogerio eius F. Arnaldo Guilielmo Bellera, Francisco Erillio, & Vrgellitano Episcopo, ac Gerardo Guimerano præstantibus viris, qui ingentes armatorum copias, vt eos fines tueantur, coegerant, arcentur, & propulsantur.

Maria Martini Ducis vxore nondum regnum adepta, Gilaberto Scintillia ductore, ex Valentino regno, satis magnæ equitum copiarum in Siciliam transmiserant. Petrus præterea Galcerandus Castrensis, ex primarijs Aragoniæ

goniæ proceribus auxiliarias Aragonensium militum cohortes. adeo com-  
mode, & peropportune tulit, vt Drepanum urbem, pæne ex hostium ma-  
nibus eripuerit: & eo subsidio Martinus Leontinum, Calatagironem, Pla-  
ream, & Ennam vi expugnauerit: & Nicolaus Peralta Comes Guilielmi  
Comitis F. & Leonoræ Iohannis Athenarum Ducis filiæ Regi se dedide-  
rit. Postremo cum Hugo Sanctapacius D.C. equites transmisisset, hostes;  
non vt antea insultantes, passim tota insula vagari: sed in castellorum, &  
montium, siluarumque receptacula compelluntur: primariaeque omnes  
arces expugnantur.

Cum Artallus Alagon se pariturum Regi pollicitus esset, & Melitæ in-  
sula comitatu donaretur, donumque reijceret, in vetere defectione perse-  
uerans insula exigitur. Ex eo gens Alagonia, quorum maiores in perdo-  
manda, & armis subigenda Sicilia, & in ditionem stirpis Aragoniæ redi-  
genda tam strenue operam nauauerant: quiq; tam late patentem ditionem,  
ac dominatum eo in regno sibi stabiliuerat, ad interitum, exitiumq; peruenit.

Bartholomæus Aragonius, & Fredericus eius frater Vineiguerræ Ara-  
gonij filij, summæ potentia, atque auctoritatis viri in defectione perman-  
entes, adeo is furor omnium animos infecerat, Camaratae comitatu, &  
plurium oppidorum ditione eiiciuntur.

Et si Regis Iohannis mortis nuntio ad fratrem perlato, bellum Siculum  
confici visum est, tamen cum haud leuis operæ esset, Siciliam tyrannorum  
armis vindicare, qui diu oppressas seruitute ciuitates tenuerant, reliquos-  
que imperio coercere: Rex cunctandum sibi censet: dum regnum non mo-  
do armis, sed consilijs, & institutis filio stabiliat.

Rex Guilielmum Raimundum Moncadam Augustæ Comitem Meli-  
ta insula donat: & Marchionis cognomine decorat: reputansq; magna in  
cum beneficia a se esse collata, regni gubernationi, & summi imperij pro-  
curatori, Petrus Serra Catanensis Episcopus, Franciscus Zagarriga, Hugo  
Sanctapacius, alijque ex Catalonia & Aragonia viri optimates.

Id. Decemb. classe comparata, Rex Mellanæ portu soluens in Sardi-  
niam traiecit.

Caralitana arce, cum Rex Sardois rebus consulens, & rem publicâ, mi-  
litaremque expediens, diutius commoratus esset, Alguetium transfuchit-  
tur: & pacatis, vt videbatur, rebus, de totius regni statu, dignitate, commo-  
disque omnibus sententiâ ferens, in ea vrbe, in A. D. II. Id. Feb. remanet.

Rege in Corsicam transmittente, vt suos in fide contineat, foueatq;, Vi-  
centellum Istriam Cinerchæ Comitem, & Iohannem Istriam eius fratrem,  
ceterosq; eiusdem factionis, & Roccharum gentem, quorum perutilis ope-  
ra, & insignis fidelitas fuerat, plurimis beneficijs afficit. Oppida, & arces,  
quæ in regia potestate erant, præsidij, commeatuque muniuntur.

Ex Allatensi Corsicæ portu, quo Rex in A. D. X. K. Mart. commora-  
tus est, in Segonensem eiusdem insulae portum traiecit: & in eo in A. D.  
V. K. eadem primam nauigationem præstolatur. Idoneam nauigandi  
tempestatem nactus in Galliam prouinciam classe appellit. Ex alto in  
ostium Rhodani inuectus Arelatem, & inde Auenionem A. D. II. K.  
Apr. VII. actuarijs nauibus præteruchitur. Magnifica, & gloriosa aula  
pontificiæ, ciuitatisque ostentatione excipitur.

i iij K. Apr,

NAT. CHR.  
MCCCXCV.

MCCCXCVI.

MCCCXCVII.

NAT. CHR.  
MCCCXC VII.

K. Apr. die Dominico, qui dies rosæ a summo Pontifice principi alicui Catholico donandæ dicatus est, eo sacro, & religioso munere, pietatis ergo Rex est impartitus: & de more manugestans tota vrbe, sollempni pompa, summa specie, ac dignitate transuehitur.

Festo Dominicæ Resurrectionis die sollempnibus celebratis sacris, in maiori Pontificij palatii sacello, Rex a Benedicto suprema regni Sardinia, & Corsicæ iura, & summum dominatum recipit: sacramentoque sancit.

Cum is congressus Regis cum Benedicto, colloquiaque eo spectarent, vt pia, æternaque pax sacrosanctæ Ecclesiæ, amplissimiq; sacerdotij consensus, & status priuatis comodis potiora ducantur: Rex Auenione ad Bonifaciū Petrum Queraltum, & S. Cucufatis Abbatem legatos eius rei causa mittit: vt eum commonefaciant, interesse reipublicæ, communiq; salutis, vt æquis cōditionibus, a tam funesto dissidio discedatur. Præterea ad Regem Francorum, cum iisdem mādatis Albertum Zatriliam delegat. Legationi tantis de rebus renūtiatæ Francus non aliud responsum dedit: quam aliam se pactionū rationem non initurum, nisi qui de summo Pontificatu contendunt, abdicent: atque resignent. Legati tum ab eodem Franco ad Benedictum mittuntur: diemque statuunt, intra quam de suo iure decedat.

Cum Veniceslaus Romanorum, & Bohemiæ Rex Benedicto se addixisset, & ei parere cōpisset: Francorum Rex in Germaniæ confinij cum eo congregatur: vt a Benedicti obediētia auertat. Sed cum compositio tanti disidij, sine summa difficultate, magnoque temporis interuallo consti-  
tui non posset, data Regi a Benedicto venia, A. D. V. Id. Mai Auenione soluit. Ligni sacrosanctæ crucis haud modica portione a Pontifice, amplissimi collegij permisso, pluribusque alijs sanctorum reliquijs donatur. Ad Betulonem, haud procul Barcinonensi statione appellit.

Febr. mense proximo confessus ordinum regni Cæsaraugustæ I I X. legatos ad Regem miserat. Insignes, & præstantes viri legationem obiere Garcias Ferdinandus Heredia Cæsaraugustanus Antistes, Petrus Ferdinandus Ixeritanus Montalbani Vclensis militia Præfectus, Lupus Simenius Vrræ, Ferdinandus Lupius Luna Mariæ Aragoniæ Reginiæ frater, Garcias Lupius Sefesius: Iohannes Ferdinādus Heredia, Iacobus Hospitalis, & Stephanus Pentinas. Hi vniuersi regni nomine: ex Cæsaraugustana vero ciuitate tres iurati magistratus, & I I I. alij ciues seorsim legantur. Tam insignis legatio eam ob causam constituitur: quæ Regem commune faciat, vt in Cataloniam appullus, primo quoque tempore, nulla in loca diuertens, recta Cæsaraugustam contendat: neque regni negotia administrat: quoad more, maxima in æde sacra Cæsaraugustana leges, fora, libertatemque suis legibus viuendi sanciat. Betulone A. D. I I X. K. Iun. hæc legatis agentibus, quamuis is mos insitus magis præcis institutis, & horrida initiorum regni feueritate, quam tot nationes, quæ in Regis imperium, ac ditionem confluxerant, aut rerum status pati possent, neque visa esset, aut æqua, aut comis postulatio: præsertim, quod ante iurifurandi sanctionem, & diadema susceptum necesse esset, complura munia a Rege & obiri, & administrari: benigne tamen ad ea, comiterque responsum. Regem iactatione maris defellum, cum Barcinone paullum interquæuisset, profectiōnem maturaturum.

A. D. VII.

A. D. VII. K. Iun. Rex auito regno hereditate adepto, & altero opulentissimo, pluribus victorijs filio parto, Barcinonem ouans, & prope triumphans init.

Rex Barcinone in folio, regali ornatu sedens A. D. IV. K. Iul. publica sententia Matthæum Fuxensem Comitem, & Iohannam eius vxorem fratris filiam maiestatis condemnat. Castellboni Vicecomitatus, & alia oppida, atque ditiones, quæ illis in Catalonia hereditate obuenerant, publicantur, hiscoque addicuntur. ¶ Id. Aug. S. Felicis vico ad Rubricati ripas sito, quo Rex amœnitate ad delectationem reuocatus secesserat, omni ratione Sardois rebus pessime affectis subueniendū videns, Rogerium Moncadam præstantis virtutis virū classi præficit: vt in Sardiniam primo quoque tempore nauiget: & Caralitana, Polensis, S. Michaëlis, & Aqua frigidensis arces muniri imperantur. Cum Brancaleone Montisleonis Comite, & Leonora eius vxore, & Mariano Arborensi Iudice filio indutias vt paciscatur, Francisco Iohannio S. Columbæ delegat.

Augusto mense Parisiensis scholæ confessus Auenionem nuntios mittit: qui Palatinis foribus libello affixo, Benedictum reiicientes, ad futurū, certum, & minime dubium Pontificem maximum prouocant.

Septembri mense Vitalis Blanius, & Raimundus Francia Pontificij iuris, sacramque sanctionum apprime peritus, Regis legati Salmanticæ, quo plures religione, & doctrina præstantes viri de dissidio ab Ecclesia extirpando consulerantur conuenerant: Henricum Castellæ Regem, a consilio cum Rege Francorum, ea de re ineundo, auertere conantur. Nam Francus summe sollicitat, vt abdicandi ratione suscepta, pacem Ecclesiæ concilient. Salmanticensis confessus patres, delectique viri censent, e Christiana republica esse, si Benedictus, & Bonifacius ad colloquia, congressumque perueniant: vt inter se comparent, prouideantque, vti funditus tam exitiale dissidium ab Ecclesia Dei tollatur: diemque statuant, intra quam verus, & vnicus pastor Christi vicarius Catholicæ ecclesiæ constituatur. Sin vero id consequi nequeant, vterque sibi summum Pontificatum abroget.

Cum Afri, Maurique prædones, regijs classibus Sardo bello intentis, Hispaniæ oras depopularentur, & Torralbam, & Orpesam Dertosanæ diocesis oppida diripuissent: Benedictus prædicationem crucis, & sacri belli in triennium, in Aragonensi, Valentino, & Balearico regno, & Catalonia principatu indulget.

A. D. XII. K. Octob. Fernandus Peresius Caluillius Turiasone oriundus: & insigni litteratura præditus Turiasonenis, Petrus Serra Catanensis Episcopi, Gaufredus Boilius Valentini in Cardinalium collegium a Benedicto coopantur,

Quod vniuersa maritima ora Barcinone Auenionem vsque magna pestilentia vis ingrueret, maiorque collegij pars ea calamitate permota, ab Auenione recessisset: Benedictus in Sorgæ pontis vicū emigrat: & D. Lucia sacris peruigilationibus Berengarius Anglesola Gerundensis Episcopus, Ludouicus Roberti Ducis Barenis F. Iolantis Aragoniæ Regiæ frater germanus Gallorum Regiæ consobrinus, & Bonifacius de Amannatis ex Pistoriensi ciuitate genus ducens iuris prudentiæ consultissimus in amplissimi sacerdotij numerum aggregantur.

Cardinales

WAT. CHR.  
MCCCXCII.

Cardinales Galli, qui Auenione pestilentia causa recesserant, a Benedicti imperio, ac nomine, quod abdicare renuit, deficiunt. Benedictus Auenionem regreditur.

Raimundus Bagius cum delecta militum manu subsidio a Rege in Siciliam mittitur: quod Siculi proceres multa turbantes seditionum vi agitantur.

Subita inundatione Hiberi, & Orbæ, qui immenso auctu refusi plana, ac iacencia stagnauerant, Cæsaraugustæ suburbanis magna ædificiorum, & hominum strages edita. Pons sublicius Hiberi impositus est interruptus: & turris in medio fluminis alueo lapidea mole compacta diruitur.

Non. Octob. die Dominica Rex Cæsaraugustam regia pompa inquit. Illa ipsa die Iohanne Simenio Cerdano Præfecto Iustitiæ Aragonum assidente, Rex leges, fora, veterumque instituta, & mores patrios iurisiurandi sacramento firmat, atque sancit.

MCCCXCIII.

Rex festum Natiuitatis Domini diem Cæsaraugustæ concelebrat. Benedictus in Castro Pontis Sorgæ eisdem sollempnibus celebratis, A. D. XI V. K. Febr. Auenionem contendit: cuius faustum, felicem, fortunatumque aduentum dolose ordines omnes Auenionenses præfabantur: & ingenti honoris specie, & insigni pompa adhibita tamquam verum Christi vicarium innumeris laudibus prosequuntur.

A. D. II. Non. Mart. Cæsaraugustæ, conuentus in ipsam urbem in A. D. III. Id. Apr. a Rege indicitur. Quod die, quam ad conueniendum edixerat, præsidere nequit, in A. D. III. K. Mai. conuentus dies producta est.

Constituta conuentus agendi die, Rex e solio regio, pro ara maxima Saluatoris, concione celeberrima, & grauissima nostrorum hominum optimam, & spectatissimam fidem summis laudibus ad cælum effert: eorumque fidelitate, innumerabiles superiorum Regum victorias constituisse: & tot bellicæ laudis insignia, monumentaque fuisse parta prædicat: qui non minus fideli opera, quam armis imperium stabilierint. Postremo ad fidelitatis iuramentum sancendum compellat: postulatque: vt in Martini filij Sicilia Regis absentis verba iurent: eumque, & pro legitimo regnorum herede, & futuro Rege suscipiant. Libentissimis omnibus A. D. VI. K. Iun. iuramentum patri, ac filio sancitur: cum antea Sicilia Regis mandato eius nuntij spondidissent, regnorum coniunctionem, copulationemque confirmaturum, conseruaturumque: & leges, fora, veterumque instituta, patriosque mores, illa ipsa in æde, assensione, & auctoritate sua comprobaturum, sciturumque. CXXX. M. florenorum eo in conuentu Rex donatur: vt ære alieno oppressum regium patrimonium, & effusum liberetur, retineaturque: & XXX. M. in sumptus regios condonantur.

Rege conuentum agente, aliquot Fuxensis equitum, peditumque copiarum, Tardenfi Notho ductore, Sarazalio Pyrenæi saltu irruentes Aragoniæ fines incurrunt: & improviso Therma Vasconum oppidum irrumpunt: & arcem vi expugnant. Egidius Ruizius Lihorius regni procurator CC. grauis armaturæ equitibus, quos galeatos vocare assueuerant, & CCCC. sagittarijs obuiam hosti occurrit.

Cum Ferdinandus Lupius Luna Regis affinis, magnis comparatis copijs, montosa Iaccetanorum loca, & aditus obsideret, hostes Thermarum oppido, arceque deserta, in Aquitaniam regrediuntur: neque multo post Fuxensis,

Fuxensis, nullis superstitionibus liberis decedit.

Alfonfus Ferdinandus Ixeritanus, & Iohannes Martinus Luna Aragonii proceres factionibus partium inter se dissidentes maximas turbas faciunt.

Augustæ, & Intemelij Comites, alijque Siculi proceres defectionem struentes intestinum bellum moliuntur. Bernardus Caprera classe adornata, rebus pessime affectis subuenit: adeo in tempore subsidio externa auxilia aduentant. Re prospere gesta Connestabuli Siciliae imperatoria dignitas Iacobo Pratenfi, summæ virtutis, & regij sanguinis viro defertur.

Comite Augustæ vita functo, Antonius Intemelius, qui in Golifani comitatu Francico patri successerat, & a Rege defecerat, Regi se addicit. Gerardus Carretus Saouonensis Marchio in eo bello, Martino Rege imperatore meret. ¶ Carolus Francorum Rex consilio, & impulsu Biturigum, & Burgundiarum Ducum patruorum, & Ducis Aurelianensis fratris germani, & decreto, ac cohortatione vniuersitatis Parisiensis A. D. V. K. Aug. a Benedicti nomine, imperio, & dignitate, reiectione ad futurum indubitatum summum Pontificem interposita, deficit.

Augusto mense, Philippus Dalmatius Rocabertini Vicecomes Valentina, & Balearica classe actuariarum nauium comparata, Tedelicium Bugiensis regni oppidum expugnat: diripitque. Dum præda onusti raptim, turbateque in naues se recipiunt, Hugo Anglesola Balearicarum copiarum ductor mortem oppetit.

K. Sept. Dominica die Villanouæ diocesis Auenionensis oppido, Carolo Francorum Rege Benedicti causam deserente, & eius imperium eiurante, edictis regij promulgatur Antistites Galliarum, & ecclesiasticum ordinem a Benedicto descivisse. Postero die Cardinales Galli, & eius nationis comitatus Auenione decedunt. Cardinales hi vrbe excessere: Petrus de Corfinis Florentinus Episcopus Portuensis, Guido de Maloëssio Lemouix Prænestinus, Iohannes de Grangia Burgundio Ambianensis, Nicolaus Brancatius Neapolitanus Albanensis, Iohannes de Nouocastro Burgundio Ostiensis, Bertrandus Lemouix Episcopus Sabinensis Hierosolymitanus nūcupatus, Episcopi: Guilielmus de Agrifolio Lemouix collegij Decanus, Leonadus de Giffono Siculus ex instituto Minorum, Iohannes Viuariensis Auxitanus tituli Sanctorum Iohannis, & Pauli, Petrus de Turreio Lugdunensis, Iohannes de Parma natione Longobardus Venetiarum, Iohannes Gebennensis tituli S. Anastasie Vicecancellarius Viuariensis, Iohannes de Murolio Aruernus, Petrus Lugdunensis tituli S. Petri ad Vincula maior penitentiarius Aniciensis, Guilielmus de Verzejo Burgundio Presbyteri: Hugo de S. Martiali Lemouix, Petrus ex Vernio Lemouix, Amadeus Salassus ex Salassorum Marchionibus, & Petrus Blauij S. Angeli Diaconi Cardinales. Benedicto parentes, atque obediētes permanent Martinus Zalua Nauarrus tituli S. Laurentij in Lucina doctissimis studijs, atque artibus præditus, Ferdinandus Peresius Caluillius Tutiasonensis, Berengarius Anglesola Gerundenis Presbyteri, Gaufridus Boilius, & Bonifacius de Amannatis tituli S. Hadriani Diaconi Cardinales. ¶ Busicaudus Gallicarum copiarum ductor, Venexinio comitatu potitus, ad urbem properat: & A. D. VI. Id. Sept. festo die Natiuitatis beatæ Mariæ Auenionensi plebe concitata, & armis irrupente, Benedictus vrbe expulsus, in arcem compellitur: & a Busicaudo obsidetur: oppugnaturque. Dum Benedictum ad deditionem cogant,

NAT. CHR.  
MCCCXCIX.

coquant, omni tormentorum vi circumlabefactare, & cuniculos agere non delistunt. Cardinales, qui Auenione secesserant, ab obedientia Benedicti se subtrahunt: quorum defectioni Prænestinus, S. Martialis, & Auxitanus Cardinales minime consensere: & S. Martialis, & Auxitanus ab eorum confortione desciscunt. Præsidio turris pontis Auenionensis duces a Benedicto Simon Saias, & Antonius Zorita præficiuntur: qua ingenti tormentorū oppugnatione labefacta pacto a propugnatoribus deditur: cum illo ipso tempore Palatium Auenionense, quo se Benedictus abdiderat, vehementissime a Busicaudo, & Auenionensibus ciuibns oppugnaretur. Qui acerrime pro salute, & incolumitate Benedicti propugnātes fortem, ac strenuam operam nauauerunt, ij fuisse feruntur: Ferdinandus Peresius Caluillius Cardinalis Turiafonensis, Petrus abbas S. Iohannis Pinnatensis, Gonzaluus Forcenius Bornales, Iohannes Romaninus, & Hieronymus Ochon Benedicti cubicularij, Petrus Garcesius Cariniens, Simon Saias, Simon Lupius Embunus, Garcias Vera, Iulianus Loba, & Martinus Alpartilius. Ex Catalonia Principatu cum Cardinale Gerundenfi plures adfuerunt viri excellenti virtute præstantes: & Valentini regni Gaudredo Boilio Cardinali egregij propugnatores astiterunt Didacus Heredia Episcopus Segorbienfis, Iohānes Prochyta, Gerardus Lanzolius, & Iacobus Coponius: inter quos Vincentij Ferrarij ordinis Prædicatorum, qui Benedicti sacris confessionibus admouebatur, insignis pietatis, & religionis sanctitas splendidissimo fulgore eluxit. A. D. II X. K. Dec. festo S. Chrysoconi die indutiæ trium mensū inter Auenionenses: & Apostolici Palatij propugnatores sunt pactæ. Cum Aragonia classis subsidio Benedicti rebus accederet, & in Rhodani ostium, atque aditum proijceretur, adeo flumen exaruerat, vt actuariæ naues supra insulam Valobregam, summa hie me transmittere non possent: adeoque magnis tempestatibus hiberna nauigatione ad magnitudinem frigorum milites, & nauæ sunt conflictati, vt magna eorum pars foede perierit.

A. D. X V. K. Decemb. Martino Sicilia Regi ex Maria Regina filius nascitur: cui Petri nomen editur.

MCCCXCIX.

Id. Apr. Cæsaraugustæ, in sacra æde maxima Saluatoris, Rex magnificentissimo apparatu, ornatuque, & sollempni cærimoniarum pompa regium diadema suscipit: & sacro oleo a Garcia Ferdinandio Heredia Cæsaraugustano Antistite perungitur. Coronato Rege, vexillum eius manu Alfonso Marchioni Villienæ, insignibus regie familia Ripacurcia decoratum traditur: & pileo eius capiti imposito, Rex Gandiæ Ducem creat: eiusque decoris cognomine, atque dignitate, rerum gestarum gloria præstantem cohonestat.

D. Georgij die festo Regiæ Mariæ corona imponitur:

& sacro oleo inungitur.

Cum hi ludi magna celebratione omnis generis hominum florent, & hilaritatis, & exsultantis latitiæ omnia plena essent, ac summa voluptatis gaudijs ciues, peregrini, atque aduenæ bacchantur, præpostero tempore, & perturbato ordine ferme miscentur: atque permutantur. Nam quod in Petrum Latronem Vicecomitem Villanouanum, qui Mancianæ, & Cieluæ vallis regni Valentini dominabatur, cuius ditiones Aragonio foro, atque institutis nostris, ac legibus censebantur, & in eius homi-  
nes subdi-



nes subditicios Valentini regni Gubernator, & eius ciuitatis Iurati magistratus actionem extra id forum intendissent, & iniquo iudicio pressus Latio interdicto, & intercessionem Præfetti Iustitiæ Aragonum vsus, per ea interdicta se iudicio sisti, & in dicto foro restitui oportere contendisset, & non modo ea interdicta respuerentur, reijcerenturque, sed Valentini magistratus a Præfetto citati non adessent, aut in iudicium venirent, quin immo iuris actiones, & locum Latroni reo constituerent, & eum, eiusque subditicios homines damnis, & pœna multassent, & Præfetti apparitorem, qui ab eo inissus erat, vt Latronis ditiones in regia potestate haberet, comprehendissent, & in custodiam tradidissent, Iohannes Sime nius Cerdanus Præfectus, cum hæc Iohannis regno accidissent, & dolentius conquererentur regni ordines, pro rei indignitate decreuit: vt Valentini regni legati, qui ad eam celebritatem conuenerant, pignoribus ablati coërcerentur: & non modo patiente, sed libente Rege, communis libertatis beneficio Latio ius suum obtinuit.

Rex cum Arcimbaudo Grailio Matthæi Fuxi Comitis sororis viro, ad quam Fuxensis ditionis, & Beneharni dominatus hereditas peruenerat, ad pactionis condicionem venit: & Vicecomitatum Castelloni tradi, restituique imperat.

Fœdera cum Castellæ, & Nauarræ Regibus superioribus temporibus inita sanciantur.

Legati Philippi Burgundiæ Ducis, Francorum Regis patruï, sponsalia Ducis filiæ natu minoris, & Petri Siciliæ Regis filij paciscuntur. Ob eam causam in Burgundiam a Rege Gerardus Alamanus Ceruilionius est missus.

Benedicto circumfesso, & tam hostiliter in Auenionensi palatio oppugnato, afflicto, atque pæne euerso Rex legatos ad eum, & Francorum Regem præmittit Abbatem Riupullensem, Gerardum Alamanum Ceruilionium, Petrum Zaquam iuris publici, & Pontificij consultissimum, Petrum Marinum ex instituto Minorum Aragoniæ provinciæ ministrum sacris studijs, ac doctrinis, & canonicis institutionibus apprime eruditum, & Petrum Pontanum regiarum epistularum magistrum. Hi A. D. II X. K. Dec. superioris anni Auenionem applicuerant: & Cardinalium, qui a Benedicto defecerant, & Auenionensium ciuium fide publica arcem ingressi Benedictum cohortantur, vt rerum omnium decertationem, omnem partem exultimationis, ac spem dignitatis suæ, & suscepta negotia concordiæ, & coniunctionis Ecclesiæ vnus Philippi Burgundiæ Ducis Caroli Francorum Regis patruï fidei, potestatique, si publicæ Orbis Christiani paci consultum velit, committat. Ea renuntiata legatione Benedictus anxio, & sollicito animo dubitatione æstuat: quod ad Aurelianensem Ducem de concordia ineundæ condicionibus Vicecomitem Rotensem legauerat: animaduertens eorum Principum, qui ei se addixerant, tantam incuriam esse, vt summa indignitate salutem, & incolumitatem suam deseruerint: & re perspecta Aurelianensis, vt se ab obsidione liberaret, iter ad Auenionem vna cum Rotensi Vicecomite direxerat. Suscepta tandem cum legatis difficili deliberatione, eo Benedictus recedit: vt causam Ecclesiæ, ac suam potestati Regum, qui suarum partium obedientiam non abiecerant, committat: & si duorum Regum iudicio res transigenda erat, Francorum,

k & Arago-

NAT. CHR.  
MCCCXCIX.

& Aragoniæ Regum sententia decideretur. Sin autem Regis Francorum ægritudine, in insaniam enim dementia deprauatus inciderat, sententiam non ferret, vnus ex Ducibus Regis patris, aut Aurelianensis eius frater germanus Regis nomine sententiam pronuntiet. Ea re constituta, legatis Lutetiam Parisiorum contendentibus, ac rem in iudicium deducere properantibus, Aurelianensis ex itinere redijt: & in eam pactionem a consilio Regis Francorum deuentum est: quam ad verbum exprimere libet.

„ Primo: si propter reuerentiam Dei, & saluationem gregis Christi Benedictus prædictus velit acceptare viam cessionis, & promittere, quod intruso cedente, mortuo, vel ægroto ipse renuntiabit Papatui, ad finem, quod eligatur vnicus, verus pastor, & vicarius Iesu Christi, & penitus dimittere viam facti, & abijcere a se gentem armigeram, quam secum habet in palatio, & alibi: tam in terra, quam in aqua, Rex procurabit, & faciet cum effectu, quod domini Cardinales sacri collegij, ciuesque, & habitatores villæ Auenionensis a quacumque via facti cessabunt penitus: & omnino.

„ Item etiam idem Benedictus teneatur promittere, & promittat, quod ipse directe, vel indirecte quouis modo non faciet, nec procurabit aliquid, per quod vnio Ecclesiæ valeat retardari: nec via cessionis quomodolibet impediri: & hoc etiam iurabunt personæ, quæ apud ipsum manebunt: quod que eidem Benedicto, si contrarium facere vellet, non consentient: nec dabunt consilium: aut fauorem.

„ Item similiter promittet: quod quotiens expedierit, ipse ibit ad conuentum, seu congregationem: quæ fiet pro vnione sanctæ matris Ecclesiæ: vna cum illis, qui ad eundem ad conuentum, seu congregationem prædictam sunt, vel erunt ordinati: de parte, quæ obediuit felicis recordationis domino Clementi VII. & eidem Benedicto.

„ Item mediantibus prædictis, quia dicti Ambaxatores præfati domini Regis Aragonum satis approbauerunt, quod ante quam aliquis pro parte domini Regis Aragonum reciperet ipsum Benedictum in sua regia, & speciali protectione, etiam cum domino nostro Rege Francorum prædicto oporteret primitus ipsum dominum Regem Aragonum adire: & per hoc bonum huiusmodi negotij posset multum differri, dictus dominus noster Rex obtulit eis: quod ipse recipiet personam ipsius Benedicti, & illorum, qui secum erunt, vsque ad numerum centum personarum sine armis, cum eorum bonis omnibus in sua speciali custodia: seu protectione. Et ex nunc deputabit sibi personas notabiles ecclesiasticas, & seculares: qui ipsum custodiant: associabunt: & honorabiliter tractabunt: in palatio: in quo nunc est: vel alibi: vbi eius mansio expediens, & honorabilis videbitur. De quo tamen loco promittet non recedere sine consensu Regum: qui sibi obdierunt: & sacri collegij: & ad hoc dabunt operam de consensu suo, deputandi ex parte Regis: quantum fieri poterit honestius.

„ Item quod personæ, quæ cum ipso Benedicto, & ad eius seruitia manebunt, iurabunt, & promittent similiter: quod ipsum Benedictum non permittent a dicto loco recedere: nec ad hoc sibi dabunt directe, vel indirecte auxilium, consilium, vel fauorem.

„ Item faciet Rex sibi, & illis, qui cum illo erunt, vsque ad numerum centum personarum sine armis ministrare victualia: & alia necessaria eorum expensis honeste, sicut decet: & vna cum Regibus Castellæ, Aragoniæ, Nauarræ,

uaræ, & Scotiæ ad pacem, & vnionem Ecclesiæ habendam incessanter, quantum plus poterit, laborabit sic: quod per Dei gratiam in breui idem Benedictus, & ceteri omnes Christicolæ pacem Ecclesiæ se videre gaudebunt. Per prædicta tamen in nullo intendit Rex prædictus a conclusione denegationis obedientiæ nuper per Ecclesiam regni sui, & Delphinatus recepta, in aliquo recedere: seu ab ea aliqualiter deuiare.

Item si Benedictus prædictus suprascripta facere velit, Ambaxatores diti domini nostri Regis intrabunt palatium, ad loquendum cum eo super prædictis: & faciendum circa prædicta, quæ videbuntur necessaria: seu etiã opportuna: prouiso tamen, quod sibi reuerentiam Papalem non exhibebunt. Si vero concordare, & promittere noluerit prædicta, ingressus, & collocutio Ambaxatorum domini nostri Regis nõ videtur necessaria, nec honesta: & vt breuius prædicti Ambaxatores possint esse expediti, ex nũc Rex tradidit gentibus suis litteras suas super securitate prædicti Benedicti: & litteras etiam, per quas committet effectum dictæ securitatis: gardiamq;: seu custodiam gentium, & bonorum suorum Archiepiscopo Narbonensi: & tribus Baronibus suis: videlicet Senescallo Bellicadri, & dominis de Casenatico, & de Volta: & etiam domino Georgio de Marle: Senescallo Prouinciæ: vel eorum tribus: aut duobus. Et ne ista causa Dei ducatur per dilaciones frustratorias, prædicti Ambaxatores promittent, & iurabunt in ingressu palatij, nõ remanere ibidem ultra tres, vel quattuor dies.

Cum A. D. II. Non. Apr. Abbas S. Michaëlis in Periculo, vt vocant, Maris, Guilielmus Tignouillæ, & Egidius de Campis sacræ litteraturæ magister Francorum Regis legati cum legatis Aragonij Regis Auenionen se palatium introissent, Benedicto responsum Regis Francorum obtulere: atque eo secessionem, vim, & contumelias, quibus oppressus erat, conquirente, neque lege, aut instituto more, sanctionibusve canonicis de rebus sacris iniquas legum condiciones a Principibus profanis sibi imponi: forti, & constanti animo respondit, vel mori satius esse, quam æternam maculam, ac labem suæ senectuti, & Pontificiæ dignitati inurere: sed vt rata ea haberet, auctoribus Cardinalibus Palatinis, luasoribus, & impulsoribus in animum induxit: & Pompelonensis, & S. Hadriani Cardinales, qui a ciuibus Auenionen sibus atinebantur, captiui dimittuntur. Nihilo tamen minus arcta custodia in eodem palatio Benedictus circumuallatus continebatur.

Iohannis Galeacij Vicecomitis Ducis Mediolanensis legatus, de fœdere cum Rege sanciendo instat: idque Rex reiicit: nisi Siculi proceres, qui a se defecerant, eius ditione expellantur: exterminenturq;. Aragonia classis LXX. longarum, & onerariarum nauium, quæ sacro obeundo bello adorna fuerat, in Siciliam præmittitur: quod Ladislai Regis, qui Neapolitano regno potitus est, vires maxime pollerent: & eius præstanti, florentiq; fortunæ ita plausum erat, vt Siciliæ regno imminere videretur: proceresq; omnes Siculi, quos Martinus Siciliæ Rex vltimo bello profligauerat, in Bruttios profugerant. Huic classi Petrus Marradas Valentinus, & Berengarius Tagamanentius Balearicus cum imperio præficiuntur. Ea classe in Siciliam appulsa, bellum conficitur: & vniuersum regnum Martinus Rex præstanti virtute, in suam ditionem, potestatemque redigit.

Natio ex Allobrogibus religionis causa excita, & Alpes transgressa, lineo vestitu, capitibus obuolutis, ad talos amicti, facem ciuitatum ex tota

**NAT. CHR.** Italia commouent: pœnitentiumque modo vagantes Siciliensi freto non continentur: quin ingentem terrorem pacatis Siciliæ rebus incutiant.

**MCD.**

Iolans Iohannis Regis F. in Galliam prouinciam a Raimundo Agaouto Reginæ Mariæ Aragoniæ auunculo Saltus domino, & Iohanne Maironio Ludouici Andegauensis Hierosolymitani, & Siculi Regis legatis Barcino ne ad virum Regem deducitur. Proficiscentem Iacobus Pratenfis regio comitatu affectatur. Dos CLX.M. florenorum dicta est: & ne in patris locū hereditatem regnorum, se vlllo tempore adituram sperare audeat, aliorum ve bonorum, quæ hereditario iure obuenire poterant, A. D. I V. Id. Octob. hereditatis obeundæ ius abrogat: atque de suo iure decedere contestatur.

Robertus Baiohariæ Dux Palatinus Comes Rheni, Ludouici Baioharij Imperatoris fratris filius, Vencellao Imperatore & Bohemiæ Rege ob ignauiam, atque socordiam, in quo omnia ad perniciem profligata, atque perdita erant, ab Imperij gubernaculis reiecto, atque demoto, ad Imperium adsciscitur. Mense enim Augusto Maguntinus, Treuirensis, & Coloniensis Archiepiscopi, ac Baiohariæ Dux societatem vel præmij, vel scele- ris coeuntes Vencellaum stabili, & certa possessione Imperij deturbant: & Baioharius in Vencellai locū sufficitur. Rex consobrino, nepotes enim am- bo Petri I. Siciliæ Regis erant, quod eum ad Imperium euectum summa laus, & summa Germaniæ principum gratia profecuta esset, insigni propo- sita legatione, congratulatur. Vrrrearum, & Lunarum factiones in Arago- nia potentia, & viribus præstantes, magna partium coitione, seditioneque concitata, principibus, atque auctoribus Petro Simenio Vrrrea, & Anto- nio Luna, regnum diuexant: & armorum seditionibus perturbant.

**MCDI.**

Raimundus Agaoutus Saltus dominus, & Refortiatius Agaoutus fratris eius filius, Refortiatique fratres, quorum in Gallia prouincia late, longeq; potentia, ditioque diffusa erat, Benedicto in arce Auenionensi incluso, plura oppida in eius verba adegere: & in Venexinium comitatum, ma- gnis cõparatis copijs bellum inferunt: & a mœnibus, & arce Auenionensi, ad vicinas, & Benedicto infestas vrbes bellum transferunt.

Henricus Castellæ Rex, qui a Benedicti imperio, & nomine, quod abdi- care renueret, defecerat, Antistitesq; omnes & religione, & doctrina præ- stantes viros vnum in locum congregauerat, cum in consultationem res ve- niret: eorum consilio statuitur: sacrosanctæ Catholicæ Ecclesiæ dissidium vniuersali concilio indicto tollendum.

Rubinus Bracamontius Normannus Regis Castellæ legatus qui in Ca- stellæ regno vxorem duxerat, & Guilielmus Molo Delphinàs ex Regis Francorum intima familia, vt Benedicti incolunitati, & propugnationi consulant, fide publica a Rege Francorum, & Ludouico Autelianensi Du- ce eius fratre tradita, Auenionensi arce incluso admouetur. Parent ea tem- pestate Benedicto, & eum obseruant inclusum alioqui, & constrictum Aragoniæ, Scotiæ, & Cypri Reges, & Allobroges. Andegauensis itidem, & Aurelianensis Franciæ Rege publico in consilio assidente obtestantur, & profitentur, se Benedicti imperio obtemperaturos.

A. D. IIX. K. Iun. Maria Siciliæ Regina: cum aliquot antea diebus Petrus eius filius spei extremum, & commune solatium mortem obiis- set, e vita excedit. Ex eo Martinus Rex, quæ Maria testamento heredæ fece- rat, &

rat, & suo iure, & patris Regis mandato regni Siciliae gubernacula tractat.

NAT. CHR.  
MCDI.

Martinus Siciliae Rex Iohannae Ladislai Regis sororis nuptias expetit: dignitatis, & coniunctionis plenas fore persuasus: eiusque rei causa Ludouicum Ragiadellum Neapolim legat. Rex ab eo consilio filium deterret: constanti praesertim fama, Iohannae sponsalia, cum Guilielmo Austriae Duce Leopoldi Ducis filio esse contracta: & Ladislao, & Ludouico Andegauenfi de regno inter se contendentibus.

Francorum, Angliae, & Nauarrae Regum Martinum Siciliae Regem generum exposcentium legati Regem conueniunt: & Alturae Segorbienfis agri oppido, Nouembris mensis fine nuptiae Blancae Nauarri filiae sunt pactae. Dos C. m. florenorum Aragonensium dicitur: & a Benedicto affinitatis vinculo soluuntur. Earum nuptiarum causa Petrus Serra Cardinalis Catanensis a Martino Siciliae Rege in Aragoniam praemittitur.

A. D. II. Id. Sept. Alfonsus Ruderici Salmanticensis I. C. & Alfonsus Erguellus ordinis fratrum Minorum minister, Regis Castellae ad Benedictum legati Auenionense Palatium ineunt: ac bonam spem Pontifici iniungunt Henricum Regem, qui a Benedicto inducti, atque impulsione Petri Friarum Cardinalis Hispani desciuerat, eius se nomini, ac ditioni, & potestati, sacrisque sanctionibus addicturum: pariturumque.

A. D. XIII. K. Febr. Martinus, & Carolus Aragoniae, & Nauarrae Reges confinij regnorum inter Mallienem, & Cortes oppida congregiuntur. Rex Cortes Nauarrae oppidum introit. Postero die, in ipsis finibus Blacanus Regi traditur: & in Valentinum regnum deducitur.

MCDII.

A. D. VII. K. Sept. Ludouicus Andegauenfis Siciliae Rex Auenionem vesperi contendens, Benedictum obsessione oppressum inuit: & in palatio vna sunt praesentia: in quo Rex pernoctauit. Cum se Pontifici supplicem profiteretur, ad pedes iacens iurandi sacramento Neapolitani regni iura propria, ac legitima uti Ecclesiae subditiciis, reuictis, & constrictis more pollicibus, fideliter sancit: seque, ac Carolum Principem Tarentinum fratrem germanum Benedicti nomini, atque potestati addicit.

Septembri mense Bernardus Caprera clasi regiae praefectus Blancam Reginam ad virum, in Siciliam deducit.

Cum dissidia, factionesque Lunarum, & Vrrrearum, Gurrearumque in Aragonia magno motu vigerent, & armis decerneretur: ut pacate, tranquilleque ciuitates grassatorum conatibus obuiam ire possent, earum coitio, populorum libertate abrogata, fit: atque inter se comparant: qua ratione grassatores, sicarios, atque latrocinantes armis persequantur. Sed quod tot incommodis, id vnum remedium leue videretur: & maiore imperij vi coercendi essent, Rex Valentiae A. D. VII. Id. Sept. Alfonsum Dianensem Comitem, Alfonsi Gandiae Ducis filium regia cognatione sibi coniunctum procuratorem regno praeposit: & vicarium: ut quoad Valentino in regno demoratur, imperatorio ducis munere defungi posset. Ea res plurimum Aragonenses excitat, atque commouet: libertatem in eo minui arbitantes: & ad Iustitiae Praefectum prouocant. Ad id munus externae nationis virum, neque in Aragonia natum, creari non posse contendunt: & nobilium dissensione, & motu populi, armorumque impetu maius excitatur incendium: seminaque malorum, quae Martino Rege mortuo, illa aetas tulit, sparguntur.

k iij A. D.

NAT. CHR.  
MCDII.

A. D. II. K. Oct. Iacobus Pratenſis regni Aragoniæ Conneſtabulus, Iohannes Valterra iuris ciuillis, & Franciſcus Blanius ſanctiſſimum Canonicum conſulti, & Vitalis Blanius Aragonij Regis legati Auenionenſe Palatium ineunt: & cum Præneſtino, & Salaffo Cardinalibus, quia Benedicto ſeceſſerant, coniunctionis conditiones feruntur.

MCDIII.

Conſiliarijs Regis Sicilia, cum partium magna contentio in regno verſaretur, inter ſe diſſidentibus, & Bernardo Caprera Modicæ Comite Margaritæ Peraltæ Calatabelloræ Comitum nuptias filio ambiente, cum Sicilia Rex Artallo Lunæ Ferdinandi Lupij auunculi filio Margaritam tradidiſſet, Bernardus a Rege ſecedit. Vniuerſo regno in duas factiones diſciſſo, cum omnia armis miſcentur, atq; turbatur, ſatis conſtat Capreram a iuene Rege, & amicis addicto pernicioſis conſilijs inſectatum, exagitatūq; fuiſſe.

A. D. IV. Id. Mart. S. Gregorij feſto die, albente caelo Benedictus ex Auenionenſi arce, Iacobi Pratenſis, & aliorum legatorum conſilio, & Pompelonenſis Cardinalis, qui Arelate cominorabatur, a Iacobo Pratenſi obſeſſionis, & oppreſſionis periculo ereptus, comitatu Pratenſis, & Franciſci Pacis, Iohannis Valterræ, & Franciſci Blani, parata infra Rhodani pontem ſcapha in Reginaldi caſtellum, ad Druentia ripam IV. M. P. ab Auenione ſitum emigrat. Ludouicus Sicilia Rex eo loci A. D. II. Id. eadem Benedicto accurrit. A. D. II. K. Apr. Auenionenſis ciuitas imperio ſe, ac poteſtati Benedicti, fauſtis ſignis eius laudis addidit.

A. D. III. Non. Maij Benedictus Carpentoraſte ſe transfert.

A. D. IV. K. Maij Henricus Caſtella Rex ſolemni cærimonia Val-leoleri Benedicto ſe pariturum pronuntiat: & eius ſacris ſanctiſſimis, nomini, ac ditioni ſe, regnaque ſua ſubijcit.

Benedicto ex Auenionenſi obſidione erepto ea ſubito fit in Gallia rerum conuerſio, vt A. D. VII. K. Iun. Rex Carolus patruorum, & fratris conſilio, & de communis conſilij ſententia, omnes Benedicto obediētes, audientesque eſſe imperet.

Cum Benedictus Carpentoraſte in Sorgæ pontem reſſus eſſet, A. D. III. K. Aug. Petro Lunæ Iohannis Martinij Lunæ fratris filio Der-toſanæ Eccleſiæ adminiſtratori Toletanam Eccleſiam, Petri Tenorij Antiſtitis obitu vacantem conſert. Alphonſus Exea ex Obilenſi Epifcopo in Archiepiſcopum Hiſpalenſem promouetur.

A. D. VI. k. Nou. Martinus Zalua Cardinalis Pöpelonenſis, qui in Cardinaliū collegiū a Clemēte cooptatus fuerat, ad Sellonē, quo Benedictus peſtilētiæ cauſa ſeceſſerat, decedit: & in cœnobio Bonipallus Carthuienſis ordinis ſepelitur. Benedictus A. D. VI. Id. Nou. ex Sellonis caſtro Maſſiliam proficiſcitur: primo vere in Italiam nauigaturus: ac præ ſe fert, ſe operam daturum, vt eccleſiaſtici ordines diſtracti in priſtinam concordiam reducantur. In cœnobio S. Victoris magnificentiſſimo hoſpicio accipitur. Ludouicus Aurelianenſis Dux Caroli Francorum Regis frater Benedictum Nouembri exacto, Tarafcone inuiſit.

Iohanna Iohannis Regis F. quæ Matthæo Fuxenſi vita functo, nullis ſuperſtitibus liberis in viduitate, ac ſolitudine, in Eluſatium ditone manſerat, a Rege honorifice, benigneque interuentu Iacobi Scribæ, qui eius rei ergo in Galliam legatus fuerat, recipitur: & Valentino in regno III. M. florenorum in ſingulos annos, in eius victum, cultumque a Rege ſuppedi-tantur.

tantur. Neque vberiores redditus ei, quæ tot regna appetierat, assignantur.

Partium contentione, & potentium, ac factioforum hominum audacia Valentina respublica conuellitur. Hinc Scintillarum, & Solerorum nomina per vim, & factionem exsultant: atque concitantur.

Iulio mense Petrus Rabanus S. Pontij Tomerensis Episcopus, Petrus Zagarriga Ecclesiæ Ilerdensis electus Antistes, qui ex Ilerdensi Episcopo in Lunici Valteræ Tarraconensis Archiepiscopi locum postea successus est, S. Facundi cenobij Abbas, & Bertrandus Rodolfus ordinis fratrum Minorum minister, a Benedicto legati rei publicæ causa ad Bonifacium mittuntur: uti Ecclesiæ sanctæ negotium procurent.

Martino Sicilia Rege bellum in Bernardi Capreræ Modicæ Comitum oppida, arcesque inferente, Caprera in Regis potestatem se, suaque tradit.

Vicentellus Istria Comitum Arrigi Rocæ sobrinus, cuius opes, copiæque in Corsica insula late patebant, magnam eius insulæ partem in Regis ditione, potestatemque redigit. Cinerchæ arcis Garcias Latrasius præficitur.

Martino Lupio Nuza, & Petro Cerdano potentibus, & factiosis viris armis dissidentibus, intra Cæsaraugustana moenia crebræ cædes, & occisiones fiunt: eaque sit rerum commotio, ut Valentia Rex Maëlliam in A. D. V. I. K. Iul. conuentum Aragonensibus indicere cogatur. De intestinis malis sine ullo tumultu, aut motu sedandis, a Rege refertur. In eo confellu, vnam in orbe terrarum Aragonensium nationem regio imperio fidelissimam haberi prædicat: atque in omni fortuna perutilem semper Regibus eius gentis operam, atque fidelitatem fuisse: eosque veros esse Celtiberos: qui superesse prælio nefas ducerent, cum is occidisset, pro cuius salute spiritum deuouerant. Demum pollicetur accitu suo, se Sicilia Regem filium arcesiturum: uti prouideat, præsentque animum intēdat, qua ratione leges, institutaque maiorum facta tecta ab omni vi, impressioque conferuentur. Nam ad epto, aditoque regno, graue id nimis regnandi impotentia, principibus visum iri: quod cetera regna, non ratione legibus parerent, sed repentina, maiore ex parte, voluntatum inclinatione, gubernentur. Recte, atque ordine, exque republica tumultuantibus hominibus obuiam itum est. Iustitiæ Aragonum Præfecto priuatarum rerum cognitio, iudiciumque defertur: eoque administro, & cognitore ab armis discessum. Factionum coitiones, seditionesque dirimuntur.

A. D. X. K. Oct. Romæ Benedicti internuntij, assidente I. X. Cardinalium collegio, Bonifacium cohortantur, ut inter se comparent, prouideantque, ne quid detrimenti res publica Christiana patiatur: & eius rei causa, tutum in locum conueniant, congregianturque. Neque satis commodo, ut illis visum est, accepto responso, denuo ad congressum, colloquiaque cohortantur: Biduo tamen post Bonifacius moritur. Benedictus Mafilia Nicæam nauigat.

A. D. I V. Id. Octob. nuntij Benedicti Cardinalium collegium in claue inclusum ab electione dehortantur: & paucis interiectis diebus Cosmatus Sulmonensis Cardinalis sufficitur. Innocentij VII. nomen edidit. Nuntij Benedicti a Præfecto molis Hadriani in arcem captiui traduntur: & V. M. nummorum aureorum redimi coguntur. Quemadmodum ea res acciderit Benedicti ad Venceslaum Imperatorem, qui se Benedicti obedientiæ dicar, exstant litteræ. Nam Robertus ad Imperium adscitus to-

NAT. CHR. tum se Bonifacio addixerat. Visusque est Benedictus difficilem, & opero-  
 MCDIV. sam concordia<sup>e</sup> viam polliceri: simplici abrogationis spe reiecta: nili pri-  
 mo ipsi ad colloquia congregarentur: in qua sententia nimium pertinaci-  
 ter quoad vixit, permanit.

MCDV. Ianuario mense, Martinus Sicilia<sup>e</sup> Rex Drepanitano portu soluens, in  
 Sardiniam, & Corsicam nauigat. Contento cursu mox in prouinciam Gal-  
 liam vela faciens, aduersa tempestate in alto iactatus, A. D. VI. K. Febr.  
 ad Ramatuellam Gallia<sup>e</sup> prouincia<sup>e</sup> stationem appellit. Benedicto mox  
 annittente, cum eo, & Ludouico Rege, in Nicarsensi portu congregitur.  
 Martinus, & Ludouicus foedere adiunguntur. Sed cum ea pactio Gallia<sup>e</sup>,  
 & Aragonia<sup>e</sup> Regibus inscijs, neque re consulta, aut explorata, constituta  
 esset, statim rescinditur.

A. D. III. Non. Apr. Martinus Sicilia<sup>e</sup> Rex ad Barcinonensem sta-  
 tionem classem applicat.

Gerundensis, & Catanensis Cardinales A. D. VI. Id. Apr. duabus ma-  
 ximis actuarijs nauibus triremium instar, Barcinone aedificatis, & instru-  
 ctis, quarum ductores, & nauarchi erant Galcerandus Marchetius, Antio-  
 chus Almogauar Barcinonensis ciuis Barcinone soluentes, Maij K. Nicarsa<sup>e</sup>  
 applicauerunt. Nonis Maij Benedictus vii. actuarijs nauibus, tribus Ge-  
 nuensium, & totidem Barcinonensium Genuam nauigat: & ex Cardinali-  
 bus Auxitanus, Viuariensis, Aniciensis, Catanensis, & Gerundensis pres-  
 byteri, & Xalantius, & Pompelonensis iunior diaconi ad eius comitatu<sup>m</sup> ac-  
 cesserunt: nam reliqui Cardinales Gallici defectionis vitijs infecti tenuis  
 excusationis venia impetrauerunt. Ea die quod Nicarsa, classe in altum in-  
 uectus crebri, & vehementes fulgores, & tonitrua, iactusque fulminu<sup>m</sup>, &  
 maximi imbres effluxissent, portum Villafranca<sup>e</sup> tenuit: & ad Monæci  
 arcem, & Album Ingaunum, & Sauonam summo honore, ex Pontificia  
 dignitate afficitur. Sauona<sup>e</sup> Flisci Cardinalem, qui se Bonifacio bellum no-  
 stris inferens addixerat, eiurato schismate, offensionis, & inuidia<sup>e</sup> venia da-  
 ta sibi conciliat. ¶ A. D. VII. Id. Maij Barcinone in veteri regia arce, con-  
 stituta iura, scita, & priuilegia Barcinonensia a Rege Catalanis sancuntur.

A. D. XVII. K. Iun. Benedictus Genua<sup>m</sup>, magna a ciuibus adhibita pō-  
 painit. ¶ Prædicatio Beati Vincentij Ferrarij Valentini, ex instituto  
 Prædicatorum Apostolici viri: & insigni sanctitate præditi ad omnes gen-  
 tes celebratur. Complures impiarum gentium, & Iudæorum, Sarraceno-  
 rumque nationes Christi fidem, pietatemque eo perorante, profitentur.  
 Neque diuinitate modo concionandi, sed multa diuinitus prouidendo, san-  
 cta apud omnes eius nominis veneratio fuit. Satis constat multa miracula  
 edita: quibus cælestis fauor ostenditur. Cum sermocinaretur, Valentinu<sup>m</sup>  
 sermonem Græcis, barbarisque nationibus, & vltimis gentibus, tamquam  
 patrium habitum, & expositum: & oculorum tabe notis, manibus, pedi-  
 busque ægris, debilibusque, humana ope insuperabilibus salubrem vim,  
 integramque diuino nutu adhibitam: furibundis, & vesano dæmonum spi-  
 ritu concitatis placidam quietem restitutam. Neque conuersos tantum ad  
 vsum artus, aut cæcis diem reluxisse, sed exanimes, & elatos feretro, ad vi-  
 tam reuocatos. Bonifacij quoque Ferrarij eius fratris ordini Carthusiensis  
 præpositi ea, illo ipso tempore fuit summæ religionis sanctimonia, ac re-  
 rum diuinarum, & sanctionum Apostolicarum, iurisque ciuilibus scientia,



ut nec illius virtutum aciem splendor fraterni nominis præstingeret: aut eius luminibus officeret sanctitatis altitudo, & gloria.

NAT. CHR.  
MCDV.

Cum proceres Sicilia extorres absente Rege multa molirentur, neque cum Ladislao Rege satis firma, rataque amicitia esset: eadem classe Sicilia Rex A. D. II X. Id. Augusti in Sicilia regnum renauigat.

A. D. II X. Id. Octob. quod Genue pestilentia grassaretur, Benedictus Sauonam regreditur. Petrus Serra Catanensis Cardinalis ea contagione infectus Genue decedit.

Nonembris mensis initio, longa naui Barcinonem appulsa, quattuor argentæ statuæ auro, gemmis, margaritisque interstinctæ, summoque artificio factæ, Benedicti dono inuehuntur, Cæsar Augustamque perferuntur: quibus sanctorum Valerii, Laurentij, Vincentijque, & D. Encratidis reliquiæ includuntur: quas hodieq; sacris litaniarum lustrationibus, magnæque celebritatis festis diebus sollempni pompa, thesaurum vehiculis gestari summa religione, pietateque videmus: & commeritam tutelaribus diuis gratiâ iustis honoribus, integra, incorruptaq; mente, & voce persolui.

Petri Simenij Vreæ, & Antonij Lunæ magnorum procerum dissidentium, & concertantium factionibus nobilitas omnis in partes scinditur: nouaque semper mala miscuntur: & concitantur. Iurati magistratus Cæsar Augustani acinosos e ciuitate exturbant: urbem muniunt: aditus, per fugiaque factiosorum obstruunt. Iohannes Luxanus Vreanarum copiarum ductor e ciuitate exigitur.

Cum grauis, inimicijque incensa sine intermissione contentio Bernardo Capræ Modicæ Comiti, cum Sanctio Ruizio Lihorio impenderet, incursionibusque seditionum, & vi, impetuque multitudinis Sicilia regnum euerteretur, ipsique Regi periculum intenderetur, Capræ aula, & paulo post insula pellitur. Lihorius, & Iohannes Ferdinandus Heredia, & Archiepiscopus Panormitanus aula quoque regia demouentur.

MCDVL.

Martinus Alpartilius Dertosanæ Ecclesiæ Camerarius, & Innicus Pharenis ordinis militiæ Hospitalis S. Iohannis Hierosolymitani a Benedicto Sauonæ ad Martinum Sicilia Regem Februarij mensis initio Apostolici nuntij legantur: & Martio mense Aragoniæ, & Nauarræ Reges Ilerdæ congregiuntur.

Benedictus Sauonæ in sacris festi Pentecostes diebus Berengarium Anglesolam Gerundensem Cardinalem Portuensem Episcopum creat.

Vniuersa Parisiensis schola denuo a Benedicto Iunio mense secedit: deficitque. Benedictus pedestri itinere Sauona vrbe Nolim proficiscitur: & in Castellum Finarium ditionis Marchionis Carreti Cardinalis Flisci fratris filij, Monæcumq; , & inde Nicæam emigrat. Nicææ in Nouembrem mensis subsistit.

A. D. IX. K. Sept. Monæci arce Michaël tituli S. Georgij ad Velum aureum Pompelonensis Cardinalis, senioris Cardinalis Pompelonensis sobrinus moritur: & Nicææ in fratrum Minorum cœnobio sepelitur.

Non. Nou. Innocentius Romæ moritur. Pontificijs comitijs pie, ac sancte a sacro collegio Christianæ reipublicæ paci, ac tranquillitati consultitur: in eam enim sententiam prolata formula, in posterum cautum esse voluerunt.

In nomine sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis Amen. Anno a natiuitate Domini

NAT. CHR.  
MCDVI.

» Domini nostri Iesu Christi MCCCCVI. Indiâ. XIV. die Martis XXIII.  
 » mensis Nouembris in die S. Clementis, Apostolica fede vacante per obi-  
 » tum felicitis recordationis domini Innocentij Papæ VII. congregati, & ad  
 » inuicem collegialiter coadunati profutura electione futuri Pontificis ce-  
 » lebranda, infra scripti Reuerendissimi patres, & domini dominus Ange-  
 » lus Episcopus Ostiensis Episcopus Florentinus, Henricus Tusculanus  
 » Neapolitanus, & Antonius Prænestinus Aquileiensis Episcopi: Ange-  
 » lus tituli S. Potentianæ Laudenenfis, Vulradus tituli S. Chryfogoni Me-  
 » litensis, Angelus S. Marci Constantinopolitanus, Iordanus tituli S. Mar-  
 » tini in montibus de Vrsinis, Iohannes tituli S. Crucis in Hierusalem Ra-  
 » uennas, & Antonius tituli S. Praxedis Tudertinus, presbyteri: Rainal-  
 » dus tituli S. Viti in Macello de Brancatij, Landolphus S. Nicolai in Car-  
 » cere Tulliano Barrensis, Odo tituli S. Georgij ad Velum aureum de Co-  
 » lumna, Petrus S. Angeli, & Iohannes SS. Cosmæ, & Damiani Leodiën-  
 » sis vulgariter nuncupati diaconi S. R. E. Cardinales in capella comuni  
 » S. Nicolai sacri Apostolici Palatii Romæ apud S. Petrum intra conclaue  
 » consuetum, quam pro loco ad infra scripta idoneo elegerunt: & etiam de-  
 » putarunt, in præsentia mei Barronci de Pistorio, & aliorum notariorum  
 » infra scriptorum, & testium: Considerantes Christianæ religionis infa-  
 » miam, detrimenta, & graues fidelium molestias, ac pericula, quæ hæcte-  
 » nus emerferunt: & emergere verisimiliter est censendum, nisi salubriori  
 » remedio, ac in tempore diuina fauente clementia, cuius res agitur, occur-  
 » ratur, ex pestifero, & damnabili schismate, quod tantis, pro dolor, tem-  
 » poribus in cissuram Christianæ fidelitatis grauissime perdurauit: & du-  
 » rat: nec per prouisiones alias, pro eiusdem schismatis remotione per eos  
 » factas, effectum aliquem produxisse, ac intendentes ad remedia fortiora,  
 » \* non quidem iure pro parte ipsorum, iustitia suadente, quod ius verissimū  
 » est, & plena veritate fulcitum, sed quod pro integratione, & vnitatem Chri-  
 » stianorum, ex malitia temporis de facto, & si non de iure eligentes, & in  
 » speculam eorum considerationem extollentes, quanti posset esse discrimi-  
 » nis, si dilatio in electione futuri summi Pontificis fieret: temporum ma-  
 » lignitate pensata vniuersaliter singuli, & singulariter vniuersi vnanimi-  
 » ter, & concorditer nemine discrepante, ex certa scientia conuenerunt, vo-  
 » uerunt Deo, ac eius matri Virgini gloriosæ, ac sanctis Apostolis Petro, &  
 » Paulo, totique cælesti curiæ iurauerunt: & ad inuicem vnus alteri, & e-  
 » conuerso se obligando sollemniter promiserunt: Quod si quis eorum as-  
 » sumptus fuerit ad apicem summi Apostolatus, pro integratione Christiano-  
 » rum vnitatis renuntiabit effectualiter iuri suo: & Papatui: pure, libere,  
 » & simpliciter: si, & quando Antipapa, qui est, & pro tempore fuerit, con-  
 » similiter renuntiabit: & cedet prætensis iuri suo: & Papatui: siue decedat:  
 » dummodo Anticardinales effectualiter velint cum eisdem dominis sacri  
 » collegij sic conuenire: & concordare: quod ex hoc sacro collegio sequatur  
 » iuste canonica electio vniui summi Romani Pontificis. Ac etiam se  
 » promittentes facturos, & curaturos omni dolo, fraude, ac maligna inter-  
 » pretatione cessantibus pro posse, quod si quis ex dominis absentibus, vel  
 » de extra collegium per eos assumetur in Papam: eandem faciet obligatio-  
 » nem. Ac quod infra mensem a die suæ inronizationis numerandū, per suas  
 » extensas, & Apostolicas litteras Regi Romanorum, Antipapæ, eius præ-  
 » tenso

tenso collegio, Regi Franciæ, & omnibus alijs Regibus illustribus, ac Prin-  
cipibus, Prælatibus, & Vniuersitatibus, & communitatibus Christianitatis,  
secundum videre præfatorum dominorum de collegio, præmissa omnia  
indicabit: & ea omnia se offeret impleturū: & paratum ad cessionem mo-  
do prædicto: & ad omnem aliam viam rationabilē: per quam prædictum  
schisma tollatur: & vnionis sequatur integritas in Ecclesia Christiano-  
rum. Et quod super omnibus supradictis vltra præmissa suos sollemnes  
destinabit oratores, infra tres menses a die intronizationis prædictæ com-  
putandos, illis, quibus de consilio præfatorum dominorum sacri collegij  
sui videbitur. Et ipsis ambaxatoribus cum effectu imponet cum consi-  
lio eorum dominorum, de loco, seu locis decentibus eligendi ab vtraque  
parte: eisque potestatem plenariam dabit de loco conueniendi habili, &  
decenti. Ac etiam promittet similiter, vt præfertur, quod pendente tra-  
ctatu vnionis huiusmodi effectualiter, & realiter ex vtraque parte, non  
creabit, nec faciet aliquem Cardinalem: nisi causa coæquandi numerum  
sui sacri collegij cum numero prætensi collegij Anticardinalium prædi-  
ctorum: nisi ex defectu steterit aduersæ partis: quod vnionis præfatæ con-  
clusio infra annum, a fine dictorum trium mensium computandum, non  
fuerit subsecuta. Quo casu eidem liceat Cardinales eligere: & creare:  
prout, pro statu sanctæ matris Ecclesiæ eidem videbitur conuenire. Et  
hoc de non creando Cardinales in forma congrua insinuabit Antipapæ:  
& eius prætense collegio prædictis: vt ipse similiter sic faciat: necnon,  
quod omnia præmissa inchoata, & inchoanda mediabit, prosequetur, &  
sine debito terminabit: nihil de contingentibus, necessarijs, & vtilibus,  
vel quomodolibet opportunis omittendo: quantum in eo fuerit. Ea-  
demque statim post eius electionem, & ante ipsius publicationem om-  
nia, & singula supradicta confirmabit: approbabit auctentico modo: &  
de nouo similem promissionem faciet in omnibus: & per omnia: coram  
dictis dominis de collegio: testibus: & notarijs: & subscriptionem faciet  
manu propria in instrumentis: prout infra de Cardinalibus continetur.  
Et consimiliter huiusmodi ratificationem, approbationem, votum, &  
promissum effectualiter faciet in primo consistorio publico, vel genera-  
li: quod post coronationem suam, ad hoc commodo, consueto, & con-  
gruo tempore celebrabit. Insuper præfati domini Cardinales vouerunt,  
iurarunt, & ad inuicem promiserunt: quod per suas litteras, infra men-  
sem a die intronizationis prædictæ collegialiter insinuabunt de electio-  
ne facta: & de voluntate, & promissione quo ad vnionem prosequen-  
dam: & omnia supradicta omnibus præfatis dominis prout, & sicut facere  
tenentur, qui erit electus. Ac etiam inchoata mediabunt, prosequentur, &  
finient quantum in eis fuerit: nihil de contingentibus, necessarijs, & oppor-  
tunis quomodolibet, vel vtilibus omittendo. Quæ omnia, & singula pro-  
miserunt inter se, ad inuicem, & vicissim: vt supra attendere, obseruare, fa-  
cere, exsequi, & effectualiter adimplere: bona, pura, & sincera fide: om-  
ni dolo, & fraude cessantibus: & sic quilibet ipsorum iuravit corporali-  
ter manu tactis sacrosanctis Euangelijs coram eis præsentialiter positis,  
seruare, adimplere, ac exsequi: prout superius continetur: quodque a præ-  
dictis promissione, voto, iuramenti præstatione, & obligatione, ac eius ob-  
seruatione, & omnibus, & singulis supradictis nullus eorū absolutionē pe-  
tet: seu

NAT. CHR.  
MCDVI.

„ tet: seu impetrabit: per se, vel alios: & impetratis, seu impetrandis vtetur:  
 „ & sibi concessa nullatenus acceptabit: nec data potestate per ipsum alteri,  
 „ se faciet absolui: seu etiam secum in aliquo dispensabit: sed vellet perpe-  
 „ tuo dicto vinculo remanere obligatus. Et nihilominus ad maiorem certi-  
 „ tudinem, & firmitatem præmissorum, quilibet ex dominis de collegio su-  
 „ prædicto teneatur se subscribere manu propria in omnibus, & singulis in-  
 „ strumentis conficiendis ex inde: quorum instrumentorū quilibet ex ipsis  
 „ dominis de collegio vnum, vel plura habere valeat, pro eius arbitrio vo-  
 „ luntatis. Actum in Capella præfata præsentibus venerabilibus, & circum-  
 „ spectis viris dominis Francisco de Duce Apostolicæ cameræ clerico, Iaco-  
 „ bo de Caluis, & Petro de Sacco Canonicis Basilicæ Principis Apostolo-  
 „ rum de vrbe: & multis alijs in instrumento contentis.

„ Ego Banotus Philippi de Pistorio, litterarum apostolicarum scriptor,  
 „ & abbreviator publica, & Apostolica auctoritate notarius &c, Et sic om-  
 „ nes alij notarij.

„ Ego Angelus Episcopus Ostiensis Cardinalis Florentinus sicut præ-  
 „ mittitur voui, promisi, iuravi, & in testimonium me manu propria sub-  
 „ scripsi. Et sic reliqui successiue duodecim Cardinales nominati se sub-  
 „ scripserunt.

A. D. II. K. Decemb. Angelus Corarius Constantinopolitanus Pa-  
 triarcha Venetus Cardinalis, vir insigni doctrina, & religione veneran-  
 dus, & ab amplissimi sacerdotij collegio optimus, & selectissimus vir iu-  
 dicatus, & qui in Bonifacij Pontificatu in Ecclesiæ coniunctione, vt pro-  
 deffet, summe elaborauit, in Innocentij locum sufficitur. Gregorij XII.  
 nomen e lidit: & decretum ab vniuerso collegio constitutum hac formu-  
 la stabiliuit.

„ Anno Domini MCCCCVI. Indiēt. XI V. die Mercurij prima die mē-  
 „ sis Decembris, hora XI. noctis eiusdem diei Sanctissimus in Christo pa-  
 „ ter, & dominus noster dominus Gregorius diuina prouidentia Papa XII.  
 „ secunda die creationis suæ sua spontanea, & libera voluntate, in præsen-  
 „ tia Reuerendissimorum patrum dominorum Cardinalium, notariorum,  
 „ & testium intus in isto instrumento contentorum, & in Palatio, ac Capel-  
 „ la præfatis, & intra dictum conclaue ratificauit, approbavit, & firmavit,  
 „ ac de nouo vouit, iuravit, & promisit omnia, & singula, quæ in isto instru-  
 „ mento continentur, tenere, seruare, prosequi, & effectualiter adimplere,  
 „ & finire: nec in aliqua sui parte contrauenire. De quibus omnibus, & sin-  
 „ gulis præfati domini Cardinales, & ipsorum quilibet petierunt per me  
 „ Stephanum notarium, & quemlibet aliorum notariorum rogatorum fie-  
 „ ri vnum, & plura publica instrumenta.

„ Ego Gregorius XII. hodie vltima die Nouembris MCCCCVI. assum-  
 „ ptus in Romanum Pontificem, sic vt præmittitur, iuro, voueo, promitto,  
 „ ac confirmo omnia suprædicta.

Ea re constituta, litteris ad Benedictum missis recipit, polliceturque se  
 Pontificatu abdicaturum, si Benedictus eiuret: neque quemquam in Car-  
 dinalium collegium cooptaturum: vt duobus collegijs æquo numero ag-  
 gregatis verus, ac minime dubius Christi Vicarius deligatur. Litteræ Pon-  
 tificiæ maxime dignæ visæ sunt, quæ palam vniuersis, & generatim sin-  
 gulis proponantur.

GREGO.

GREGORIVS Episcopus seruus seruorum Dei Petro de Luna, quem nonnullæ gentes in hoc miserabili schismate Benedictum XIII appellent, pacis, & vnionis affectû. Qui se humiliat, inquit veritas, exaltabitur: & qui se exaltat, humiliabitur: cuius saluberrimam monitionem, quanto nobis ex alto permittitur, obedienter secuti, decreuimus per litteras nostras, omni contentione seposita, benigne te affari: & ad redintegrationem Ecclesiæ cohortari: immo te inuitare ad id consilium capeendum: quod nos ipsi pro pace Christianorum accepimus. Vides quanta mala, quanta pericula, quanta incommoda, quanta denique Christianæ religionis infamia iam per triginta annos, ex hac pestilenti, & nefaria seditione, in populo Dei peruenierint: quantaque, nisi provideatur, sint quotidie prouentura. Horum omnium malorum qui causa ab initio fuerint, certum videtur: quibus rigor iustitiæ non celsit: nec forsitan æquitas persuasit. Nihilominus tamen graues molestias Christianam religionem perpessam non dubitatur. Si ergo quoque nunc eodem modo fiat, dubius est remedij locus: quominus Ecclesia in solitis remaneat angustijs: in qua re tu, de te ipso, ac de conscientia tua videris. Nos mentem nostram, atque intentionem apertissime profitebimur. Non est consilij nostri tempus aliquo modo terere: sed quo validiora, certiora, & firmitiora sunt iura nostra, tanto laudabilius ducimus ea pro pace, & redintegratione Christianorum relinquere. Non enim semper de summo iure disputandum est: sæpe rigor ipse vtilitati, & tempori cedit. Nam si mulier illa & iuri suo renuntiare, & proprio filio spoliari se voluit, ne sectionem vnus pueri videret: quanto magis nobis, si malicia operante, ad optatam vnitatem venire non possumus, per iustitiæ vias pie cedendum videatur. Quare exurgamus ambo in vnum vnionis affectum: concurramus: feramus salutem Ecclesiæ hoc diuturno morbo afflictæ. Ad hoc te hortamur: ad hoc te inuitamus: paratique sumus, & offerimus nostro verissimo iuri, & Papatui cedere: & renuntiare: & efficaciter faciemus, si, & quando tu renuntiabis, & cedes prætensis iuri, & Papatui tuo: vel decedes: vel quicumque successor tuus renuntiabit: & cedit prætensis iuri, & Papatui suo: vel decedet: dummodo illi, qui apud partem tuam, pro Cardinalibus se gerunt, sic conuenire, & concordare cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus velint cû effectu: vt exinde canonica vnici Romani Pontificis sequatur electio. Itaque, vt prædicta expeditiorem sequantur effectum, celeriter mittemus oratores nostros: qui tecum de loco habili, & decenti ad huiusmodi rei confectionem disponant. Et insuper pendente huiusmodi vnionis tractatu, non faciemus, neque creabimus aliquem Cardinalem: nisi forte causa ad æquandi numerum fratrum nostrorum: cum numero illorum, qui apud te pro Cardinalibus se gerunt: vt sic pares ex vtraque parte ad sollempnem, & canonicam electionem vnici Romani Pontificis deuenire possint. Extra hunc autem coæquationis casum nullum, vt dictum est, Cardinalem creare decernimus: nisi ex defectu tuo, vel partis tuæ extiterit: quominus vnionis præfata conclusio infra annum, & tres menses, a die inthronizationis nostræ computandos, fuerit subsecuta. Hoc autem quod de non creandis Cardinalibus, tractatu huiusmodi pendente diximus, ita locum habere intendimus: si tu quoque idem obseruaberis. Hanc vero oblationem, & insinuationem de Cardinalibus non fiendis, ac superiore oblationem renuntiationis,

NAT. CHR.  
MCDVZ.

tionis, modo prædicto, vt strictiori vinculo fierent, iurauimus, vouimus  
& promissimus ante electionem nostram: eodem vinculo efficaciter im-  
plendas cum singulis ex nostris fratribus antedictis, in casu, quo aliquis  
nostrum ad apicem Apostolatus esset assumptus, post ipsam assumptionem,  
nem, id ipsum, ad firmiorem constantiam, denuo iurantes, vouentes, pro-  
mittentes, atque ratificantes. De hoc autem, quod bulla sine impressione  
nostri nominis est appensa, præsentium nullus debeat admirari: nam an-  
te nostræ coronationis sollempnia, vsus præfatæ bullæ cum huiusmodi im-  
pressione nominis non habetur. Datum Romæ apud S. Petrum die XI.  
ab assumptione nostra: XI vero Decembris Anno a Natiuitate Domi-  
ni MCCCCVI. Zucarus.

A. D. II X. K. Decemb. Sibylla Fortiana Regina Barcinone mortem  
obit. In D. Francisci coenobio regio tumulo infertur.

Rege Francorum annitente, vt Benedictus Pontificio, palatinoque co-  
mitatu in Galliam regrediatur, quod Italiæ ciuitates, potentatusque ma-  
gnis pollicitationibus ad se se cum pellicerent, Mafsiliam A. D. II. Non.  
Dec. appellit. A deo magnæ Valentino, Balearicoque regno tempesta-  
tes sunt coortæ, vt numquam illis locis maiores aquas fuisse constaret.

MCDVII.

Festo Natiuitatis Domini die Henricus Castellæ Rex, qui semper in-  
firma, atque ægra valetudine vixit, Toleti moritur.

A. D. III. K. Ian. Maria Aragoniæ Regina Villa regali Valentini a-  
gri oppido mortem obit. Ad Populeti sepelitur.

Benedictus Mafsilie ad D. Victoris A. D. II. K. Febr. Pontificatus  
anno XIII. easdem concordia conditiones, quas Gregorius tulerat, per-  
fert: modo antea, tuto in loco ambo primo congregiantur.

A. D. XII. K. Apr. sacra in hebdomade Raimundus Boilius Valenti-  
ni regni gubernator, cum Valentia regis arce egreditur, per insidias in-  
terficitur. Quod Philippus Boilius eius frater in turpissimo flagitio parti-  
ceps factus esset, manus est illi abscissa: alijque capite plectuntur.

A. D. XI. K. Maij Methonensis sororis Gregorij F. & Tudertinus Epi-  
scopi, & Antonius Butrius iuris scientia clarus Bononiensis Gregorij lega-  
ti, qui Mafsilie Benedictum A. D. II. K. Apr. conuenerant, & Petrus  
Zagarriga Ilerdensis Episcopus, & Franciscus Aranda, qui illo sæculo vir  
admodum prudens, ac prouidus habitus est, & se ex intimis arcanorum re-  
gni consilijs Carthusiensis religionis institutis dederat, tractandis condi-  
tionibus adiuncti, ex pacto, & conuentu Sauonam urbem colloquio com-  
petitorum deligunt: & S. Michaëlis dies, quo conueniant, edicitur.

A. D. III. K. Iul. Valentia Jacobi Aragonij Petri Vrgellitani Comi-  
tis filij, & Isabellæ Regis sororis nuptiæ celebrantur.

A. D. II. Non. Aug. Benedictus Mafsilienfi portu soluens Sauonam  
ex pacto conuento, vt cum Gregorio congregiatur, nauigat: & in D. Ho-  
norati insula, comoratur, atq; inde Non. Sept. Nicæam applicat. Eo in lo-  
co a Patriarcha Alexandrino, quem Francorum Rex Romam legauerat,  
certior fit, Sauonam, vt minime tutum conueniendi locum a Gregorio  
reijci. A. D. XII X. K. Octob. Benedictus Sauonam contendens Villa-  
franca portum tenet: & A. D. II X. K. easdem Sauonam applicat: neq;  
Gregorius constitutis S. Michaelis, & omnium Sanctorum diebus, vt con-  
uenerat, eo loci se sistit.

Augusto

Augusto mense filius Martino Sicilia Regi ex Blanca Regina vxore genitus decessit. Exequiæ magna funeris pompa, tamquam primigenij celebrantur. Rex vxoris, & nepotis morte summo animi dolore affectus in Vallis Christi Cœnobium Carthusiensis ordinis secedit: quod ipse constructui, ex ædificarique laxè, & splendide fecerat: & Alturæ, & Alcublarum ditione, ac prouentibus, & omnium rerum affluentibus copijs ditauerat.

Iohanna Regis Iohannis F. Fuxi Comes hoc ipso anno Valentia moritur.

Benedictus, & Gregorius paciscuntur, vt in confinijs suarum ditionum ad colloquium congreantur. Benedictus A. D. II. Non. Ian. Mercurij die portu Veneris tenet: & Gregorius Lucam A. D. VI. K. Febr. contendit: ad quem a Benedicto Rhotomagensis, & Tarraconensis Archiepiscopi, & Generalis minister ordinis Prædicatorum, & Toribius auditor sacri Palatii legantur. Cardinales fere omnes Gregoriani causa illata, quod Gregorius pactis non stetit, & inuito, ac repugnante collegio in amplissimum ordinem tres Cardinales, & in his Methonensem Episcopum sororis F. cooptasset, verentesq; vt ferebant, ne sibi vincula iniicerentur, cum Gallicis Cardinalibus, qui Benedicto parebant Pisas commigrat: & a suis partibus deficiunt: secernuntq;. Qui a Benedicto defecere hi fuisse litteris Benedicti traduntur: Guido de Maloëssio Prænestinus, Nicolaus de Bracciacijs Albanensis, Iohannes de Brunicia Ostiensis, Petrus Gerardus Tusculanus Episcopi: Petrus de Turreio tituli S. Sufannæ, Petrus Frias tituli S. Praxedis Hispanus presbyteri: Amadeus de Salucijs S. Mariæ nouæ, Petrus Blauij S. Angeli, Ludonicus de Barro S. Agathæ, Antonius de Xalanto S. Mariæ in via lata Diaconi S. R. E. Cardinales.

Ladislavus Rex Imperij vicarius, & perpetuus vrbs Romæ senator a Gregorio creatus, maximo comparato exercitu, ad XI. M. equitum coëgisse Martinus Alpartilius est auctor, vrbs obsidet: & A. D. IX. K. Maij in eam irrumpit.

Conuenerat inter Benedictum, & Gregorium, vt inter Lucam, & Portum Veneris quædam loca ad eorum congressum deligerentur: quæ Gregorij ditioni parebant: & internuntijs duobus Venetorum legatis, qui Benedictum in Veneris portu conuenerant, Benedictus obtulit, se libenti animo Liburnum accessurum: modo Gregorius Pisas commigret: cum ea oppida in ditione Gregorij essent. Ea re denegata, neque publica fide tradita, Cardinales Gregoriani eum, vt supra docuimus, deseruerunt: ac se Luca vrbe Pisas transtulerant: & Benedictum deprecati fuerant, vt eo proficisceretur: & Liburnum accederet: sed dum legatos præmittit, vt a Lucensibus, & Florentinis fide publica in eorum ditionibus sibi, ac suis liberi commeatus traderentur, & Benedicto denuntiatum esset, Francorum Regem, cuius fide publica in Genuensium ditione tuto se commorari arbitratur, & tam periculoso itineri commiserat, studiosissime curasse, vt in eum, & aliquot Episcopos manus iniicerentur, inexpectata, & repentina fuga in Galliam prouinciam celerem reditum dirigit. Portu Veneris vela facturus A. D. XVII. K. Iul. Pontificatus anno XI. v. Concilium Perpignanum Helenensis diocesis oppidum indicit. Cardinales Benedictini, Gregorianique, qui Pisas secesserant, & eo se concessurum Benedictum spondidisse prædicant, seorsim Concilium Pisas indicunt: & inde a reli-

WAT. CHR.  
MCDLIX.

giosissima concordia pactione Benedicto, & Gregorio resilientibus, in se non rite, nec pure, sed sacrilego more abrogationis actionem intendi obstantur. Benedictus tota Ligullina ora, & Gallia prouincia expulsus ad Illiberitanum portum A. D. VI. Non. Iul. appellit: & Ecclesia tot calamitatibus affecta, atq; conuulsa, malorum semina in contrarias partes se vertunt.

Petrus Vrgellitanus Comes Iunio mense e vita excedit. Margaritam Marchionis Monferrati filiam vxorē duxerat: & ex ea liberos susceperat Iacobum Vrgellitanæ, & Agerensis ditionis heredem: Thadæum, qui ante obierat: & Iohannem: quem ditionis Entenzia Barbastrēsis, & aliorum oppidorum heredem scripserat. Filias tris reliquit: Leonoram, & Iohannam, quam Iohanni Cardonæ Comitis filio desponderat: & Isabellam, quæ se sacro cœtui addixit.

A. D. X. K. Aug. Benedictus Helenam urbem, & postero die Perpignanum introijt. A. D. VI. K. eisdem Carolus Nauarræ Rex Iacobo Borbonio Marcia Comite, & Fuxensis Comitis filio generis comitatus Cæsaraugustā aduentat. Barcinone Regem, Perpiniani Benedictū inuisit.

Benedictus a Cardinalibus, qui a se desciuerant, & Pisas secesserant, destitutus, A. D. X. K. Oct. Iohannem Armeniacensem, Rhotomagensem, & Petrum Rauatium Tolosatem Archiepiscopos, Iohannem Martinium Murilium Abbatem Montis Aragonis, Carolum Vriem, & Alfonsum Carilium Gomecij Carilij filium in Cardinalium collegium cooptat.

Cum Brancaleo Oria, Mariano Arborensi Iudice filio vita functo, totius pæne Sardinia esset potitus, & Caralim, Alguerium, Longosardum, aliquotque arces, quæ in fidelitate regia permanferant, vehementer oppugnaret, & Genuensium auxilijs regnum appeteret, Sardi quod crudeli Oriarum dominatu premerentur, Aimericum Narbonensem Vicecomitem, qui Beatricem Leonoræ Arborensis Brancaleonis vxoris sororem duxerat, vltro arcessunt: quod is, ex quo iunctus Mariano affinitate fuerat, in omnia belli, pacisque se consociauerat consilia: magnoq; comparato exercitu, vt in Sardiniam transmittat, Sardi summo conatu ad arma irruunt.

Martinus Sicilia Rex excelsi, altique animi princeps Sardo bello occursurus, x. actuariarum nauium classe, cui Sanctium Ruizium Lihorium præfecerat, quod Iacobus Pratenfis mortem obierat, Octobris mensis fine Drepanitano portu soluit. Ad Alguerensem stationem copias exponit.

Alguerio Bernardum Capreram Modicæ Comitem, & Egidium Ruizium Lihorium Aragonie regni procuratorem insignem omnibus laudis, & consilij notis virum ad patrem oratores mittit de classe, & exercitu ad se primo quoque tempore transmittendo. Deceuisse enim se testatur, Sardinia non excedere, nisi in suam, patrisque ditionem, & imperium redigat: & tyrannorum dominatu liberet.

A. D. V. Id. Nou. secunda noctis hora Aetna maximis conquassatur terremotibus: tantoque flagrat incendio, immentos flammaram globos eructans, vt Catanæ dies illuxisse, nubesque, ac faces ardentes cælo volitare viderentur. II. M. P. supra D. Nicolai templum, quod Regina incolæ vocant, quinque ignei crateres xii. dies continenti incendio conflagrauerant: sulphureas proijcientes flammis. Cinis egestus pruinis immixtus pæne Messanam, aliquotque Bruttiorum oppida obruerat: cum Blanca Regina præstantissima femina Catana non excessisset: sed cū D. Agathæ

facro



facro corpore moenia perlustrarentur, diuina ope vrbs tanto incendio minime conflagrasse visa est.

K. Nouembris Omnium Sanctorum festo die Benedictus Perpiniani sollemni coetu & frequentissima celebritate concilium habet: & sacris in aula regia Maioricensi arcis Perpinianensis a Pontifice peractis, Alfonso Exea Patriarcha Constantinopolitanus Hispalensis Ecclesiae administrator celeberrimam, & gratissimam concionem habuit: & absentium ratione sacris comitijs habita, in A. D. XVII. K. Decemb. concilium prorogatur. A. D. II. Id. Nou. Benedictus sanctioris aetatis Magalonensis praefectum Ecclesiae Astensis administratorem Patriarcham Antiochenum, & Franciscum Simenium ordinis Minorum Valentinum virum insigni sanctitate, & magna, & multiplici doctrina, ac diffusa scriptorum copia clarissimum Hierosolymitanum Patriarcham creat: qui ab Auxitano Episcopo Cardinale A. D. XII. K. Dec. sunt consecrati. Postero die Benedictus ex arce regia in aedem beatae Mariae Regalis sacrorum ordinum coetu comitatus procedit: & peractis ab eo Missae sollemnibus, concilium haberi coepit. Sabattho A. D. XV. K. Dec. secunda Concilij assessio celebratur: & concione, vt mos est, habita, & professione recitata fidei Catholicae Benedictus responso dato, se illam fidem firmissime tenere, & simpliciter confiteri asseuerat. Mercurij die A. D. XI. K. Dec. cum tertia concilij assessio celebraretur, praemissa, vt mos est, concione, series, & continuatio rerum a Benedicto gestarum, ex quo in summam Pontificatus dignitatem est euectus, vniuerso coetui recitatur: atque proponitur: & quot, & quantas, & quam incredibiles calamitates hausisset: quantisque in discrimibus versatus esset, vt summam pacis coniunctio Ecclesiae Dei conciliaretur. Demum quinque alijs assessionibus varijs actus, actionesque consiliorum, & euentorum in procurandis ecclesiasticae concordiae negotijs recensentur: & quemadmodum inter Benedictum, & Gregorium legatorum interuentu conuenerat, vt Saoua cum suis collegijs festo S. Michaelis, aut Omnium Sanctorum die congregarentur. Concilio interfuerunt Praelati paene omnes Regnorum Castellae, Aragoniae, & Navarrae: & nonnulli Franciae, Prouinciae Galliae, Vascitaniae, & Sabaudiae: omnes circiter cxx. Praeter eos, quorum supra mentio facta est, Patriarcha Alexandrinus, Petrus Luna Toletanus, Garcias Ferdinandus Heredia Caesaraugustanus, & Petrus Zagarriga Tarraconensis Archiepiscopi concilij decretis adfedere. Cum patres Benedictus consulisset quid e re publica Christiana esse censerent: ne in progressione rerum, & noua molitione ad reliquias Ecclesiae lacerandas, & distrahendas prauis consilij conuerteretur: summa dissensione, atque dissidio in contrarias partes patrum opinionum in deliberando distrahuntur: quibusdam censentibus a Benedicto legatis mandata danda esse: vt eius nomine pontificiam dignitatem nulla interposita mora abrogent: alijs vero tempus ducentibus: & maxime disiuncta, atque contraria afferentibus. Ea opinionum, & sententiarum discrepantia eo rem deduxit: vt Perpiniano paene omnes discesserint: & ceteri in sententia permanentibus, tandem ab eis tanta de re dignum eo coetu responsum tulit: quod hoc in loco adnectere operepretium duxi.

Sanctissime Pater: ac beatissime: hoc sacrum Concilium generale supplicat, & consulit humiliter, & deuote V. S. quod non obstantibus qui-

NAT. CHR.  
MCDIIX.

buscumque tribulationibus, persecutionibus, & impedimentis vobis datis, dignemini propter Deum, & bonum Christianitatis profequi efficaciter factū vnionis Sanctæ matris Ecclesiæ: per viam renuntiationis: ipsam viam alijs vijs præmittendo: nulla alia tamen via exclusa.

Item supplicat, & consulit præfatum sacrum Concilium V. S. quatenus oblationem per eandem V. S. factam intruso de renuntiatione, in casu renuntiationis, vel mortis dicti intrusi, dignemini extendere ad casum deiectionis eiusdem intrusi: si fiat de iure: secundum fidem, & obedientiam partis suæ: ac etiam effectualiter: & de facto.

Item supplicat, & consulit præfatum concilium V. S. quatenus pro celeri, & debita expeditione, & conclusione præmissorum obtinenda, digne mini certos nuntios, probos viros, Deum timentes, & ad hoc idoneos pro parte V. S. & vestri collegij, ac totius sacri Concilij mittere ad intrusum: & suos Anticardinales cum ipso, vel Pisis, aut alibi degentes: nec non & ad illos dominos Cardinales Pisis existentes: & ad alios, qui in hoc sancto vnio nis negotio proficere poterunt: cum plena, libera, ac sufficienti potestate tractandi, concordandi, firmandi, & obligandi omnia, & singula necessaria, vtilia, seu opportuna ad præmissa: & vt eis videbitur tempus breue, & congruum: & locum idoneum, & securum: & de securitatibus, & libertatibus in eundo, stando, & redeundo recipiendi, concordandi, & obligandi. In quo S. V. omnia illa, quæ concordata fuerint per ipsos efficaciter ex sequatur personaliter: vel si personaliter ire noluerit, vel infirmitate corporali impeditus non potuerit, per alium, seu alios habentes plenariam, & liberam potestatem ad omnia, quæ S. V. facere potest: & posset vsque ad renuntiationem inclusue.

Item supplicat, & consulit præfatum sacrum Concilium quatenus dignemini tales constitutiones, & prouisiones adhibere: quod si ante optatam vnionem, quod absit, contingat V. S. ab hac vita ad aliam euocari, posset ad vnionem debite, & canonice procedi: taliter, quod post obitum V. S. propter defectum prouisionum, non differretur, seu impediretur vnio: aut, quod absit, scandala, seu subschismata sequerentur.

Item supplicat, & consulit præfatum sacrum Concilium: quod in casu, quo aliqui, quod absit, præmissis spretis scandala, seu subschismata suscitare vellent, dignetur V. S. per debitas constitutiones, & remedia prohibere: ne ad similia perpetranda procedant: sub pœnis, decretis, & prohibitionibus ad hoc necessarijs: & opportunis.

Sanctam eius cōgregationis cōmonitionē, & Benedicti ipsius pollicitationē aduersarij postea in Pisano primū, ac demum in Constantiensi Concilio in durissimum eius osiure merito retorserunt: quamuis Benedictus se viam cessionis Sauonæ amplexum fuisse contenderit: & in Portu Veneris Gregoriū per nuntios, & litteras ad eam pactionē fuisse cohortatū: ac tuta cōueniendi loca obtulisse, quæ omnia fuerint ab aduersario refutata: atque repulsa: neq; sibi posset obiectari negligentia: aut contumacia.

MCDIX.

K. Febr. Alfonsus Exea Patriarcha Constantinopolitanus Benedicto in Concilij confessu responsum a patribus decretum offert.

A. D. VII. K. Apr. XIV. Sessio Concilij Perpinianēsi arce, cum maior pars prælatorum a Perpiniano recessisset, & per paucos res trāsigerentur, celebratur. Eo in confessu a Benedicto v. 11. legati Pisas mittuntur: vt perscr-

perscrutentur, quibus condicionibus res ad concordia pactionem deduci possint. Ad spem obtinendæ rei, grauisissimi viri deliguntur Petrus Zagariga Archiepiscopus Tarraconensis, Seguntinus, Mimacensis, & Senensis Episcopi, Bonifacius Ferrarius Dominus Carthulienfis, Prior Casaraugustanus, & Minister prouinciæ Gallicæ: sed Tarraconensi, vt Benedicti nomine ad Francum Regem legationem obiret, in Catalonia remanente, reliquos oratores Nemausi, cum illis iter longum conficiendum instaret, Francorum Regis ministri detinent: ac demorantur: & mandata, quæ Benedictus legatis dederat, intercipiuntur: que res spem omnem adipiscendæ concordia, & Benedictum ad abrogationem deducendi contudit: atq; confregit.

A. D. XI. K. Iun. Archiepiscopus Tarraconensis Benedicti nomine, & Gerardus Ceruilionius Catalonia gubernationi præfectus, Sperandus Cardona pro Cancellario regio, Vitalis Blanius, & Petrus Balletus I. C. ab Aragonie Rege ad Francum legantur: ecclesiastici dissidij dirimendi causa.

Quod Aimericus Narbonensis Vicecomes cum Brancalione affini societatem conisset, & nostros Sardinia pellere niterentur, Narbonensisque magna comparata classe, in Sardiniam traiecisset, summæque spei, & expectationi, quæ proponebatur, magna Genuensis ciuitatis auxilia præstolarentur, Rex nobilitatem, atque iuuentutem omnem toto regno exciuit. Classem C. L. nauium omnibus copijs, & opibus ornatam, & instructam filio subsidio præmittendâ curat. Petrum Torrelliam, ex intimis maxime carum classi præficit. Iohannes Fuxius Vicecomes Castelboni, & Arcimbaudus eius frater Arcimbaudi Grailij Comitis Fuxi, & Isabellæ Matthæi Comitis sororis filij, Lusæ dominus, alijque ex Aquitania proceres, ad Regis exercitum, atque in militia disciplinam proficiscuntur: & militari auctoramento adiguntur. Copijs militaribus ex Aquitania excitis Gerardus Mauleo præficitur. Castelbonio Galcerandus Pinofius, Petrus Galcerandus eius frater, & Hortensis Vicecomes adiunguntur. Ex Catalanis proceribus Comes Cardonensis, & Antonius Cardona eius frater, Comes Quirrensis, Bernardus Sous Ebolesensis Vicecomes, Berengarius Arnaldus Ceruilionius, Galcerandus Sanctapacius, Acartus Murius, Galcerandus Cruillias, & Bernardus Spesius rem bellicam administrant. Benedictus Iohannem Martinium Lunam, & Rudericum Lunam fratres germanos fratris filios cum insigni equitatu in eam expeditionem delegat: quos Iohannes Bardaxinus, & complures viri nobiles comitantur. Modicensis, Augustanus, & Intemelius Comites, Comes Henricus Ruffus Mamertinus, Artallus Luna Calatabellotæ Comes, Gilabertus, & Iacobus Scintillia, Bernardus Anglesola, Agerotus Larta Siciliensium copiarum ductores ad similem laudem proficiscuntur. Inter omnes maximam laudem consequuntur Egidius Ruizius Lihorius Aragonij Regni gubernator: & Sanctius Ruizius Lihorius classis Siculæ præfectus, & Iohannes Ferdinandus Heredia Egidij filij, Gerardus Queraltus, & Iohannes Cruillias: cuius singularis virtus, & animi præstantia, & consilia prudentiæ, & fidelitatis plena magnis in rebus enituere. Vni tamen Petro Torrellia, ea condicione extraordinarium imperium defertur, vt sine eo res militaris administrari non posset: atque ita & classibus, & exercitibus præfuit: vt proceres omnes, & regia propinquitate coniuncti ei parerent: & dicto audientes essent: ac regia amicitia, & firmissimis opibus adeo munitus erat, si Tomichio

NAT. CHR.  
MCDIX.

fides adhibenda est, vt tamquam regulus, aut dynastes illis temporibus haberetur. Statione Barcinonensi ea classis A. D. XIV. K. Iun. soluit: quæ longe ceteris omnibus antecellere visa est.

Siciliæ Rege Alguerio Caralim classe præteruecto, cum Sardi ad præsentem obtinendam libertatem, mira animorum obstinatione, & magna rerum commotione ruerent, equitatu, quem satis magnum, optimumque ex Sicilia Rex traiecerat, & eo adiuncto, quem ex Hispano delectu arcesserat, acre bellum æternis hostibus infert: quo in bello, & virtus, & præstantia, & fortuna Regis enituit: quæ pæne ab inconstantia, & temeritate seiungi non potuit. Vnum omnibus, idemque votum: ferro, ignique, atque omni de hinc vi passim hostes persequendi. Caralis, Alguerium, & Longosardum vrbes solæ impetum, atque incursiones hostium, bellique curam sustinuerant: cum XL. annos obsidionem, perpetuumque bellum pertulissent.

Classe regia nondum in Sardiniam appulsa, v. l. Genuensium actuariæ naues, partim mercenarias, partim imperio, aut gratia comparatas copias subsidio hostium in Sardiniam transportant: quibus cum Rex suas obuiam præmisisset, quarum Franciscus Coloma ductor erat, cum ad Linairæ stationem, ad certamen concurrissent, nostri in hostium naues irrumpunt: vique expugnant. Capti fuere Guilielmus Mollo hostilis classis præfectus, Carolus Lomelinus, Simon Marius, Ambrosius Grimaldus, & eius frater: eorum nauium ductores.

A. D. IX. k. Iul. Petrus Philaretus Cretensis, ex instituto fratrum Minorum Mediolanensis Archiepiscopus, ab ijs, qui Pisano conuenticulo assederant, Pontifex Maximus creatur: cui Alexandri V. nomen est inditum. Pisani concilij decreto interposito Benedictus, & Gregorius Ecclesiæ inimici, & hostes censentur. Benedictus A. D. V. Id. Iul. Perpinianensi concilio instituto dimisso, & Pyrenæo transceso cœnobium Rhodense prope Emporiarum verustæ vrbs vestigia emigrat: quo communi fama, atque omnium sermone inter omnes constabat, præcis temporibus summum quendam Pontificem relegatum se contulisse. Inde Benedictus Barcinonem, vti de summa Christianæ reipublicæ cum Rege deliberet, contendit: & graui, ac pestilenti anno in turri regia diuturno tempore permanet. Quod Aimericus Narbonensis ad Sanluriū & suas, & Sardorum copias omnes collegisset, A. D. VI. k. Iul. Rex obuiam illi procedit: proelio decertaturus: cuius exercitus expositis copijs III. M. equitum, & IX. M. peditum robore instructus erat. Hostes circiter XII. M. numerum confecerant. Dominica die, A. D. II. K. Iul. collatis signis prælium a Rege committitur. Hostes magna edita strage cæduntur: atque profligantur. Hortensis Vicecomes, Petrus Galcerandus Pinosius, & Iohannes Villafausa in acie, cum præliarentur, mortem occumbunt. Aimericus cū acie excessisset, citato equo Montemregalē contendit: & in arcem se abdit. Nostri Sanlurium, eiusque arcem irrumpunt: expugnantque. Cum irruptione copiæ Comitis Modicensis, & Bernardi Galcerandi Pinosij arcis potirentur Genuenses, & Sardi, propugnantes occidione cæduntur. Insigni ea victoria parta, cum in ore omnium summis laudibus Siciliæ Regis nomen ad cælum effertur, Caralim se recipit felix: vt æstiuis habitis, Septembris mensis initio Oristanum vrbs obsideat: quam veluti belli arcem

cem Aimericus delegerat.

Id. Iul. Ecclesienſes Iohanne Sena internuntio, & adminiſtro Regi deduntur: munitoque oppido Gantinus Sena arci præficitur.

Siciliæ Rex, cum ex diutino labore, & grauiſſimo, & maxime calamitoſo cælo in febrim incidiffet, grauius, vehementiusque ea afflictuſ, A. D. II X. K. Aug. in præſtanti, plaudentique fortuna, cum omni genere virtutis, & rerum geſtarum gloria floreret, Carali e vita excedit: nullis ex Blanca vxore ſuperſtitibus liberis. Ex Tharſia Fredericum Aragonium, & ex Agathuza Siculis cõcubinis Iolantem ſuſceperat: quæ Henrico Nebulenſi Comiti poſtea nupſit. In æde maxima Caralitana ſepelitur. Ea calamitas, tantuſque mæror Regi parenti graui morbo affecto a Benedicto, & Vincentio Ferrario nuntiat. Miſeranda nempe tam immatura fortiffimi, & maximi animi Principis mors omnibus viſa eſt: qua tot vndiq; ærumnæ premunt: eaque fit ſubito rerum conuerſio: vt non Siciliæ modo, & Sardinia regna armis quæſita, & tot victorijs parta, tantifque cladi- bus retenta: ſed hereditaria, tot ſæculorum ætatibus pacata, atque ſtabilita in extremum diſcrimen deciderint.

MARTINVS ARAGONIAE ET SICILIAE  
R E X D V X A T H E N A R. E T N E O -  
P A T R I A E.

A. D. X VI. K. Sept. Petrus Torrellias, & Iohannes, ac Petrus Moncadæ in Oriſtanum agrum irrumpunt. Hoſtes dum vrbe egreſſi, inſidijs redeuntibus intercludere conantur, prælium committunt. Aduerſus incitatas hoſtium turmas itetit immota noſtrorum acies: nec parte vlla pelli, aut perumpi potuit. Poſtquam irritum inceptum erat, & recepti hoſtes poſt ſigna prælio excedere conantur, funduntur: cædunturque: ad I V. M. eorum occiſis.

Iacobus Vrgellitanus Comes controuerſiæ regni, viuo Martino Rege conſtituta, regia virilis ſtirpis cognatione, tamquam haud dubius regni heres regnum appetens, vti iuſtus, legitimuſque; ſucceſſor, ad procurationem regni, quæ primigenijs deferri conſueuerat, aſpirat. Eo munere a Rege A. D. II X. K. Sept. commiſſo, atque concefſo delinitur: & Conneſtabuli magiſtratus poteſtas, quæ regia ſtirpe ortis conferri aſſueuerat, attribuitur. Sed clam a Rege ipſo, dum ſecum voluit, quo nam modo Vrgellitanum peruertat, opera datur, ne procuratione, vt præiudicium factum eſſe videatur, deſungi poſſit: & ab Vrrearum factione, & Lihoria, Herediaque gente, per interdictum præfecti Iuſtitia Aragonum, Vrgellitanum procuratione euertere contendit. Concita ad rixam Cæſarauguſtana plebe, Vrgellitanus præruptæ audaciæ Princeps vrbe turpi fuga expellitur.

Rex caſum, & orbitatem regiae domus deplorans, & ærumnâ, ac ſolitudinem deſſens, cum vxorem ducere decreuiſſet, Margaritam Petri Pratenſis, ex Iohanna Caprera filiam, Iohannis Comitis Pratenſis neptem regia ſtirpe ortam, veterno prope conſectus puellam excellentis pulchritudinis A. D. X V. K. Octob. in matrimonium ducit.

Ludonicus Sicilia Rex, qui Iolantem Iohannis Aragonia Regis filiam duxerat, & Ferdinandus Petri Regis Aragonum ex Leonora filia ne-

NAT. CHR.  
MCDIX.

pos, a Rege, interuentu legatorum expetunt: vt palam enuntiet, quis in eius locum regni heres sit successurus. A Ferdinando, cum Antiquariam celebrem Baticæ prouinciæ urbem Maurorum dominatu oppressam obfidione premeret, Ferdinandus Guterrius Vega, & Iohannes Gonzaluius Azeuedus iuris prudentia clarus, summæ industriæ viri eam ob causam ad Martinum Regem legantur: & vt procerum, & ciuitatum animos, atque consilia, cum omnia factionibus, atque seditionibus excitarentur, secreto explorent. Rege tergiuersante, & reuente, quod Frederico nepoti, Sicilia Regis filio regnum Siculum appeteret: maior successiois perturbatio, atque confusio subsequitur: ac palam Rex visus est, odio in superbiâ, atque arrogantiam Iacobi Comitis Vrgellitani, Petri patruelis fratris filij concitato, popularem iactationem, & gratiam nepoti conciliauisse: vt magnis iam tum Aragonij nominis rebus, nondum tamen ad summum elatis, validis per Hispaniam finitimis Castellani regni opibus, in posterum regnorum subiunctionis, & summæ imperij fundamenta struerentur.

Quod Sardi noua auxilia ab Aimerico Narbonensi arcessiuisent, Rex Emporitano comitatu, atque ditione L. M. florenorum pignore Barcinonensi ciuitati opposita, atq; addicta, classem parari iubet: quæ K. Octob. Barcinonensi statione in Sardiniam transmissura soluit.

Octobri mense decurso, cum in suburbano Barcinonensi, Belesguardum vocant, Rex absideret, & a Bernardo Caprera Modicæ Comite res in Sicilia turbarentur, quod Rege inuito Panhormum urbem introisset, Catanamque occupare niteretur, qua in vrbe Blanca Regina commorabatur, Rex classem adornari imperat: denuntiatque, primo quoque tempore se in Siciliam traiecturum.

Benedictus Barcinone A. D. XII. K. Nou. Pontificatus anno XVI. X. Cardinales, qui a se defecerant, & Pisas secesserant execrationibus publicis, & ecclesiasticis interdictis cõdemnat: & contra se, ac Romanam Ecclesiam conspirantes, sacrilegos, schismaticos, & nouorum, vt nominat, subschismatum fautores, læsæ maiestatis, perduellionis, & paricidij conuictos lata sententia denuntiat.

MCDX.

Festum Natiuitatis Domini diem Benedictum, Anno MCCCXC. exacto Cæsaraugustæ celebrasse, ex epistula illa Iohannis Simenij Cerdani Iustitiæ Aragonum Præfecti clarissimarum rerum, & antiquitatis plena elicimus. In ea enim commemorat in æde maxima Saluatoris, natalicij sacris, cum horis matutinis Pontifex, Martino Rege viuente absideret, quintam lectionem, quæ Ecclesiæ more instituto, coram summo Pontifice a nobili quodam viro stricto gladio palam vniuersis recitari consuevit, Pontificis iussu Iohanni ipsi Simenio Cerdano recitandam fuisse commissam: tamquam primario viro eum Magistratû gerenti: cui similis, aut æqualis in terris non sit: quam rem sequenti anno gestam arbitror: & Cerdanum in ea tradenda, memoriavacillasse. Satis enim constat ex cõmentarijs Martini Alpartilij Operarij Cæsaraugustani, qui in intimis ipsius Benedicti erat, & eius varios actus, actionesque ferme omnes consiliorû, & temporum, ex quo in summum Pontificatum est euectus, diffuse complexus est: Benedictum post adeptam Pontificiam dignitatem Cæsaraugustam minime introisse: nisi mortuo Martino Aragoniæ Rege.

A. D. XIV. K. Apr. Petrus Torrelas Sardo bello redintegrato, omni pecu-

ni pecunia ex manubijs, & ea, quam in prædæ dissipatione milites coëgerat, disturbata, cum innumerabiles sumptus in rem militarem fierent, Orissanam urbem, & eius urbis ditionem Marchionatus cognomine: & Gotiani Comitatum Leonardo Cubello, posterisque eius regio mandato, ingenti pretio addicit: bellumque trahitur.

Aprili ferme exacto, aliquot Cardinales, qui Benedicti imperio, nominique ad eam diem parebant, & ciues Auenionenses ductoribus Bellicadri Senescalco, & Delphinatus gubernatore, ac Vicario Venexinij Comitatus, qui expulso Ruderico Luna ei ditioni prepositus fuerat, repentina defectione Auenionense palatium circumfident: ac omni machinarum vi, & testis, & apertis cuniculis, aggere, vineis, & turribus oppugnant. Cum ei propugnationi Bernardus Sous Vicecomes Ebolensis, Martinus Alpartilius, & Petrus Bertrandi arcis Palatinæ maioris præfectus ccc. propugnatoribus præessent: Benedicti ipsius mandato propugnacula dedunt: & Narbonem fide publica, cum omnès salui conseruarentur, deducuntur. Eadem tempestate Antonius Cardona Cardonæ Comitis frater, & Petrus Moncada instructa classe, Barcinonensi statione soluentes, ad Aquas Mortuas præteruehuntur: maritimamque oram incurrentes, ac depopulantes, aliquot naues euertunt, deprimuntque: quibus Aimerici Narbonensis copiarum in Sardiniam transportabantur.

A. D. V. Non. Maij Alexander Bononiæ vita fungitur. In eius locum Baltassar Cosca Cardinalis sufficitur: & Iohannis xxiiii. nomen edit.

A. D. II. K. Jun. Rex in cœnobio Sanctimonialium Barcinonensi muro adiuncto, vulgus Vallis puellarum cognominat, morbo, veterinoque oppressus e vita excedit: qui siue odio occulto in Iacobum Vrgellitanum Comitem incitatus, siue nimia in Fredericū nepotem Lunensem Comitem indulgentia inductus, cui Siculum regnum appetierat, cum regnum perpetua pace, successore constituto, libentibus omnibus stabilire posset, in exitium pæne, atque interitum, nullis superstibus liberis deduxit. Inde malorum initia: cum Regi successor quæreretur: non constitueretur. Regij funeris iustæ exequiæ vix persoluuntur: & ad D. Mariæ Populeti sepelitur: vltimus Aragoniæ Regum ex virili Barcinonensium Comitum profapia: qui stirpem antiquissimam in DC. annum, admirabili quadam continuatione, regnorumque serie propagauerant: cum repentino tantæ molis gubernacula ita diuulsa essent, vt vix in pristinam speciem redigi posse viderentur.

EXPLICIT LIBER TERTIVS.

QVAE IN EXCVDENDO INTER=  
missa, aut deprauata sunt, sic restituentur :  
atque corrigentur.

- Pagina. 9 **A**ERA DCCCCLXXXIV. DCCCXXXVI. addenda sunt. ¶ Ludouicus Imperator Augustus Posidonio Ep̄o Vrgellitano, quod hostili incurfione improborum hominū audacia aliquot Ecclesiarum ditio- nes, quæ ab Imperatore Karolo parente, & a se Vrgellitanis Episcopis attributæ fuerāt, auerterat: & incuria superiorum Antistitum Cæretanæ Comitibus parochiā Iuliæ Libycæ inuaserant, vt amissam possessionem vsurpet, auctor est: ne ve aliquid de earū possessione detra- hatur: aut decumas, seu quas vocat functiones aliquas ab eis extor- queant: aut eripiant, edicit. Ecclesias Vrgellitanam, Bergitanam, Cæretanam, Palliariensem, Anabiensem, Tirbiensem cum S. Deodata oppido, Ripacurciensem quoque, & Gestabiensem Ecclesias circum- scriptis regionibus D. Mariæ Vrgellitanæ Ecclesiæ dicatas a Posido- nio, posterisq; Episcopis perpetuo retinendas irrogato priuilegio de- cernit: atque constituit. Eam rem Lugduni A. D. XII. K. Ian. anno xxxii. Imperij Ludouici pijssimi Augusti Indiēt. xv. gestam arche- typo monumento apparet. ¶ Anno Domini DCCCXLIV. Vt Gothi cis legibus iura inter se foraque constituant: addendum erat. ¶ Immu- nitas ea a Francis in Hispania Frankitas dicta. Francorum enim natio- nem Germanicam Carolus Magnus Germanis reliquis, & Frisijis cō- modiore immunitatis conditione antetulerat.
- 10 Lege Lacedæmon: non Lacædemon.
- 11 Quæ sequuntur desiderantur. DCCCXCIX. DCCCLXI. ¶ Karolus Francorum Rex xiiii. k. Dec. Indiēt. ix. anno regni xxi. Panago- ne Guifado Vrgellitano Episcopo priuilegia a Karolo Magno, & Lu- douico Imperatoribus irrogata firmat: atque sancit. Decumas præter- ea Andorrensis pagi ferri, & picis debitas attribuit: & quemadmodū Ecclesijs Septimanæ tertia pars telonij, siue id tributum, portorium ve, aut vectigal erat, quod ab ijs qui nundinarentur conferebatur, Ec- clesiæ quoque Vrgellitanæ contribuit.
- 17 AERAE DCCCXCXV. adnectendus est annus Nat. Chr. DCCCCLVII. non DCCCCLVII.
- 18 & rerum gestorum ordinem omnem perturbabit: lege gestarum,
- 20 maximas cōmoditates Ruscinonensibus repræsentat: addenda erant. ¶ In archetypis tabulis a Lothario Vvifredus Dux cognominatur: & rem eam Lauduni vrbe regia anno Incarnationis Dominicæ DCCC- LXXXI. Indiēt. ix. vii. Id. Iul. gestam regnante domino Lothario Augusto Serenissimo: anno xxvii. filio vero eius domino Ludoui- co adolescente egregio regnante anno liii.
- 25 Lege monumentis: non munimentis.
- 27 Pro M C X I I X: lege M X C I I X.
- 29 Vbicumque D. Enkratidis, aut D. Enkratidi legitur, legendum D. En- cratis: & D. Encrati: cum ex Aurelij Prudentij carmine liquido appa- reat: rectum eius verbi casum Encrates esse: quod Græca origine no- men traxit.
- 34 Lege concinnarat: non concinarat. Pro certarent: lege certaret.



- [ Pagina. 46 Exeam nobile Vasconum oppidum vi expugnant. addendum erat. Julio mense, vt oppidum frequentissime coleretur, habitareturq; , ciuibus Frankitatis, idest ingenuitatis ornamenta ab Imperatore præstantur: & vt ingenui ciues Exeani essent priuilegio irrogatur. Vt comodiore condicione essent, quam ceteri, qui stipe collata vectigalia pensitare consueuerant, domus, atq; heredia immunia illis traduntur.
- 52 Stadæ, Alcalani, & Artufellæ. lege: Stadæ, Calasancij, Spesij, Alcalani, & Artufellæ.
- 87 mitram lege: non mytram.
- 174 Loco asterisco signato: ex ipsius Alfonso Regis archetypis litteris lege. Et cum Sanctius conceptionem impiam contra nos explere non posset, contra Pacensem ciuitatem nobis fideliter adhærentem accessit: & cum eam capere non posset, prout potuit deuastrauit: & ibidem complures homines interfecit.
- 175 Pro S. Nociti: lege S. Lucidi.
- 184 Lege Magalionensia: non Magalonensia.
- 194 Pro Catalonia nobilitate: lege Catalana nobilitate.
- 197 Pro Rauenæ: lege Rauennæ.
- 212 Pro Tarantino: lege Tarentino.
- 220 Pro ballistarum: lege balistarum.
- 222 Pro Acartus Muris: lege Acartus Muris.
- 283 Pro coitionis partis: lege coitionis partes.
- 292 Informarent, regerentque. Rex Bernardum Capreram & c. Clausulæ ita distinctæ, & interpunctæ sint: informarent, regerenque, Rex Bernardum Capreram & c.
- 293 ac foederum conditionibus: lege foederum condicionibus.
- 301 Cum a Genuensibus, qui Algeriæ vrbs propugnationem & c. lege Cum Genuensibus Algerij propugnationem & c.
- 324 Michaëli Barnabæ filio puero, & eius posteris: lege Michaëli Barnabæ filio puero, pueri sororibus, & eius posteris.
- 350 Pro Balthasare. lege Baltassare.
- 353 Vbi legitur: Huius anni initio: in margine addēdus erat annus M c c c L x x x.
- 355 Vt Ferdinandus Iohannis F. natu maior: ita legitur in compluribus paginis: cum excudendum esset: natu minor.
- 364 Pro D. Enkratidis: lege D. Encratis.
- 373 Auenionensis, & Turiasonensis Episcopi: lege Auenionensis, & Ferdinandus Peresius Caluillius Turiasonensis Episcopi.
- 388 Vbi legitur Robertus Baiohariæ Dux Palatinus Comes Rheni, Ludouici Imperatoris fratris F: Legendum erat: Robertus Baiohariæ Dux Palatinus Comes Rheni Roberti Adolphi Baiohariæ Ducis F. & Adolphi Palatini nepos: quem filium fuisse Rodolphi senioris Baiohariæ Ducis: Ludouici v. Cæsaris fratris memorant: vt Cuspinianus auctor est matre Beatrice Frederici Siciliae Regis F. genitus fuit. Ego Petri secundi Siciliae Regis Robertum hunc nepotem fuisse arbitror. Is Venceslao Imperatore & c.
- 393 Pro D. Enkratidis lege D. Encratis.

CAESARAUGVSTAE,  
EXCVDEBAT DOMI-  
NICVS A PORTONARIIS DE  
VRSINIS REGIVS ET REGNI ARAGO-  
NVM TYPOGRAPHVS, IN SVA  
OFFICINA, ANNO M.D.  
LXXIIX. A.D.IV.  
K. MAIL.



DOMINICVS A PORTONA-  
RIIS DE VRSINIS REGIVS  
TYPOGRAPHVS.



DOMINICVS A PORTONA  
RIIS DE VRSINIS REGIVS  
TYPOGRAPHVS


# ROBERTI VISCARDI CALABRIAE DVCIS,

ET ROGERII EIVS FRATRIS CALABRIAE, ET SICILIAE DVCIS PRINCIPVM

Normannorum, & eorum fratrum rerum in Campania, Apulia, Bruttijs, Calabris, & in Sicilia gestarum Libri IV. Auctore Gaufredo Malaterra monacho Rogerij ipsius hortatu.

ROGERII SICILIAE REGIS RERVM GESTARVM, QUIBUS SICILIAE regnum in Campania, Calabris, Bruttijs, & Apulia vsque ad ecclesiasticae ditionis fines constituit: Libri IV. Auctore Alexandro Cœnobij S. Saluatoris Vallis Celesinae Abbate: qui & hortatione Mathildis eiusdem Rogerij sororis eam historiam conscripsit.

GENEALOGIA ROBERTI VISCARDI, ET EORVM PRINCIPVM, qui Siciliae regnum adepti sunt: ex Ptolemæi Lucensis Chronicis decerpta: qua Dyrrhachinae domus Principum propagines certa, & constanti complexione appinguntur.



CAESARAVGVSTAE,  
Ex officina Dominicia Portonarijs de Vrsinis, S. C. M. & Regni Aragoniae Typographi.


M D L X X I I X.

Cum Priuilegio.

ROBERTVS  
DI CALABRIAE DVX  
ET ROGERII RIVS FRATRIS CALA  
BRIAE ET SICILIAE DVX PRINCIPVM

**EX DECRETO, ET PERMISSV ILLVSTRIS**

**B** Domini Petri Cerbunæ, liberalium artium Magistri, & sacrae Theologiae Do-  
ctoris Prioris, & Canonici sanctae Caesaraugustanae Ecclesiae metropolitanae  
in spiritualibus, & temporalibus Vicarij generalis, pro Illustri capitulo dom-  
norum Prioris, & Canoniorum eiusdem Ecclesiae sede Archiepiscopali vacante, praecunte  
censura, & notione admodum Reuerendi, & Illustris domini Licenciati Michaelis Cercito  
Ecclesiae beatissimae Virginis Mariae Caesaraugustanae, vulgo del Pilar Canonici, hos li-  
bros quattuor Gaufredi Malaterrae monachi Benedictini rerum a Roberto Guiscardo, &  
Rogerio eius fratre in Campania, Apulia, Calabria, & Bruttijs, & Sicilia gestarum, vna cum  
alijs quattuor libris de rebus a superioris Rogerij filio Rogerio Rege in Sicilia gestis, au-  
ctore Alexandro coenobij Celestinae vallis Abbate Caesaraugusta, & in Archiepiscopatu  
Caesaraugustano typis excudi concessum est: iuxta decreta sacri Tridentini Concilij. De-  
cretum vero concessum fuit Caesaraugustae, & manu eiusdem domini Vicarij generalis,  
& signo sanctae metropolitanae sedis munitum xxvi. Ianuarij M D LXXIX. &  
Sebastiani Molis Notarij testimonio corroboratum.



CAESARAUGUSTANA  
Ex officina Dominici Poronarij

no. 2. C. M. & Regni Aragoniae, Valentiae, Sicilie, & Sardinie

M D LXXIX

Car. Phileto

ANTONIO AVGV-  
STINO ARCHIEPISCOPO  
TARRACONENSI OPTI-  
MO ANTISTITI.



**Q**VANTVM PRISCAE VETV-  
 stati ad magnas res conficiendas, iustissimide cau-  
 sis in omni artium, doctrinarumque studio sem-  
 per detuleris optime Antistes, summo huius sæ-  
 culi beneficio, perpetuæ tuæ lucubrationes, sine  
 vlla intermissione testantur. Hanc te vnam vene-  
 rari, & colere, supraque oblectationem omnem,  
 & humanarum curarum requiem suspicere noui-  
 mus: quam semper admirari, & in omnium prospectum, cum maximas le-  
 gationes reipublicæ causa obieris, producere merito iure concupiuis-  
 tum eius affluentibus opibus, atque ornamentis locupletatus, ad ea, quæ  
 in tantis horum temporum calamitatibus, quibus tot terrores, periculaq;  
 iam adesse, atque imminere videntur, vniuersæ Christianæ reipublicæ  
 maxime conducunt, summe profeceris: & aduersus impiam hæreticorum  
 contumaciam, qui Ecclesiam sanctam Catholicam, quam diuina prouiden-  
 tia afflictam semper excipit, corruere numquam finit, perfidia viola-  
 re, & reliquas piorum gentes sacrilego scelere contaminare nituntur, in  
 eo officio, quod præcipue tuum fuit, enixe ad Dei gloriam prouideris, at-  
 que consulueris. Illud certe maiorum vigiliarum munus, quod ad sum-  
 mam virorum doctrina præstantium exiitimationem dimanauit, a te gra-  
 uissimi, & litteratissimi viri requirunt: atque efflagitant: quo innumera-  
 bilia Sanctorum Patrum, & summorum Pontificum scita, atque decreta, &  
 sacras synodos oblitteratas in tot volumina retulisti, vt singulari tua afsi-  
 duitate, & vigilantia, cum te totum ad sacrarum constitutionum feriem, &  
 veritatem inlustrandam traduxeris, quam maximus Canonicis sanctioni-  
 bus, atque decretis cumulus accesserit. In eo præterea te vehementer om-  
 nes admirantur: quod in grauissima, & perpetua sacrarum sanctionum  
 commentatione doctrinarum omnium studia promouere, & afsidua, ac  
 vehementi occupatione omnem conatum in contemplatione rerum, & li-  
 beralium disciplinarum scientia collocare, & non ludis, & ferijs, quod stu-  
 diosissimi viri solent, aut, quod aiunt, subseciuis horis, sed omne id tem-  
 pus, quo vitam viuimus, & maxime expeti, & sustentari consuevit, & com-  
 muni spiritu fruimur, remissionis litteraturæ studijs, tamquam alleuamen-  
 to quodam, & laxamento tribuere numquam intermittis. Hinc illæ diui-  
 tiæ, atque ornamenta ingenij: quorum fructus adeo vberes, & fecundos es  
 consecutus, vt cum ad hæc nostra studia, tamquam in leuiorem ludum, &  
 popularem lætitiã ad animi remissionem descenderis, maiores omnis  
 doctrinæ thesauros explices, ac propalam colloques, quam ceteri, qui om-  
 ne otium, ac tempus in communium litterarum, aut politioris humanita-  
 tis meditationibus contriuerunt. Sed quoniam neque instituti, aut iudicij  
 mei erat, tuas laudes, quæ grauissimorum virorum ingenijs omnium mor-  
 talium fama celebrantur, perstringere: tamen hanc me occasionem, te

grauissimò vetustatis vindice, custode, atque antifite non diffitebor arripuisse: vt vetustissimi hi rerum scriptores, qui Principum Normannorum in Italiam aduentum, & res ab eis in Campania, Apulia, Calabria, & Bruttijs, & in insula Sicilia gestas ante quadringentos annos posteris tradiderunt, in tui primum nominis præsidio in lucem exeant. Neque inculta eorum, & derelicta oratio, & inops series rerum, & inconditi Gaufredi monachi versus, quamuis hebetes, ac rudes, aut præposter, peruersique numeri de sententia demouerunt: quin res ipse a nemine auctorum, quod ego sciam, ad hanc diem traditæ in publicum proferrentur. Tantum enim me in ea editione a reprehensione ineptiæ abesse arbitrabar, vt propius nihil sit factum, quam vt his Normannicarum rerum scriptoribus Bartholomei Neocastrensis Siculi vetusti scriptoris poeticum opus, cui Mesfanæ nomen indidit, & x v. libris hexametris versibus composuit, adnecterem: tametsi non aliquo sagacis, aut bonæ mentis instinctu, aut artificiosa constructione, sed enormi, & pingui contextu de rebus a Petro Aragoniæ Rege in Sicilia, aduersus Carolum eius nominis primum Sicilia Regem opus id fuerit constitutum: adeo mihi prorsus persuasum est, verborum iacturam tolerabilem esse: cognitionis vero rerum, causarum, & euentorum inæstimabilem. Perspicuum enim hoc est, & in vulgari prudentia situm principem, & primariam esse illam sapientiam, qua maiore voluptate afficimur ex rerum ipsarum scientia: vel vilissima compositione traditarum: quas in animis insitas, & quasi consignatas notiones inhæ-rere oportet: quam ex supernacanea, & diffuente oratione: cum præsertim eam maxime ex rerum ipsarum traditione efflorescere, & redundare conueniat. Quam ob rem cum tibi in vniuersa rerum sacrarum functione, & Pontificalis auctoritatis, & reliquæ iurisdictionis absoluendæ prouincia, atque in tanto officio, tantoq; munere incredibilis cura numquam defuerit, quin doctrinarum studiosis vndique profis: magna spe ducor, cum tua sum magrauitas cum singulari comitate coniuncta sit, & qua es lenitate munitus minimum hoc munusculum, acsi insignita cuiusdam notæ esset, te non aspernaturum, aut refutaturum: si cuiusvis vel tenuissimæ utilitatis, & emolumentum fructum præbere, & vetustarum rerum memoriam, quas diligentissimi antiquitatis inuestigatores omni inquisitione veri indagare nituntur, possit patefacere. Vt eostamen scriptores Indicibus rerum ab Aragoniæ Regibus gestarum adiungerem, ea me ratio, & consilium impulit: quod, vt omittam Aragoniæ Reges ab hinc tercentam annis in Normannicam stirpem gemina cognatione se inseruisse, ditiones omnes, quæ a Normannis, & mox Sueuis Principibus tot victorijs quæsitæ, & partæ fuerant, Aragonijs postea Regibus & hereditario, & belli iure, & ab Ecclesia publicis consilijs beneficij loco delato munere, cælesti, diuinaque sorte obuenerent. Ad D. Encratis ex suburbano Cæsaraugustano A. D. X V I. K. Maij. M D L X X I I X.

Amplitudinis tuæ obseruantissimus.

Hic. Surita.



5

# INCIPIT LIBER DE ACQUISITIONE REGNI SICILIAE,

CALABRIAE, APVLIAE, ET INSVLAE SICI-

liae per gloriosum Principem Robertum Guiscardum: & fra-

tres de Normannia venientes: compilatus a Gaufredo re-

ligioso, & honesto viro beati Benedicti Monacho: ad

petitionem Illustris Principis Rogerij Trina-

criae Comitis: quam de infida tyranni-

de Sarracenorum ad deuotionem

Christi reduxit.

INCIPIT LIBER PRIMVS.

## HIC SVNT CAPITVLA PRIMI LIBRI.

LIBRI huius sunt diuersa distincta capitula:

Quae passim subtitulare nostra debet pagina.

Vt quae voles perscrutando citius inuenias.

Primum sonat, quae pars est Franciae Normannia. I

Rhodo Duce dat piratas per mare Noerueia.

Hanc peruadunt: Rex occurrit: vt abinde arceat. II

Bellum differt: foedus inicit: fit eorum dominus.

Patria quibus claudatur adnotatur finibus.

Rhythmus cesset: prosa dicat, si quid est vltterius.

**D**E MORE Normannicae gentis ab Altauilla. III

De Tancredo: & prima, vel secunda vxore sua: & liberis. IV

Qualiter primi filij Tancredi Guilielmus, & Drogo, & Hunifredus a Normannia digredientes Apuliam venerunt. V

Qualiter primum Principi Capuano seruientes, ab ipso ad Salernitanum transierunt. VI

Qualiter cum Maniaco Graeco ad Siciliam debellanda primo transierunt. VII

Qualiter Arduinus a Maniaco caesus sit. IIX

Qualiter Melfa a Normannis aedificata sit: & de legato a Graecis misso: & de primo congressu, quem cum Graecis habuerunt. IX

De secundo praelio sub Montepiloso. (ti sunt. X

De iunioribus filijs Tancredi: qui praecedentes fratres in Apulia subsequuntur. XI

De morte Guilielmi Comitis. XII

De morte Comitis Drogonis. XIII

De Leone Apostolico: qualiter a Normannis captus sit. XIV

Qualiter Leo Papa a Normannis cum honore dimissus sit. XV

De Roberto Guiscardo qualiter castrum S. Marci firmavit: & qualiter cum Sclauis pedes praedatum iuit. XVI

De Roberto Guiscardo, & Petro de Turra. XVII

Qualiter Robertus Guiscardus Comes Apuliae factus sit. XIIIX

De Rogerio iuniore filio Tancredi. XIX

A ; De Ro:

- XX. De Rogerio quia Rob. Guiscardo inuitatus a Calabria in Apuliam vadit.  
 XXI. Rob. Guiscardus, & Rogerius cum exercitu Rhegium vadunt.  
 XXII. Rogerius cum maxima præda Rhegium venit.  
 XXIII. Rogerius irato animo a Rob. Guiscardo recedit.  
 XXIV. Rogerius a Guiljelmo fratre benigne suscipitur: & Scalea conceditur.  
 XXV. Rogerius Comes equos furatur.  
 XXVI. A Rogerio Malfitani capiuntur.  
 XXVII. Fames in Calabria fit. (terfectis.  
 XXXIIX. Calabri rebellantes castrum Leucastrense in dolo capiūt: pluribus ibi in-  
 XXIX. De pace facta inter Rob. Guiscardum, & Rogerium fratrem suum.  
 XXX. Rob. Guiscardus vxorem Alberedam repudians Sigelgutam ducit: & Ro-  
 gerius, & Guiscardus reconciliantur. (lebret, vadit.  
 XXXI. Rob. Guiscardus super Guiljelmum fratrem suum, antequam nuptias ce-  
 XXXII. Bellum apud S. Martinum cum Græcis a Rogerio fit.  
 XXXIII. In adiutorium Gaufredi fratris Rob. Guiscardus, & Rogerius vadunt.  
 XXXIV. Guillamato debellato utriusque fratres Calabriam vadunt.  
 XXXV. Rob. Guiscardus Dux efficitur. (gnat.  
 XXXVI. Guiscardo apud Rhegium remanente, Rogerius castra Calabriae expu-  
 XXXVII. Qualiter Scyllacium captum fuit.  
 XXXIIX. Qualiter Serlo Tancredi filius a Normannia in Britanniam pulsus sit.  
 XXXIX. De militia eiusdem Serlonis.  
 XL. De Tancredo, & Apro.

INCIPIT EPISTOLA RELIGIOSI VIRI

Gaufredi beati Benedicti Monachi destinata ab eo-  
 dem ad venerabilem patrem dominum  
 Catanensem Episcopum.



BEATAE MEMORIAE GEORGIO  
 Catanensi Episcopo frater Gaufredus ab antecesso-  
 ribus Malaterra agonem trahens, infelici cursu mun-  
 dano cum Martha habito, ad felicitatem quietis Ma-  
 ria cum Lazaro fratre resuscitari. Quandoquidem  
 sanctissime pater quadam peculiari familiaritate, a  
 ceteris Episcopis, qui quantum ad habitum, alterius  
 institutionis esse præfigurantur, habitu religionis,  
 quo concingimur, quamuis indignus, vobis me vniri cognosco, peculiari  
 etiam spe, a ceteris de vobis præsumens fruor: & vos mihi in omnibus ne-  
 gotijs tutorem exposco. Per vos itaq; , aut saltem vestra præsentia librum  
 hunc reputari exoptulo: vt vestra auctoritatis fauore Principi gratiosior  
 fiat: vel ab æmulis, si forte aliqui insurgant, ob reuerentiã vestri, minus re-  
 morderi præsumatur. Sciendũ tamen vobis est, siue alteri, quicumq; libri  
 huius recitator, vel certe interpres accesserit, si seriatim, minus ordinate,  
 secundũ tempora, quibus facta sunt, quæ adnotantur, vel certe aliqua obli-  
 uione prætergressa repereritis, non hæc tam mihi, quã relatoribus, culpando  
 adscribantur: præsertim cum de ipsis temporibus, quibus fiebant, præ-  
 sentialiter non interfuissem: sed a transmontanis partibus venientem, no-  
 uiter Apulum factum, vel certe Siculum ad plenum cognoscatis. Si au-  
 tem de incultiori poetria quæstio fuerit, sciendum est, quoniã etiã si esset  
 vnde

unde limpidius, aut certe pomposius eructare potuissem, ipsa Principis iussio ad hoc hortata est, ut plano sermone, & facili ad intelligendum, quo, ut omnibus facilius quidquid diceretur, patesceret, exararem. Ego igitur siue istud, siue illud opponatur, sub vmbraculo vestri tutaminis refugium expeto: ut tanto auxilio innixus, inimico dente mordere attentantes minus pertimescamus: & Principis nostri sustentamine fruamur.

**M**NIBVS, quibus per vniuersam Sicilia Epale, vel clericale nomen assignat, Gaufredus Malaterra cum assignatione nominis, & significatum. Antiquorum philosophorum traditione futurae propagationis humanae mos inoleuit, fortium facta virorum, apicibus adnotata ad posteros transmittere: ne facta memoranda, cum ipsis, a quibus fiunt, silentio deperiret: sed potius ita litteris commendata, & a futuris lecta, vel cognita, ipsos, a quibus facta sunt, quadam vitae memoria, quodammodo quasi viuere faciat. Quod commendat Sallustius ille inter historiographos laudabilis rector: qui in principio sui libri scripsit dicens: Omnis homines, qui se se student praestare animalibus, summa ope nititur decet, ne vitam silentio transeant: quomodo pecora: quae natura prona, ventrique obedientia finxit. Talibus edoctus auctoribus, sibi veterum historias recitantibus, famosissimus Princeps Rogerius laboriosus, & non sine magno discrimine triumphos suos, qualiter videlicet primo Calabriae, deinde vero Siciliae armata manu subiugauerit, posteris, consilio suorum mandare decernens, mihi, ut ad huius operis laborum dictandum accingar, iniunxit. Sed quia praecedere in me beneficio suo, quidquid iniunxit negare nequeo, minus erudito stylo, & enerui poetria, quasi lacum profundissimum natamque nescius, timidus ingredior: vosque, vestraque aduersum me indignationem plurimum pertimescens, praesertim cum vos limpidissimo fonte grammaticae artis debriatos, non autem me, talis scientiae pane ieiunum ad tale opus accingi oportuit. Sed praedictus Princeps vos maioribus utilitatibus occupatos, interdum, videlicet Ecclesiarum curis cum Martha, interdum vero beatae contemplationi, cum Maria insudantes cognoscens, vobis, ne a meliori proposito vos reuocet, parcit. Me vero, quasi vacantem, & nulli exercitio deditum, quadam manu pulsationis vigilantior reddere satagit. Rogo itaque vos, ut memores scripturae dicentis: Inuicem onera vestra portate: & sic adimplebitis legem Christi: & quod alibi dicitur: frater fratrem adiuuans ambo consolantur: ad debile carmen meum sustentandum pedem vestri fauoris porrigatis: ut clypeo vestrae auctoritatis munitus incursum detrahentium, & inimico dente aliorum dicta, vel facta rodere tentantium minus pertimescam. Sunt enim quidam, qui cum alicuius scientiae gradus utcumque attigerint, & exinde humanae laudis fauorem adepti fuerint, tumentis supercilio, tanta inuidia superfluunt, ut neminem sibi litteris aequipollentem ex proximo habere velint. Sin autem eos habere contigerit opus alienum, detrahendo mordaci dente appetere non desistunt: alterius laudem suam minui timentes. His competenter assignari potest illud scripturae: qua dicitur: Scientia inflat: sed non subsequitur in eis: caritas aedificat. Ad sunt alij e contra, quorum scientia, & mores ipsos in tantum nobilitat, ut quantum plus philosophico fonte debriant, tanto minori extollentia rapiant: gressum mentis semper in humilitate figentes: aliorum dicta, vel facta non remordentes: sed quod minus ornate dictum ab eis audierunt, cum mansuetudine intra se ipsos, non autem in publico, ne forte scandalizent, corrigunt. Et ut eos apud potentes huius seculi gratiosos verbis faciant, extollere non

runtur: eorum laudem, vel lucrum, quasi suum æstimantes. Horum affectuosam beneuolentiã aduersum me inuitari exposco. Ego vero quæcumque dictauero vobis corrigenda, & rosis vestræ scientiæ exornandã reputabo: vt vinea a vobis exarata, cultu vestræ scientiæ putata, vberiores fructus reddens, in maiorem laudem, & gratiam perueniat Principis.

I.



**NORMANNIA** patria quædam est in partibus Gallia, quæ quidem non semper Normannia dicta fuit: sed regalis quondam Francorum Regum fiscus, cum toto suo, cuius pars erat, generali nomine Francia nuncupabatur: vsque Rhodanus fortissimus pirata a Dacia, vel Norücia, coadunata sibi plurima fortium manu militum, naturali exercitu se pelago credentium Frisiam, & quæque maritima loca, versus occidentem deuians, tandem in portu, quo Sequana fluuius in mare defluens intrat, appulsus est: cuius per alueum maxima classe profundiores partes Franciæ penetrans, amœnitate locorum inspecta, præ ceteris, quas per transierat regiones, hanc amore amplecti, & sibi adoptare fecit. Est enim piscosis fluminibus, & feralibus siluis abundantissima: accipitrum exercitio aptissima: frumenti, & ceterarum segetum fertilis: piscinis vberissima: pecorum nutrix. Quamobrem ex vtraque ripa profilientes incolas illius regionis imperio subiugare cœperunt.

II.

**R**EX autem, qui tunc temporis Franciæ præerat Ludouicus, vt credimus secundus, comperiens hostes fores imperij sui inuasisse, primo quidem indignatus commoto exercitu, hostibus occurrendum, & Ducem, & eos a finibus arcere instituit. Sed cum hoc non sine magno detrimento suorum, se agere posse cognosceret, varios euentus belli pertimescens, suorum sanguini parcens, seniorum vsus consilio, fœdera pacis, & seruitium, quod ab ipsis, sibi offerebatur, accepit: eisque maximam partem terræ, quam peruaserant, in beneficium concessit. Itaque terra illa concessa apago Pontiniensi, quem ab orientali parte sui habet, secus mare Anglicum, quod ab Aquilonari parte adiacet, vsque in Britanniam: quæ fines eius occidentales claudit, ab occidentali vero, & meridiano cornu, pago Cenomanico terminatur: vsque in Carnotensem, & a Carnotensi clauditur Velcasino, & Beluacensi vsque Pontinum. Hanc terram sibi determinatam a Rege Francorum Rhodanus hereditarij feudo suscipiens, inter suos, prout conuenire cognoscebat, distribuit: pretiosiora quæque pro suis vsibus referuans. Quia vero procinctus terræ paucis perstrinximus, de more quoque gentis aliqua dicere vtile videtur.

III.

**E**ST quippe gens astutissima, iniuriarum vltrix, spe alias plus lucrandi, patrios agros vilipendens: quæstus, & dominationis auida: cuiuslibet rei simulatrix: inter largitatem, & auaritiam quoddam medium habens. Principes vero delectatione bonæ famæ largissimi: gens adulari sciens: eloquentijs in studijs inseruiens: in tantum, vt etiam ipsos pueros quasi rhetores attendas: quæ quidem nisi iugo iustitiæ prematur, effrenatissima

tissima est. Laboris, inedia, algoris, ubi fortuna expedit, patiens. Venationi, accipitrum exercitio inseruiens. Equorum, ceterorumque militia instrumentorum, & vestium luxuria delectatur. Ex nomine itaque suo, terra nomen indiderunt. North quippe Anglica lingua, aquilonaris plaga dicitur. Et quia ipsi ab aquilone venerant, terram ipsam etiam Normanniam appellarunt. In cuius quidem provincia ciuitas est, quae Constantinum dicitur: in cuius territorio villa est, quae Altauilla nuncupatur: non quidem tantum pro excellentia alicuius montis, in quo sita sit: sed quoniam, ut credimus, aliquo auspicio ad considerationem praenotantis euentum: & prosperos successus eiusdem villae futurorum heredum, Dei adiutorio, & sua strenuitate gradatim altioris honoris culmen scandentium. Nam nescimus vtrum in praecedentibus partibus, vel certe in postea futuris heredibus, aut etiam in vtrisque diuina prouidentia quod sibi placeret inspiciens, heredes ipsos in tantum prouexit, ut sicut Abrahamae repromissum est, in gentem magnam crescentes, & suum Imperium armis dilatantes, multarum gentium sibi colla subdiderint: quod paulatim perstringendo stylo prosequemur.

**E**RAT miles quidam praecleari admodum generis, qui ab antecessoribus suis hereditario iure sibi hanc villam relictam possidens, Tacedus nomine duxit uxorem moribus, & genere splendidam mulierem: nomine . . . Ex qua legali successione annorum, quinque filios postea futuros Comes suscepit: Guilielmum videlicet cognomine Ferrea brachia, Drogonem, Hunifredum, Gaufredum, & Serlonem. Horum matrem defunctam, cum ipsa aetas adhuc viridis patri continentiam denegaret, honestus in honestos coitus abhorrens, secundas nuptias celebrauit: malens vna, & legitima esse contentus, quam fœdo concubinarum amplexu maculari: memor illius Apostolici dicti: vnusquisque accipiat uxorem propter fornicationem deuitandam. Et quod sequitur: Fornicatores, & adulteros iudicabit Deus. Ducta vero Frændis vocabatur: generositate, & moribus priore non inferior: quae legitimis terminis marito septem peperit filios: non minoris pretij, vel dignitatis, a praedictis fratribus futuros: quorum nomina subtitulamus hic. Primus Robertus Guiscardus: postea totius Apuliae Princeps, & Calabriae Dux: vir magni consilij, ingenij, largitatis, & audaciae. Secundus Malgerius. Tertius Guilielmus, Quartus Alueredus, Quintus Humbertus, Sextus Tancredus, Septimus Rogerius minor: postea Siciliae debellator, & Comes. Mater vero accuratissime, & materno affectu filios suos nutriens, tanto amore ipsos, qui non sui, sed mariti sui, ex praecedenti uxore erant, amplectebatur, ut vix discernere posses, nisi ex aliqua causa didicisses, quis filius, vel quis non filius esset. Vnde & a marito plus amabatur: & a circumstantibus plurimum adpretiabatur. Infantes vero, ut aetas illis ministrabat, pueriles annos transcendentes, cum iam adolescentiam vnus post alium attigissent, coeperunt militaribus disciplinis adherere: equorum, & armorum studia frequentare: discentes se ipsos tueri: & hostem impugnare.

**S**ED cum viderent vicinis senibus deficientibus, heredes eorum pro hereditate inter se altercari, & sortem, quae vni cesserat, inter plures diuisam singulis minus sufficere, ne simile quid sibi in posterum eueniret, V.  
consilium

consilium inter se habere cœperunt: sicque communi consilio prima ætas, præ ceteris adhuc minoribus magis roborata, primo patria digressi, per diuersa loca militariter lucrum quærentes, tandem apud Apuliam Italiæ prouinciam, Deo se ducente peruenerunt.

VI.

**A**VDIENTE Sitaque inter duos famosissimos principes, Capuanum videlicet, & Salernitanum, quibusdam controuersijs insurgentibus, inimicitias efferbuisse, causa militariter aliquid lucrâdi, quia viciniorem, via qua veniebant, viam inuenerunt, Capuano sese obtulerunt: vbi aliquantisper commorati, cum multa strenue, remuneratione accepta, peregissent, tenacitate Capuani cognita, illo spreto, ad Gaimarij Salerni Principem transuerunt: a quo decenter suscepti, propter militarem laudem, quæ iam ipsos per vniuersam Apuliam famosissimos effecerat, & maxime quia ab inimicante sibi Principe, ad se transferant, multis donarijs ad fidelitatem eius inflammati diuersis, & crebris incurfionibus Capuanos laceffentes, totam prouinciam, ac si pestilens calamitas detonaret, ad triuerunt circumquaque: & Salernitani passim iniurias Principis vlciscentes, indefessi idem facere adiuerunt: intantumque rebellantes antea Principi compescuerunt, vt omnia circumquaque se pacata filerent. Longobardorum vero gens inuidiosissima, & semper quemcunque probum suspectum habens, ipsos apud eundem Principem, inimico dente mordente, occulto detrahebant: suggerentes quatenus eos a se repelleret: quod ni faceret, facile futurum, vt gens tantæ astutiæ, tantæ strenuitatis, addentes etiam, ex sui cordis malitia, tantæ perfidiæ, vt Principe exheredato, ipsi sua calliditate, hereditate eius potirentur. Vnde & cor Principis eisdem artibus imbutum facile in deterius proclive peruertunt. Sed Princeps quamuis prauis consilijs suorum assentiens, quod hortabantur facere moliretur, tamen strenuitatem illorum timens, quod animo occulte agebat, minus in propatulo aperire præsumebat.

VII.

**M**ANIACVS autem quidam natione Græcus, a Constantinopolitano Imperatore his, quæ apud Calabriam, vel certe Apuliam erant sui iuris, præfectus, Siciliam, ad vtilitatem debellandi applicare disponens, vnde cumque sibi auxilia conduxit: vnde & ex parte Imperatoris Salernitano Principi, vt amico imperij mandat, quatenus ipsos, per quos inimicos suos debellauisse fama erat, in auxilium sui imperij mittat: promittens etiam multis præmijs remunerandos. Princeps autem nactus occasionem, qua honeste eos a se dimittat: vocat: arcesitos, ad quod hæc rogatus erat, hortatur: præmia, quæ pollicebantur, vt eos ad id facilius impellat, verbis enumerans, etiam de suis pollicetur. Porro illi non tam imperio Principis, quam spe eorum, quæ pollicebantur, illecti, apparatus, quæ necessaria erant, ad Maniacum vsque peruenerunt. De quorum aduentu Maniacus non minimum gauisus, plurimum eorum auxilio fidens, nauigio aptato, Siciliam numerofo exercitu inuadunt. Primoque Messanam, quia ripæ applicuit, contiguam oppugnans, deditione fœdus secum inire coegit. Nam quamuis apud Messanam strenuissimi suæ gentis milites essent, qui ab vrbe progredientes, in congressu Græcos plurimum collidebant, sed tamen Græcis cedentibus, nostris congregiendi locus

locus patuit. Messanenses, nostrorum strenuitate, nondum experta, primo quidem acriter instare cœperunt. At ubi vident se, plus solito vexari, quasi nouæ gentis militiam abhorrentes, terga præbuerunt nostris: vsque in proximum vrbis, extremos quosque cædentibus. Maniacus nostrorum causa nactus urbem, in pretio eos habere cœpit: donisque, & promissionibus corrigere ad militiam. Inde ergo profundiores partes Siciliæ attentando, & omnia subiugando progredientes, Syracusam vsque peruenerunt. Arcadius quidam, qui vrbi principabatur, nostris infestus, multas strages dabat: quo Guilielmus Tancredi filius, qui Ferrea orachia nuncupatur, plurimum indignatus, impetu facto, super eum irruit: fortiterque congregiens hastili robore deiectum interfecit: vnde & maxima laudis admiratione deinceps apud Græcos, & apud Siculos fuit. Siculi itaque vsque ad sexaginta millia congregati Maniaco: & suis, in partibus Trainæ vrbis bellum offerre tentant. Porro Guilielmus filius Tancredi laude militiæ ferrox, armis strenuus, Græcos ad certamen præueniens, certamine inuito, cum suæ gentis tantum militibus cum hoste congregitur: antequam Græci ad locum certaminis perueniant. Fortiter agendo plures strauit: reliquos fugat: victor efficitur. Græci ad locum, quo certatum fuerat, peruenientes, nostris hostes insequentibus, spolia diripiunt: inter se diuidunt: nulla portione nostris, qui ab hoste excusserant, reseruata.

**Q**UOD cum nostri, a persequendo hostes redeuntes, cognouissent, IIX, iniuriam rati, per Arduinum quendam Italum, qui ex nostris erat, quia Græci sermonis peritiam habebat, Maniacum utique improuise, an ex deliberatione industriæ spolia diuiserit, ad rationem ponunt. Porro ille indignatus, quasi potestati suæ contradicere præsumpserint, cum liceat de eisdem spolijs sibi, pro libito suo agere, per spatia castrorum fustibus cædendo, ad ignominiam gentis nostræ contumelijs affici præcepit. Arduinus rediens cum talia nuntiat, nostri graue ferentes, in Græcos insurgere deliberant. Sed Arduinus vix eos compescens, vtilius consilium dedit: scilicet vt ira dissimulata, ipse cultioribus vestibus in præsentiam Maniaci procedat: donec illis minus suspicantibus, ipse a notario Maniaci, cuius amicitia fruebat, chyrographum, quo liberius transeant Pharum, quo uis astu accipiant. Quod cum sic machinatur, Mâiacus his, quæ agebantur ignarus, beniuolentiam militis laudare, munera promittere, subfanando tamen cum suis ridere. Vt autem chartulam a notario, quasi aliquod negotium versus Calabriam habens, Arduinus accepit, nostri clam, de nocte Messanam vsque progressi, Pharum impune transeunt: sicque versus Apuliam tendentes, Calabriam, & quæcumque Græcorum iuris esse sciebant, vastant percurrentes. Sicque faciendo vsque in Apuliam peruenerunt: sed dolositatem Gaimarij principis cognoscentes, ad ipsum minime transferunt: verum prouinciam inuastando, sibi eam subiugandi consilium accipiunt.

**S**ED cum sine castro, quo se tuerentur, patriæ illius incolæ essent, IX, castrum, quod Melfa dicitur, construxerunt: ubi cum quingenti tantum milites essent, Græci, qui terræ illi principabantur, maxima multitudine ex Calabria, & Apulia sibi coadunata, vsque ad sexaginta

ginta millia armatorum, vt eos a finibus suis propellerent, versus illos ire coeperunt: legatoque præmissio mandant, vt quod maluerint eligant: aut certamen in crastino secum habere, aut pace sibi indulta, incolumes a peruasus finibus recedere. Legatus vero, qui ad hæc missus fuerat, cum pulcherrimo equo insideret, quidam Normannus Hugo, cognomento Tudestifem, equum manu atrectare coepit. Vt autem mirabile aliquid de se, socijsque suis, vnde terrentur, Græcis mandaretur, nudo pugno equum in ceruice percutiens vno ictu, quasi mortuum deiecit. Reliqui vero Normanni profiliantes Græcum, qui cum equo deiectus fuerat, & solo timore læsus, quasi exanimis humi iacebat, erigunt: equum autem vsque ad quoddam præcipitium pertrahentes deiciunt. Porro Græcus, cum vix consolatione Normannorum ad mentem rediisset, meliori equo ab eis accepto, certamen paratum socijs refert. Sed cum quod acciderat, principibus populi sui tantum retulisset, illi admiratione, & metu percussi, verbum inter se comprimebant: ne forte si in propatulo diceretur, exercitus territus refugeret. Mane itaque facto, summo diluculo a Normannis occurritur: fortiterque congregientes acerrime vtrimque pugnatur. Intereant huic certamini de filijs Tancredi Guilielmus Ferreabrachia, & Comes Drogon: nec dum quisquam fratrum eos subsecutus fuerat. Isti vero, vt fortissimi milites socios animantes, sed & ipsimet fortiter agentes, multis ex hostibus prostratis, tandem in fugam reliquos dederunt: quos insequentes, & posteriores quosque cædentes victoriam obtinuerunt: multis hostibus in flumine, quod Oliuetum dicitur, dum transnatare cupiunt, submersis.

X **V**ICTI, nec dum autem defatigati, sed se ipsos inuicem animantes, multo ampliori exercitu congregato, duce Annone, qui ad hoc ab Imperatore Constantinopolitano missus fuerat, iterum bellum parant. Quibus Normanni bello non segnes, sub Montepiloso occurrentes, fortiter congressi, ostendentes se bellum nolle refugere, sed potius quasi ex delectatione appetere, in congressu Græcis contra ipsos fortiter agentibus, cum iam Normanni fatigari præ nimia eadē coepissent, Guilielmus quartanæ febris typo laborabat: & præ nimia infirmitate, qua premebatur, certamini interesse non poterat: sed procul iacens exitum rei expectabat: cum videret iam suos minus fortiter agere, & præne deficere, indignatione, & ira, infirmitatis, qua premebatur oblitus, arma corripens se se, quasi leo furibundus hostibus medium dedit: suosque verbis exhortatorijs recreans, fortiter agendo hostes in fugam vertit: duce Anno, duce \* exercitus, qui caudatus erat, quasi boue interfecto. Viribus itaque suis diffidentes, & fortunæ minus credentes, castra sua munientes, vltra decertare cum Normannis, nisi muris interpositis, non præsumebant: sed neque ipsi muri contra Normannos tueri poterant. Nam crebris incurSIONIBUS eos laessentes vineta, & oliueta eorum extirpabant: armenta, & pecora, & cetera, quæ ad vsum necessaria sunt, nihil extra castra relinquentes, diripiebant. Sed & ipsa castra, ipsis intra reclusis, exercitu vallantes oppugnabant: machinamentisque, quibus doctissimi artifices erant, ad id officij agendum, necessarijs aptatis, muros, & turres crebris ictibus impingendo, funditus diruebant. Ruptis muris, aditis patentibus irrumpentes, omnia sibi diri-



sibi diripiebant: vnde & reliqua circumquaque castra, id sibi inuicem cer-  
nentes, vltro se se eorum ditioni subdebant.

**I**VNIORES vero fratres, quos ætas adhuc domi immorari cogebat, **XI.**  
precedentes seniores fratres apud Apuliam fortiter agendo, altioris cul-  
men honoris, & dominationis ascendisse, fama referente cognoscentes,  
quam cito etas permisit, ipsi quoque subsecuti, duobus tantum in patria re-  
lictis, ne hereditas, vel competens stirpe alienaretur. Abeuntes vero rema-  
nentibus, vt remanerent, vix persuaserunt: sed in hoc potius preualuerunt:  
quod heredibus eorum, si se sequerentur, de his, quæ adquisituri erant, se  
se benefacturos polliciti sunt. Sed per longum est huic operi, per singula  
perstringendo inferere qualiter apud Apuliam egerunt. Hoc tantum sum-  
matim non solum nos, sed etiam res ipsa testatur, quod omnem patriam  
armis domantes sibi subiugauerunt. Subsequente enim se suorum, & pa-  
rentum, & compatriotarum, sed & reliquarum circum adiacentium regio-  
num spe quæstus, maxima multitudine, ipsi impigri largitores, quasi fra-  
tres suscipientes equis, armis, & vestibus, ac diuersis muneribus ditabant.  
Quibusdam etiam terrarum loca largissime impertiebantur: omnibus di-  
uitijs huius mundi, auxilia fortium militum præponentes. Quamobrem  
nihil incepti in cassum illis præteribat. Vnde & illud Euāgelicū illis pro-  
uenit: vbi dicitur: Date: & dabitur vobis. Quanto enim ampliora largie-  
bantur, tanto maiora lucrabantur.

**I**GITUR seniore fratre Guilielmo videlicet Comite infirmitate præ- **XII.**  
ueniente, defuncto, magnus dolor omnes Normannos inuasit. Quippe  
qui tanti consilij virum, tam armis strenuum, tam sibi munificum, affa-  
bilem, morigeratum vltius se habere diffidebant. Sed exequijs, ex more  
accuratissime, & cum maximo planctu, non immerito celebratis, secun-  
dus frater Drogo totius Apuliæ dominatum suscepit: vir quidem, vt suc-  
cincte dicamus, per cuncta laudabilis. Hic fratrem suum Hunifredum Aba-  
gelardo Comitem, apud castrum, quod Lauel dicitur, virum prudentissi-  
mum, consilio Apuleiensem, & Normannorum ordinauit: Robertum ve-  
ro Guiscardum in Calabria posuit: firmans ei Castrum in valle Gratens-  
si: loco, qui Scribla dicitur: ad debellandū Consentinos: & eos, qui adhuc  
in Calabria erant rebelles.

**L**ONGOBARDI igitur Apuleienses, genus semper perfidissimū, **XIII.**  
traditione per vniuersam Apuliam silenter ordinata, vt omnes Nor-  
manni vna die occiderentur, determinato die, cum Comes Drogo  
apud Castrum Montis olei, quod corrupte ab incolis Montolium dicitur,  
moraretur, summo diluculo, ad Ecclesiam, vt sibi mos erat, properās,  
cum iam Ecclesiam intraret, quidam Ritus nomine, eius Comitis compa-  
ter, & sacramētis fœderatus, post ianuam latens, fœdere rupto, ferro eum  
suscepit: qui cum pluribus suorum, paucis aufugientibus, occisus est. Sed  
per diuersa Apuliæ loca plures hac traditione occubuerunt. Porro Huni-  
fredus Abagelardo nece fratris turbatus, honorem sibi vendicans castra,  
quæ frater possederat, insiluit: Normannosque, qui periculum traditionis  
euaferant, sibi alligans, in vindictam fraternæ necis insurgit: multoque  
B tempore

tempore castrum, quo frater suus occisus fuerat, oppugnans, tandem deuicit: fratrisque interemptorem, cum sibi assentientibus, diuersis cruciatibus afficiens, eorū sanguine iram, & dolorē cordis sui aliquātulū extinxit.

XIV. **A**PVLIENSES vero nec dum traditionibus exhausti, per occultos legatos IX. Leonem Apostolicum, vt in Apuliam cuius exercitu veniat, inuitant: dicentes Apuliam sibi iure competere: & predecessorum suorum temporibus iuris Ecclesie Romanæ fuisse. Se illi auxiliū lauros: Normanos imbelles, viribus enerues, numero paucos. Ille, vt assolet, quamuis prudentissimus esset, ambitione captus, Alamanorum exercitu, ab Imperatore sibi in adiutorio recepto, confidens in auxilio Longobardorum Apuliam intrat. Comes vero honestius ducens cum honore vitam finire, quam cum dedecore vita comite, suscepto honore priuari, commoto exercitu, audacter hostibus occurrit: ordinataque acie suorum certamen iniens, cum primo cōgressu fortiter, vt solitus erat, agere cœpisset. Longobardi territi fuga se ipsos tueri nituntur: Alamanis in proelio relictis. Qui cum fortiter dimicarent, nullum refugium, nisi in armis habentes, Normanis vincentibus, pene omnes occubuerunt. Apostolicus fuga vitæ asylum expetens, intra urbem prouinciæ Capitinatæ, quæ Cimitata dicitur, se se profugus recepit. Quem hostes insequentes armato milite obsident: aggeres portant: machinamenta ad urbem capiendam parant: incolas minus terrent: vt Apostolicum reddant. Illi vero semper perfidissimi, nulla pactione ad vtilitatem Apostolici, nisi vt se ipsos tuerentur, adquisita, eum per portas eijciunt: quem hostes suscipientes, ob reuerentiam sanctæ Romanæ Ecclesie, cum magna deuotione, eius prouoluuntur pedibus: veniā, & benedictionem eius postulantes. Sed & vsque ad loca, quo exercitus castra, & tentoria fixerat, cum omni humilitate illi seruire executi sunt. Quorum legitimam beneuolentiam vir Apostolicus gratanter suscipiens, de offensis indulgentiam, & benedictionem contulit: & omnem terram, quam peruaserant, & quam vltius versus Calabriam, & Siciliam lucrari possent, de S. Petro, hereditali feudo sibi, & heredibus suis possidendam concessit: circa annos M. LII.

XV. **A**POSTOLICVM itaque Romam regredientem Comes Hunifredus, quousque sibi placuit, cum honore conduxit. Vbi vero licentiam redeundi concessit, in Apuliam reuersus omnem terram placidam, & sibi obedientem inuenit, quam longo tempore in pace rexit: vt vix in aliquo loco suæ dominationis latro, vel qui suis imperijs cōtradicare auderet, posset inueniri. Duos itaq; fratres suos comites fecit: Malgerium Capitinatæ: Guilielmum vero in Principatu. Sed Malgerius moriens cum omnem Comitatum suum Guilielmo fratri suo reliquisset, Guilielmus Gaufredum fratrem suum diligens sibi concessit.

XVI. **R**OBERTVS vero Guiscardus cum apud Scriblam moraretur, Calabros fortiter impugnans, cum videret suos, propter infirmitatem loci, & aëris diuersitatem languescere, saniores locum expetens, non quidem hostes deuitando, vt timidus retrorsum vadens, longius recessit: sed potius quasi in hostem hians, in viciniorem se conferens, castrum, quod

quod S. Marci dicitur, firmavit. Sed cum firmato castro, quid motus intro duceret, non inueniret, abstraxerant enim circum manentes ad proxima castra quæque habebant, ne ab ipsis diriperentur, quodam vespere dapi-fer, qui omni domui suæ præerat, requisivit ab ipso, quid in crastinum comesturi erant ipse, vel milites sui: dicens se, neque victum, neque pretium ad emendum habere. Quod si pretium haberet, nusquam, vbi cum pace adiri posset, inueniri posse. Guiscardus vsque ad sexaginta, quos Sclaus appellant, totius Calabriae gnaros secum habens, quos quasi fratres fidelissimos sibi beneficijs, & muneribus missis effecerat, sciscitatus est ab eis, vtrum locum adibilem scirent: quo præda posset capi. Quibus respondentes se vltra montes, via præruptissima, in profundissimis vallibus, per maximam scire: sed sine magno discrimine extrahi non posse, Robertus tale fertur dedisse responsum. Eia tutissimi vitæ meæ fautores, ita ne patie mini Guiscardum, sed & ne vos fame affici? Causa victus acquirendi, dubia fortuna, vsq; in periculo vitæ temptanda est. Nam & temptates sæpe triū phaliter euasisse audiuius: neminem vero, qui fame interierit, laudari. Ite inquit nocturni prædones: ebrietas Calabros minus vigiles esse permittit. Nam & hunc diem celebrem habentes, ex more conuiujs, & potationibus studuerint. Præite: subsequar militibus armatis. Sicque lecto parato, cum iam collocatus esset, de nocte, nullo sciente confurgens vili veste, & scarpis, quibus pro calciarijs vtuntur, ad similitudinem abeuntium sese aptans, illis medius adiungitur. Sicque per totam noctem ignotus comes illis factus, nulli eorum verbum effecit. Nam neque excreare volebat, ne forte ita quis esset deprehenderetur. Quia enim eiusdem gentis erant, non ex toto sese credebat illis. Porro vbi ad locum prædæ ventum est, quidquid ibi inuenerunt ante se colligentes, ipse crebris saltibus, & vibrante hastili, vt reditum accelerent, socios hortabatur. Sed antequam illucesceret, ij quibus damnum illatum fuerat, sua ablata perpendentes, cum ducerent, militibus vt prædam excutiant, profecuntur. At Guiscardus insequentes appropere videns, & socios, ne præda priuari patiantur, se se inuicem audacter cohortari audiens, vt audaciores redderet, iam quis esset, aperuit. Guiscardus inquit adsum particeps laboris vestri. Sine me nil periculi patiemini. Forti animo estote: & insurgamus hostibus. Nam Deo fortunam prosperante, facile præualebimus. Hæc dixit: & hostibus cum maximo furore occurrens, dum certat, multos perimit: plures capit: reliquos fugat: victor efficitur. Sicq; triumphalibus spolijs acceptis, de peditibus suis equites fecit: denique iam securus, captiuos secum deducens, præcedit: paucis, qui prædam post se minent, relictis. Milites vero sui, cum iam lux esset orta, eos armatos versus castrum aduenire cognoscerent, hostes suspicati, dominum suum vbi esset, nescientes, per totum castrum clamore requirunt. Non inuenientes turbantur: audacter tamen castro profilientes illis, quos hostes suspicabantur, occurrere accelerant. Porro Guiscardus equum in quo sedebat, calcarijs vrguens, alta voce Guiscardū ingeminando, occurrit: sicque agnitus ab illis, de præsentia sua, & de felicitate fortunæ omnes hilares reddit. Redarguitur tamē plurimum ab ipsis, quod talia præsumperit: & ne vterius præsumat, admonet: ne fortuna quæ nunc arrisit, post modū si tēptetur, in peius cedat. Sic castrū præda, & redemptio ne captiuorū ditans, Calabros crebris incursionibus plurimum lacessiuit.

XVII.

**Q**UALITER vero Petrum de Turra, qui apud Bisinianum morabatur, acceperit, silentio præmittendum non est. Erat quippe idem Petrus ditissimus ciuis Bisinianensis: sed & consilio, & virtute ceteris pollens, omnibus principabatur. Soliti autem erant multotiens conuenire hic, & Robert. Guiscardus: quasi ad placitum, de pluribus controuerhijs, quæ inter suos eueniebant. Porro Guiscardus cum sciret eum maxima pecunia abundare, & præ ceteris castro dominari, coepit animo tractare, qualiter per eum & castro potiri posset: & pecuniam, quam possidebat abstraheret. Quod secum diu reuoluens, tandem consilio cum suis habito, quadam die, nullo foedere interposito, extra castrum Bisinianense, in campo, in quo colloqui consueuerant, cum venissent, Guiscardus videns maximam multitudinem cum Petro venisse, nuntio præmissis mandat: se illi multitudini intermisceri nolle: ne forte inter ipsos, tumultus ex aliqua re fieret: sed longius promotis vtriusque partis socijs, ipsi duo in medium collocaturi conuenirent. Prædixerat tamen suis, quid facere disponebat: & cum necesse foret, sibi citius auxiliaturi occurrerent. Assentiente itaque Petro his, quæ a Guiscardo mandata sunt, sibi minus prospiciens, socijs a longe dimissis, ipse medio loco, Guiscardo obuianti accelerat. Confidentes ergo, & diu sibi ad inuicem loquentes, cum iam discessuri assurgerent, Guiscardus enormitate, & mole corporis illius inspecta, viribus suis minus diffidens, erat enim in omnibus præsumptuosissimus, & magnarum rerum audacissimus attentator, Petrum medium corripiens, collo suppositum versus suos asportare coepit. Accurrentibus itaque vtriusque socijs, Bisinianensibus, vt Petrum eruerent, Normannis vero, vt dominum suum iuuarent, Guiscardus Petrum eneruiter reluctantem interdum portando, interdum volutando, interdum trahendo vsque ad suos perduxit. Calabrenses vero de Petro iam desperantes, & pro ipso cum Normannis minime certare prænitentes, fugiendo se se in castrum Bisinianense receperunt. Normanni vero gaudentes quasi de triumpho, vsque ad castrum S. Marci Petrum secum adducunt: vbi aliquandiu in captione detentus, pecuniam mirabilem persoluens, se ipsum a captione liberauit: sed ciuibus non assentientibus, castrum minime reddere potuit. Tali calliditate, & huic similibus Calabrenses de Guiscardo compertis, genus formidolosissimum, omnes ante eum tremebant: quippe cui neminem assimilari posse armis, & ingenio, sed neque viribus dicebant.

XIIII.

**T**ANTA itaque pecunia Guiscardus accepta suos abundanter remunerando, in sui fidelitate roborat: Calabrensesque infestiores reddit: quotidiano impetu lacessens Bisinianenses, & Consentinos, Marturianenses, & his adiacentem provinciam secum foedus inire coegit: tali videlicet pacto, vt castra sua retinentes, seruitium tantummodo, & tributum persoluerent: & hoc sacramentis, & obsidibus sponderunt. Hunifredus igitur Comes Apuliam gloriosissime, & laudabili pace gubernans, infirmitate præuentus, quod dolor est dicere, mortuus est: quod Guiscardus, qui tunc temporis, apud S. Marcum morabatur, audiens, versus Apuliam magno cum dolore animi accelerat: susceptusque a patriæ primatibus, omnium dominus, & Comes in loco fratris efficitur: ordinatisque rebus suis, & tota Apulia sibi in pace conciliata, quod primum animo conceperat, minime obliuisci potuit: sed iam ampliori imperio dilatatus, & maioribus viribus, militum

militum videlicet copia auctus, ad quod cœperat peragendum, iterum intendit. Exercitu itaque cōmoto, & his, quæ ad expeditionē necessaria erāt, versus partes Calabriae aciem dirigit; pertransiensque Consentinos fines, & Marturanēses, iuxta calidas aquas, super flumine, quod Nocato dicitur, biduo permanfit: vt exercitum itineris asperitate fatigatū recrearet: & terram certius exploraret. Indeque pertransiens vsq; ad castrum, quod Scylatium dicitur, iuxta litus maris iter intendens, Rhegium vsque peruenit: vbi triduo situ loci inspecto, cum videret se ciues vr̄bis, nec minis, nec blandimentis flectere posse, quibusdam negotijs versus Apuliam se reuocantibus reditum parat. Decedenti Leucastrum, & Maia, & Canada pacem facientes se se dederunt.

**R**OGERIVS vero minor frater, quem adhuc domi iuuenilis ætas, XIX. & amor parentum detinuerat, subsecutus in Apuliam venit: de cuius aduentu Guiscardus non minimum gauisus, honore, quo decebat, eum suscepit. Erat enim iuuenis pulcherrimus, proceræ staturæ, elegantiam corpore, lingua facundissimus, consilio callidus, in ordinatione agendarum rerum prouidus, omnibus iocundus, & affabilis, viribus fortis, militia ferox: quibus artibus, breui tempore omnem gratiam meruit. Quia vero factiosus erat, & laudis, vt in tali ætate assolet, appetens, factiosos quoque sibi alligans, quæque habere poterat, libenter, & largissime illis impertiebatur. Porro Guiscardus fratris constantiam, & militarem audaciam certius experiri volens, cum sexaginta tantū militibus plurima millia hostium debellaturus, in Calabriam dirigit: qui audacter pergens, in altiori cacumine montium Vibonensium caltrametatus tentoria nixit: vt longe, lateque visus, incolas circumquaque facilius deterreret. Quod cum compertum fuisset per omnes ciuitates, & castra illius prouinciæ, & rotius valles Salinarum, terri omnes, legatos, qui pacē postulent, dirigunt: munera plurima dantes fortissima castra eneruiter reddunt: in seruitutem iuramentis, & obsidibus foederantur.

**S**IC terra ad suam, & fratris fidelitatem pro libito ordinata, plurimum XX. pecuniæ, quam acceperat, in Apuliam fratri per legatos misit: euentus suos, qualiter egerit, mandans. Ipse vero castrum, quod Incisola dicitur, studiosissime turribus, & propugnaculis firmans, armatis militibus muniuit: omnibus, quæ ad victum necessaria erant, sufficienter introductis. Guiscardus vero pecunia, quæ sibi a fratre directæ est, accepta, & strenuitate eius agnita plurimum gauisus est: eiusque colloquium desiderans, vt ad se venire acceleret, mandat. Ille sex tantummodo milites secum ducens, reliquis ad tuendum castrum, quod fecerat, & prouinciam premedam, ne fraudes præsumerent, relictis, in Apuliam, ad fratrem venit: a quo cum decenter fuisset susceptus, euentus suos alternatim conferentes, mutua colloquutione locuti sunt.

**S**IC QVE cum moratus est, donec communi consilio paratis his, quæ XXI. ad expeditionem necessaria erant, maxima manu equitum, & peditū iuga montium Calabriae transcendentibus, versus Rhegium incedunt. At cum in vallem Salinarum ventum est, Guiscardus audiens Rhegienses omnia circumquaque, quæ ad victum necessaria erant, secum infra vr̄bem clausisse, & nihil relictum, quod exercitui contiguum foret, prouidens ne obsidenda vr̄be famis angustia exercitum propelleret, Rogerium fratrem,

cum trecentis militibus, versus castrum, quod Geracium dicitur, in prædam dirigit: summopere admonens, ut quidquid ad victus necessaria rapere posset, apud Rhegium exercitui deferat: ipse recto itinere gradiens, urbem obsidere accelerat.

XXII. **R**OGERIVS vero studens ad gratiam fratris, & totius exercitus, quod sibi iniunctum erat, peragere, altissimos colles, cum profundissimis vallibus perlustrans, ut fidelis, & studiosa apes onustissimus ad exercitum, cum maxima præda redijt: iamque pæne deficientes omnes abundantia recreavit. Guiscardus vero videns se versus civitatem minus proficere, & exercitum hiemis asperitate turbari, obsessionem solvens, discessionisque dans licentiam, ipse apud Maiam hiemandi gratia, cum paucis secessit.

XXIII. **R**OGERIVS itaq; cum, quod militibus suis largiretur, minus abundaret, & ipsi sibi in exigendo importuniores essent, a fratre expetit. Ille vero pravorum consilio versus, cum ceteris largus esset, illi strictior quam oportebat, esse cœpit. Videbat denique propter strenuitatem, quam habebat, militiam iuuenum totius Apuliæ ei potius, quam sibi adherere: unde, & ne contra se insolesceret, metuebat: & ut paucis contentus secum moraretur, penuria cogere volebat. Porro ille, ut magni animi erat, \* sciens se a fratre recedens, in Apuliam iuit.

XXIV. **Q**UOD audiens frater suus Guilielmus Comes videlicet totius Principatus legatos mittit: ut ad se veniat inuitat: quæ habet simul accipiat: nihil se, excepta vxore, & liberis, ab illo proprium habere velle repromittens. Veniens itaque honore, quo decebat, susceptus est: aliquandiuque cum ipso moratur. Tandem castrum, quod Scalea dicitur, ab ipso accepit: per quod multas incurfiones versus Guiscardum faciens, circumquaque lacefsiuit. Quod cum Guiscardo relatum fuisset, exercitu moto dictum castrum obsesum vadit. Guiscardus quidem oliueta, & vineta vrbi contigua deustabat. Guilielmus autem milites eius crebris congressibus, & hastili robore militariter deiciens, numero minuebat. Ille vero cernens se versus urbem minus proficere, & numerum suorum diatim magis, ac magis minui, ne maiori dano grauaretur consilio habito a loco recessit.

XXV. **N**ON multo post per internuntios pace, ad tempus, inter ipsos facta, inuitatus a fratre Rogerius cum quadraginta militibus fides sibi seruitum vadit: vbi quidem plurimum penuriarum passus est: sed latrocinio armigerorum suorum in multis sustentabatur: quod quidem ad eius ignominiam non dicimus: sed ipso ita præcipiente, adhuc viliora, & reprehensibiliora de ipso scripturi sumus: ut pluribus patefcat, quam laboriose, & cum quanta angustia, a profunda paupertate, ad summum culmen diuitiarum, vel honoris attigerit. Habebat siquidem armigerum quendam \* Blettina nomine corã, quo nil tuebatur, ad quod furandum intendebat. Hic ipse penuriosus adhuc iuuenis, post modum ditissimus futurus Comes, cum esset cupiens quosdam equos, quos apud Melfam in eiusdem domo viderat, ad hæc persuasit, ut secum vadens, nocturno furto abstractos abduceret.

**C**VERRICVLO itaque mēſium duorum fratris ſeruitium ſtudio- XXVI.  
 ſe peragens, cum ab ipſo, nil inter ſe, & omnes ſuos, cauſa remunera-  
 tionis, vno tantum equo excepto, accepiffet, quamuis non legerat,  
 tamen quaſi naturaliter ſciens illud Salluſtianum prouerbiū: fruſtra niti,  
 & ad extremum nil, niſi odium fatigando quaerere, iam demum extrema  
 dementia eſt: & quod bene ſeruienti fortuna neceſſaria eſt, ſibi vero eam  
 minus fauere, cum fratre plurimū verbis altercatus, ſœdere quod inter ſe,  
 ad tempus habebant, reddito, Scaleam reuerſus eſt: ſtatimque in eodem  
 veſpere, apud caſtrum, quod Narenciū dicitur, milites ſuos ſuper Guiſcar-  
 dum prædatum mittens, prouinciā ſpoliauit. At dum illos, quos præda-  
 ri miſerat, apud Scaleam præſtolatur, Berner quidam a Melfa veniēs nū-  
 tiat Melfitanos negotiatores a Melfa verſus Melfam, haud procul a caſtro  
 tranſire. Quo audito non minimum gauiffus, equum inſiliens Giſenual-  
 dum, & Carbonariam cum octo tantum militibus mercatoribus occurrit:  
 captosque Scaleam deduxit: omniaque quæ ſecum habebant diripiens, ip-  
 ſos etiam redimere fecit. Hac pecunia roboratus largus diſtributor centū  
 ſibi milites allegauit: quibus totam Apuliam crebris, & diuerſis incurſio-  
 nibus lacerans, Guiſcardum in tantum ſollicitum reddebat, vt adquiren-  
 dæ Calabriae oblitus, iam quod adquiſerat pæne amitteret.

**A**NNO MLIX. clades per maxima, & flagellum iræ Dei, vt cre- XXVII.  
 dimus, peccatis exigentibus diuinitus immiſſum totam Calabriae  
 prouinciā curriculo trium menſium, Martij videlicet, Aprilis, &  
 Maij in tantum attriuit, vt trino morbo mortem ſibi imminere cernētes,  
 cum vnum ad vitæ periculum ſufficere poſſet, vix ad quodvis horum, ne-  
 dum tria ſimul furioſiſſime detonantia pericula ſe euadere poſſe exiſtima-  
 rent. Nam vna ex parte gladius a Normannis, vix alicui parcens deſæuiē-  
 bat. Ex alia vero fames viribus exhaustis per languida aſtuabat. Tertia ve-  
 ro pruina mortalitatis horribiliter deſluens, vix intactum percutiens, vt  
 in arenis arundinetis laxis habenis furens incendium percurreret. Pecun-  
 nias habentes, quid emerent non habentes, atque ipſos liberos ex ingenui-  
 tate procreatos vili pretio in ſeruitium venundantes, dum vbi illud ad vi-  
 ctus utilitatem expendere non inueniebant, ad augmentum doloris  
 ſui, amiſſione in caſſa venditione liberorum, quaſi quarta calamitate cru-  
 ciabantur. Veſcentibus carnibus, abſque pane comeſtione, quibusdā vinum  
 non habentibus, vbi aquæ potu condiebatur dyſenteriem faciens, multos  
 deiiciebat: quosdam autem ſpleneticos faciebat. Vbi vero vino fortiori in  
 temperate ſuperfundeſcitur calor naturalis, eiufdem perniciem lueri cor,  
 quod panis non confirmabat: internis quadam aſtuatione concedens de-  
 bilitari cogebat. Quadrageſimæ ſanctam obſeruantiam, a ſanctis, & reli-  
 gioſis patribus catholice contraditam anguſtia diſſoluit in tantum, vt non  
 ſolum lactis, vel caſei, verum etiam carnis comeſtione, reliquis temporibus  
 conceſſæ, etiam ab ipſis, qui alicuius honeſtatis antea videbantur, vio-  
 laretur. Sic herbarum virentia olera, quibus pulmentaria fieri ſolent, ter-  
 ræ ſterilitas ſubtraxerat. Vbi vero inueniebantur, quadam pruina vitiatū  
 aëris decocta poſt obefſe, quam prodeſſe deguſtata videbantur. Fluuiali-  
 bus carectis & quarundam arborum corticibus, cum caſtaneis, & quercin-  
 nis, ſiue ilicinis nucibus, quas glandes dicimus, porcis ſubtrac-  
 tis, & mola,

post exsiccationem tritis, panes facere, modico milij admixto tentabant. Crudæ radices cum solo sale degustatæ ventris tumorem, cum pallore vultus excitantes vitalia intercludebant. Matres pietate astu ab ipso liberorum ore cibum rapere potius, quam administrare, impudenti violentia sagagebant. Sic trino flagello vsque ad nouas fruges attriti sunt: sed nouis frugibus superuenientibus fames quidem propulsa est: gladius vero mortalitatis, acutior factus est. Nam corpora famis penuria vacuata, & cibo inueta, quanto abundantiori cibo, contra vsum intemperanter reficiebatur. tanto citius periclitabantur.

XXIIX. **C**ALABRENSES deniq; genus perfidissimū, cū viderent fratribus inter se dissidentibus, se se a nemine suscitari, cœperunt iugum Normannorum a se excutere, & seruitium, quod iurauerant, vel tributum minime persolvere: vnde & simulatione fidelitatis traditione composita, castrum Leucastrense accipientes, sexaginta Normannos, qui ad tuendum ibi castrum relictī erant, vna die peremerunt.

XXIX. **Q**VOD cum Guiscardo nuntiatum fuisset, videns se versus in Calabriam perdere, & Apuliam totam turbari, fratrem per legatos accersiens, pacem cum eo fecit: concedens ei medietatem Calabriae a iugo montis Intefoli, montis Scyllati; quod acquisitum erat: vel vsq; Rhegium essent acquisituri.

XXX. **P**OST hæc Rob. Guiscardus vxorem habens suæ gentis honestam: & præclari generis Alberadam nomine, ex qua habebat filium nomine Marcum, quem alio nomine dicebant *BOAMYNDVM*, consanguinitate adnumerata, Canonicis sanctionibus contrarius esse nolens, coniugium soluit: filiamque Gaimari Salernitani Principis Sigelgaytam nomine sibi in matrimonium copulauit.

XXXI. **A**NNO ab incarnatione Domini *MLIIX.* hanc apud Salernum desponsatam, antequam conuenirent, Rogerio fratri procurandam committens, ipse vt Gisulphum fratrem suum Comitem Principatus in hereditate illius firmauerat, quibus ipsi plurimum infestus erat, dirutum vadit: inde Melfam regressus, sollempnes nuptias celebravit.

XXXII. **Q**VIBVS expletis, Rogerius Guilielmo fratri, cum gratiarū actio ne Scaleam reddens, rogatus a Guiscardo in Calabriam venit: Castrumque Melitense a fratre sibi hereditaliter deliberatum habens, rebelles Calabros circumquaque impugnare cœpit. Quadam vero die cum Oppidum castrum obsideret, Episcopus Casinianensis, & Giracij Præfopus, quem nos præpositum dicimus, maximo exercitu concitato, castrum, quod S. Martini dicitur, in valle Salinarum oppugnatum vadunt anno Dominicæ incarnationis *MLIX.* Quod cum Rogerio nuntiatum fuisset, ab obsesso recedens, citato cursu, vbi eos esse audiuit, aduolat. Impetu facto, indeque quasi circumcingens, vix vnum euadere permittit: de quorū spolijs, & equis, & armis omnes suos abundantes fecit. Quam ob rem Calabria, & si non ex toto obediens, tamen a vicinitate eius tremula, minus eum prior irritare præsumebat.

XXXIII. **R**O B. igitur Guiscardus rogatus a fratre suo Capitane Comite Goufredo, vt contra sibi reluctantes auxiliū laturus in terra, quæ Gitium dicitur,



dicitur, quã, vt suos fines dilataret, debellare cœperat, veniret, in fratris sui Rogerij Itrenuitate plurimũ fidens, vt ad se, secum illuc iturus, quã citissi me veniat, inuitat. Ille autem inuitatione suscepta, & necessitate fratris sui cognita, quamuis suis vtilitatibus disponẽdis occupatus esset, tamen quia sibi semper mos fuit, amicorum vtilitatibus, vti suis subuenire, accuratissime versus fratris auxilium subuenire accelerat: sicque exercitu commoto, vtrique in auxilium fratris aciem dirigentes, Guillamatũ castrum oppugnantes capiunt: Galterio, qui castro principabatur, in Apuliam captiuum ducentes, oculos effodiunt: ne si oculos habens captione quandoque liberaretur, fratri iterum molestus fieret. Hic sororem quandam habebat, quã cum ipso in captione abducta est: quã etiam tantã pulchritudinis esse testatur, vt si aliquando ad mare balneatum venisset, vel causa experientia crura in aliquo piscoso flumine deponeret, pisces albedine eius delectati adnatabant: vt etiam manu capi possent.

**T**VNC Comes Gaufredus Guillamatũ castrum adiutorio fratris XXXIV. adeptus, totam Teacinam prouinciam debellare fortiter cœpit. Robertus vero Guiscardus cum Rogerio fratre in Calabriam secessit: vbi ad vtilitatem suam, & fratris plurima disponens, & vsque Rhegium prædatum vadens, Rogerio in Calabria remanente, ipse in Apuliam hie- maturus regressus est.

**H**IE ME vero transacta, magno desiderio Rhegium adipiscendi XXXV. Hardens, comite, & reliquis, quã necessaria erant, magno studio præparatis, plurimoque exercitu anno Domini incarnationis MLX. congregato, Calabriam venit: fratremq; secum accipiens, tẽpore, quo messes colligi incipiebant: Rhegium præoccupã obsedit. Porro illis, quasi pro vita tuenda se se fortiter defendentibus, vtriq; fratres certatim suos cohortantes, ad oppugnationem castri excitant: vnde cum hostes interdum profiliunt, multa militatiter ab ipsis perpetrata sunt. Nam Rogerius ne, alios ad militiã arrigens, ipse refugere diceretur, in omni cõgressu se se socijs præponens, quendam fortissimum, & enormi corpore virum, exercitui Normannorum multis contumelijs exprobrantem, quem omnes quasi gigantem extollebant, impetu factõ, hastili robore deijciens interfecit. Hoc itaq; taliter interfectõ, reliqui, qui infra castrum erãt, territi, cum viderent machinamenta ad vrbe[m] capiendam parata, eamque vsque perduci, viribus suis diffidentes, pactione facta, vt duobus, qui ceteris principari videbantur, cum omnibus suis abire liceret, ceteri omnes, vrbe dedita, ditioni Normannorum se se subdiderunt. Abeuntes vero se se in ca- stro, quod Scillacium dicitur, receperunt.

**I**GITVR Rob. Guiscardus accepta vrbe, diuturni desiderij sui com- XXXVI. pos effectus cum triũphali gloria Dux efficitur: magnasq; gratias, cum meritorum recompensatione fratri, & reliquo exercitui, quorum auxilio, tanti culmen honoris attigerat, referens, fratrem cum exercitu per vrbes, & castra totius prouincia, vt suo imperio subdantur, dirigit: ipse interim a labore se, apud Rhegium recreans. Rogerius vero huius artis non ignarus, sapienter exercitum ducens, breui spatio temporis, nunc minis terrendo, nunc blandimentis mulcendo vndecim famosissima castella lu- cratus est;

cratus est: in tantū, vt iam in tota Calabria nec vnum castrū reluctari præfumeret: excepto solo Xillano: quod illi tenebant, qui a Rhegio exierant.

XXXVII. **Q**UOD Rogerius obsidens, cum videret celeriter non posse capi, exercitum vero suum laboris tædio affici, castellum quoddam ante portam firmavit: militibus, qui Scillacium sollicitarēt, & his, quæ militibus necessaria erant, muniens, exercitum ad expeditionem soluit. Porro illi, qui a Rhegio Scillacium ingressi fuerant, cum viderent se nimium ab illis infestari, quos Rogerius in nouo castro posuerat, nec diu ferre posse, de nocte nauem ingressi, Constantinopolim aufugiunt. Scillacenses autem Rogerio arcessito, pacem Anno Domini M L X. facientes, castrum dedunt: sicque tota Calabria in conspectu Guiscardi Ducis, & Rogerij fratris sui sedata filuit.

XXXIIX. **S**ED ne aliquis existimet illos qui in Apuliam, cum alijs fratribus nõ venerunt, minoris valentiæ a reliquis fratribus fuisse, & ideo in Normannia remansisse, de Serlone pauca dicenda sunt. Hic denique cum in Normannia inter militiæ laudabiliores appetiaretur, a quodam potente iniuriam passus, dum vindicari studet, illum interficit. Vnde iram Roberti Comitiss, filij Ricardi secundi, patris vero famosissimi Regis Anglorum Guilielmi ferre non valens, in Britanniam declinauit: vbi aliquãdiu commoratus, omnium gratiam strenuitate sua obtinuit: perque legatos pacem a Comite Roberto expetens, nec obtinens, multis incurfionibus Normanniam lacefsiuit.

XXXIX. **E**T cum quodam tempore idem Comes Robertus in confini Franciæ, & Normanniæ castrum, quod Taulerias dicitur, obsedisset, miles quidã Francigena a castro diatim exiens, & singulare certamen, ab exercitu Normmannorū expetens, multos prosternebat. Comes vero damnū suorū timens, omnibus interdixerat, ne aliquis illi obuiaret: sic suis excusationem tribuens: vt, cum quod periculosum erat, refugerent, non hoc iam timori, sed principis interdictioni ascriberent. Quod cum Serloni in Britannia, vbi tunc temporis morabatur, relatum fuisset, ignominiam populi sui non ferens, duobus tantum armigeris comitatus Taulerias venit: summo diluculo ante portam singulare certamen offerens, de equo hasta innixus expectat. Porro ille, qui alios deijcere solitus erat, indignatus, cum maximo furore splendidus in armis, feruenti equo aduolat: quis sit, requirit: vt a loco recedat, vitam tuendo hortatur. Illo nomen reuelante, sed a loco recedere nollente, dum fortiter concreditur, aliorum prostrator forti hastili prosternitur. Serlo pluribus vtriusque partis aspicientibus, non tamen quis esset, scientibus, victor ad gloriam Normannorum efficitur. Sicque caput abscissum lanceæ supponens, per medium suæ gentis castrorum, nulli verbum faciens, in Britanniam redire, accelerat. Comes ergo legatum mittens, quis nam sit, perferuari iubet: & vt ad se veniat præcipit. Sed cum renuntiatum fuisset hunc Serlonem filium Tancredi esse, & a Britannia causa imperij a populo suo propellendi venisse, se autem iram principis, quia infensus erat, declinare: & patria, quamuis penuriosum, libenter, donec Principis ira sedetur, dum ipse iusserit, exulare. Comes pietate motus, & tanto viro vltius carere nolēs, ad se iubet arcessiri. Venienti

nienti occurrit: gratiam suam indulget: osculo secure reddit: quæ habita amiserat, restituit: vxori, cui plures possessiones competebant, auget: inter sibi familiariores retinet.

**D**E Tancredo vero tantorum filiorum patre, aliquid memoria dignum dicere nec absurdum est. Tempore quippe iuuentutis suæ, militaribus exercitijs deditus, & diuersarum regionum, & Principum curias perlustrans, multa strenuæ laudis auidus agendo, cum ipsa laude & plurima lucratus est. Cum autem esset in familia Comitis Normannorum Ricardi secundi, qui quartus a Rhollo Duce fuit, quadam die idem Princeps venatum pergens, tali enim exercitio, vt mos est diuitibus, non minimum delectabatur, aprum miræ enormitatis, quem Singlare dicunt, mouit. Erat autem sibi mos, sicut & pluribus alijs potentibus est, vt venationem, quam ipse moueret, nullus præter ipsum occidere præsumeret. Porro canibus aprum velocius insequentibus, cum Comes præopaca densitate, spinosis saltibus tardius insequeretur, canibus infestioribus aper timens a fine lacerari, rupe quadam inuenta, ipsa pro muro a cauda utitur: & dentosum caput, ad se tuendum canibus offert. Sicque canibus venatoris auxilio destitutis, cum iam aper de ipsis spumante dente multas strages faceret, casu Tancredus superuenit: visaque strage molossorum, quamuis morem Principis non ignoraret, tamen succurrendum canibus accelerat. Aper vero ipso viso, canibus spretis firmo impetu super eum irruit. Sed Tancredus cum esset fortis viribus, audaci ense illum suscipiens, non quidem illum ictu feriendo, sed acuto mucrone per durissimam frontem, vsque ad præcordia impingendo, capulum fronti adiunxit: nihil ex longissimo ense præter capulum extra corpus apri remanente. Sicque deiecto ense in fronte linquens, ipse ne a Comite hoc fecisse deprehenderetur, longius auulsus est. Comes vero veniens aprum mortuum miratus, vtrum vulnus aliquod habeat, socios lustrare iubet: deprehensoque ense adhuc in fronte defixo, impulsus miratur: cuius ensis sit requirit: ne se huius facti actor celet, ira condonatur. At cum a Tancredo factum deprehensum fuisset, a Comite, & ceteris omnibus plurima laude extollitur: & cum antea in pretio fuerit, maiori deinceps habitus est: & dudum postea in curia Comitis decem milites sub se habens seruiuit. Nunc vero quia non quidem omnia, quæ memoranda forent, sed pauca, quæ fama didicimus ab ipsis fratribus in Apulia, vel certe Calabria facta, quamuis rustico stylo exarauimus, ad ea, quæ apud incredulam Siciliam gesta sunt, qualiterve diu rebellis subiugata sit, intentionem vertamus. Ita tamen, vt cum oportunitas expetierit, illa, quæ postea in Apulia, vel Roma, siue Græcia facta sunt, suo in loco obliuione non prætereantur.

\*

EXPLICIT LIBER PRIMVS.

GAUFREDI MONACHI.  
 INCIPIUNT CAPITVLA  
 LIBRI SECVNDI.

- I COMES Rogerius primum Siciliam intrat.
- II Dux Robertus Rhegium, & totam Calabriam procurandam delegat: ipse in Apuliam vadit.
- III Becumen Almirdus Siciliae a suis expulsus apud Rhegium Comitem conuenit.
- IV Consilio Becuminis Comes Rogerius iterum in Siciliam vadit.
- V Comes Rogerius cum Messanensibus proeliatur.
- VI Mare turbatum sedari, Comes Rogerius voto obtinuit.
- VII Quod praeda super paganos accepta Deo in sacrificium ingrata non sit.
- VIII Panhormitani, vt nostris transire volentibus prohibeant, in Pharam nauigio veniunt.
- IX Noltri transitum sibi turbari videntes, adiutorem implorant.
- X Comes nescientibus hostibus, de nocte transiens Messanam capit.
- XI Sarracenus quidam sororem fugientem deficientem interfecit.
- XII Panhormitani seclusos cognoscentes recedunt: dux liber transit.
- XIII Dux, & Comes pro libito suo Messanam ordinantes, Rametam obsessum vadunt.
- XIV Christiani de Valle Deminae Comiti, & Duci munera offerunt.
- XV Dux, & Comes Centurbiam oppugnant.
- XVI Noltri a planicie Paternionis super fluuium Guedetam castra metati sunt.
- XVII A nostris cum Sarracenis proelium efficitur.
- XVIII Propter vicinam hiemem expeditio soluitur: & Christiani Trainam dedunt.
- XIX Comes Rogerius vxorem ducit.
- XX Comes ergo nuptijs celebratis in Siciliam vadit.
- XXI Comes a Duce irato animo recedit.
- XXII Becumen in Sicilia occiditur.
- XXIII Dux fratrem Comitem apud Miletum obsessum vadit.
- XXIV Comes Geracium traditione capit: & Dux apud Giracium capitur.
- XXV A militibus Ducis Comes, vt fratri succurrat, inuitatur.
- XXVI Comes Giracium obsidens Ducem a captione liberat.
- XXVII Castrum quod Dux apud Melitum firmauerat militibus Comitis fractum. Ducis Tropaeam aufugit.
- XXVIII Dux Comiti Calabriam partit.
- XXIX Graeci apud Trainam Comiti fraudem machinantur.
- XXX Comes a Sarracenis captus se ipsum ense liberat.
- XXXI Comes in Calabriam vadit.
- XXXII Comes cum Arabicis Castris Iohannis proeliatur.
- XXXIII Bellum Cerami vbi S. Georgius apparuit.
- XXXIV Pisani Comitem, vt Panhormum obsessum vadant, inuitant.
- XXXV Milites Comitis hostibus territis Turonem, qui postea Gatzonis dictus est, ascendunt.
- XXXVI Noltri a Tarantis vexantur.
- XXXVII Agellum a Duce oppugnatur.
- XXXVIII Castrum apud Petrelegium fit.

Dux Montem pilosum obsidet.

Dux Barum obsidens.

Comes Rogerius cum Sarracenis præliatur.

Columbæ Panhormi suos victos nuntiant.

Dux auxilio Comitis Rogerij Barum capit.

Scyllum Duci reconciliatur.

Panhormus capitur.

Serlo occiditur.

XXXIX.

XL.

XLI.

XLII.

XLIII.

XLIV.

XLV.

XLVI.

## INCIPIT LIBER SECVNDVS.

**S**I QVAERITVR QVOD CALABRIA, vel Apulia iam ex parte, non autem ex toto, quantum ad ea, quæ in eis facta sunt, descriptis, apud Siciliam describentes trāseamus, iterum quasi digressionem facientes describendo suum locū, quantum ad tempus, quo facta sunt, exigit vt rationis series recto tramite texatur: vt quæ priora facta sunt, præcedant: quæ vero posteriora subsequendo scribantur. Comes enim Rogerius, cum primum Siciliam debellaturus aggressus est, quæ apud Calabriam habebat non deseruit: sed cum opportunitas exigebat, exercitu in Siciliam interim dimisso, ipse ad sua negotia disponenda redibat: multotiens etiam Duci fratri auxilium laturus: vel certe in maioribus, & dubijs rebus consilium daturus, vt strenuus miles, & vir magni consilij, in Apuliam vsque transibat.

**L**EGANTISSIMVS igitur iuuenis Comes Calabria, cū apud Rhegium cum fratre Duce, tota Calabria debellata moraretur, Siciliam incredulam audiens, & breuissimo mari interposito, ex proximo intuens, vt semper dominationis audus erat, ambitione adipiscendi eam captus est: duo sibi proficua deputans: animæ scilicet, & corporis: si terram idolis deditam ad cultum diuinum reuocaret: & fructus, vel redditus terræ, quos gens Deo ingrata sibi vsurpauerat, ipse in Dei seruitio dispensaturus, temporaliter possideret. Hæc secum animo reuoluens, eorum, ad quæ animus intendebat, non tardus executor, cum sexaginta tantum militibus, periculosissimo, quamuis breui pelago inter Scyllam, & Charybdim naualiter se se committens, Siciliam explorat: & gentis suæ militiam tentatum transmeando vadit. Est portui, quo applicuerunt, populosa ciuitas proxima: quæ a messe vocabulum trahens, eo quod totius regionis messes, quantum Romanis in tributum anti quitus persoluebatur, illuc congregari solebat, Messana vocata est. Huius urbis ciues, quorum plurima multitudo erat, hostes suos fines peruasisse cognoscentes, plurimum indignati, maxime quod paucos numero videbant, urbis portas maximo impetu profilientes, ipsos occupatum vadūt. Porro Comes, vt semper astutissimus, & militia callens, primo timore simulato, cum eos longius ab vrbe seduxisset, impetu facto, acerrime super eos irruens, in fugam vertit. Sicque extremos quosque cædendo, vsque in

C portam

portam ciuitatis, longo reditu fugientibus visus odibilis cōminator, rediit. Spolijs itaque, & equis illorum, quos deiecerat, acceptis, naues suas ingressus, Rhegium remeat, ad duces fratrem suum.

II. **D**VX deinde Robertus cum Comite Rogerio fratre suo in Apuliam hiematurus, regressus est: vbi quia iam aliquantum temporis transierat, ex quo abinde recesserat, res suas quasi ab acumine obtusas, & minus ordinatas inueniens, tota hieme consilio prudentiæ suæ refortiens, ad integrum reparauit: Apulienfesque Principes de nouiter adepto ducatu sibi congaudentes pluribus donans, de expeditione versus Siciliam in proxima futura æstate facienda permonuit.

III. **R**OGERIVS vero Comes Duce relicto in Apulia, Rhegium in prima septimana ante quadragesimam remeavit: ad quem Becumen Admiraldus Siciliae a Belcamendo quodam principe prælio fugatus, eo quod maritum fororis suæ, honestum suæ gentis iuuenem, vocabulo Benneclerum occiderat, apud Rhegium profugus venit, comitem versus: impugnationem Siciliae multis exhortationibus incitans.

IV. **D**E cuius aduentu Comes, non minimum gauisus, eum honorifice suscepit: eiusque consilio, nec dum hieme transacta, hebdomada videlicet proxima ante quadragesimam, cum centum sexaginta militibus, ipsum Becumen secum ducens, Pharumque ad Clibana tegularum transiens, Siciliam inuadit. Dumque Becumene, qui ad se transfugerat, ductore, versus Melacium iturus, de nocte, haud longe a ciuitate Mellana trāsiret, obuium habuit quendam Saracenum, militia inter suos nominatissimum fratrem scilicet Bennecleri: pro cuius occasione Becumen a Sicilia eiectus fuerat. Hic nempe cum in præcedenti vespere persensisset, Comitem armata manu Siciliam intrasse, militia sua, plus necessario præsumens, a Mellana progressus nocturnus hostis, vt sibi aliquod militare nomen, in damno hostium acquireret, tentatum ibat. Comes vero Rogerius inermis excepto clypeo solo, & ense, quo accinctus erat, armiger namque cum armis subsequeretur, socios præcedebat: oculos intentissime circumquaque ducens. Dumque illum aduentantem sub pallore Lunæ deprehendisset, per longum ducens ab armigero arma recipere, ne forte, si etiam ille sub umbra viferet, aufugeret, impetu facto, solo ense super eum irruens, vnoque ictu mediū corripies, secavit: de corpore duabus partibus factis: equumque, & spolia cuidam suorum dedit. Inde Melacium, & Rametam vsque pertransiens, plurimum prædæ accepto, ad tres batus, iuxta Pharum, qui Praeroli dicitur, hospitaturus rediit: in crastinum ad vltimas aquas vsque prodiens præda, quam acceperat, Rhegium deferenda nauibus.

VI. **P**ORRO Messanenenses putantes iam, quibusdam naues ingressis, se illos, quasi semipartitos posse facilius occupare, equitatu, & peditatu omnes vrbe egressi, inuadere vadunt. Verum quia ventus contrarius erat, nullus armatorum naues intrauerat. Comes vero cognoscens eos verum se aduentare, Serlonem nepotem suum, videlicet Serlonis fratris sui filium: cuius superius in fine primi libri mentionem fecimus: ne si fugere, licet

ficat & fecerunt, vellent, liberius possent, sic præmissum, ipse velocius subsecutus, dum fugere nituntur, ita interceptit, vt vix ex tanta multitudine euaserit.

**M**ESSANENSIBVS suorum vulnera flentibus, Comes penes VI.  
ciuitatem transiens, in insula S. Hyacinthi, haud longe ab vrbe, hospitatum vadit: summoque diluculo Messanam, quasi viribus exhaustam oppugnare vadit. Sed Messanensibus, quamuis paucis, qui adhuc supererant, cum ipsis mulieribus armatis, turres, & propugnacula, seseque certatim, vt pro vita, defendentibus, Comes, ne Sicilia tali facto excitata super eum irruat, ad tentoria sua rediens, de transitu versus Rhegiũ tractare cœpit. Mare vero turbatum cum periculosum transitum ostentaret, Comes sapienti vsus consilio, totam prædam, quam ceperat, S. Andronio, ad Ecclesiam suam reædificandam iuxta Rhegiũ, dandam proposuerat. Destructa quippe erat nouiter. Sicque meritis eiusdem sancti, vt credimus, aura prospere flante, mare sedatum sese transmeabile præbens, impune transire permisit.

**N**E videatur hoc factum, quod prædam Deo obtulerunt, contrarium VII.  
Canonicis sanctionibus, propter illud, quod dicitur, qui immolat victimam ex rapina, vel ex substantia pauperis, quasi qui victimat filium in conspectu patris: cum hoc potissimum accipiendum sit dictũ de substantia pauperis Christi: de quibus & alibi dictum est, Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cælorum, non esse scimus: qui Deum nec ore, nec corpore confitetur. Sed quod aufertur, Deo offerre, haud absurdum videtur: nam acceptis ingrati vtuntur: a quibus ipse largitor non cognoscitur.

**C**OME Sigitur Rogerius toto mense Martio, & Aprili per Calabria VIII.  
vtilitates prudenter ordinans nauibus, & reliquis necessarijs com meatibus expeditionem iterum versus Siciliam certatim parat. Maio itaque intrante Dux ab Apulia cum maximo equitatu Rhegiũ veniens, etiam naualem exercitum per mare venire fecit. Belcamuer vero Admiraldus Siciliae audiens expeditionem versus Siciliam apparari, naues, IX.  
quas Cattos appellant, quæ hostium transitum impediunt, a Panhormo in Pharus mittens, per aliquot dies hostes transire impediunt. Nam quamuis noster naualis exercitus plurimus esset, eorum tamen amplior, & fortioribus nauibus erat. Nostri deniq; tantummodo abundantior Germanos, & Galeas, Sicilienses vero Cattos, & Golafros, & Dormundos, sed & diuersæ fabricæ naues habebant.

**D**VX ita sibi transitum turbati videns, cum fratre Comite, & sapientibus IX.  
accepto consilio, diuinum inuitat auxilium. Exercitui, vt sacerdotibus confiteantur, & pœnitentia accepta omnes communi-cent, indicit. Ipse cum fratre, si terra diuino auxilio illis tribuatur, se se deinceps Deo deuotiores futuros, voto promittunt: certa fide in mente retinentes quod scriptum est: In omnibus negotijs tuis Deum adiutorem tibi assume: & habebis prosperos effectus: & Quia non est consilium contra dominum: & quod nulla proficiendi difficultas est, vbi spiritus sanctus

cooperator adest: in omnibus, quæ facere disponebant, Deum ordinatorem, fortiorē gubernatorem lachrymabili compunctione cordis implorat.

- X. **C**OMES itaque Rogerius videns hostes, ex altera ripa contra suum exercitum adiacere, & nusquam promoueri, ad callida argumenta, ut solitus erat, ac si legisset, Quid refert, armis contingat palma, dolisve, conuertitur: consiliumque Duci dedit, ut ibidem cum exercitu remanens se se hostibus ostentaret: ipse interim cum centum, & quinquaginta militibus Rhegium usque progrediens, nauibusque sibi abinde, sub nocturna umbra, contraductis, mare, nescientibus hostibus transiens, Siciliam inuaderet. Duce vero, timore amittendi fratrem, hoc negante, & dicente se nil per fratris mortem lucrari velle, sed potius fratris vitam omni lucro præponere, Rhegium præmissis nauibus ipse Comes cum trecentis militibus subsecutus: ut semper militia præsumptuosus, & magnarum rerum attentator, mare incautus hostibus impune transiens, ad locum, qui communiter Monasterium dicitur, applicuit: nauesque remittens, ne forte aliquis suorum ad illas refugeret, Messanam oppugnatam vadit: quam inermem inueniens, nam iam dudum defensores eius peremerat, vrbe capta, turrets, & propugnacula eius diruit: quos inuenerunt interfectis, quibusdam vero ad Panhormitanas naues transfugientibus: anno ab incarnatione Domini millesimo sexagesimo.
- XI. **I**NTER quos & quidam iuuenis, de nobilioribus Messanæ vrbs ciuibus sororem habens pulcherrimam, dum fugiens secum adducere nititur puella, ut tenuis virguncula, & debilis naturæ, laboris expers, timore, & insolito cursu deficere cepit. Frater ad fugam dulcissime verbis excitans, dum minime proficit, viribus exhausta videns, ne inter Normannos remanens, ab aliquo eorum corrumperetur, gladio appetens interficit. Et quamuis præ dulcedine, langoris sororis lachrymis perfunderetur, vnica enim erat, maluit sororis interceptor fieri, & mortuam flere, quam soror legis suæ præuaricatrix fieret: & ab aliquo lege sua nõ contêto stupraretur.
- XII. **P**ORRO Panhormitani vrbe capta, se delusos ab hostibus cognoscen-  
tes, timentes ne forte tum mare turbatum, si illic diutius morarentur, eos ad terram cogeret, & ab hostibus opprimerentur, confusi, vela vnde venerant, direxerunt. Ipsius vero vrbs captæ clauis Comes Rogerius ad Ducem transmisit: mandans ei, quatenus secure nauigando acceleret ad se. Sicque mari hostibus purgato, patenti absque periculo transitu, Dux cum omni exercitu placito cursu transmeans, Messanam venit: fratremque sanum inueniens, non minimum congauisi sunt.
- XIII. **R**E BVS itaq; suis per octo dies sapienter dispositis, & vrbe pro uelle suo firmata custodibus diuersis, equestri exercitu apud Messanam relicto, versus Rametam utriusque fratres intendunt. Rametenses autem dudum cognito, in parua manu hostium eorundem, maximam multitudinem Messanensium bellatorum occubuisse, ne quid simile sibi accidat, aduenientibus hostibus, obuiam territi legatos, qui pacem postulent, mittunt: urbemque, & se ipsos ditioni dantes, libris superstitionis legis suæ corampositis, iuramento fidelitatis firman.



**I**NDE de prospero euentu, cum maxima lætitia recedentes, & debilita- XIV.  
 te gentis cognita, audaciores sub Scabatri poli hospitium sumunt. Inde  
 in crastinum ad Fraxinos perueniunt: ab Fraxinis ad Maniaci pratum  
 Hic Christiani in valle Demina manentes, sub Sarracenis tributarij erant.  
 De Christianorum aduentu gauisi illis occurrerunt: multa que enxenia,  
 & donaria obtulerunt. Hoc excusationis contra Sarracenos assumentes:  
 non quod causa amoris, sed vt se ipsos, & quæ sua erant, tuerentur, hoc fa-  
 cerent: fidelitatem vero suam illis inuiolabilem se seruatuos. Fratres vero  
 vtique eos, cum maxima dulcedine suscipientes, multa beneficia se illis  
 collatuos: si terra a Deo sibi concedatur, promittunt. Sic in pace dimisis,  
 ipsi Centurbium vsque pertendant.

**S**ED Centurbienfes, quamuis strenuitatem eorum nõ ignorarent, mo- XV.  
 ri non abhorrentes, cum nullo modo seruire volunt, in defensione vr-  
 bis, & sua, propugnacula armant. Nostri vero fortiter oppugnantes ci-  
 uitatem, cum viderent suos a fundibularijs, & sagittarijs vexari, & sine de-  
 trimento suorum, versus urbem nil se posse proficere, ab oppugnatione  
 desistunt: maxime cum in proximo sibi a Sarracenis bellum imminere au-  
 diebant: contra quos suos, ne vexarentur, vel numero diminuerentur,  
 reseruabant.

**S**IC Centurbio relicto, in planicie Paternionis castrametati, tentoria XVI.  
 figunt. Visaque planicie spatiosa, aptum locum ad præliandum iudi-  
 cantes, per octo dies illuc morati sunt: volentes, vt a Sarracenis inibi  
 sibi prælium dispositum offerretur. Sed cum a speculatoribus Becuminis  
 Sarraceni, qui apud Rhegium ad Comitem transfugerat, & illos fidus com-  
 es, & ductor comitabatur, didicissent bellum necdum in promptu haberi,  
 interius progredientes, apud S. Felicem, iuxta cryptas subterraneas hos-  
 pitati sunt: quas oppugnantes maxima ex parte ceperunt: pluribus ex  
 inhabitantibus interemptis. Inde progressi ad molendina, ante Castrum  
 Iohannis, in ripa fluminis, quod lingua eorum Guedeta dicitur, quod La-  
 tine resolutum fluminis paludis interpretatur, castra metati sunt.

**B**ECHAMET igitur numerosa Africanorum multitudine, & Sici- XVII.  
 liensium coadunata, bellum, quod diu disposuerat, hostibus offert:  
 anno ab incarnatione Domini millesimo sexagesimo primo. Porro  
 Dux exercitum semipartiens, erant enim tantummodo septingenti, & ex  
 ipsis duas acies ordinans, vnam fratri, vt priori: sicuti sibi moris erat, vt ho-  
 stem feriat, delegat: ipse cum altera suos alacriter verbis exhortando, sub-  
 sequi non tardat. Similiter Bechamet, cum quindecim milia armatorum  
 haberet, tres acies instituit: cum quibus primo quidem audacissime hosti-  
 bus occurrens, certamen iniit. Porro nostri in primo, ex more, congressu  
 fortiter agendo, plurimos sternentes, reliquos in fugam vertunt: quos cæ-  
 dendo, versus Castrum Iohannis persequentes, vsque ad decem millia oc-  
 ciderunt. Sicque victoriam adepti, spolijs quidam sunt ditati in tantum,  
 vt qui equum vnum in prælio perdiderit, pro vno decem recipiens, confi-  
 mili lucro, ad similem exercitum accedere nõ dubitaret. In crastino enim  
 propius castrum progredientes, ad lacum, qui est inter Castrum Iohan-  
 nis, & Irancuum sola nocte hospitati, die sequenti, in monte qui Calata-

xibet dicitur, tentoria figunt. Sed quia mons strictior erat, & minus ad hospitandum exercitui sufficiens, ad planiciem Fontium transferunt. Comes vero Rogerius quietis impatiens, & laboris assiduus, trecentos iuvenes secum ducens, usque Grigentum prædatum, & terram inspectum vadit: totam prouinciam, incendio concremando deuastans. Cum redit spolijs, & præda totum exercitum abundanter repleuit. Per mensem itaque ibi perdurantes, totam prouinciam diuersis incurfionibus lacerantes afflixerunt: sed castro Iohannis minime præualuerunt. In ipso anno Dux castrum Marci fecit.

XIIIX.

**H**IE MEM itaque vicinam præuidentes expeditionem solunt: Becuminem vero in sua fidelitate apud Catanam, sui enim iuris, dimittentem, qui Siciliam interim lacefcat, ipsi Messanam, militibus, qui eam custodiant, & his, quæ militibus necessaria forent munientes, Pharo transmeato, Dux quidem in Apuliam hiemandi gratia, secessit: Comes vero in Calabria remanet. Media vero hieme, intra natale Domini, cum ducentis quinquaginta militibus iterum mare transiens, usque ad Grigentiannam urbem totam patriam sollicitans, prædatum vadit. Christiani vero prouinciarum sibi cum maxima læticia occurrentes, in multis obsecuti sunt. Inde Trainam adueniens, a Christianis ciuibus, qui eam incolebant, cum gaudio susceptus urbem intrat: pro velleque suo ordinans, ibidem natale Domini celebrant.

XIX.

**S**IC legatus quidam a Calabria veniens nuntiauit Abbatem Robertum S. Euphemie a Normannia a Delicia sorore sua, nepte Normanorum Comitum ad nita mandare sibi, vt acceleret versus nuptias celebrandas. Quod Comes audiens, multum exhilaratus erat. Denique ex multo tempore eam cupiens, speciosa quippe, & præclari generis erat, quanto celerius potuit, versus Calabriam repedans, diu cupitam puellam visum ire accelerat. Veniensque in vallem Salinarum, apud S. Martinum puellam legitime desponsatam, Melitum cum maximo musicorum concentu deducens, illuc sollempnes nuptias celebrauit.

XX.

**Q**VIBVS consummatis, aliquandiu cum vxore cõmoratus, quo animum intenderat, obliuisci minime potuit: sed exercitu appurato, Rogerium armigerum secum ex parte ducens, iuuenula in Calabria dimissa, iterum Siciliam inuadit: nullis persuasionibus lachrymatis vxoris detentus. A Catana itaque Becumine Sarraceno per legatum accessit, secum ducens Petrelegium obsessum vadit. Porro ciues ex parte Christiani, & ex parte Sarraceni, consilio inuicem habito, pacem cum Comite facientes, castrum, se seque ditioni suæ dederunt. Comes vero castrum pro libito suo firmans, militibus, & stipendiarijs muniens Trainam venit: quam similiter muniens, Becuminem, vt Siciliam lacefatum, & ad suam vtilitatem applicatum vadat, exhortatus, in Calabria, se desideranti, & de salute ipsius sollicitæ vxori se se repræsentans, de aduentu suo non minimum lætificauit.

XXI.

**C**ASTRVM itaque nullum in sua, a fratris potestate, excepto solo Melito, habens, a fratre, vt quod sibi promiserat, quando ab Scalcia ab

lea ab ipso inuitatus ad inuicem reconciliati sunt, medietatem videlicet totius Calabriae impertiatur, maxime quia iuenculam vxorem exinde, vt pote puellam, tam praclaris ortam natalibus, decenter dotare volebat, requirit. Dux autem quamuis pecunia largus, in distributione quidem terrarum aliquantulum parcior erat: fratremq; per ambages differendo protrahabat. Porro Comes fratris calliditatem animum aduertens, ne diutius fallacijs passus sustinens, per meliores totius Apuliae ad rationem ponit, quod sibi promissum fuerat expetens: atque nec ita proficit: sed de req; inter se rupto, irato animo a fratre recedit: Melitumque veniens castrum viriliter firmavit: optimosque milites vndecumque sibi, in fratris damnum ducens. Sed quamuis erga se fratrem suum agere patulum esset, legalitatem tamen suam seruans, per quadraginta dies a fratris iniuria abstinit: ne si forte infra hunc terminum erga se respiceret, ipse, qui de iniuria conquerebatur, potius iniurius haberi vindicaretur: malens huius defensionis iniuriosam culpam in fratrem potius, quam in se retorqueri.

**B**ECVMEN vero per Siciliam vadens, sicuti a Comite rogatus, quosque poterat, ad fidelitatem nostrae gentis applicat: quibus vero minus persuadere poterat, ipsos impugnationibus vexare non desistebat. At cum versus castrum Antulium, quod quondam suum fuerat, debellandum properaret, Nichel quidam potēior, castrum quondam eiusdem Becuminis miles, in dolo verba pacifica mandans: vt cum paucis a suis semotus, Antulienfibus, quasi reconciliari volentibus, loco determinato locutum veniat, mandat. Ille vero, quia iam plurima beneficia illis iam dudum, cum secum bene erant, contulerat, minus fraudem suspicatus, quo, & qualiter sibi mandabatur, venire non distulit. Antulienfes itaque consilium venenoso corde Duce Nichele conceptum reperientes, equum eius primitus spiculo transfigunt: ne seffor, vt sibi primo vulnus datum foret, fraude intercepta, equo sano liberius cum vulnere aufugeret. Sicque equo deiecto ipsum etiam in terra confodientes, cum sanguine vltimum vitae flatum exhalare fecerunt. Quod audientes Normanni, qui apud Trainam, & Petrelaiam ad castra, a Comite deputati erant, maxime turbati, eius enim nomine praesidia quam maxime tuebantur, castris relictis, Messanam, ad tuendum vadunt.

**D**VX vero fratrem a se recessisse iratus, exercitu congregato, eum apud Melitum obsessum vadit: anno incarnationis Dni MLXII. Comes autem, quamuis tunc temporis typo februm grauaretur, apud Geracium enim quibusdam negotijs se illuc vocantibus erat, vbi insolito aere corrupto, ipse nihilominus infirmatus, quosdam suorum amiserat, tamen fratri, vt hosti venienti, in monte, qui S. Angeli dicitur, acerrime occurrit: multisque ex fraterna acie hastili robore, militari congressu deiectis, ne in ipso monte, vel certe in adiacenti, qui Mons viridis dicitur, castrum, sicut disposuerant, figant, impetu facto longius arceat. Vrbe itaque obsessa, ex vtraque parte ambitio laudis, & iuuenilis aetas plures ad militiam exercendam impellebat: vnde cum plures milititer progrediuntur, iuuenis quidam Arnaldus nomine, ex parte Comitis, gener quippe suus, & frater iuenculae vxoris erat, vir militibus exercitijs aptus, dum deijcere tentat, deiectus, quod dolor est dice-

re, occubuit. Vnde permaximus dolor, & planctus, non solū his, quibus adiutor erat, verum tamē his, qui a foris impugnabant, excreuit. Ac dum foror cum multa lamentatione exequias celebrans, funus, vt decebat, exequitur, Comes, qui non minus sorore dolebat, in vindictam exardescens iuuenis, congressu in hostem facto, multos militariter sternens interimit. Dux itaque videns talibus congressionibus suos quotidie vexari, & minus proficere, duo castella ante urbem firmavit: putans tædio, & fame sic eos facilius posse affici. Comes vero ipsa castella quotidie laceffens, cum Ducem in vno esse sciebat, alterum oppugnabat: cum vero ad id succurrendum venire videbat, illo relicto per medium ciuitatis ad aliud transibat: sic assidue certamen localiter alternans.

XXIV. **N**OCTE vero quadam Melitum cum centum militibus exiens Geracium venit: urbemque sibi ab incolis traditam ingressus, in suos vsus aptauit. Quod Dux audiens, maxima ira repletus, castella, quæ ante Melitum firmauerat, militibus muniens, cum toto exercitu versus Geracium, extra urbem tentoria fixit. Geracenses quidem sibi iam dudum fidelitatem iurauerant: non tamen urbem, vt pro libitu suo vteretur, reddiderunt: ne si forte castellum in ipsa firmaret, pro velle suo omnes prorsus subiugatos haberet. Dux vero quendam de potentioribus vrbis notum habens, nomine Basilium, ab ipso ad prandium inuitatus, capucio capite cooperto, ne forte quis esset, perciperetur, urbem ingressus, ad palatium illius solus comestum vadit. Quo ingresso, dum nil mali suspicans, nec dum cibo parato, colloquijs Melitæ vxoris illius, qui se inuitauerat, vteretur, vrbicenses per quendam famulum domus, Ducem infra urbem esse cognoscentes, traditionem suspicati, non minimum turbantur. Vndique concurrentibus tota vrbs tumultuatur: omnesque in arma ruentes, ad domum in qua erat, cum furenti impetu illum extrahere vadunt. Ille vero, qui Ducem inuitauerat, impietatem conciuum suorum cognoscens, & viribus ad resistendum diffidens, dum versus Ecclesiam profugus, vitam tueri nititur, patrio ense confossus occubuit. Vxor quoq; eius, cum tanta impietate a suis ciuibus attractata est, vt stipite, ab ipso ano, vsque ad præcordia transfixa inhonesta morte vitam terminare cogeretur. Quo viso si Dux de vita desperauit, mirandum non est: præsertim cum videbat ciuem, a ciuibus, amicū, ab amicis, prælatos, a subditis absq; recordatione alicuius præcedentis beneficij, cum tanto furore, crudeli ense perimi. Stat inter furentiū hostium minantia tela miles inermis: quondam multorū millium hostium debellator: leoninam ferocitatem, quæ sibi quasi quodammodo innata erat, in agninam transferens mansuetudinem. At cum videret sapiētiores quosq; ita qui exitum rei prænotabant, ad hoc inniti, vt inordinatum furorem indoctioris vulgi, & minus prospicientis quid damni, quid ve lucri, si occideretur, proueniret, animo aliquantulū resumpto, talibus eos verbis alloqui adorsus est. Nolite inquit, nolite superabundantiori lætitia fallaciter extolli: ne rotalis fortuna vobis ad præsens arridens, mihi autem aduersa, arrisione sua vobis indicatiū prænotet, in futurū habendæ aduersitatis: cū nulla potestas absq; diuina dispositione nemini attribuatur. Quo iudicio in me potestatem habeatis, apud vos ipsos reputando conferte. Nec enim vestris viribus præsens esse perductus sum: sed neq; ego, vt vobis aliquid mali machinaretur,

chinaretur, ingressus sum. Vos quidem mihi fidelitatem fecistis: ego vero quod pactum vobis promisi, in nullo me violasse cognosco. Sed forte itud vobis ad utilitatem vestram, aut experientiam contigit: vt vestra fidelitas, cuius stabilitatis sit, a nobis cognita, vos nobis gratiosiores, & præmio digniores præsentet. Tot millibus hominum vni soli casualiter, non autem militariter circumueniendo, intercepto fœdere, mentito, & absque dissensione vitam auferre, nulla laus est. Sed neque vt reor, quantum de me vobis aliquid proficuum. Mors enim mea, iugum gentis meæ non aufert: sed in vindictam meam vobis infestiores exardescunt. Sunt denique mihi fidelissimi milites, sunt fratres, sunt consanguinei: quibus, si periurando, vos manus vestras meo sanguine pollueritis, nulla ratio reconciliare poterit: sed & ubicūque terrarum hoc a vobis factum personuerit, opprobrium sempiternum, propter periuria, cum omni successione generis vestri incurretis: præsertim si sine discussione, aliquod præiudicium perpeffus fuero a vobis. Talibus verbis, fauentibus sibi sapientioribus vrbis, ignobile vulgus tumultu sedato, Ducem in captione, donec quid de ipso faciendum sit, consilium capiunt, ponunt.

**EXERCITVS** Itaque Ducis, qui extra portam tentoria fixerat, auditio Ducem tali infortunio in captione detrusum, vndique turbati, dum quid faciendum sit, dubitantes inter se disputant, tandem meliori consilio accepto, per legatos Comiti rei euentum intimare accelerant. Sciebant quippe legalitatem animi eius: & quamuis contentionem suam, expetendo versus fratrem aliquam controuersiam, ostenderet, tamen in consideratione consanguinitatis, fratrem suum, vt fratrem diligere: & fraternam vitam in tanto discrimine positam ereptum ire omni sibi illata iniuria oblita, quouis lucro præponere, inuitabit fratrem, vt fratri in angustias posito, auxilium ferendo subueniat: de controuersia, quæ inter ipsos erat, Duce erepto, ius teneatur: se se auxilium illatos promittunt. XXV.

**COMES** Itaque sinistro rumore de fratris infortunio turbatus, fraternali sanguinis affectu, totus lachrymis perfusus, suos supplex exorat, vt fratrem ereptum secum accelerent. Sicque arma corripiens Geracium citissimus aduolat: vrbicenses, vt sibi extra muros, fœdere interposito securi locutum veniant, inuitat: quos & ita alloquitur. Eia inquit, amici, & fideles mei, inimicari, & germanum me obsessum venientem cognouistis captum, & mea fidelitate tenetis gratissimum habeo. Et quia versus me in tantum vestra fidelitas progressa est, vestro consilio, non autem vestris vel manibus, vel armis de ipso vlcisci volo: In tantum enim me ad iram prouocauit, vt nullo modo mihi sufficiat, si alterius armis, quam meis intereat: quod ne vestra fidelitas, quasi mihi gratum obsequium se præstare credens faciat, omnimode sibi interdictum sciat. Accelerate igitur inimicum meum mihi reddendo. Sufficiet, vt de supplicij eius primo sciatis. Vestro consilio satiatus, faciam cum tormentis vitam finire. Nulla in reddendo dilatio sit: nam nulla utilitas me auellet ab obsessioe huius vrbis, donec vlciscar mihi ab ipso illatis iniurijs. Ecce omnis exercitus suus iniurias eius ultra non ferens, ipso spreto, in meâ fidelitatem XXVI.

tatem transiens, me ducem elegerunt. Ecce vel modicum terræ sub ipso habere, indignus iudicabar: eo perempto, omnia, quæ iuris sui hæctenus fuerunt, fortuna fauente suscipiam. Non sum, quem per ambages protrahere possitis: si diutius differre tentatis, ecce ad præsens vineta, & oliueta vestra extirpabuntur. Vrbe vestra a nobis obsessa, machinamentis apparatus, nulla contra nos præsidia tuebuntur. Vos si inuiti capiimini, poenæ quæ hosti repromittuntur, & vobis, in ipso repromittentur. Hac oratione habita, Geracenses territi, licentia accepta in urbem, conciuibus suis relaturi, & consilium pariter accepturi vadunt. Sicque consilio accepto, dubij vtrum ne ea, quæ a Comite audierant, ex industria, vt fratrem eripiat, aut certe ex vero odio dicerentur, iuramentum a Duce expetunt, ne si ab ipsis dimissus, fraternas minas euadat, dum sibi vita comes fuerit, castellum aliquod infra ciuitatem suam firmare faciat. Quo sacramento minus discernentes calliditatem Ducis, decepti sunt: nam quod Dux se non structurum iurauit, Comes non iurans, non multo post illis dolentibus perfecit. Sacramento itaque accepto, Ducem extra urbem adducentes, multis Normannorum præ gaudio flentibus reddunt: se se deinceps fideles vtrique futuros multis assertionibus promittunt.

XXVII.

**D**VX igitur, & Comes se se mutuo conspicientes, vt quondam Ioseph Benjamin inuiso, præ dulcedine in aspero, in prosperum cedentis fortunæ in lachrymas prorumpentes, mutuis amplexibus fruuntur. Dux Comiti, quæ promiserat, se amodo non retenturum promittit. Comes Ducem vsque S. Martinum prosecutus, inde Melitum vadit. Milites vero Comitis, qui apud Melitum erant, audito, Ducem in captione detineri, castella eius, quæ ante Melitum firmauerat, oppugnantes capiunt: milites, quos inuenerant, in captione retinentes, suis militibus castellum, quod apud S. Angelum firmauerat, muniunt: aliud vero, quod forte videbatur, diruunt. Vxor vero viduationem suspicata Tropeam aufugit.

XXIIX.

**D**VX itaque hoc audiens, maleficij, quam beneficij memor, maxima indignatione permotus conuentionem, quam fratri promiserat, exequi denegat: donec sibi, & castellum S. Angeli, & milites, qui in captione tenebantur, restituantur: & de illata iniuria ius teneatur. Porro Comes fratri Duci omnem occasionem, eius velle exequendo, auferre volens, milites reddit: castellum, & quæ in ipso retenta sunt, restituit. Sed cum nec sic animum fratris, vt sibi ius teneat, molliri videt, traditione inhabitantium, castrum Melsianum ingressus, Duci inimicitias mandat. Dux itaque videns castra, quæ ante Melitum in ipsa prouincia habebat, sibi ablata, sciens totam Calabriam per illud facile posse turbari, in valle Gratenfi, fratri sibi conuentionem executo Calabriam partiuit: sicque in Apuliam vadit. Comes vero in Calabriam, portionem suam recepturus redit. At cum videret suos, propter seditionem, quæ inter se, & fratrem hæctenus fuerat, equis, vestibus, & armis minus sufficientes per totam Calabriam, post quidem eis tributa expetitur vadit: veniensque Geraciū, quia eos, quasi infideliores, ceteris exosiores habebat, vt plus ab ipsis extorqueat, castellum extra urbem, procul se se figit. Geracensis vero iuramen-

iuramentum sibi a Duce factum obijcientibus: Comes respondit, Cum medieta Geracij mea sit, Dux in sua parte iuramenti sui ordinem, ne violetur, seruare poterit: me vero, qui in mea parte quodlibet faciam, nec votum, nec promissio aliqua redarguit. Geracenses ergo cognoscentes se calide a Duce iuramento delusos, insipientiæ suæ deputarunt. Pacto cum Comite facto, a castello, quod foedere cœperat, pecunia, potiusquam armis illum auertunt.

**C**OMES vero suos abundanter armis, & equis, ceterisque, quæ necessaria erant, remunerans, & terram, quæ sibi sorte cesserat, fidelibus suis prudenter ordinans, iterum Siciliam cum trecentis debellaturus aggreditur: vxorem iuenculam, quamuis audiebat renitentem secum ducens. Veniens itaq; apud Trainam, a Christianis Græcis, qui eam iam altera vice susceperant, iterum, & si non cum tanta, vt prius, tamē alacritate suscipitur: urbemque, quamuis natura montis, in quo sita est, satis defensibilis foret, ad votum suum aptando, fortiorem reddens, vxore ibi cum paucis dimissa, circumquaque vicina castra lacesitum vadit. Græci vero, semper genus perfidissimum, hoc solo offensi, quod milites Comitibus in domibus suis hospitabantur, de vxoribus, & filiabus timentes, quadā die, cum Comes apud Nicosinum oppugnandi gratia moraretur, videntes paucos cum Comitissa remansisse, suspicati se in eodem facile præuale re, vt eos ab vrbe expellendo, vel certe occidendo, iugum eorum a se excutiant, oppugnare cœperūt. Sed nostri, quamuis pauci, animo tamen, & armis præoptissimi, dolo cognito, in arma citius ruunt: dominā suam, se seq; pro vita alacriter defendentes, accerrime resistunt: donec nox certamen diremit. Comes vero quod acciderat, per legatum cognoscens, citissimus aduolat: Græcosque, qui iam vrbe ad medietatem recisa, inter se, & Normannos quandam munitionē, ad se defendendum fecerant, minus ad præfens proficiens, expugnabat. Sarraceni denique de vicinis castris quinque millia promptiores, audientes Græcos a nostris dissentire, non minimum grauisi, auxiliū laturi, se iam ad illos contulerāt: quorum præsidio Græci per plurimum tuebantur. Nam cum diu taliter impugnando, nūc autem se ipsos defendendo, iugi incurfione detenti, dum per diuersa loca prædando, victum quærere, vt soliti erant, impediuntur, famis angustia, & assidui certaminis, & vigiliarum æstu, quæ minime sibi pariter conueniūt, per plurimū deficiebant. In tantū enim quisq; sibi met intentus erat, vt etiam ipse Comes vix aliquem haberet, qui sibi cibum, excepta vxore, & armigeris appararet. Nam cum infra urbem, ne extra prædatum iret, iugi defensione interim detinerentur, extra autem omnium oculi ad hoc intenderent, vt si cum paucis latrocinari tentaret, deprehēderetur: quodvis horum agere, imminens periculum dehortabatur. Vnde & tanta penuria inter eos fuit, vt neq; rapere, neq; gratia largiēte, alter ab altero impetrare, vel mutuo aliquid accipere possent: omnibus pene ab ipso Comite, vsque ad vltimū clientē, æquo pōdere indigētibus. Vestiū etiā tanta penuria illis erat, vt inter Comitē, & Comitissam non nisi vnā capā habētes, alternatim, prout vnicuiq; maior necessitas incūbebat, ea vtebantur. Græci vero, & Sarraceni, quibus omnis patria fauēs pro libito patebat, plurima replebantur abundantia. Neque enim illis necesse erat victum quærendo, aliquorsum vagari: quippe quibus omnis Sicilia, quæq; necessaria erāt, certatim dese-

tim deferens vltro suppeditabat. Nostri autem, quamuis tanta penuria affecti famis, & laboris, vigiliarumque æstu inter se ipsos flebiliore anhelarent, viriles animo, alter alteri flebilitatem suam, ne adinuicem dehorentur, occultantes, quadam hilaritate, vultu, & verbis simulare tentabant. Sed iuencula Comitissa sitim quidem aqua extinguebat: famem vero nõ nisi lachrymis, & somno aliquid vnde non habens, refrenare sciebat. Certamen assiduum quod cibus non cibus subpeditabat, hostilis impugnatione abesse prohibebat. Sed interdum ne ab hostibus diffiterentur, si non nisi impugnati in arma ruerent, ipsa animis eorum innata ferocitas, sagaciter etiam volentibus viribus representabat.

XXX. **Q**VADAM itaque die certamine inito, Comes equo insidens, vt suis succurrat, se se hostibus medium dedit. Hostes vero eo cognito, versus eum fortiori impetu grassantes, equum eius spiculis confodiunt: ipsum cum equo humi deiectum, manibus corpiunt: quasi taurum ad victimam reluctantem: vsque ad sibi tutiorem locum nituntur pertrahere puniendum. Porro Comes in tanto discrimine positus, pristinarum rerum haud immemor, extrahere enses, quo accinctus erat, expectens, & in modum falcis, virens pratum refecantis, circumquaque impiger vibrando ducens, pluribus interemptis, sola dextra, & Dei adiutorio liberatur: tanta strage de inimicis facta, vt sicut in condensis saltibus iacerent a vento diruta ligna, sic circumquaque sibi adiacerent hostium ab ipso perempta cadauera. Hostes reliqui se se in suam munitionem recipiunt: ipse equo amisso, sellam, ne quasi timidus accelerare videretur, asportans, versus suos pedes regreditur. Nostri igitur, per quattuor menses in tam laborioso discrimine positos, hiems asperissima, quæ ipso anno, ipsis in partibus fuit, occasio liberationis, hostibus autem damnationis exstitit. Nam & a ciuitate Etnæ, quæ in eadem prouincia haud procul exterminat, vrbs certis temporibus, ab æstuanti incendio sulphurei montis ætas acerrima. Itaque certis temporibus inundatio tempestatum procellarum, niuis & grandinis asperissima solet fieri. Quam ob rem hostes balnearum æstuationibus æstuari assueti, frigidiori aura flante, dum vini potationibus naturalem calorem intra se excitare nituntur, somno vinum, vt assolet, subsequente tardiores ad excubias vigiliarum vrbs esse cœperunt. Quod cum nostri cognouissent, cœperunt & ipsi ex industria tardiores apparere: & quamuis attentissime vigilarent, clamoribus tamen obmissis, vt illos dolose securiores redderent, fingebant se quasi non vigiles essent. Quadam ergo nocte cum Comes, vt semper, nullo labore deficiens, excubias noctis cum suis armatis sub argenti bruma, suis utilitatibus accuratissime intentis rebraret, hostes somno grauatos intra suas munitiones, & neminem eorum, ex tanta multitudine vigilare deprehendisset, castra eorum silenter irrumpit: armataque manu incautos occupans, pluribus interfectis, munitionem accipit: plures capiuntur: ex aduenticijs reliqui fugæ refugium petunt. Porinus, qui caput traditionis exstiterat, cum sibi principaliter assentientibus laqueo suspensus, ad exemplum aliorum, vita priuatur: plures diuersis pœnis afficiuntur. Spolijs itaque triumphali more acceptis, nostri hætenus egentes, tanta abundantia frumenti, vini, & olei, ceterorumque, quæ ad vsum necessaria erant, sunt repleti, vt merito a consimili argumento



gumento recordari possent illius, quod apud Samariam insperato a Deo subito datæ abundantia ad verbum Elisei dicentis: Cras hora ista in porta Samariae modius similia vno statere erit: cum in præcedenti die, nullo quamuis magno pretio posset inueniri.

**O**RDI*N*A*T*I*S* itaque rebus suis, & vrbe melius ad suum libitum XXXI.  
firmata, vt suis equos, quos amiserat, restituat, versus Calabriam, & Apuliam adquisitum vadit: vxore, & militibus suis apud Trainam dimissis: quæ quamuis iuuenula, tanta strenuitate cœpit esse sollicita circa castrum tuendum, vt diatim circuens, vbi meliorandum videbat, studeret, vt fierent vigiliae: reliquos omnes, quos sibi dominus suus abiens dimiserat, blande alloquens: vt sollicitè quæ seruanda erant, prouiderent, hortabatur: multa in reditu domini sui repromittens: sed & transactum periculum, ne seigniter agendo, quid simile incurrerent, ad memoriam reducit.

**C**OMES vero a Calabria, & Apulia, vt apes studiosissima, his, quæ XXXII.  
militibus suis necessaria erant, onustus rediens, omnes suos suo aduentu lætificauit: equos, & cetera, quibus opus habebant, illis impertiens. Aliquantis ergo diebus equis, quos adduxerat, a labore itineris recreatis, comperto quod Arabici, & Africani, qui Arabia, & Africa, quasi auxilium laturi Siciliensibus, causa lucrandi aduenerant, apud castrum Iohannis, vsque ad quingentos morarentur, cupiens experiri cuius valentia eorum militia esset, illuc versus aciem dirigit: præmittens Serlonem nepotem suum cum triginta militibus: qui se ante castrum ostendentes, extractos ad certamen excitarent: ipse cum ceteris in quodam loco, in insidijs latens occultatur: vt dum suos ex industria, simulato timore fugientes illi acrius persequerentur, ipse insperato, a loco insidiarum prorumpens, hostes longius a castro subtractos facilius occuparet. Quos Arabici, qui in castro erant, eminus aduentare videntes, maximo impetu prorumpentes obuij sunt: fugientes persecuntur: accingentes diruunt in tantum, vt ad locum insidiarum non nisi duo ex nostris illæsi peruenirent. Porro Comes suos, quos præmiserat, ex parte captos, ex parte deiectos videns, Leonino impetu ab insidijs prorumpens hostibus occurrit: certamen iniit: fortiter vtrunque congregitur: sed a longo, & acri certamine tandem Comes, Deo sibi propicio, paganis fugientibus victor efficitur. Hostes extremos quosque cædendo plus milliario insequitur. Spolijs onustus lætus apud Trainam reuertitur. Vrbs gaudio repletur. Volensque Siculos vndique laceßere, Calabur prædatum vadit: vnde rediens versus Roccas Castrum Iohannis, si forte Arabicos a castro extrahere posset, attentans maximam prædam reduxit. Profundiores itaque partes Siciliae cognoscere volens, longius progressus, vsq; Buterum venit: vbi non minima præda pecorum accepta, captiuos plurimos secum reducens, apud Auator hospitium sumpfit. In crastinum autem, quia pro longitudine itineris, & calore nimij æstus, sed & aquæ penuria plures equos amiserat, apud S. Felicem pernoctans, inde Trainam venit.

**A**FRICANI ergo, & Arabici cum Siciliensibus plurimo exercitu XXXIII.  
congregati, vt bellum Comiti inferant, aduenire nuntiantur: anno verbi incarnati millesimo sexagesimo tertio: quibus Comes cū suis  
D alacri-

alacriter occurrens in cacumen eiusdem montis super fluuium Cerami, vt eos plenius prospiceret, ascendit: vidensque eos transflumen in supercilio alterius montis, diutius alternatim intuiti, nec his versus illos, nec illis versus hos transeuntibus, Sarraceni priores locum mutantes, ad sua castra, quibus hospitati erant, regrediuntur: Comes vero apud Trainam reuertitur. Sic triduo flumine interposito, sese mutuo conspicientes, nec illi versus istos transire flumen præsumebant. In quarto vero die Sarraceni castra commouentes, ne vltius, quasi ad tergum retrogradi viderentur, in monte, quo se iam triduo ostentauerant, castra metati sunt. Nostri vero hostilem affinitatem diutius inpugnatam ferre nolentes, tum magna deuotione, presbyteris testibus Deo confessi, pœnitentia accepta, Dei miserationi sese commendantes, & de eius auxilio confisi, bellum hostibus inferre vadunt. Sed media via nuntio accepto, quod Ceramium ab hostibus impugnaretur, illuc Comes aciem dirigit: Serlonemque nepotem eius cum triginta militibus prætermittit, vt castrum intrans, defendendo donec ipse veniat, sustineat. Cum centum militibus, non enim amplius habebat, ipse subsequitur. Serlo vero castrum ingressus, aduentum subsequenter auunculi minime sustinuit: sed per portas, vt leo furibundus in hostes prorumpens, multas strages dando, cum triginta millia essent exceptis peditibus, quorū infinita erat multitudo, quod mirum dictu est, ipse triginta sex milites habens, omnes in fugam vertit. Hoc factu patenter cognoscere possumus, Deum nostris factorem fuisse. Nam humanæ vires, tam magnū quid, tamque nostris temporibus inauditum, nec præsumere quidem, nedum perficere potuissent. Si autem cum Propheta admirantes requiramus, quomodo persequeretur vnus mille? nam hoc istis, vt quondam filijs Israel prouenisse cognoscimus, profecto nobis metipsis, ex eiusdem Prophetæ verbis, absque mendacio respondere possumus: quia Deus suus vindicat eos: & Dominus in profundo iniquitatum suarum clauis iræ suæ concluserat illos. Deus suus dico, non quod eum colendo cognoscebant: sed quia quamuis indigni factori suo ingrati existendo, tamen eius creatura erant. Deus suus inquam dico secundum illud, quod ab Apostolo instruimur, vbi ait: Nam idem Deus omnium: diues in omnes, qui inuocant illum. Quod si aliquis hanc sententiam dialektizando commutabilem altruere tentauerit, dicens, Si diues est Deus in eos, qui inuocant illum, consequi oportet, vt pauper sit in eos, qui non inuocant illum: respondendum est, quia Deitas ipsa augmentum, vel detrimentum non patitur: nec in natura sua recipit magis, vel minus: sed semper in eodem statu permanens sui, peræque omnia potest. Si autem pauperem dicere concludimur, non tamen quantum ad ipsum: sed quantum ad illos, qui se indignos exhibent, quibus misericordiae suæ diuitias Deus impertiatur. Comes itaque nepotem subsecutus cum centum militibus Ceramium veniens, hostesque a nepote deuictos cognoscens, dum subsequi, vt plenius deuincat, deliberat, quibusdam ex timore dehortantibus, & sufficere sibi victoriam a Deo per nepotem, factam dicentibus, ne forte vltra insequendo, progrediatur fortuna rotabilis, & in deterius cedat. Vrsellus de Baliol exploranti Comiti interminatus est, se numquam vel ibi, vel alias sibi auxilium laturum, nisi certamen cum hostibus ineat. Quod Comes audiens dehortantibus quidem multa conuicia iratus intulit: citiusque hostibus, versus castra eorum, illuc enim aufugerunt,

runt, bellum offerre vadit. Porro illi viribus resumptis, duas acies ex sese facientes nostris audacter occurrere accelerant. Comes etiam similiter duos cuneos faciens ex suis, vnum nepoti, & Vrsello, & Arigoto de Puteolis, vt præcedentes primo feriant, delegauit: ipse cum altero subsequens, bellatum, Deum sibi adiutorem inuocans, vadit. Prima autem acies eorum Serlonem cum prima acie nostra declinando, montem super nostros prætereire volens, vltimæ aciei nostræ, quam Comes ducebat, occurrit. Comes ergo, & Vrsellus de Baliol suos solito formidolosiores præ nimia multitudine hostium, quam incurrebant, videntes talibus exhortationibus timorem ab ipsis excutere nitentur. Arrigite animos vestros o fortissimi Christianæ militiæ tyrones. Omnes Christi titulo insigniti sumus: qui non deseret signaculum, nisi offensus. Deus noster, Deus Deorum omnipotens est: & ab ipso omnis qui de Deo disfidens, confidit in homine: & ponit carnem brachiū suum. Omnia regna mūdi Dei nostri sunt: & quibus volet ipse impertietur. Gens ista Deo rebellis est: & vires, quæ a Deo non reguntur, ocyus exhauriuntur: ipsi in virtute sua gloriuntur: nos autem de Dei præsidio securi sumus. Nam neque honestum est dubitari, quos certum est, Deo nos præcedente, ante faciem nostram non posse subsistere. Gedeon, quia de Dei auxilio non dubitauit, in paucis multa millia hostium strauit. Dum talia versus certamen properando perorantur, apparuit quidam eques splendidus in armis: equo albo insidens, album vexillum in summitate hastilis alligatum ferens, & desuper splendidam crucē: & quasi a nostra acie progrediens, vt nostros ad certamē promptiores redderet, fortissimo impetu hostes, vt densiores erant, irumpens. Quo viso nostri hilariiores effecti Deum, sanctumque Georgium ingeminando, & prægaudio tanta visionis compuncti, lachrymas fundendo, ipsum præcedentem promptissime sunt secuti. Visum etiā a pluribus in summitate hastilis Comitum vexillum dependens, crucem continens: nullo, nisi diuinitus appositum. Comes ergo aciei suæ priuos exhortatus, Arcadium de Palerna, suam aciem, nostris exprobrando, promptissime antecedentem, & splendenti clamucio, quo pro lorica vtimur, armatum certamine inuito, fortissimo congressu, hastili robore deiectum, ceteris metum incutiens interfecit. Erat enim inter suos militia præclarissimus: cui etiam neminem armis resistere posse putabant: & clamucium, quo indutus erat, nullis armis poterat violari: nisi ab imo in superius impingendo inter duo ferrea, quæ per iuncturas cum catenata sunt, ingenio potius, quam vi vitaretur. Dum itaque vtriusque fortiter dimicatur, nostri numeri paucitate multitudini intermixti ita concludebantur, vt vix aliquis nostrorum nisi armis sibi faciēdo tumultum interrompere possset. Videns autem nostros condensitatem circumdantium se hostium sternendo: vt a furenti vento solet condensitas nebularum disrumpi: & sicut velocissimi accipitres imbecillum turbam auium disruptam sternere. Sed cum longo certamine grassati, diutius nostrorum infestationem ferre non præuolentes, fuga tueri potius quam armis nituntur, nostri audacter insequentes, extremos quosq; cædendo perimunt. Sicque victores effecti, ad quindecim millia ex hostibus occubuerunt. Nostri itaque triumphalibus spolijs onusti, vsque ad hostium castra regredientes, in eorum tentorijs hospitantur: camelos, & reliqua omnia, quæ inuenerunt, sibi vindicantes. In crastinum vero pedites ad viginti

millia, qui fugientes scopulos, & prærupta montis occupauerant, oppugnantes, plurima ex parte perimunt: reliquos vero debellatos vendentes, pecuniam infinitam accipiunt. Sed cum aliquandiu commorati fœtore putrentium cadauerum occisorum hostium grauarentur, fœtorem abhorrentes Trainam reuersi sunt. Comes Deo, & S. Petro cuius patrocinio tantam victoriam se adeptum recognoscebat, de collato sibi beneficio non in gratus existens, in testimonium victoriæ suæ, per quendam suorum, nomine Meledium camelos quattuor, quos inter reliqua spolia, hoste triumphato, acceperat, Alexandro Papæ, qui tunc temporis vice beati Petri prudenter, & Catholice exsequebatur, apud Romam repræsentat. Apostolicus vero plus de victoria a Deo de Paganis concessa, quam de sibi transmissis donarijs gauisus benedictione Apostolica, & potestate, qua utebatur, absolutionem de offensis, si resipiscentes in futurum caueant, Comiti, & omnibus, qui in lucranda de Paganis Sicilia, & lucrata in perpetuum ad fidem Christi retinendo auxiliarentur, mandat: vexillumque a Romana Sede, Apostolica auctoritate consignatum: quo præmio, de Beati Petri fidi præsidio, tutius in Sarracenos debellaturi insurgent.

XXXIV. **P**ISANI ergo mercatores, qui sæpius nauali commercio Panhormum lucratum venire soliti erant, quasdam iniurias ab ipsis Panhormitanis passi, vindicari cupientes, nauali exercitu vndique conflato, vela per mare ventis committentes, apud Siciliam, in portu vallis Deminæ applicuerunt: legatumq; Comiti Trainam, vbi tunc morabatur, mittentes, mandant, vt equestri exercitu Panhormi illis occurrat: se illi in vrbe capienda auxilium laturos: vi talis præmij, acceptam vindictam illatæ sibi iniuriæ expetentes. Comes vero quibusdam negotijs se detinentibus, ad præsens ire distulit: mandans illis, vt modicum temporis sustinerent: donec hæc, quibus ad præsens intentus erat, expedirentur. Porro illi cõmercialibus lucris, plusquam bellicis exercitijs, ex consuetudine dediti, sustinere, ne lucris assuetis diutius priuarentur, nolentes, Panhormumque per se in cassum aggredi disponentes, vela in portum eiusdem vrbs dirigunt: sed plurimam multitudinem hostium exhorrentes, & ob hoc a nauibus progredi minime præsumentes, catenam tantummodo, quæ portum ab vna parte, in alteram claudebat, abscissa, & hoc sibi, more suæ gentis, pro proximo reputantes, Pisam reuersi sunt. Comes itaque videns æstatem proximam, quæ præ nimio calore, a vicinitate solis feruentis caniculæ plurius equitatus in prædali exercitio fieri prohiberet, fratri Duci in Apuliam interrim, dum importuna æstas pertranseat, ire disponens, ne vxorem suam, & milites cum ipsa remanentes absque stipendijs derelinquat, Gulosam vna die, secunda Brocatum, tertia Cephaludum prædatum acie dirigit. Sicque Trainam multa abundantia replens, militibus suis, vt urbem attentissime peruigilantes, incursum hostium prudenter caueant, & ne aliquorsum longius ab vrbe, aliqua occasione intercurrente, progrediantur, multis exhortationibus commonitis, ipse versus Apuliam cum fratre, quid vltius agendum sit, tractaturus vadit: plurimaque ad inuicem conferentes, tandem refrigerante calore, centum militibus sibi ab eo in auxilium acceptis, versus prouinciam Agrigentiam cum ducentis militibus prædatum vadit.

VNDE

**V**NDE cum maxima præda inde rediret, militum suorum prædam XXXV. præcedere præcipiens, ipse cum reliquis inter duos cuneos minatur ne a frôte, vel certe a tergo aliquo hostili incurfu excuteretur. Porro Africani, & Arabici cum essent cupientes vlcisci de victoria in Ceramensi prælio sibi ablata, & laudem quam ibi amiserant, aliquando sibi fauente fortuna recuperare, cognoscentes per nuntium, ita eos prædatum ille, cum septingentis electis militibus, via qua redire habebant, insidiantes occultantur. Nostri autem, qui præcedebant, ad locum vsque peruenientes, illis ex improviso exsurgentibus, audaciæ, qua hæctenus assueti erant, oblitæ, eneruiter agentès, cum fuga potius, quam armis mortis periculum declinare cœperunt. Montem quendam, quem ex omni parte præcipitium cingebat, solo, & arto aditu patente, pro auxilio expetentes ascendunt. Hostes vero parte armigerum, qui prædam minabant, perempta, ipsam etiam prædam excutiunt. Comes autem, qui subsequebatur, tumultum audiens, dū citius aduolat, quæ acciderant cognoscens, maxima indignatione, & ira repletus, vt secum de hostibus vltionem expetant, suos immensis clamoribus, a monte, quem ascenderant, in cassum reuocare nititur: donec ipse meturone ascendens, & suos quemque nomine vocans, ne se in posterum fuisse excusarent, talibus verbis aggressus est. Ita ne inquit o fortissimi hæctenus, viribus exhausti estis, vt absque recordatione alicuius militaris laudis, in profundum putribundæ defectionis submersi, vltius respirare ne queatis? Recordamini antecessorum: sed & gentis nostræ, nostræque hæctenus habitæ strenuitatis præconizatæ: deuitantes notas futuri vituperij. Recordamini quot millia hostium apud Ceramium pauciores quam nunc de bellatores extinxistis. Fortuna tunc vobis arridens ab eodem, quo & nunc adhuc regitur. Resumite pristinas vires: victoria post fugam fortiter agentibus laudis reparatio est. Hæc, & alia exprobrando, plura locutus, vix eis exhortationibus recreatis, ad certamē properans cum hoste congregitur. Fortiter agendo gens Deo rebellis debellatur: præda excussa recuperatur. Nostri victores effecti triumphalibus spolijs ditantur. Trainam cum gaudio remeantes: excepto, quod de solo Galterio de Simula, qui inter omnes militari laude dignus, in congressu fortiter agendo, quod dolor dicere est, iuuentutis florem ab hostibus confossus amiserat, plurimum tristabantur.

**D**VX vero Robertus cum in Apulia esset, sciens fratrem suum apud XXXVI. Siciliam multiplici incurfione ab hostibus lacefiri, plurimo exercitu ab Apulia, & Calabria congregato, nolens expers esse questus, laboris etiam particeps fieri, versus Siciliam intendit. Comes vero fratrem aduentare audiens, cum gaudio magno festinus illi apud Cusentum Calabriae urbem occurrit. Sicq; progredientes anno Dominicæ incarnationis M L X I V cum quingentis tantummodo militibus apud Pharū mare transmeantes, tota Sicilia, nullo aduersus eos aliquid præsumente impune peragrata, Panhormum vsque perueniunt: atque in monte, qui postea Tarantinus, ab abundantia Tarantarum, a quibus ibidem exercitus eorum plurimum vexatus est, iubente Duce, quæ postea pœnituit, tentoria fixa sunt. Nam mons totus infitus Tarantis, viris, & mulieribus inhonestum, quamuis ijs euaserint, ridiculosum hospitium præbuit. Taranta quidem vermis

est araneæ speciem habens: sed aculeum veneniferæ punctiois: omnesq; quos punxerit, multa venefica ventositate replet: in tantumque angustiat, ut ipsam ventositatem, quæ per animum in hunc crepitando emergit, nullo modo reslinguere præualeant: & nisi clibanica, vel alia quæ vis teruentior æstuatio citius adhibita fuerit, vitæ periculum incurere dicuntur. Tali in honestate nonnulli nostrorum vexati, tandem locum mutare coguntur: vicinum vrbi locum tutiorem, quo tabernacula figant, expetentes: vbi per tres menses commorati, Panhormitanis fortiter repugnantibus, versus urbem quidem minime profecerunt: sed viciniora circumquaque loca plurima depopulatione vexauerunt. At cum vident se versus urbem minime tunc temporis præualere posse, castra mouentes Bugamû oppugnare vadunt: cuiusque eiusdem castrum eneruiter reluctantis, funditus diruunt: incolas omnes cum mulieribus, & liberis, omnique suppellectili suâ captiuos adducunt: sicque versus Calabriam remeare volentes haud procul ab Agrigentina vrbe, sic enim illis directior adiacebat via, tentoria figunt. Porro ciues eiusdem vrbis, viribus suis plus necessario confidentes, per portas prorumpendo, forti strepitu super illos prouunt: incautosq; \* hostium tacendo dum fingunt, vsque in portas suæ ciuitatis persequuntur. Dux itaque digressus, in Calabriam veniens, expeditionem soluit: Bugamensesque, quos captiuos adduxerat, Scriblam, quam deserauerat, reitaurans, ibi hospitari fecit.

XXXVII.

**A** N N O vero Dominicæ incarnationis M L X V Policastrum castrum destruens, incolas omnes apud Nicotrum, quod ipso anno fundauit, adducens, ibi hospitari fecit. Antequam iret versus Panhormum Dux Robertus, & in monte Tarantarum tentoria fixisset, Dux, & Comes Rogerius prius in prouinciam Cusentij Castrum quidem Regale expugnauerat: & pro libitu ordinauerunt. Eodem anno castrum quoddam, quod Agel dicitur in prouincia Cusentij Dux oppugnare vadens, per quattuor menses obsedit. Agellenses autem extra castrum progredientes, cum vicinius tentoria hostes figerent, fundibulis, & sagittis longius propellere nituntur: sicque ex vtraque parte, mutua cæde fortiter congregiuntur. At dum nostri maxima indignatione commoti, impetum in hostes facientes, vbi densiores erant, prorumpere nituntur, Rogerius filius Scoclandi iaculo confossus equo deicitur: cum etiam Gissibertus nepos eius eum releuare tentat, deiectus vtrique occiduntur: de quorum nece Dux cum omni exercitu non minimum turbati, erant enim inter familiares sibi carissimi, eorum corpora apud Sanctam Euphemiam, vbi tunc Abbatia in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ nouiter incepta instituebatur, humanda mandauit: equos, & cetera quæ habebant, eidem Ecclesiæ, pro ipsorum saluatione contulit. Agellenses itaque cognoscentes pro tali, & similibus factis Ducem se se grauius offendisse, pacem ab ipso expetunt: ne si rebelles persistendo vi caperentur, ab ira eius, absque recordatione alicuius pietatis, ut meriti erant, omnes pariter perimerentur. Dux vero quamuis anhelans esset cum supplicijs, de ipsis vltionem expetere, tamen ne diutius perendinando, alias intendens, demoraretur, pacem cum ipsis fecit: castrumque ab eis deliberatum, in sua virtute accipi, pro libitu suo disposuit.

COMES

**C**OMES vero Rogerius adquirendæ Siciliae intentus, quietis impatiens erat: omnia perlustrans crebris incursionibus deterrebat: intantumque ex consuetudine labori continuus erat, ut hinc ne, hinc ve infestior esset, nec cæcitas obscuræ noctis dehortari posset: quin de loco ad locum transfiliens, per se ipsum omnia attentaret: eiusque presentia, plusquam omnia hostes exhorrebant: intantumque eius veloci frequentia deterrebantur, ut nusquam absens putaretur. Sed quia ubi suis presentibus, ipse absens ab hostibus deprehendebatur, sui hostili incursione interdum grauabantur, castrum, quo se, si forte necessitas incumberet, facilius tuerentur, & a cuius vicinitate quæque proxima loca attentius subuigila sibi concite scederentur, apud Petrelegium, anno Dominicæ incarnationis M L X V I turribus, & propugnaculis extra portam accuratissime firmavit: per quod maximam partem Siciliae, ad suæ dominationis iugum ferendum perdomuit. Filijs denique Tancredi naturaliter hic molitus fuit, ut semper dominationis auidi, prout illis vires suppetebant, neminè terras, vel possessiones habentes ex proximo sibi absque æmulatione habere paterentur, quin vel ab ipsis confestim subiecti deferuissent, vel certe ipsi omnia in sua virtute potirentur.

XXXIIX.

**I**NDE & Robertus Dux, qui præ ceteris hunc morem sibi vindicauerat, Gaufridum de Conuersana, nepotem videlicet suum, filius quippe sororis suæ erat, ut de Montepiloso sibi seruitium, sicut & de ceteris castris, quæ plurima sub ipso habebat, exhiberet, adorsus est: quodque ab ipso, sicut & cetera, minime acceperat: sed sua strenuitate, Duce sibi auxilium non ferente, per se ab hoste lucratus fuerat. Id facere renuente Dux admoto exercitu idem castrum obsessum vadit: multisque militanter ex vtraque parte perpetratis, tandem, ut de eodem castro, sicut & de ceteris sibi seruitium promittens exhiberet, compulsi.

XXXIX.

**D**V X itaque videns omnia, quæ solo inceptu attentabat, fortuna fauorabiliter arridente, sibi in prosperum cedere, famosissimam urbem, quæ Barum dicitur, adhuc Constantinopolitano Imperatori ex fidelitate adhaerentem, sibi vero rebellem, ex proximo, haud longe a Monte piloso habens, quibuscumque Imperator præerat pactionibus, & ut sibi fauentiores redderet, ad impugnationem eiusdem urbis secum instans anno Verbi incarnati M L X V I I equitatu, & nauali exercitu eam obsessum vadit. Et quia ipsa ciuitas, quasi in quodam angulo sita in mare porrigitur, ipse cum equestri exercitu ipsam partem, qua ciuitas versus terram patebat, quasi ab vno mari in aliud claudens, nauibus per mare extensis, vna ad alteram firmiter ferreis catenis, ac si sepem faciendo, compaginatis, ita totam urbem cinxit, ut nullo latere exitus ab urbe progrediendi pateret. Duos quoque pontes, vnum videlicet ab vnaquaque ripa constituens, qui longius in mare vsq; nauium funes, ab vtraque parte attingebant, porrexit: ut si forte Barenfes aliquem incursum, versus naues attentarent, directo cursu a militibus nauibus expeditius subuenirent. Barenfes autè primo quæ agebāt despectui habentes omnia vilipendere: ornamenta sua, thesaurūq; pretiosa dependētia ostentare: Guiscardo plura cōiugia inferre; turribus suis fidentes rerū exitus minus metiri cœperūt. Quæ res

XL.

LIX.

Guiscardum ab incepto quidem non deterrebat: sed animus ambitionis cupidine feruens, quanto pretiosiora infra muros contineri dicebant: tanto ardentius spe ea lucrandi, ad quod cœperat persistendum, mentis instantiam figebat: subridendo illis respondens. Quæ inquit ostentatis mea sunt: & quæ a vobis voluntarie mihi præsentantur, habeo gratum. Estote fideles ad tempus in conseruâdo. Vobis quippe de amissione dolentibus fiam quandoque largus in distribuendo. Sicque suos ad urbem debellandam exhortationibus, & promissis inflammans, laboris sui renunciationisque præmiû infra murum testatur esse. Ipse mœnia circumire, aggeres comportare, urbem vallare, arietes facere, ceteraque machinamenta, quæ vlti capiendæ urbis necessaria erant, componere, suos instruere, hostes infestare, metum iugi instantia studebat incutere. Barenenses ergo videntes constantiam Ducis vltra quam rati erant, indiuisam persistere, victumque infra urbem, nullo ad introducendum hostibus circumsertis, aditu patente, a multitudine inermis vulgi, mulierum scilicet, & puerorum inutiliter deualari, quod vi nequibant, dolo vitæ Ducis periculum parant: pretioque composito, a quodam leuitatis viro, vt vrbe digrediens illum spiculo corripere attentet, mercantur. Amerinus ergo auaritia captiois cupidine captus, appetendum tam nobile, vt sibi videbatur, facinus accelerat: spiculoque venenis infecto ab edocentibus se tantæ versutis fraudem accepto, vrbe digressus, quasi vnus ex nostris, lapides funda versus hostes, supra muros raciendo, aduersus castra nostrorum dolose speculatum circumuenit. Sicque vesperascente die, nox intercludere Solis radios properat: cumque cæmæ hora instante Dux in tabernaculo suo, ex foliosis arborum ramis composito sedisset, ille a tergo veniēs, ramoso pariete interpolito, Ducem præuio oculo, deinde aure per vocem, bene visum credens spiculum, quod ad hoc acceperat, fortiter impingendo, parte vestium correpta, sed Deo protegente, ipso illeseo permanente in terram defixit: sicque Ducem læsum credens incasso vulnere spiculo amisso, nihil sibi fuga vtilius credens, quam velocius potuit, cursu se se infra urbem recepit. Ducis vero ministri tali facto expauescunt extra profilientes, dolo cognito, noctis excubias solito attentius, vigilesque circa Ducem deputant: cæmætarios ex eius edicto conducentes summo diluculo primum domum breui perficiunt.

XLI. **E**A tempestate Comes Rogerius in Sicilia morabatur: crebris incursumibus omnia hostiliter perlustrans: ad sibi subdendum nunc præmijs pulsans, modo minis terrens iugi excitatione plerumque alios damnis afficiens: intantumque quietis impatiēs hostes laceffendo deterrebat, vt vix in ipsis munitionibus, nusquam autem alias securi essent. Nox, vel dies, vesper, & aurora, aura lenis, & aspera æquo pondere infesta timori erant. Vnde & Sicilienses consilio intra se habito, mori potius, quam cum tanta inquietudine infelicem vitam diutius protelare deliberantes, belli fortunam contra Comitem tentare, parant. Denique versus Panhormum prædatum proficiscenti exercitu innumerabili vndique conflato, ex improviso apud Michelmir occurrunt anno incarnati verbi MLXIIIX. Porro eos eminus conspiciens totus infremuit: omnesque suos in vnum coërens subridēdo ait suis. Eia inquit nobilium prædecessorū nobilitas Fortuna vobis fauens prædam, quã longius disposueratis quærere, labori vestro parcens,



parcens, vltro vobis obuiam, ne plus in conficiendo itinere fatigemini adducit. Ecce præda a Deo vobis concessa. Auferte ijs, qui ea indigni sunt. Utamur ea diuidentes Apostolico more, prout cuiq; opus est. Ne exhorrescatis iam dudum, multotiensque a vobis deuictos. Si ducem mutauerunt animo, non quo ducem id præsumunt: eiusdem nationis, qualitatis, sed & regionis est: cuius & ceteri sunt. Deus autem noster immutabilis est. Si a vobis nõ mutatur integritas fidelis spei, nec ab ipso mutabitur sententia triumphalis auxiliij. His dictis, acieque suorum prudenter ordinata, cum hoste concreditur. Fortiter nostris a gentibus gens inimica in tantum debellatur, vt vix ex tanta multitudine superesset, per quem rei euentus Panhormi renuntiaretur. Nostri vero triumphalibus spolijs multum ditantur.

**M**ORIS vero Sarracenis est, vt columbas frumento, & melle infuso domi nutrientes, cum aliquorsum longius digrediuntur, masculos sportulis inclusos secum ferant: vt cum aliquid noui fortuna illis administrauerit, quod domi scitum velint, chartulis euentus suos notantes, & collo auis, vel certe sub ala suspendentes, auibus dimissis per aëra, familiæ domi sollicitæ, vtrum prospere erga peregrinos amicos omnia agantur, notificare accelerat. Auicula enim dulcedine grani melliti, quam domi gustare sæpius assueuerat, illecta, reditum accelerat: chartulas, morem suum scientibus repræsentat. Huiusmodi sportulas cum auibus Comes inter reliqua spolia accipiens, auibus cum infectis sanguine chartulis dimissis, tristis fortunæ euentus Panhormitanis repræsentat. Vrbs tota concutitur: lachrymosæ voces liberorum, & mulierum per aëra cælum at tolluntur. Gaudium nostris, illis tristitia parturitur. XLII.

**P**RINCIPABAT VRtunc temporis vrbi Barenfi sub Imperatore Græcus quidam Argerius nomine: qui cum ceteris ciuibus pro tempore, & loco consilio habito, chartulis ærumnas vrbis, ciuiũque, sed & hostium infestationem adnotans clam, de nocte per quendam ab vrbe digredientem Diogeno Constantinopolitano Imperatori dirigit: vrbe, quæ sola in eius fidelitate persistens vndique hostili incurfione quatiebatur, nisi citius subueniat, se amissuros victus penuria. Se iam tertio anno instante hostibus circumseptos: cuius diuturno certamine deficientes deditioem parare. Nisi ipsam retineat, spem nullam de recuperatione peruasæ ab hostibus patriæ vltius reseruari. Legatus quod instructus erat, fideliter adimplere satagens, breui magnum conficiens iter Byzantium venit. Acceptas epistolas imperatori repræsentare vadit. Et pistolis oratione exhortatoriã, vt subueniat, addit. Imperator vero susceptis epistolis, ac perlectis Duraciũ mittens, classem parare facit: cui Gocelinũ de Orencho quendam natione Normannũ, & in palatio post Imperatorẽ secundũ, paucis, quia strenuus armis, & consilio callens erat, Ducẽ præponens, cũ multis copijs Barenfis succurrendũ disponit. Porro qui missus fuerat, iussus ab Imperatore Barum regrediens, clam hostes vrbe, vt exierat intrat. Acta refert: signũque, quo auxiliũ veniens eminus cognoscant, edocer: vt simile signũ de vnoquoq; propugnaculo cõtra aduenientes faciant, fasces scilicet accendant, ne a certo portu deuiant, admonet. XLIII.

renses hoc nuntio exhilarati, plus necessario festinantes, animo enim cupienti nihil satis festi natur, in proximā noctē fauces accendunt: clamoribus, & laudis plus solito lætitiā ostendunt. Quid nam in hoc facto prætendant, inter nostros quæstio oritur. Fit de pluribus rebus coniectura: vndique argumentatur a prudentioribus: rei veritas deprehenditur: auxilium videlicet per mare illis aduenire. Aduenerat in auxilium Ducis fratris plurimo remige Comes Siciliæ Rogerius nouiter a fratre inuitatus: leoninam in omni certamine habens ferocitatem: quem tamen prudentia regebat: & fortuna fauens comitabatur. Hic callide in hoc negotio agens, singulis noctibus speculatum ire iubet: si forte eminus per mare aduentantes naues aspiciantur. Cum ecce quadam iam nocte mediante, quasi stellæ lanternæ ardentes in summitate mali vniuscuiusque naui eminus apparere conspiciuntur. Quod cum a Comite compertum fuisset accelerantissime armata manu, plurimo se se remigi credens, obuiam hostibus ire accelerat: quos hostes eminus aspicientes, Bareses qui supra præ gaudio occurrerent rati, minus se se ad defensionem aptant. Comes vero nauem Gocelini, qui dux hostium erat, duabus lanternis a ceteris distinctam eminus cognoscens illam versus impetu suorum intendere iubet. Dumque fortiter congregiuntur tanta vi quædam ex nostris, super nauem illorum grassata est, vt ex vno latere cum pondere armorum incaute decurrente, centum quinquaginta loricati ex nostris submergerentur. Comes vero Gocelinum oppugnans superat: quem in suam nauem exarmatam recipiens, cum triumpho gloriosus ad fratrem remeat. Dux vero amittendi timore in certamine fratris, plurimum angebatur: quippe nec succurrere poterat, nec alium, excepto illo, ceteris defunctis habebat. Attamen victor, & incolumis redire nuntiatur: nulli credulus fieri asserit, donec visu sibi satisfaciente. Vtrum sanus esset scrutando in geminat cum lachrymis. Comes vero Gocelinum mirifice Græco more præparatum Duci, ad honorem representat captiuum. Bareses itaque se sua spe frustrati vltius hostes ferre non valentes, deditione facta, Duci fœderantur. Anno Domini M L X X Dux voti compos effectus fratri, & cuncto exercitui gratias referens, vrbe pro velle suo ordinata, fratrem in Siciliam præmittens, solito exercitu breui iterum expeditionem versus Panhormum summouet. Toto Iunio, & Iulio mense apud Hydruntum moratus montem, quo facilius descensus ad mare, equos nauibus introducens, fieret, rescindere facit: vnde & Duracenses maxime sunt territi ne mare cum exercitu transmeans, eos impugnatum veniret: mulumq;, & equum ei, quasi ad honorem mandantes, hac occasione rem speculatum mittunt.

XLIV. **E**A TEMPESTATE Costa Condomicita, qui Scyllum iam dudum Duci fraudulenter abstulerat, veritus ne cum Dux versus Siciliam nauigio transitum simularet, Scyllum obsessum diuerteret, Duci reconciliatus castrum reddit: tali iniuria se, ad quod fecerat compulsum dicens. Dux Costam Pelogam quendam stratigotum statuerat: qui nimia insolentia defluens quosque ingenuos viros, vel mulieres, nec etiam suæ consanguinitati parcens contumelijs afficiebat. Hic inter cetera quandam ingenuam matronam nomine Reginam, auiam Costæ

Costa Condomicitæ gallinam auream cum pullis, quam habere dicebatur, ab ea extorquere volens, verberibus laniatam captione retruserat: Costa Condomicita in famulatu Ducis apud Insulam Crotone detinebatur: cui cum quod acciderat, relatum fuisset, iniuriam auaræ reputans suam, infirmitate simulata, licentiam, domi causa curationis a Duce exposcens, vigilia Natalis Domini Scyllum ingressus est: quem Stratigotus venisse audiens, piscium sibi enxenia per famulum mittit: qualiter se res erga Ducem habebat, requirit. Ille acil nihil mali machinans ira dissimulata, gratias remandat: sed quod animo conceperat minime oblitus, postquam comestum est, potentioribus vrbs secreto circumuentis, de sibi illata, auaræque iniuria querimoniam ostentat: quibus respondentibus merito sibi talia accidisse, excusationibus minime vsus, facti se poenitere asserens, uti contulerat, auferre tentaturum promittit: si tantummodo ipsis potiatum auxilia rijijs. Sicque a pluribus fide accepta, totam noctem insomnem ducens, quoscumque potest sibi allegat: summoque diluculo, cum omnes, qui huius rei ignari erant, ut dies ipsa monebat, in Ecclesia Dei laudibus inseruerent, ipse cum tredecim viris, gladijs cum capis accinctis, reliquis signo dato, & a foribus expectantibus, ad portam castelli accedens, ianitor nil suspicatus quasi noto aperit. Ille cum socijs ingressus hospitium Stratigoti intrat: arma, quæ inuenit, corripit: versus Ecclesiam, Stratigotum præoccupare volens, citissimus currit. Vndique ergo insurgente clamore, Stratigotus insidijs compertis, per fenestram proiliens, præcipitio delapsus, dum fuga refugium petit, a ciuibus, quibus omnibus exosus erat, comprehensus reducitur. Costa Condomicita, quia confanguineus eius erat, volente ei parcere, a populo condemnatur: sicque cum supplicijs poenas luens, a quibus mala intulerat, perimitur: quos religauerat liberantur: a fidelitate Ducis palam auertuntur. Sicque per sex fere annos Duci rebelles per diuersa loca Calabriae ab ipsis turbatio plurima facta est. Istud hic in scribimus, ut caueant prælati sibi subditos prauis ministris a sua fidelitate diuelli.

**D**VX igitur comitatibus, & ceteris, quæ expeditioni congruebant XLV.  
 apparatus, fratrem, quem præmiserat, subsecutus, apud Catanam, ubi Comes erat, venit: fingens se Maltam debellatum ire: quasi de Panhormo diffidens: sed a fratre cohortatus, magno equitatu, cum nauilibus, peditumque copijs ab inde progrediens Panhormum venit: ab oceanoribem nauibus obsidens, fratremque Comitem ab vno latere statuens, ipse ab altero cornu Calabrensibus, & Apulis muros ambit. Sicque quinque mensium circulo hostes vrbs defensionis attentissime peruigiles, ipse nihilominus impugnationi cum fratre intentus inquietare perstuduit. Vtrique pari ardore inflammati omnia circumire, suos instruere, omnia ordinare, hostibus interminari, suis plura largiri, ampliora promittere: primus, & frequentior adesse, nihil intentatum relinqueret. Machinamentis itaque, & scalis ad muros transcendendos artificiosissime copaginat, Dux hortos cum trecentis militibus latenter ingressus, ex altera parte, quæ uidelicet naualis exercitus adiacebat, urbem infestare, fratremque a parte qua erat, haud secus agere perdocuerat. Illi signo dato, quæ edocti erant, haud perficere segnes, magno sonitu irruunt. Vrbs tota in arma ruens, quæ strepitu tumultuantium accurrebat defensionem, acceleranter grassatur.

A parte

A parte qua minus cauebant, vacillatur. A Guiscardensibus scalis appositis murus transcenditur. Vrbs exterior capitur: portæ ferro socijs ad ingrediendum aperiuntur. Dux, & Comes cum omni exercitu infra muros hospitantur. Panhormitani delusi hostes a tergo infra muros cognoscentes, interiori vrbe refugium petendo se se recipiunt. Nox tumultum diremit. Proximo mane primores fœdere interpolito, vtrisque fratribus locutum accedunt: legem suam nullatenus se violari, vel relinquere velle dicentes: scilicet si certi sint, quod non cogantur: vel iniustis, & nouis legibus non atterantur. Quandoquidem fortuna præsentis sic hortabantur, vrbs dedicationem facere, se in famulando fideles persistere, tributa soluere: & hoc iuramento legis suæ firmare spondunt. Dux, Comesque gaudentes, quod offerebatur libenter suscipiunt anno Dominicæ incarnationis millesimo septuagesimo primo. Adepti primo omnium, scripturæ fideles imitatores dicentis: Primum quærite regnum Dei: & omnia adijcientur vobis: Ecclesiam sanctissimæ Dei genitricis Mariæ, quæ antiquitus Archiepiscopus patens fuerat, sed tunc ab impijs Sarracenis violata templum superstitionis eorum facta erat, cum magna deuotione catholice reconciliatam dote, & ornamentis ecclesiasticis auget. Archiepiscopum, qui ab impijs deiectus in paupere Ecclesia S. Cyriaci, quamuis timidus natione Græcus cultum christianæ religionis pro posse exequabatur, reuocantes restituunt. Deinde vero castello firmato, & vrbe pro velle suo, Dux eam in suam proprietatem retinens, & vallem Deminæ, ceteramque omnem Siciliam adquisitam, & suo adiutorio, vt promittebat, nec falso acquirendam, fratri de se habendam concessit.

XLVI. **C**VM ista geruntur Serlo filius Serlonis, nepos videlicet vtrorumque Principum istorum, cuius in præcedentibus mentionem fecimus, apud Ceramum morabatur: ad tuendam prouinciam ab incursum Arabicum, qui apud castrum Iohannis ea tēpestate morari dicebantur, a Duce, & Comite sic iussus. Nam & medietas totius Siciliæ ex consensu Ducis, & Comitis suæ forti, Arisgotiq; de Puteolis, inter se diuidenda cesserat: eo quod hic consanguineus eorum erat: vterque autem consilio, & armis probissimi viri erant. Arabici autem, qui apud castrum Iohannis morabantur, strenuitate Serlonis, quia eis in multis infestus erat, plurimum inimicabantur: iugique intentione dolo, vel armis ruinam eius meditari nitebantur. Sarracenus autem de potentioribus castri Iohannis nomine Brahen cum Serlone, vt eum facilius deciperet, fœdus inierat: eorumque more per aurem adoptiuum fratrem, alter alterum factum vicissim susceperat. Hic cum traditione cum suis composita, Serloni salutaria munuscula cum amicabilibus verbis mandat: inter quæ etiam intulit ista. Sciât fraternitas adoptiui mei, quod tali, vel tali die septem tantummodo Arabici ex deliberatione iactantiæ terram tuam debent prædatum adire. Quod Serlo audiens ridiculo habere cœpit: minusque sibi prospiciens, ex vicinis castris neminem sibi in auxilium arcessiuit: sed terminato die inconsultus venatum secessit. Porro Arabici, qui dolum composuerant, cum septingentis militibus, & duobus millibus peditum de castro Iohannis digressi, haud procul a Ceramo in abditis locis infidias ordinant: septem tantummodo, vt Brahen Serloni mandauerat, milites mandantes: qui Ceramo, præda  
capta,

capta, Serlonem extrahunt. Infurgit clamor: ab incolis prouinciæ tumultuatur: a Serlone, vbi venatum ierat, tumultuantes ciues audiuntur: sed quia inermis procefferat, nuntium apud Ceramū, ad deferenda sibi arma, suosque inuitandos mittens, ipse quo clamor infestius vrguebat, sciscitaturus quid nā esset, progreditur. At dum a septem militibus præda abduci dicit, arma sibi delata corripens adoptiui fraudi plus necessario credulus improuide subsequens, vltra insidias progreditur. Illis autem ab insidijs prorumpentibus, cum hostes a tergo horribili armorum turbineprehenduntur, Serlo decertandi copijs, sed & fugæ præsidio diffidens, cum paucis, qui secum erant, petram, quæ ab ipso die Serlonis dicta est, cursu expetit: qua ascensa, a dorso pro muro eius vsus, diu fortiter, sed nullo aliunde auxilio aduentante, in cassum dimicatur: nam tandem confossus occubuit: nullusque ex omnibus, qui cum ipso erant, exceptis duobus, qui inter cadauera mortuorum latitauerant, euasit. Serlone exenterato Sarraceni cor extrahunt. Vt audaciam eius, quæ multa fuerat, cōciperent, comedisse dicuntur. Capita vero occisorum in Africam Regi ad honorem mittunt: & caput Serlonis stipiti impositum, & per plateas vrbs delatum a clamante est præconizatum, eius esse, a quo præ ceteris Sicilia impugnabatur: hostes deuictos nullo simili superstitite. Siciliam suæ sorti amodo facere cessuram. Cum ista apud Panhormum Principibus nostris nuntiantur, exercitus totus turbatur. Comes amissione nepotis intolerabili dolore angebatur: Dux vero alamētis fratrem suum coërcere volens, dolorem suum virili more occultare nitebatur. Feminis inquit lamenta permittantur: nos autem in vindictam armis accingamur. Igitur, quia seiunctim ad inuicem vtrique fratres quisque suis vtilitatibus lucrari studebant, excepto, quod cum necessitatibus incumberent, alter ab altero inuitatus vicissim sibi ad inuicem succurrendum venirent, huic libro alium incepturi finem ponamus: vt in sequenti de vnoquoque nunc seiunctim, iterumque coniunctim, prout ipsa res expostulauerit, stylum alternemus.

EXPLICIT LIBER SECVNDVS.

INCIPIVNT CAPITVLA  
LIBRI TERTII.

<b>A</b> P V D Paternionem, & Mazariam Castella fiunt.	I.
Guiscardus Salernum obsidet.	II.
Malfetani cum Duce pacem faciunt.	III.
Salernum deditur.	IV.
Comes Rogerius Abagelardum apud S. Seuerinam obsidet.	(det. V.
Dux S. Seuerinam recuperat. Castro S. Agadij Dux Abagelardum obsidet.	VI.
Comes Rogerius in monte Calataxiber castellum facit.	VII.
Africani Nicotrum destruunt.	VIII.
Africani apud Mazariam vincuntur.	IX.
Hugo de Gircea apud Catanam occiditur.	X.
Trablas obsessione ad deditiōem cogitur.	XI.
Castrum nouum Comiti foederatur.	XII.

E Michael

- XIII. Michaël Imperator ad Ducem venit.  
 XIV. Dux classem aptat versus Græciam.  
 XV. Comes Tauromenium obsidet.  
 XVI. Euifandus pro Comite occiditur.  
 XVII. Golafri ab Africa sub Tauromenio visi sunt.  
 XVIII. Tauromenium capitur.  
 XIX. Ecclesia Trainæ fundatur.  
 XX. Iacenses, & Cinenfes Comes obsidet.  
 XXI. Eofdem capit.  
 XXII. Comes filiam suam Comiti Prouinciæ dedit.  
 XXIII. Castum coniugium laudatur.  
 XXIV. Dux Romaniam vadit.  
 XXV. Dux Duracium obsidet.  
 XXVI. Dux cum Venetianis bellatur.  
 XXVII. Dux cum Imperatore proeliatur.  
 XXVIII. Dux Duracium capit.  
 XXIX. Dux Castoriam capit.  
 XXX. Bennauet traditione Catanam intrat: & paulo post a nostris recuperatur.  
 XXXI. Angelmartus apud Geracium contra Comitem insurgit.  
 XXXII. Turribus Messana firmatur.  
 XXXIII. Dux a Gregorio Papa a Romania reuocatur.  
 XXXIV. Duce reuertente fraus populorum premitur.  
 XXXV. Dux fratre arcesito super Capuanum Principem vadit.  
 XXXVI. Iordanus contra patrem insurgit.  
 XXXVII. Dux Romam vadit: & capit.  
 XXXVIII. Romani reprehenduntur.  
 XXXIX. BOAMVNDVS Imperatorem superat certando.  
 XL. Dux Romaniam iterum vadit.  
 XLI. Eclipsis Solis fit. Papa moritur: & Dux, & Rex Anglorum.  
 XLII. Rogerius Dux efficitur.

INCIPIT LIBER TERTIVS.



**Q**UONIAM QUIDEM ARDVAS  
 res, clarosque triumphos duorum procerum Gui  
 scardi videlicet Ducis, Siciliaeque Comitis Roge  
 rij nunc seiunctim, nunc vero gregatim, prout fa  
 cere nos scripturas repromissimus: limpidiore poë  
 tria si esset vnda, æstuan dum foret, vt res quæ in  
 ipso nobili memoria clarent, nobilioris philoso  
 phi penna chirographizaret: ne limpidiissimus li  
 quor, dum ad hauriendum porrigitur, fœtore in  
 cultioris vasis etiam ab ipsis sitientibus abhorreatur. Sed quoniam nos  
 aureis fistulis paupertate prohibemur, ad potandum: vtimur interdum  
 plumbea fistula: dulces liquores vsque degustaturi. Vnde & lector quis  
 quis historiæ seriem perferutari temptat, non fallentia verborum commē  
 ta, sed pompales triumphos memorandorū virorum attendat. Quæ enim  
 inferuntur non meæ, vel tuæ laudi, sed illorum, qui faciendo meruere, sub  
 titulantur.

titulantur. Quoniam ex edicto Principis tempus scribendi imminet, quod negligendo hactenus minus potatum est, ad fontem, quo hauriam, unde limpidius eructetur, recurrere ipsius Principis vrguēs festinātia prohibet.



**GITVR** famosissimus Siciliae Princeps Rogerius Duce fratre, expeditione, postquam Panhormum adeptus est, solita, a Sicilia versus Calabriam, & Apuliam, vt suas vtilitates exsequeretur, digrediente, in Sicilia remanens, exercitus recedentis fratris minimam partem praemijs, & promissionibus illiciens, ex consensu eiusdem Ducis sibi retinuit. Siciliamque debellare ex omni parte aggrediens, iugi incurfione non minimum lacefsiuit: & quamuis hactenus dum in his, quae adquirebat cum fratre participaturus, ad plenum strenue egerit, nunc cuncta quae adquireret, suae fortis cedere certus, quasi leo esuriēs, praedaeque avidus, quietis impatiens omnia circumire, periculosioribus incertis primus adesse, nihil intentatum relinquere patiebatur. Anno Domini incarnationis **M L X X I I I I**, duo castella, vnum apud Paternionem ad infestandam Catanam, aliud vero Mazariā ad debellandam adiacentem provinciam firmauerat: Dux vero a Sicilia in Calabriam veniens, apud Russanum eiusdem provinciae urbem dolentibus vrbicolis castellum firmavit.

**GISVLFVS** ergo Salernitanus Princeps frater Sigelgatae uxoris Guiscardi Ducis omnes maritimos fines a Salerno, vsque ad portum, qui Fici dicitur, Arecumque, & S. Euphemiam sui iuris esse volens, & partem a Guiscardo dietim peruadi audiens, versus Ducem inimicitias iniecit: omnesque ei adhaerentes, quos capere poterat, contumelios deturpans, nostrae genti se se inimicari non abscondebatur. Dux autem Guiscardus, qui amicitiam sibi promiserat, primum quidem patienter ferens, legatis ait ab incepto respiscat, conuenire. At vbi videt, conceptam animo Principis malitiam, quanto plus lenire tentabat, eo amplius in deterius excrescere, foedere, quod inter eos erat, renuntiato, inimicanti sibi etiam ipse infedabiles inimicitias parat. Sed quia inter se, & Ricardum Principem Auesanae inimicitiae efferbuerant, veritus ne ab ipso Gisulfo aduersum se succurreretur, pacem cum ipso fecit: quo in sui adiutorium, quibusdam pactionibus conducto, Salernum multis copijs obsessum vadit.

**MALFETANI** vero Gisulfum exosum habentes, timebant quippe ab ipso puniri, eo quod interfectores patris ipsius, dum eos ad subiugandum sibi impugnaret, exstiterant, a Duce inuitati, vt sibi ad obsidendum urbem nauigio seruitum veniant, potentiores Duci locutum, ex consensu aliquorum accelerant. Dux itaque callidis pactionibus si assentiant, si autem dissentiant minis terrendo attentans, tandem ad confoederationem compulsi: vt si contra Gisulfum tuerentur, tota Malfa illi subiugata hereditaliter foederaretur. Duce vero omnia vt expetebant promittente, parte exercitus ad obsidendum urbem relicta, reliquam secum ducens, cum ipsis, qui inde venerant, apud Malfam vadit. Urbem sibi a ciuibus deliberatam suscipit. Quattuor castella in ea fecit. Militibus suis munxit. Inde cum multis Malfatanorum copijs Salernum redit. Sic deterrebat Malfatanos, si manus Guiscardi quoquo modo euaderet timor Gisulfi.

IV. **D**VX vero naualibus, peditumque copijs, sed & equestri exercitu Salernum vallans, frequenti incurfione congregiens vndique deterrabat: in tantumque attriuit, vt nullo aditu ad victum introducendum, se, suisque negantibus, patente, tantam famem inesse coegerit, vt etiã vel mures, sicut relatione eorum, qui præsentes adfuerunt, didicimus, a quibusdam introrsum reclusis comeis sint. Abegelardus vero filius Hunifredi Comitis, nepos videlicet Ducis, qui Salernum, propter inimicitias, quas cum Duce habebat, propter hereditatem, quã ab ipso detinebatur sibi, in adiutorium Gifulfi introierat, ingruente fame, Salerno clam de nocte digressus apud S. Seuerinam Calabriae urbem Duci infestus fieri fecerit. Dux autem in Siciliam ad fratrem mittens, vt Abegelardum nepotẽ apud S. Seuerinam obsessum vadat, non in cassum mandauit. Ipse vero urbis Salernitanæ infestationi in diuulse persistens, tandem ad deditionem coegit: Gifulfo vero, quia frater erat suæ collateralis, liberorum fratrum auunculo, quocumque vellet abeundi libertatem dedit: urbem autem suam in virtute retinens, castellis, & munitionibus pro libitu suo aptauit.

V. **I**NDE quietis impatiens, nulloque labore, vbi aliqua spes cuiusque lucri designabatur, deficiens, apud S. Seuerinam, vbi fratrem præuenire inuitauerat, nepotem Abegelardum obsessum vadit: fratremque, quem ad hoc inuitauerat, ab vno latere urbem obsedis inueniens, ab altero latere ipse confedit. Abegelardus autem diatim vrbe digrediens, nostros ad certamen prouocando, dum alternatim fortiter, sæpeque congregitur, multa militiæ congruentia perpetrata sunt. Porro Dux videns se minus in urbem proficere, consilio cum suis habito, tria castella firmavit. Vnum Hugoni Faloch, alterum Rainaldo de Simula ad urbem infestandam delegauit: Tertium autem Herberto fratri Hugonis, & Custinobarbo fratri Rainaldi. Sicque expeditione soluta in Apuliam secessit: vbi non multo post apud Cauam, in quodam congressu Heremannum Comitem, fratrem Abegelardi capiens, Rogerio fratri in turri Melitenfi retrudendum mittit: qui dum in vinculis obscuro carcere cruciaretur, Abegelardus fraterna compassione tactus, pactionem cum Duce, vt urbem sibi reddens fratrem recipiat, facit. Duce itaque, hac calliditate illum deludendo, fidem dante, vt cum apud Gargantum venirent, sic enim castrum quoddam dicebatur, fratrem sibi captione liberum redderet, ille incautus verba argumentosa minime aduertens, vrbe digrediens Duci eam reddidit: sicque cum ipso aliquantisper commoratus fratris redditionem frustra suspicabatur. At cum Russanum ventum est, asperius cum Duce, quod nimium protraheretur, sermonem habuit: versus Gargantum iter acceleret hortatur: tum vero Dux dolum aperit: infra septem futuros annos, se illuc, quo dixerat, non iturum asseruit. Ille sic calliditate verbi se circumuentum animaduertens: plurimum cum Duce altercatus, irato animo discedens in Apuliam Castro S. Agadij seditiosus sese cum suis recepit.

VI. **D**VX itaque sciens illum ad hoc niti, vt totam Apuliam versus se, pro posse commoueat, exercitu excitato, illum insequens, obsessum vadit: sed castro natura, munitione, defensionibus firmissimo, cum diutius in oppugnando persisteret, ipsis, qui intra erant fortiter agentibus,



tibus, plus damno suorum perturbabatur, quam versus castrum proficeret. Ab agelardi autem de amissione fratris dolor indies excrefcebat: neque vincla, quibus frater artabatur, ipsum haud secus, ac illum ex recordatione angebant: vnde & frequentius casus fratris quibuslibet pactionibus meliore rare attentans, vix tandem obtinuit, vt castro reddito, fratrem recipiens, quo & sibi liberet, abscedere liceret. Sicque fratre recepto pariter discedentes, mari transmeato, ad Imperatorem Constantinopolitanum transeunt: vbi & vltimos dies clausurunt.

**FAMOSISSIMVS** ergo Sicilię Princeps, & debellator Rogērius **VII.** apud Siciliam in omnibus strenue agens morabatur. Neque enim aliqua delectatione se retrahente, hostibus absens fieri patiebatur: quippe quem egestas, labor, minę hostis, imminēs iugis decertatio, vigilię, vel vita asperior ab incepto non deterrebant: sed potius quanto asperitatibus quatiebatur, eo ardentiori constātia, ipsa humano more animo suo innata dominationis cupidine, vincere, quam vinci nitebatur. Et quāuis omnia cupiens esset, impensius tamen zelo potiendi Castrum Iohannis angebatur. Quod si adeptus foret, sciebat se, quasi pro firmo ad totam Siciliam pro libitu suo ventilandam. Tali, tantoque vrgenti desiderio anno incarnati Verbi **M L X X I V** in monte Calataxibet castrum firmavit: quod militibus, & reliquis, quę necessaria erant, muniens, Castrum Iohannis infestissimum redditur.

**AFRICANI** ergo Sarraceni a familia Regis Tunicij ex eius edito, nauibus per mare piratarum more vela ventis committentes, IIX. maritima litora versus Siciliam, & Calabriam insidiatum vadunt. Sicque Iunio mēse in vigilia Beati Petri apud Nicotrum de nocte appulsi ciues incautos, & prę gaudio instantis sollempnitatis, vino ex more, somnoque grauatos opprimunt: semisomnes alios perimunt, alios capiunt: ipsos etiam pueros cum mulieribus omnique suppellectili vehibili prędam nauibus inducunt: castrumque totum incendio concremant, remige accelerato in altum recedunt. In crastinum ripę propius accedentes pueros, & imbecillio rem familiam amicis redimere volentibus, pretio accepto nauibus eicientes partim exonerantur: reliquos, qui alicuius vtilitatis videbantur, adducunt: sicque vela ventis committentes patrios agros, vnde venerant, lati reuisum tendunt.

**ANNO** vero incarnationis Domini **M L X X V** quia in præcedenti anno IX. pro libitu sibi fauente apud Nicotrum prospere accurrerat, plus necessario cupidine auaritię insolētes, simile sibi euenire frustra rati, nauibus ascensis versus Siciliam fortunam tentatum nauigant: insulamque circumcurrendo tentantes, tandem apud Mazariam appulsi sunt. Nauibus digressi urbem magna vi oppugnantes irrumpunt: castrum autem, quod infra erat, fortiter repugnantibus per octo dies obsident. Comes vero per legatum comperto castrum, suosque hostibus infestari, clam de nocte, armata manu castrum ingressus, summo diluculo per portas prorumpens, cum hoste in platea vrbis ante castellum congregitur: fortiterque ex more agendo victor efficitur: pluribusque peremptis, reliquos fugien-

res extremos quosque in mare profequitur. Mazara ducis strenuitate ab hoste eripitur. Gemebundus rumor a paucis, qui euaserunt, Africæ nuntiat: sicque rotabilis fortuna homines primo prosperis successibus alludendo, illectos spe priorum euentuum deceptos risit.

- X. **C**OMES vero quibusdam necessitatibus se auocantibus a Sicilia versus Calabriam digrediens, Hugonem de Girca, cui propter strenuitatem, quam habebat, nam & præclari generis a Cenomanensi prouincia erat, totam seruandam Siciliam delegauit: interdicens, ne si Bernaruet, quia vicinus sibi Syracusi morabatur, aliquem incursum versus se faceret, callidas eius versutias cauens, nusquam vrbe digrediens, hostem persequeretur. Sed iuuenilis animus militia feruens, & laudis audius, quod sibi interdictum erat minus seruans, ad hoc niti cœpit, vt ante reditum Comitis aliquod nobile facinus, vnde militarem laudem mereretur, perpetraret. Vnde & Trainam vsque progrediens, Iordanum Comitis filium cum familiari militia Comitis secum Catanam adduxit. Porro Bernaruet magno electorum militum exercitu congregato de nocte accedens, haud procul a Catanam in abditis locis insidijs occultatur: triginta militibus Catanam vsque præmissis, qui eos ad certamen excitatos longius ab vrbe protraherent. Hugo vero, & Iordanus militia feruentes, suos ad certamen cohortando, vrbe cum magno impetu digrediuntur: trigintaque electos milites insidias speculatum mittentes, ipsi incautius insequi accelerant. Porro speculatum præcedentibus locum insidiarum transgressis, dum a subsequens vsque peruentum est, illi ab insidijs prorumpentes, hostibus horribili turbine insurgunt. Itaque qui præcellerant, insidias a tergo videntes, nec ad suos, hostibus interpositis regredi posse, Paternionem fugientes euadunt. Nostri vero dum fortiter congregi nituntur, Hugo Comitis gener cum pluribus occiditur: Iordanus autem hostes ferre nõ valens, cum paucis Catanam elabitur. Bernaruet lætus cum spolijs Syracusiam regreditur. Comes itaque rumorem huiuscemodi per legatum cognoscens reditum accelerat: exercituque aduersus Bernaruet commoto, castrum, quod Zotica dicebatur, oppugnans, funditus diruit: viros perimit: feminas cum pueris in Calabriam venditum mittit: anno incarnati Verbi **M L X X V I**. Sed quia animus Principis, dolore generi interfecti, ad mentis debilitationem pæne infectus nisi maiori vindicta sanari minime poterat, amplio rem vindictam expetens, vsque ad prouinciam Notensem profectus, ita omnia exterminauit, vt etiam ipsas messes, tempus enim tritura instabat, quia asportari non poterant, penitus igne combuserit: quod etiam passim per diuersa loca Siciliae facere addens maximam egestatem ipso anno eidem insulae incussit.
- Nascitur ergo fames quia sustulit vltio panes.

- XI. **A**NNO Verbi incarnati transacto millesimo:  
 A die octo que super mille septies vndecimo:  
 Expeditionem mouet Comes mense Madio.  
 Naues vela dant per equor suffragante Zephyro.  
 Aera sonant: buccinando pontus plaudit iubilo.  
 Classis magni Alexandri non hac pulchrior.

Aura ridet cum fortuna: pubes gaudet bellica.  
 Citharizant: ad hoc docti resonant tympana.  
 Trablas ergo oppugnatū nil tumescunt equora.  
 Sed transcendit equitaru Comes fronte bellica,  
 Montium scopulorum ima, siue ardua,  
 Bellicosa iuuentutis multa fultus copia.  
 Clypeos auro fulgentes, & splendentes galeas  
 Solcum tangit, intuentum aciem reuerberat.  
 Montes omnes resplandescunt super clara sidera.  
 Equi fremunt, dant hinnitus, æque montes resonant.  
 Mille flante aura leui vexilla subuutilant.  
 Horrido aspectu satis versus Trablas properant.  
 Hostes vident: exhorrescunt hanc armorum nebulam.  
 Terra, ponto sonant cubæ, vt metum incutiant.  
 Clamor vsque cælum pulsât: hostes infra trepidant:  
 Urbem vallant circumquaque equore, vel arida.  
 Nautæ velis obumbrantur: terræ figunt anchoras.  
 Equitum pars frondes cædit, pars figunt tentoria.  
 Crebro curunt ad certamen: fortiter congregitur.  
 Hostis nisus repugnare, plurimum concluditur.  
 Castro luctus post certamen, nostris lyra additur.  
 Hostes viribus diffusi tandem pacem expetunt.  
 Cedit Comes: castrum reddunt: ditionem subeunt.  
 Fœderantur more suo: sed dolentes faciunt.

**A** B H A C eadem vrbe strictior sinus terræ ab vtroque latere mari  
 arguente, longius in mare porrigitur: pascuis vberimis abundans.  
 Ibi armenta, & cetera vrbis animalia hostili tempore pasci con-  
 sueuerant: quo cum ex more, propter instantes hostes diatim exirent,  
 nostri breui sinu interposito conspicientes, coeperunt, vt in tali gente  
 allolet, auiditate, si aliquo astu queant, adipiscendi agitari. Iordanus fi-  
 lius Comitis, ad id negotij peragendi intentionem certius apponens, vt  
 hanc sibi famam militariter præ ceteris acquireret, agebat. Tandem ita-  
 que, vt erat vir præsumptuosissimus, & laudis auidus, cum sibi familiari-  
 bus consilio habito, quodam vespere centum sibi milites eligens, patre  
 inconsulto naues ascendit: de nocte insulam peruadit: applicans nauibus  
 digreditur: in concauitate quadam eius insulæ, antequam illucescat,  
 occultatur insidijs. At vbi nocte recedente sol irradians terris illuxit, to-  
 taciuitas prædicta ex more, vrbe digrediens, pascendi gratia ipsam insu-  
 lam sparsim præoccupat. Porro Iordanus vbi in insidijs occultabatur,  
 prædam longius ab vrbe progressam conspiciens, impetu leonino a loco  
 prorupit: vsque in portam vrbis prædam colligens profilit: nauibus intro-  
 ducendam illorsum minare accelerat. Ciues itaque insulam suam in sperato  
 hostibus peruasam videntes in arma ruunt. Maximo impetu vsq; ad decem  
 millia ab vrbe prorupunt: hostes, vt prædam excutiant, inconsulte prose-  
 quuntur. Nam vbi Iordanus longius ab vrbe eos progressos videt, spre-  
 ta præda, hostibus leonina ferocitate occurrit: congressuque facto, acerrime  
 vtrimque pugnatur. Sed Iordanus, vt erat in congressibus fecundissi-

mus, suos verbis exhortatorijs promptiores reddens, fortiter agendo plures sternit: reliquos fugat: victor efficitur: quosque cædendo vsque in portam vrbs prosequitur: sicque ad naues regrediens maxima præda lætanter introducta, ad patrem impune cum triumphali laude redit. Hac re vrbs quasi maxime territa ad deditiõem, vt diximus, cõpulsã est. ¶ Comes itaque vrbem nactus pro libitu suo castrum, & ceteris munitionibus ordinat: militibus, & quæ ipsi necessaria erant, munit: turribus, & propugnaculis vndique vallans. Sed vndique adiacens prouincia firmissime circumseptã, munitissima erat: & ideo adhuc recalcitrans rebellat. Comes laboris indeficiens crebris incursionibus, vt sibi omnia subternat, infestare aggreditur: breuique termino vsque ad duodecim famosissima castra suo dominio obediendo subire coegit: quæ militibus suis distribuens, cum omnibus appendicijs suis de se habenda delegauit. Sic exercitum, omnibus pro exhibito sibi seruitio gratias agendo, soluens, ipse Bricam a labore pausat: secessit.

XII. **E**A quidem tempestate quidam Sarracenus Bechus nomine Castrum Nouum possidens, illic morabatur. Erat autem idem vir magnæ superfluitatis, & arrogans: vnde & ipsos suos fideles leuitate sua interdum diuersis contumelijs afficiens, sibi infideliores reddebat. Hic quadam die cum molendinario suo iratus, ante se inuitans verberibus deturpauit. Porro ille se adeo graue ferre dissimulans, in vindictam tantæ dehonestationis animum intēdens, secum tacitus agebat: quibus artibus vel damno rerum suarum, aut certe læsione corporis vicissitudinem recompensaret. Vnde accidit, vt quodam vespere, de subiacentibus complices sibi alligans, petram quandam, quæ omni castrum supereminēbat, & dominabatur, irrumpeus peruadere, legatumque apud Bricam Comiti mittens, in sua fidelitate se ita egisse, & vt sibi succurrere acceleret, mandat. Hoc nuntio Comes accepto, plurimum exhilaratus, cum quantis habere poterat, citissimus illorsum intendit. Porro Bechus molendinarium blanditijs, & promissionibus, vt ab incepto resipiscat, sibi reconciliare dum minus præualet, frustra oppugnare nitēbatur. Comes vero aduentans propius accedit: molendinarium amplissimis promissionibus in sui fidelitate arrigit. Ille cum nulla ex parte aditus ad se accedendi nostris pateret, fune oblato demisso, quosdam nostrorum ad se pertrahit. Bechus itaque videns nostros a Molendinario infra petram susceptos, spe retinendi castrum amissa territus, castrum spreto, omnia quæ poterat, asportans aufugit: ciues cum Comite pacem facientes infra castrum recipiunt. Comes vero sic castrum potitus pro velle suo muniens ordinat: molendinarium, vt ceteris, ad similes actus exequendos exemplum tribuat, pluribus benefactis, libertate etiam concessa remunerat.

XIII. **E**ODEM anno Græcus quidam sub nomine Michaëlis Imperatoris Constantinopolitani ad Ducem in Apuliam venit: auxilium expetens ad palatium, a quo, vt dicebat, fraude suorum, in die sancto Parasceue deiectus fuerat: monachusque violenter fieri cõpulsus hoc solo crimine obiecto, quod filiam Ducis filio suo nuptui acceperat. Ipse quoque filius, ne spe aliqua recuperandi palatij, vel deductæ vxoris procurandæ propaginis

propaginis referuaretur, turpiter eunuchizatus, vsque ad exitum vitæ exilio relegatus est: alio in locum expulsi in palatio subrogato: quem nec aliqua, vel extrema antiquorum Imperatorum linea ad id hereditatis iure gentium inuitauerat. Timebant denique Græci, ne si ex nostræ gentis vxore heredes procreati in palatio successerant, occasio liberius illuc accedendi nostræ genti daretur: & gens delicijs, & voluptatibus, potiusquam belli studijs ex more dedita, nostrorum strenuitate subiugata conculcatur. Ipsam Ducis filiam reclusam diligenti custodia obseruabant: ne forte si alicui potenti nuberet, quia hereditarij Imperatori semel in palatio coronata fuerat, ab ipso cui nuberet, aliqua hereditas per ipsam in palatio proclamaretur. Michaël itaque a monasterio, in quo monachus coactus erat, habitu eiecto, vt dicebat, profugus, in Apuliam veniens a Duce Imperiali honore susceptus, per omnes ciuitates Apuliæ, siue Calabriæ processioibus, & Imperialibus pompis ex edicto eiusdem Ducis accuratissime obsecundatur. Et hoc quidem totum ex industria Dux faciebat: quandoquidem animum eum in palatio restituendi haberet. Audierat nempe generum suum eunuchizatum: vnde spe suscipiendæ de filia prolis, cui palatium iure hereditarij competeret, amissa, ad hoc inter se nitens tutius agebat, vt sub nomine Michaëlis, quibusdam sibi fauentibus, Græcis facilius debellatis, cum ad palatium vsque peruentum foret, vi coronam cum sceptro, & Imperialibus ornamentis peruadens, ipse Imperator fieret. Promittēs tantum se sibi auxilium laturum, per duos ferme, & amplius annos honore, quo cœperat, eum secum detinuit: donec ea, quæ tanto inceptui necessaria forent, apparabantur. Erant autem tunc etiam quidam cum Duce, qui in palatio tempore Michaëlis Imperatoris seruites faciem eius se nouisse, & hunc similem minime vel in modico assimilari dicerent: sed fraudulentè hunc spe alicuius a Duce accipiendi muneris aduenisse. Porro Dux vterne, an pro certo esset æquipendens, cum multis futurus inter suos super tali negotio fieret, ab incepto minime deterebatur: sed potius quod cœperat exequēs, cum ipse non esse hunc dubitaret, nil de hac re dubitare asserbat: & hoc ex industria quidem laudans suos faciebat: ne ab ipsis ab incepto dehortaretur.

**T**ALIA disponens, tacitâ sed mente reponens:  
Sumptibus infudat: quo Byzantium sibi ludat.

XIV.

Vndique terrarum quærit spem materiarum.

Nulla remittuntur: nec rustica despiciuntur.

Sed prodesse queunt, quæ iam despecta fuerunt.

Ligni cæsores mandantur in arte priores.

Vndique terrarum conducitur ars tabularum.

Robora cæsa cadunt, refecantur, sectaque radunt

Artifices ligni. Ferrum faber applicat igni.

Anchora conflat: clauorum forma paratur.

Compago nauis textitur superaddita clauis.

Obducunt imas alij lanugine rimas.

Atque picem liquidam properant superaddere quidam.

Vela suunt isti: studium dant funibus isti.

Classis adaptatur: non nauis sola paratur.

Crescat

Crescat vt in numeros studiosus imminet heros  
 Omnibus aptatis, & nauibus arte paratis.  
 Per liquidum pontum classis conflatur Hydruntum.

XV. **I**NTERIM dum ista aguntur anno instante MLXXIIX Comes  
 Tauromenium obsidens viginti duobus castellis vallauit: ita ab vno in  
 alterum sepibus, & stropibus claudens, sed & naualibus copijs a procin-  
 ctu maris cingens, vt nullo latere pateret aditus ad castrum volentibus ho-  
 stibus aliquid introducendi: vel educendi. At dum quadam die de castro  
 in castrum per præcipitia scopulosi montis Comes visum transiret cum  
 paucis, pars quædam Sclauorum inter myrtetica virgulta latitans in quo-  
 dam artioris transitus loco prorumpens irruit. Et nisi Euisandus qui-  
 dam natione Brito, audito strepitu armorum se se Comiti, & hostibus in-  
 terposuisset, de ipso Comite, vt aiunt, hostibus triumphus cecisset. Sed  
 cordium solus inspector Deus bonam intentionem Principis in præce-  
 dentia, siue subsequencia per eum futura bene prænotans aliter, quam illi  
 moliebantur, rem transtulit. Scriptum quippe est: Non est sapientia, non  
 est prudentia, non est consiliu[m] contra Dominum.

XVI. **E**VISANDO itaq; in domini fidelitate taliter interfecto, dum no-  
 stri in arma ruunt, hostes per præcipitia scopulosi mōtis elapsi sunt.  
 Sic mors Euisandi vice Comitis sub Dei præsidio fuit. Comes autem  
 fidelitatem eius honeste remunerans, corpore humato decenter, multa be-  
 neficia egenis, & sacris locis pro redemptione animæ eius, nec immerito  
 contulit. Montium autem cacumina cum ipsis vallibus perlustrans, pe-  
 ditum copijs iter faciens, a monte, qui ab incolis Gibel appellatur, quem  
 nos Etnam dicimus, vsque Trainam neminem eiusdem superstitionis im-  
 punitum dimisit.  
 Militibus multus planctus fuit, iste sepultus.  
 Nam suo merito carus fuit vndique Brito.  
 Pro merito fidei sortem capiat requiei.  
 Cui cum sit ita mors, est Comiti data vita.  
 A Iuda discat, quem tanta fides sibi dicat.  
 Ille Deum vendens, laqueo se postea pendens  
 Mortem mercatur, cum traditione notatur:  
 Hostili cultro spes huius se dedit vltro:  
 Vt dominum seruet: meritumq; sibi coaceruet.  
 Non virtute pari debent ij subtitulari.  
 Traditor alter erat: vt saluet & alter anhelat.  
 Angelicam pennam capiet hic: ille gehennam.

XVII. **Q**VATTVORDECIM ergo naues, quas Golafros appellant  
 ab Africa regis Tunicij piratarū more per mare palātes sub Tauro  
 menio appulsæ, quodā diluculo a nostris in mari haud longe an-  
 choris fixis cōspiciuntur. Nostræ autē naues armatis expositis, minus erāt  
 ad exequendū paratæ. Comes autē latronē, qui nā fuit, quæue de causa, vel  
 vnde, hostes ne, an pacem portantes aduenerint, sciscitatū mittit. Inter-  
 mando subiunxit: si in tanto sui iuris vel modicū quid iniurię vel fecissent,  
 vel facere,

vel facere attentare præsumerent, nusquam impunitos a se euadere posse. Ac dum nil mali aduersus ea, quæ eius iuris erant, sub excusatione, & obestatione legis suæ machinari renuntiantur, sed potius ex edicto Regis Tunnicij, vt infestos piratas a mari, si inuenirentur, propellerent, missos, eius famulatu, si necesse foret, in seruire paratos: primi cuiusque nauis ad amicum colloquium inuitantur: vt si vel victu, vel alijs quibuslibet rebus minus sufficientes essent, eius munificentia supplerentur: qui dum inuitationi assentientes fœdere suscepto aduenire appararent, aura contraria insurgente, naues cum ipsis per equora pulsæ ab intuitu nostrorum protinus sunt auulsæ.

Sic quos inuitat, boreas accedere vitat.

Et quod promisit dare, ne daret aura recisit.

**A**T Comes intentus fuerat quibus ante retentus:

Obsidet, & pugnat: castrum pro posse repugnat.

Certamen datur, Comes huc perstare conatur.

Quamuis cura ligat, tamen huc res nulla fatigat.

Instat, & hortatur, hostes virtute minatur.

Dat: dare promittit: nil, non tentando remittit.

Ad quod adhortatur socios, prior esse probatur.

Cum sit certamen: & fratribus esse leuamen,

Ante suos fertur: cum posteriore refertur.

Primus ad excubias Othonus, alter Elias:

Tertius Arisgotus: Iordanus abinde remotus

Esse recusauit: socios hæc ars animauit.

Exijt edictum, liceat ne quærere victum.

Sicque deuincuntur: nostri statione fruuntur.

A montis magno prohibentur abundiq; stagno.

A nullo subduntur: post addita deminuuntur.

Vnde fames creuit, congressus ab hoste quieuit.

Decrescit virtus, hebet hostis iam prope victus.

Solo securus, quod cingit abundique murus.

Vt det congressum, cauet extra figere gressum.

Deficit vt panis, populus superatur inanis.

Sic Comes accitur: castro pro velle potitur.

Arbore sub lauri curuantur mœnia Tauri.

Fœdere confecto, dolet hostis in hoste recepto.

Sed quamuis doleat, non dissimulando reuelat.

Cur doleat hostis: quia lætus erat suus hostis.

Si sic fortuna diuersa fit, est tamen vna.

Illis fit tristis: gaudens cognoscitur istis.

Sextus erat mensis quo feruidus eminet ensis.

Piscibus obsedit: feruente Leone recedit.

**T**ANTO sibi adiumento, collato diuinitus,

Ne appareat ingratus vilipendens Rogerius,

Secum cœpit deputare quid litaret potius.

XIIX.

XIX.

Cæmen.

Cæmentarios conducens vndecumq; aggregat.  
 Templi iacit fundamenta in vrbe Trainica.  
 Ad quod perstans æuo breui superat.  
 Laquearia tectorum ligantur Ecclesiæ.  
 Parietes depinguntur diuerso bitumine.  
 Consecratur in honore Virginis Puerperæ.  
 Multa dote augmentatur, terris, siue decimis.  
 Ornamentis palliatur: & diuersis copijs.  
 Cathedra Pontificatus sublimatur in fulis.  
 Sacerdotes augmentat, prout sumptus suppetit.  
 Altaris vasa, vel vestis plusquam clero sufficit:  
 Candelabra, cruces, textus, ac cera fumbuli.  
 Ex metallo signa fiunt plebem inuitantia.  
 Melodiam dulcem reddunt: pulchre cõsonantia.  
 Melodizat sacer clerus hymnos sacris laudibus.  
 Præful verba sacræ legis seminat in gentibus.  
 Diuinus cultus arcesitur pluribus credentibus.  
 Cui debent hæc ascribi nisi tanto Principi?  
 Qui reduxit sacram legem, vnde prius corruit.  
 Cuius ope fit hoc totum: & hanc legem edidit.  
 Textum libri persequamur: nam ista sufficiunt.  
 Sermo nimis inculcatus interdum fit tædium.  
 Subsequens stylus narrabit, si quid est residuum.  
 Vrbs Trainica felix gaude: da dignas laudes titulo.  
 In te primo reparatur diuina legio.  
 Messana confociata pari seruit clypeo.

XX. **I**NCARNATI Verbi anno Millesimo septuagesimo nono Iacenses  
 natura montis in quo habitabant, numerosa multitudine suorum fisci,  
 erant enim vsque ad tredecim millia familiarum, iugum nostræ gentis  
 abhorrentes statutum seruitium, & censum persolvere renuntiant. Co-  
 mes vero per legatos eos conueniens, nunc blandimentis eos mulcendo,  
 nunc minis attentando, ne contra se insurgerent, neue per vitium incurre-  
 rent, neue eum irritando contra se excitarent, ab incepto detrahere nitaba-  
 tur. At vbi minus proficit exercitu admoto, quos blanditijs, vel minis ne-  
 quit, virtute attentando flectere aggreditur. Mons autem, quem inhabita-  
 bant, ita ab omni latere, scopuloso præcipitio erat munitus, vt ex nulla  
 parte ascensus pateret: excepto vno solo arto, arteque exciso aditu: quo  
 ciuibus egrediendi, & ingrediendi iter porrigebatur: & hoc in excelliori  
 cacumine eiusdem ascensus porta, murusque ex utroque latere in longum  
 porrectus munibat. At quia mons hic spaciosi ambitus minus claudi obsi-  
 dendo poterat, illis potissimum in locis, vbi infestiorum se hostibus fieri  
 posse existimat, sedes ponit. Porro Iacenses ac si pro vita certare, instare,  
 omnia circumire, nihil remittere: quibus partibus plus timebant loca mu-  
 nire, inde fatigabiles adesse vigilanti cura studebant. Et quia armenta sua,  
 & pecora secum in abditis eiusdem montis, cauernosisque locis a perua-  
 sione hostili tuta aggerebant, & minus ab hostibus ea diripi metuentis,  
 obduratioribus erant. Comes autem quanto eos in sui defensione attentius  
 instare



instare videbat, tanto altiori ira inflammabatur: quo se eos minus lædere posse cognoscebat. Non ab incepto deterrebat: sed eo instantius quo præualeret omnia conando nitebatur. Sicilienses ergo milites suos, quibus iam impertierat possessiones insulæ, quantum subiugauerat, apud Parthenicum, & Cortitum dimittens, lacensibus infestos fieri præcepit: ipse cum Calabrensibus Cini sum, qui similiter contra se recalcitrabat, obsessum vadit. Sicque vno, eodemque tempore vno in confinio duas obsessiones, & a se diuisas ponens, vtrasque fortissime tenuit: atque de vna ad aliam sæpissime migrans hortari, instare, per se ipsum omnia attentare, hostibus infestus adesse: nunc minis, nunc incursionibus terrere: suis blandiri, plurima largiri ampliora largire in sui fidelitatem arrigere, hostibus infestos reddere non desistebat.

**M**ensis erat sextus Sextilem denotat æstus:  
 Hic studet vt lædat, studet alter vt ille recedat.  
 Lædunt, læduntur: sic alternando præmuntur.  
 Sic paribus votis non deficit hostibus hostis.  
 Tempus erat mensis: armis macerat ita fessis.  
 Vruntur menses: turbat res ista lacenses.  
 Quodque iam lædit Cinenfisibus haud bene cedit.  
 Consilium captant: succurrere mensibus aptant.  
 Sed cū vi nequeunt, hoc artibus addere quærunt.  
 Conueniunt Comitæ: tentant sibi reddere mitem  
 Fœdere componunt: fraudis munimenta reponunt.  
 Fruges saluantur: Comitique reconciliantur.

XXI.

**I**GIT V Ranno Dominicæ incarnationis MLXXX. Raimundus fa-  
 mosissimus Comes Prouinciarum famam Rogerij Siculorum Comitis  
 audiens, propter strenuitatem, quæ de ipso referebatur, legatos dignos,  
 qui a tanto ad tantum dirigerentur, mittens Mathildim filiam suam, quæ  
 de prima vxore admodum honeste faciei puellam habebat, sibi in matri-  
 monium copulandam expostulat: quod cum a Comite concessum renun-  
 tiant, qua de re ille non minimū gauisus, erat enim propter formositatem,  
 quam de ipsa audierat, illam ardentissimo amore cupiens, audito termino  
 nuptiarum: per se ipsum in Siciliam accedendo, diem præuenire accele-  
 rat venientem. Comes honore condigno excipit: pactiones renouantur:  
 dos puellæ sub testamento chirographizatur: sponsalia præsentibus vtri-  
 que partibus, precibus ab Episcopis, & sacris ordinibus catholice celebran-  
 tur. Quia iam dudum inter iuuenem, & puellam paulatim adoleuerat, \*  
 prima nocte, vt assolet, immensum excrescit. Celebratis itaque, & non  
 sine magnarum expensarum sumptibus nuptijs, socer generum suum  
 aliquandiu secum retinens, tandem munificentijs beneuolum, vt res  
 ipsa expostulabat, factum, sed & ijs, qui cum ipso aduenerant, singulis  
 singula, prout quemque esse sciebat, largiens, nauibus apparatis placi-  
 do equore a se cum filia dimisit. Illi autem vela ventis accuratissime  
 comittentes zephyro suffragante, breui tempore vnde venerant, cum  
 sponsa reducunt.

XXII.

XXIII. **S**PERNIT nata patrem: puduit nec relinquere matrem.  
 \* Externo Comiti sociatur delectari  
 A quo nutritur caret hic: alteroque potitur.  
 Poena quidem multa cum nutrix: cum sit adulta.  
 Nec quæ nutritur lasciuo fratre potitur.  
 \* Plus externum quam quem sit iure paternum.  
 Nec nimis hoc culpo, quamuis hic talia sculpo.  
 Nec prohibens vito: cum fiat inuita marito  
 Diligat & iuste foedus seruando venuste.  
 Nam quos lex iungit, sententia nulla repungit.  
 \* Ut soboles crescat, ne deficiendo tabescat.  
 Prima virago datur: primaque viro sociatur.  
 Tali fortuna duo sint vt carne sub vna.  
 Lex ita diuina præcepit: non peregrina.  
 Pinxit scriptura quæ sunt facienda futura.  
 Postponat patrem, postponat denique matrem  
 Quisquis & vxori iungatur amore priori:  
 Iure maritali seruetur linea tali.

XXIV. **I**GITVR famosissimus Apulorum, & Calabriae Dux Robertus die-  
 tim instigante se Michaële, qui ad se transfugerat, vt cœperat versus Ro-  
 maniam animum intendens, anno Dominicæ incarnationis **M LXXXI**  
 mense Maio apud Hydruntum venit: apparatusque pro processu sumpti-  
 bus tâto inceptui dignis, quindecim naues trans mare aliquã urbem præ-  
 occupatum mittit: vt cum ipse cum reliquo exercitu subsequeretur imbec-  
 cille vulgus, cuius pars maxima in expeditione erat, quo se ab hostili incur-  
 su, si necesse foret, tueretur haberet. Illi vero vela ventis committentes de  
 nocte apud Coroson applicant. Insulaque de mari eminus inspecta, multi-  
 tudinem hostium, quam inuenerunt abhorrentes, minime a nauibus pro-  
 gredi præsumunt: sed reditum accelerantes, Duci placidum, etiam si ma-  
 ior esset exercitus, renuntiant. Dux itaque plurimum exhilaratus copijs  
 nauibus introductis festinus cum omni classe transfretare accelerat: pluri-  
 bus ex remanentibus amicis, quibus Apuliam, Calabriamque procuratum  
 delegauerat, timore eum, & qui cum ipso abibant, amittendi, vsque ad ipsa  
 lachrymarum indicia, quas affectus pietatis exprimebat, dolentibus: qui-  
 busdam vero ex ijs, qui cum ipso proficiscebantur timore tam horribili,  
 ad quod intendebat inceptus, ac si febrium typo grauarentur, militibus de-  
 misse tremantibus. Nam quantæ audaciæ, cuiusve militaris strenuitatis  
 Dux iste fuerit, cum per multa exercitia satis abûdeq; clareat, etiam si reli-  
 qua omnia fileant, ex hoc potissimum indubitanter annotari potest, quod  
 cum tam populosum imperium, tamque copiosum Imperatorem, totve  
 millia hostium pauca manu spe subiugandi bello laceessere tentatum ire  
 præsumebat, ipse armatæ militiæ non plusquam mille trecentos milites  
 secum habuisse, ab eis qui eidem negotio interfuerunt, attestatur. Porro  
 copias ei, viresq;, quas res ipsa, tempusque quantum ad numerum, oculo-  
 rum intuitu minus sufficienter administrabat, ipsa eius animo innata mi-  
 litaris ferocitas, ac si plus ipsis hostibus necessarijs copijs abundaret, suffi-  
 cienter, supraque eum habere in mente representabat: suorumque animos  
 præ timore

præ timore minus hilares, lætum vultum ostendendo, largis eiusdem regionis possessionum, thesaurorumque, ac si iam debellauisset, promissionibus recreâdo, spe eam in posterum recipiendi, si strenue secum agere volût, ad militaris exercitus pericula tentâda, quæ formidolosa æstimatio dehortabatur, promptiores reddebat. Copijs itaque tanto inceptui dignis pro spe apparatus, dum naues per equora prudente remige reguntur, aura leni prosperante ventosa carbasa, vsque ad portum placidæ applicationis impune recipiuntur: parsque classis applicat in portum, qui Herico dicitur. Post autem vbi fluvius Baiosæ in mare defluit, placido litori transfertur. Dux ergo pro libitu suo placido litore potitus, nauibus digrediens, mox vt terram pedibus attingit, inspecta amœnitate, situque locorum suis dixisse fertur. O fortissimi milites, & honoris prædecessorum non degeneres heredes: hæc est enim hereditas vobis competens: pro hac adipiscenda armis decertandum est. Non vos deterreat ignobilis vulgi, & imbecillis, quamuis numerosæ multitudinis strepitus hostium: sed adhortetur species, & fecunditas hostilis adipiscendi hereditaliter agri: speciesque, & abundantia post certamen, si strenue agitis, vobis debitarum rerum. Hæc dicens castrum, quod Casopolis dicitur in insula Carosi oppugnans capit: & aliud castrum, quod ex nomine insulæ Carosium nomen accepit, cum tota insula suæ mancipat seruituti. Inde progrediens urbem, quæ Auolucia dicitur, iuxta Pemachios campos, quia confinio quo applicuerat, adiacens erat, mox oppugnatum vadit. Porro ciues Ducis aduentu audito, præsentiaque nimium territi, viribus suis ignauiter diffidentes, deditione a se ipsis facta, eius ditioni cum ipsa vrbe subduntur. Castrum etiam quoddam vrbe haud procul situm, quod Canna dicebatur, a præsentia Ducis timore languidum, & eo maxime quod Aualonem, quæ bellicis copijs se abundantior erat, deditionem fecerat, haud secus subditur.

**F**ORTVNAM sibi Dux satis bene cedere

XXV.

Cognoscens, adijcit plurima visere.

Duraci mœnia obsidet, vndique

Armata populi manu.

Sic vrbs contremuit hostibus obsita:

Diffidunt sibi iam fortia mœnia:

Insistunt ciuibus tela minantia:

Alternant sibi funera.

Sed plus atteritur asperitatibus

Græcorum populus territus hostibus:

Nec reddit timidus aspera vulnera:

Vires abstulerat timor.

Constantinopolim Chartula mittitur.

Hostes in prælio adfore dicitur.

Ereptum veniant cum pretio quaritur.

Ne subdantur ab hostibus.

**I**MPERATOR itaque de præsentia hostium sinistro nuntio accepto

XXVI.

chartulis expeditionem submonēs, totum imperium sollicitat: multisq;

millibus, paucis numero hostibus, sed strenuitate abundantioribus oc-

F 2 currere

currere parat. Credensque a multitudine suorum eos facile occupari posse, Venetianis mandat, ut plurima classe apud Duracium sibi occurrant: ut si ibi forte nostri bello ab ipso deuicti, fugientes per mare euadere niterentur, ab ipsis nauali certamine præuerti, facilius intercepti perimerentur. Qui iussa fideliter complentes classem accelerant: tri duoque ante sibi præfixum ab Imperatore terminum, versus Duracium aduētare a nostris eminus in mari conspiciuntur. Ad quorum intuitum nostri in arma ruentes, nauali congressu dimicaturi hostibus promptissime occurrere accelerant. Sicque per totam diem utrimque acerrime congressum est. At cum iam die refrigerante sol ad occasum vergens liquidas undas Oceani quasi subintrare videretur, præualete hostibus strenuitate nostrorum, Venetiani viribus exhausti deditionem pollicentes pacem, induciasque usque in crastinum, quo Duci, pro libitu suo fœderentur exposcunt. Sicque nostris, quod expetebant, inconsulte concedentibus, certamen hac vice scinditur: nostri in portum suum reuertuntur. Nostri itaque deditionis falsa pollicitatione delusi, per totam noctem, quasi iam hostes triumphauissent, gloriantes, dum usque in crastinum securius sustinent, Venetianæ naues suas pluribus comineatibus aggregatas, nocturno silentio exonerando leuigantes, & in summitate mali vniuscuiusque nauis solium duorum, vel trium hominum arte componentes, lapidibusque, & pilis ad iaciendum munientes se se ad defensionem potius, quam ad deditionem aptant. Dux vero doli ignarus, summo diluculo potentiores exercitus sui, qui eos se ipsos sicut promiserant dedentes susciperent, mittens, saluis omnibus, quæ ipsorum erant, usque ad se deducere præcipit. Sed aduenientibus Venetiani arma potius, quam deditionem ostentantes, dum magno impetu versus ipsos grassantur, nostris, quia imparatores processerant, certamen declinantibus, ipsi in portum Duracensem ad ignominiam, damnumque nostrorum impune applicant: sicque facultatem liberam urbem ingrediendi habentes, vicissim nauæ urbicenses, & urbicenses nauis consociantur: inuicemque per totam noctem, & diem consilium captantes plus minus a medietate noctis transacta, sub pallore lunæ armantur: nauibusque litore ocyus amotis, buccinis concrepando nostris certamen offerre progrediuntur: quibus nostri certatim occurrentes acerrime utrimque congregitur. Sed illi artificiose ignem, quem Græcum appellant, qui nec aqua extinguitur, occultis fistularum meatibus sub undas perflantes quandam nauem de nostris, quam Cattum nominant, dolose inter ipsas liquidi equoris undas comburunt. Sed nostri dolo cognito, facto impetu aliam nauem de suis non minoris pretij penitus in mare submergunt: sicque damno contra damnum composito, pari ultione facilius fertur: nostrisque exhorrescentibus dolum ipsorum, ipsis autem strenuitatem nostrorum, certamen utrimque diremptum quieuit. Ipsi in portum urbis vnde exierant, regrediuntur: nostri vero ubi prius applicuerant persistunt.

XXVII. **P**ORRO in crastino summo diluculo illucescente, mense Octobri instante, dum pars exercitus nostri pabulum quæsitum ire apparerent, Imperatorem cum innumerabilibus copijs aduētare per signa in summitatibus hastilium eminus euentilantia deprehendunt. Fit concursus, &

sus, & strepitus in castris: alij terrentur: alij animo promptiores minus fortes exhortantes, recreando robustiores fiunt. Dux vero videns sibi belli certamen imminere, vt suis omnem spem fugæ auferendo, ad defensionem sui ardentius inflammaret, naues suas a mari protectas omnes combussit: ne forte cum acrius prælium nostris immineret, timidi certamen declinando, spe transmeandi illorsum aufugerent. Imperator vero appropinquans haud procul a castris nostrorum, sed quasi stadijs quattuor interpolitis, castra metatur: exercitus abundique ipse facit: nemine ipsorum aduersum nostros, sed neque ex nostris aduersum ipsos ipsa die aliquid præsumente. Sequenti nocte Dux primas noctis facit excubias. Secundas videlicet a media nocte donec diescat, Boamundus filius Ducis. Mane autem facto, Dux ipse lucis crepusculo, omnesque nostri surgentes cum summa deuotione hymnos Dei, cum missarum celebratione audiunt: presbyteris compunctiue confitentes peccata, muniunt sacri viatici ministerijs. Sicque ordinatis aciebus ad certamen gradatim, & coniunctissime progrediuntur. Imperator vero sibi occurrens tanta multitudine vndique conspicitur, vt nullius montis ascensus ad superuidendum extremitatem eius sufficere videretur. Angli vero, quos Vvaringos appellant, ab Imperatore primitias congressus expetentes, certamine inito, caudatis bidentibus, quibus hoc genus hominum potissimum vtitur, infestissime instantes, nostris admodum importuni primo esse cœperunt: cum ecce quædam acies nostra ex aduerso illis sub nudo latere prorumpens, forti congressu fauciatos, & ab incepto deterritos in fugam cogit: qui versus Ecclesiam S. Nicolai, quæ ibi contigua erat, vitæ auxilium expetentes, dum alij quantum capacitas permittebat, subintrabant, alij tanta multitudine tecta supercandunt, vt pondere ipsa tecta dissoluta confubruantur: illos qui subintrauerant, opprimentes, conclusi pariter suffocarentur. Porro Imperator videns Vvaringos, in quibus sibi maxima spes victoriæ fuerat, eneruiter superatos, & nostros insequentes aduersum se aduentare, territus fugam potius, quam certamen eligit: omnisque exercitus Græcorum, tentorijs cum omni suppellectili sua relictis, quisque prior fugæ fieri accelerat. Nostri itaque victoriam adepti, Duce eos reprimente, haud longe fugientes persecuti sunt: sed ad castra eorum regressi, Dux in tentorijs Imperatoris hospitatur: ceteri qui priores accedebant, pretiosa hospitia cum spolijs vsurpant. Dux ergo videns hiemem sibi imminere, mensis enim erat Octobris, inde progressus, super fluuium Demoniorum castrum ad æstiuandum construxit: quod ex suo agnomine vocans, Montem Guiscardi appellauit: a quo etiã diatim vsque Duracium armata manu progrediens, diuersis incurfionibus crebro lacessebat. Castra vero diuersa eiusdem prouinciæ eius infestationem ferre non valentes, fœdere cum ipso composito, deditionem facientes sibi conciliantur.

**E**RAT autem ea tempestate apud Duracium Venetianus quidam nomine Dominicus nobili genere: cuius prouidentia maior turris ad tuendum delegata erat. Huius animum Dux quadã colloquutione habita inter se friuola, quantisper dignoscens, aliquando, sed rarius per se, aliquando per alios, ne forte fraus ab alijs inter ipsos componi deprehenderetur, attentans diuersis in conuentionibus, de traditione vrbs sollicitare cœpit. Animus vero cupidine æger, vt a promittentibus avaritiæ luxuria

admiscetur, facile corruptus, a bono, honestoque proposito procliuus in deterius dilapsus est. Dux denique neptem speciosæ formæ habens, filiam videlicet fratris sui Guilielmi Principatus Comitis, ut eî in matrimoniû cû hereditate puellæ competenti sociandam se dare sponndit, pro libitu suo fauore vsus, sacramentis ab vtrisque partibus datis, illo ut urbem tradat, isto ut neptem conferat iurante nox per traditionem urbem subintrandi terminatur. Dux de nanciscenda vrbe certus, scalas ad transcendendum muros ex ligno componit. Venetianus autem in adiutorium Ducis ex funibus per levas aduenientibus hostibus de muro dependentes porrigit. Et quia sic scriptum est: nullus perniciosior hostis est ad nocendum, quâ familiaris inimicus: ab ipso qui vi tueri debuerat, libera facultate urbem prorûpendi hostibus concessa, sub nomine Guiscardi, sinistro clamore sæpius in geminato, buccinis concrepantibus vrbs tota turbatur. Ciues in arma ruentes ignari, quod hostes iam secum infra muros, & in altiori turri essent, in cassum repugnare nituntur. Triduo tamen pro posse, sed frustra renitentes, tandem vi coacti, fœdere composito, deditioem ipsiis facientibus, ditioni Ducis colla submitunt.

XXIX. **I**GITUR Dux vrbe potitus pro velle suo ordinans Fortino de Rosana procurandam delegauit. Ipse cum exercitu vltra progrediens, totam prouinciam debellando sibi subiugatum vadit. Vnde & apud urbem, quæ Castoria dicitur, veniens, quia ditionem eius subire recusauit, obsidione composita, eam vndique vallauit: minisque terrendo, & interdum blandimentis mulcendo, aliquanto tempore infestus persistens, plurimum lacessiuit. Trecenti enim Vvaringi in eadem vrbe habitabant: custodes ab Imperatore deputati: quorum præsidio, & opere non minimum defensabatur. At cum nostros in oppugnando persistentes vident, machinamenta quibus vrbs facilius debeat debellari & debeat apparere timentes, & capta vrbe peius fœdus inire, sibi in futurû præcauentes, fœdere cõfecto, deditio nē faciunt: sicq; vrbe subiugata, omnes circûquaq; prouinciæ cû finitimis castris eius ditioni subiugantur. Ipse quippe omnes qui ad se cõuertebantur, cum summa honorificentia habebat: muneribus augebat: eorum consilio in ijs, quæ facienda erant plurimum utebatur. Et hoc ex industria: ut alij cum ista audirent, facilius sibi applicarentur, agebat. Timor autē eius totum Imperium, vsque ad ipsam Regiam Urbem tremere faciebat.

XXX. **C**VM ista apud Romaniam a Duce agerentur, Siciliensi Comite Rogerio apud Calabriã, & Apuliã fraternis negotijs vti suis intēto, Bernart apud Siciliã Christiano nomini infestus multa incōmoda in ferebat. Erat callidissimus: & militari exercitio deditus: audax, subdolos: aliud lingua proferens, aliud tacito pectore occultando gerens: Syracusi, & Noti princeps: cuius consilio omnes Sarraceni, qui adhuc in Sicilia rebelles erant, innitebantur. Hic quendam paganum nomine Bencimine, quem Comes apud Catanam maiorem vrbi præfecerat, callidis circumventionibus aggrediens, ad tradendam urbem multis munerum, possessionumve pactionibus sollicitabat. Paganus vero nominis sui competens imitator, avaritia, cæcatus fidei, sacramentorumque, quæ Comiti dederat oblitus, statuto termino, infra urbem illum cum maxima multitudine suorum fraudulenter de nocte accipiens, traditionis nomen sibi perpetualiter vindicauit. Quod factum cum per totam insulam personuisset,

fonuisset, Christiani quidem eo quod tam nefanda fraus inter ipsos reper-  
ta sit, plurimum erubescabant: Sarraceni autem passim de tanta Christi-  
ani nominis ignominia subsannando exhilarabantur. Porro Iordanus fi-  
lius Comitis, & Robertus de Surda valle, & Elias Cartomensis, qui ex Sar-  
racenis ad fidem Christi conuersus, postea apud castrum Iohannis a sua  
gente hostiliter interceptus, quia negando apostata fieri noluit, martyrio  
vitam laudabiliter finiuit: exercitu admoto versus Catanam iter inten-  
dunt. Benaruet vero eos aduenire, per speculatores suos, quos vndique  
omnia visum præmittebat, audiens, extra urbem copiam suorum ad præ-  
liandum ordinans dimicaturus occurrit. Pedites quidem vsque ad viginti  
millia, dextro latere suo in occursum hostium paulisper anteponebat, ipse  
cum equestri legione in sinistro cornu fixus manens: hostes præstolatur.  
Nostri autem cum centum sexaginta tantummodo milites essent, nil re-  
morati certamen, Deum sibi propitium inuocantes ineunt. Tertioque  
super pedites impetu facto, cum immobiliter persistentes flectere ne-  
queunt, declinantes eos, super equites irruunt: fortiterque congregientes  
multa strage facta, in fugam vertunt: quos insequentes, & extremos quos-  
que cadentes, vsque in portam ciuitatis impellunt. Benaruet vero sic per  
fugam vix elapso, de pedibus permaxima strage facta est. Nostri vero  
ante urbem tentoria figentes obsessionem prægrauabant. Sed Benaruet  
clam de nocte vrbe digrediens cum pagano traditore fugiens Syracusi se  
recepit. Sicque vrbs a nostris recuperatur. Paganus traditor a Benaruet,  
ne Syracusam, sicut Catanam fecerat, tradat, dum præmia pollicita re-  
quirat, truncatur.

**G**REGARIUS autem miles quidam nomine Angelmarus Comi XXXI.  
ti diu seruiert: cui ipse Comes, quamuis infimioris generis esset,  
propter militarem tamen strenuitatem, quam in eo videbat, volens  
seruitium suum honeste, vt sibi semper mos fuit, remunerare, vxorem ne-  
potis sui Serlonis, videlicet apud Siciliam a Sarracenis interemptus fue-  
rat, cum omni sibi competenti, ipsa multum renitente, in matrimonium  
sibi concessit: vt præclari generis muliere, erat enim filia Radulfi Baianen-  
sis Comitis, militis generositas inter sodales clarior fieret. Ille vero apud  
Geracium, cuius quadrans ex dote mulieris sibi competeat, nuptijs sol-  
lemniter celebratis, non iam humilitatis honorem seruans, ad sui generis  
debilitatem mentem reducebat, sed vxoris generositatem in animo sibi  
vindicans, æqualem se & genere, & dignitate illi, cuius antea vxor fue-  
rat, iactans proterue appetebat. Hic apud Geracium, vbi Comes tur-  
rim firmauerat, demum defensabilem incipiens, paulatim prouehen-  
do, & interdum dissimulando fortissimam turrim effecit: Geracen-  
ses omnes suis adulationibus, & fauoribus sibi attrahens: & sacramen-  
tis datis, & acceptis in amicitia confœderans. Quod cum Comiti re-  
nuntiatum fuisset, insolentiam eius animaduertens, & in futurum ti-  
mens, ne forte fiducia turris, in aliquod deterius consilium reuertere-  
tur, turrim in modum domus habitabilis deponere humiliter iubet: incre-  
pans eum, quod se inconulto tale quid præsumpisset. Ille vero cum Ge-  
racensibus consilium habens prauè definito ipsis se sibi laturos promitten-  
tibus, beneficij sibi collati, vt assolet inter degeneres, oblitus, contra Comi-  
tem recalcitrare, potiusquã obedire, indecenter elegit. Quod cū Comiti  
F 4 comper-

compertum fuisset, Geracensibus, vt turrim destruant, & Angelmarum captioni suæ mandent, imperat: quibus non tam fidelitate Angelmari, sed quia omne genus nostræ gentis illis inuisum erat, & magis discordias inter nostros, quam pacem fieri exoptabant, ad id recusantibus, Comes legalitatem suam seruans, hæcenus homini suo diffidentiam in posterum mandat: sicque admoto exercitu, versus Geracium obsessum pergit. Angelmarus vero astu Geracensium animos demulcens, aliquanto tempore suæ ineptiæ complices detinuit. At dum vident se a Comite exterius, interiufque prægrauari, cœperunt & ipsi a stulto proposito deficere: & fatigari. Quod Angelmarus aduertens, territus ne ab ipsis Comiti traderetur, & ipsi reconciliarentur, profugus euagans discessit. Vxor autem eius ad misericordiam Comitis veniens, pia recordatione nepotis, cuius vxor fuerat, saluis omnibus, quæ habebat, ad maritum conductum meruit: Comes vero reconciliantibus Græcis Geracium recepit.

XXXII. **E**ODEM anno idem Comes sumptibus pluribus apparatus, vnde cūque terrarum artificiosis cæmentarijs conductis, fundamenta, castella, turresque apud Messanam urbem iaciens, ædificare cœpit: cui operi studiosos magistratus, qui operarijs non deessent, deputans, interdum ipse visum veniens, ipsos per semetipsum cohortando, festinantiores reddens, breui tempore turribus, & propugnaculis immensæ altitudinis mirifico opere consummavit: & quia hanc, quasi clauē Siciliæ æstimabat præ ceteris vrbibus, quas habebat, fidelibus tutoribus deputatis artiori custodia obseruabat. Ecclesiam etiam in honore S. Nicolai in eadem vrbe cum summa honorificentia construens, & diuersis possessionibus augendo dotans, clericis ad seruiendū deputatis, Pontificali sede aptauit: sed eam cum Trainensi cathedra vniuit.

XXXIII. **I**GIT V Rfamofissimus Dux Calabriæ, Apulorumque Princeps Robertus Guiscardus apud Bulgaros fortiter, omnia sibi subiugando, agens, anno incarnati Verbi MLXXXII a Romanæ sedis Apostolico viro Gregorio litteris continentibus angustiam suam acceptis, vt in adiutorium S. Romanæ Ecclesiæ reditum acceleret, multis precibus cohortatur. Imperator namque Alamanorum Henricus, quibusdam controuersijs inter se ortis, Romam cum exercitu veniens, obsessa diutius vrbe, eandem fortuna suffragante irruperat: Romanisq; potentioribus sibi iniungendo confœderatis, ipsum Apostolicum virum in turri quadam, quæ Crescentij dicitur, reclusum obsederat: aliumque in loco eius, Archiepiscopum videlicet Rauennatem Umbertum nomine, re indiscussa, contra sanctos Canones quod nefas est dicere, Cathedræ Beati Petri subrogauerat. Ipse vero tanta obsidione prægrauabatur, vt neque sibi, vsquam progrediendi liber transitus pateret. Dux vero quamuis ad id quod cœperat, intendere omnibus vtilitatibus in animo præfert, tamen calamitatem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ audiens, & dominum suum, sub quo omnia, quæ habebat, possidere se cognoscebat, in tantum angustari, fidem datam, & legalitatem suam seruans maluit sua, quamuis cara, ad tempus ponere, & Sanctæ Dei Ecclesiæ, vel domini sui necessitatibus inferuire. Sicque filio suo Boamundo strenuissimo militi, quæ cœperat exequenda committens, copijs omnibus sibi delegatis, ipse cum paucis placido remige versus Apuliam, versus Hydruntum applicat.

EA TEM-



**F**A TEMPESTATE plures apud Apuliam propter absentiam **XXXIV.**  
 Ducis insolentes, aduersus eum conspirauerant: volentes ea, quæ eius  
 iuris erant, vsurpare: putantes eum altioribus negotijs intentum vltè  
 rursus regrediendi illuc nõ curare. Vnde & Gaufridus de Conuersana apud  
 urbem, quæ Oria dicitur, haud longe a prouincia Tarentina obsidionem  
 ponens, plurimum laceffendo infelissimus erat. Dux vero apud Hydrun-  
 tum applicas, audito vrbi obsidionem imminere, illorum cum paucis ap-  
 propriate accelerat. Porro illi qui obsidionis primarij erant, per legatum  
 Ducem aduentantem cognoscetes, præsentiam eius exhorrescentes abin-  
 cepto deterriti, cum plures essent, obsidione soluta quisque fugam accele-  
 rans in sua dilabatur. Ciues autem sic obfessione, qua prægrauabantur eru-  
 ti aduenienti Duci occurrere accelerant: cum gaudio, & omni obsequio  
 excipiunt. Sed per vniuersam Apuliam seditiones, quas infidelitas turba-  
 uerat, a præsentia eius sedatæ in conspectu eius, ac si numquam fuissent,  
 filuerunt.

**P**ORRO Dux fratre Comite a Sicilia arcessito, admoto plurimo **XXXV.**  
 exercitu, super Iordanum nepotem suum Principem Auersæ messes  
 vastatum vadit. Nam cum antea inter ipsos diuersis controuersijs ini-  
 micitiæ efferbuisse, hoc ira in Principem plurimum incalcescebat, quod no-  
 uiter in damnû Apostolici, Imperatoris hominem ipsum effectum, & ter-  
 ram suam sub ipso deseruiendâ suscepisse audierat. Veniens itaque cum  
 exercitu ante urbem Capuanam, & castrum, quod Auersa dicitur, ipso in-  
 uito, nec propulsare valente, per octo, & eo amplius dies comorans, multa  
 depopulatione totam prouinciam laceffiuit. Sed quia ipse Iordanus  
 elegantissimus miles erat, & elegantissimos secum habebat, multa milita-  
 riter diuersis congressibus vtriusque perpetrata sunt. Inde itaque rediens  
 per totam Apuliam, & Calabriam exercitum perscribens submonet: vt  
 proxima ventura æstate secum Romam super Imperatorem ituri expen-  
 sas, siue comæatus aptarent.

**C**OMES a fratre nouiter a Bulgaria reuertente inuitatus, sibi **XXXVI.**  
 currere versus Apuliam intendens, Iordano filio suo Siciliam pro-  
 curandam delegat: interdicens omnibus, ne quis in ijs, quæ præci-  
 peret, sibi contrarius esse præsumeret. Erat autem Iordanus ex concubi-  
 na: tamen magnæ viris animi, & corporis: & magnarû rerum gloriæ, suæ  
 dominationis appetitor: & iam dudum consilio prauorum sibi adhæren-  
 tium iuuenum tacito sub pectore vsus, insurgendi cõspirationem versans,  
 sic discedente patre, locum suæ prauæ dispositionis, vt sibi dicebatur, na-  
 ctus, plures callide circumueniẽdo, fidem illorum, nec dum negotio aper-  
 to, astu abstrahit: vt quæcumque ipse prior inciperet, ipsi complices in  
 perficiendo persisterent. Talibus itaque deceptis, tandem dolum diu di-  
 spositum aperit. Cum quibusdam displicuerit, pluribus placet. Quibus \*  
 quisque talibus assentire renitens improbe hortatur, ne fidem datam men-  
 tiri velit. Sacramenta patri exhibita in hoc salua fore, quod proficiscens  
 quidquid Iordanus vellet, vel præciperet omnibus obedire debere impe-  
 fauerat. Iordano plura promittente, sic prauî consilij assensus inter  
 plures a Iordano in ijs quæ patris erant, vltra quam deceret, vel ab ipso  
 patre concessum erat, præsumitur. Nam castrum Sancti Marci, & Mi-  
 stretam

stretam sibi vsurpans, detecta fraude prædas per totam prouinciã ibidem introducit. Sed & versus Trainam hostiliter accedens, patris thesauros, qui illuc seruabatur, asportare nisus, dispositione sua frustratus, vacuus redit. Nam fideles Comitis fraude comperta simul conuenientes, hostiliter accedentem ab ipsis finibus arcent. Quod cum patri renuntiatum fuisset, reditum accelerat: atque vt vir sapiens, prouide agens, ne filius territus ad Sarracenos, qui adhuc rebelles erant, transiret, versus eum hostiliter ire dissimulat: sed omnia, quæ fecerat filius, iuuenili ætate, & indulgentia digna ascribit. At cum filio, quæ fecerat patrem leuiter ferre nuntiat, minus ijs, qui secum erant, prospiciens, flebili foedere interposito ad patrem accedit. Pater ad tempus iram dissimulans, aduenienti filio lætum vultum ostendit. Sed paucis diebus interpositis pater in futurum prospiciens, ne si ij, qui tale consilium, filio complices facti dederant, impune transirent, alij ad simile aliquid præsumentes raperentur, nesciente filio, duodecim priores huius erroris, vnum post alium arcessens, oculis priuari fecit. Quo facto filium etiam tali incepto vltèrius compescere terrendo volens arcessitum, idem causa iustitiæ facere fingens minatur. Sed a fidelibus suis, quibus ex industria idem agere prædixerat, retentus: territo filio, de cetero pro libitu suo, vt decuit vsus est: nam disciplina, & rigor iustitiæ cum pace communionem habent: Psalmista attestante: qui ait. Misericordia, & veritas obuauerunt sibi: iustitia, & pax osculatæ sunt. Sic enim misericordia sectanda est, vt iustitia remissior in vltra quam decet, non sit: ne vitia nimium inoleant. Vnde & prouidus pater, vt sapiens medicus, hunc ipsum filium suum, vt a prauitate compesceret, tanto rigore territum attriuit.

XXXVII.

**A** NNO itaque Dominicæ incarnationis MLXXXIII omnibus accuratissime apparatus, equestri plurimo exercitu, sed & peditum copijs Dux versus Romam ad obsessionem Imperatoris, infideliumque Romanorum Papam Gregorium, qui & Ildebrandus ante susceptum papatum dicebatur, contra Cæsarem si necesse sit, & nisi cedat, dimicatum leonina ferocitate iter intendit. At cum iam prope ventum est, incaute incedere nolens, ordinatis aciebus, mille electos milites, cum totidem vexillis præmittens, aliam aciem cum tribus millibus pedetentim subsequi præcipit. Ipse cum reliquo exercitu, peditum copias, & quæq; infirmiora ante se ponens prouide subsequitur. Audierat quippe milites Imperatoris sibi in occursum, Romani ex parte aquæ ductus exisse: sed hoc sibi falso relatum erat. Nam ipse Imperator iam dudum multa ex parte exercitum suum a se dimiserat: & cum minori militia quam accesserat, Romæ nil tale suspicatus morabatur: dumque hostes aduentare præsentijt, suis viribus minus sufficiens, & Romanorum fraudem, quamuis indeficientes illi adesse promitterent, pertimescens, cum maximo dolore animi cedens, vrbe digressus iam ante triduũ recesserat. Dux itaq; nemine sibi, vt suspicabatur, occurfantē hostiliter offendens, libero ad urbem accessu vsus, ante portam, qua via Tusculana porrigit, iuxta aquæ ductus castra metatur: vbi triduo comoratus, vrbevndiq; circūcōspecta, quodā diluculo cū mille & trecentis militibus ad portam, quæ S. Laurentij dicitur, sub aquæ ductu iuxta Tiberim, vbi minorem custodiã, nemine in illa parte aliquid suspicante, perfensit, accedens, scalis silenter appositis muros transcendit: portique

tisque ferre apertis suos introducens per plateas vr̄bis, vs̄que ad pontem, in quo suus exercitus præstolabatur Guilcardū clamoribus ingeminādo, ciuesque terrendo, portaque vi potius fracta, quam referata suos intronitens vr̄bem irrūpit. Sicque directo impetu vs̄q; ad turrim Crescentij percurrrens Papam eripit: eductumque honore, quo decebat abducens palatio Lateranensi restituit: vbi Dux prior, & omnis exercitus subsequenter cum oblationibus ad pedes eius, debito more prouoluti plurimum thesaurum contulerent. Porro Romani viribus resumptis, conspiratione inuicem facta, tertia die post congregati, per medias plateas vr̄bis impetu facto super nostros irruere conantur. Fit clamor, & strepitus in vr̄be. Nostri a mensis quibus assidebant, prorumpentes, ocyus in arma ruunt: hostibus hostes corruunt: dura frons ab dura fronte obuiatur. Rogerius filius Ducis cum mille equitibus nesciente patre extra vr̄bem a Romanis infestari, citissimus cum impetu aduolat. Sed Romanis fortiter insistentibus nullus impetus præualebat: donec Dux ignem exclamans, vr̄be accensa, ferro, & flamma insilit. Tunc demum Romani incendium ferre non valentes in fugam vertuntur. Dux fugientes extremos quosque cædendo, vs̄que ad pontem persequitur. Vr̄bs maxima ex parte incendio, vento admixto accrescente consumitur: nostri victores apud Lateranum reuertuntur. Romani itaque hostes infra muros sibi imminere cernentes, & eorum infestationibus prægrauari, vltius ferre non valentes, consilio inter se prudentiores vr̄bis habito, eligunt sanius Apostolico suo confederando reconciliari, quam diutius in incepta ineptia persistendo hostili gladio, nullo quæstu ventilari. Sicque pace expedita allocutum accedentes pluribus circumuentionibus de excusatione fraudis vs̄q; tandem venia impetrata reconciliantur. Sacramentis pro libito Papæ, & Ducis obligati fœderantur. Nostri recedentibus vr̄bs a calamitate hostili absoluitur. At vir Apostolicus perfidiam Romanorum cognoscens, & vltius obsessione circumueniri cauens, consilio fidelium suorum vsus, ad tempus vr̄be digrediendo, Romanorum fraudem declinare, quam ibi persistendo, & libera facultate eis concessa de se ipso periculum faciēdo vtrum ea quæ promittebant, fideliter, an non seruarentur tentare, sed cum Duce in Apuliam secedens apud Beneuentum venit: sicque in Apuliæ partibus vs̄que ad extremum vitæ Roma inuisa permansit.

**R**oma quondam bellipotens toto orbe florida:

Colla superborum domans perlustrabas climata.

Leges dabas: & habenis temperabas omnia.

Ante te tremebant Duces: Principes: Imperia:

Curuabantur colla Regum loris tuis domita.

Nil superba resistebant: ense tuo territa.

Ordinabas quod volebas Duces, siue Principes.

Deponebas quos volebas seruos dans humiles.

Artibus exercuisti iustos habens iudices.

Dumque iusta sectabar, fruebaris prosperis.

Leges a te requirebant omnes reges sæculi.

Sententia per te data indiuisa perstitit.

Tempore haud longo talibus studijs

Implicaris

XXXIIX.

Implicaris fraude tua turpibus negotijs  
 Fraude tua clarescente mœres despicabilis.  
 Te iam nulli pertimescūt: terga præbes omnibus.  
 Arma tua hebetata carent acuminibus.

(. . . .)  
 (. . . .)      (. . . .)      (. . . .)  
 (. . . .)      (. . . .)      (. . . .)  
 (. . . .)      (. . . .)      (. . . .)  
 (. . . .)      (. . . .)      (. . . .)

Non sufficit Papa vnus: binis gaudes infulis  
 Fides tua solidatur sumptibus exhibitis.  
 Dum dat iste, pulsasillum, hoc cessante reuocas:

(. . . .)      (. . . .)      (. . . .)  
 Cuncto orbi dans errorē hæc miscēdo schismata.

Ni cessassent bonæ artis in te prima studia,  
 Nulli Regi de te cessisset victoria.

Miles quidē iste Normānus, qui te victā superat,  
 Non terret te Apostolorum sacra præsentia?

Nec reuocant ab inceptis te sanctorum pignora?

(. . . .)      (. . . .)      (. . . .)      (. . . .)  
 (. . . .)      (. . . .)      (. . . .)      (. . . .)  
 (. . . .)      (. . . .)      (. . . .)      (. . . .)

Surge Petre summe pastor finem pone talibus.

XXXIX. **D**VCE itaque apud Romam Apostolicis necessitatibus inferuiente BOAMVNDVS filius eius apud Bulgaros, vbi a patre relictus erat, strenue gerens, patris vices haud grauitur exequatur: urbemque, quæ Arta dicitur, obsidens plurimum infestus persistendo, capere omnibus artibus nitebatur. Porro Imperator audiens urbem sui iuris hostibus prægrauari, Ducemq; quem plurimum pertimescebat, recessisse, absentia eius viribus resumptis, exercitu admoto, vrbi succurrendum multis copijs parat. Sed venienti BOAMVNDVS occurrēs, certamine inito, bellum comperit. In primo congressu, qui primū accesserant, collisi sternuntur: subsequentes visu terrentur: fuga initur. Imperator cum primis fugiētibus esse vile ducit. Imperatore fugato BOAMVNDVS victor efficitur.

XL. **Q**VOD cum Duci cum triumphali gloria a Roma reuertēti renuntiatum fuisset, filium a se non degenerare cognoscens, & in hoc maxime, quod vno in tempore duorum Imperatorum fugatriumphali gloria laus sibi, suisque concessa sit, veniens in Apuliam ministros suos vndecumque conuocans omnibus suis ordinatissime dispositis, plurimo exercitu versus Græciam quæ cœperat, executum accelerare disponit. Nauibus denique mense Septembri a tota Apulia, Calabria, siue Sicilia apud Hydruntum conflatis, copijsque necessarijs introductis, prospera aura suffragante, optato portu applicans filium, & quos cū ipso apud extremas partes dimiserat, de reditu suo sollicitando anhelos, plurimum lætitiæ se ipsum repræsentando reddidit. Sicque ad quod venerat exequens, omnem patriam suo reditu turbabat: urbibus infestus: obfessionibus as-

indefessus: congressibus prior: excubijs nusquam absens: nunc minis terrendo, nunc blandimentis mulcendo Imperium sollicitum reddens ante se tremere faciebat.

**M**IRABILE quoddam præfagium, quod per totam Apuliam, Calabria, siue Siciliam visum est, huic operi inferere dignum duximus. Maxime quod ea, quæ tale signum portendebat, nos ex parte non ignorare putamus. Anno denique incarnati Saluatoris **M LXXXIV.** sexto die Februarij inter sextam, & nonam Sol obscuratus est per spatium trium horarum: in tantum, vt qui infra domos alicui operi insudabant, non nisi luminibus accensis, interiri quæ cœperant, exequi possent: qui vero de domo ad domum transmigrare volebant lanternis, & facibus vterentur. Sed antequam annus pertransisset significatio talis eclipsidis, in quantum nos putamus pluribus cum maximo damno præclaruit. Nam eodem anno venerabilis Papa Gregorius, cuius superius mentio facta est, infirmitatis suæ a medicis medicamentum expetens, frustratis medicaminibus obiit. Dux Iulio mense: & famosissimus Rex Anglorum, & Normannorum Dux Guilielmus nono die Septembris moriuntur. Ducis vero exequias vxor Gayta cum filio Rogerio, qui tunc cum ipso apud Bulgaros morabatur, & ceteri Barones eius debito honore, non tamen sine iustitia exequentes funus transmeatum Venusium humatum perferunt. Græcia hostibus recedentibus libera, læta quieuit: Apulia tota, siue Calabria turbatur.

**I**AM fratribus Rogerio, & Boamundo, vtroque Ducatum appetente, inter se dissidentibus, & pluribus nunc ab isto, nunc ab illo incrementa expetendo, lucrum suum quærentibus, multorum Apulorum fides quanti fuerit, experimento claruit. Rogerius tandem adiutorio auunculi sui Siculorum Comitis Rogerij, qui viuentis fratris, idem sibi promiserat, Dux efficitur. Omnia castella Calabria, quorum necdum nisi medietatis cuiusquam Comes Rogerius habebat, a nepote ad plenum sibi concessa consignantur. Nunc itaque quia suprema dies tanti Principis loquendi de ipso, quantum ad librum finem facit, finis quoque, vt mihi videtur huius hic ponendus est libri: vt de nouo Duce mixtum cum Comite loquentes nouum librum obsequamur.

EXPLICIT LIBER TERTIVS.

INCIPIVNT CAPITVLA  
LIBRI QVARTI.

<b>B</b> ENARVET Nicotrum vastat.	I.
Comes cum Benaruet congregitur.	II.
Pisani Africam oppugnant: & Comiti retinendam offerunt.	III.
Rogerius Dux, & Boamundus eius frater reconciliantur.	IV.
Comes Agrigentum obsidet: & capit.	V.
Chamut Christianus fit: Castrum Iohannis redditur.	VI.
Comes Episcopos per Siciliam ordinat.	VII.

G Rex

- II X. Rex Francorum Philippus filiam Comitis vxorem expetit.  
 IX. Mihera Maiam intrat.  
 X. Boamundus Cufentum peruadit.  
 XI. Mihera monachus fit.  
 XII. Buteram Comes obsidet.  
 XIII. Papa Vrbanus Comiti locutum in Siciliam venit.  
 XIV. Comes Adelaidam in vxorem ducit.  
 XV. Notenses Comiti reconciliantur.  
 XVI. Comes Maltam vadit.  
 XVII. Dux, & Comes Cufentum capiunt.  
 XVIII. Iordanus obiit.  
 XIX. Simon nascitur.  
 XX. Dux Rogerius infirmatur.  
 XXI. Guilielmus de Grantauul Rossanam intrat.  
 XXII. Dux, & Comes Castrivillam obsident.  
 XXIII. Comes filiam filio Imperatoris Alamanorum dedit.  
 XXIV. Dux, & Comes Melfam obfessum vadunt.  
 XXV. Rex Vngarorum filiam Comitis in vxorem capit.  
 XXVI. Comes Capuam obsidet cum Duce Rogerio, & Principe Ricardo.  
 XXVII. Vrbanus Papa ad ipsos tendens pacem componere nititur.  
 XXVIII. Capua capitur: & Principi Ricardo restituitur.  
 XXIX. Vrbanus Papa legationem Siciliae, & Calabriae Comiti concedit.

### INCIPIVNT GESTA QVARTI LIBRI.

**S**I ESSET VNDE, NOVA, ET ELEGANTIOR  
 poëtria, nouo Duci adhibenda esset: vt facundior sermo a iuueno  
 nouorum, vt in tali ætate assolet, appetitore, nouo stylo, nouos  
 fauores, suo merito extorqueret. Sed ne stylum mutando hoc  
 quasi adulatione facere dicamur, prioris poëtria ordine seruato, oratio-  
 nis seriem exequamur.

- I. **R**OGIT V R Rogerio Comite nepotis utilitatibus, vt eum ple-  
 nius in Ducatu Calabriensi, vel certe in Principatu, & domina-  
 tione Apuliae contra voluntatem æmulorum suorum solida-  
 ret, intendendo præoccupato, Benaruet Syracusi nauigio ap-  
 parato, nauali exercitū apud Nicotrum veniens, a radice destruedo de-  
 uastat. Direptis omnibus quæ potuit, viros, & mulieres captiuos asportat.  
 Sicque ante Rhegium veniens, Ecclesiam haud longe in honore beati Ni-  
 colai, & aliam in beati Georgij sitam depopulat: sacras imagines deturpan-  
 do conculcat: sacras vestes, vel vasa, suorum vsibus aptando asportat. In-  
 de progressus quãdam sanctimonialium Abbatiam in honore Sancte Dei  
 genitricis, & virginis Mariæ in confinio Scyllatiensi, loco qui Roca asini  
 dicitur, consecratam aggrediens deuastat: sanctimoniales abductas turpi  
 stupro dehonestatas abducit.

QVA

**Q**VA de re Comes diuinitus ira plus solito inspiratus, in vltionem II. Quantæ Deo illatæ iniuriæ ardentissime insurgit: classemque, qua illum facilius circumueniendo opprimat, primo die Octobris aptare incipiens, vicesimo die Madij perficit: sicque sese affligendo, summa deuotione in litanijs, nudis pedibus, per diuersas Ecclesias processiones exequens, multa beneficia indigis largitus, nauali periculo sese committens, versus Syracusam vela dirigit: Iordanum vero filium suum cum equestri exercitu illum sibi obuium fieri præcipit: videns naues metu Dei agi: & nulla aura, vel remige impingente, rapidas equorum vndas e recto sulcare: vt facile perpenderet hanc expeditionem Dei fauorem comitari: & hostibus præualere debere. Comes igitur hoñsione de obtinenda victoria certior factus, prima nocte Turoneum applicat: secūda vero apud Longeuam, tertia Resefalix. Hic Iordanus filius suus cum exercitu equestri sibi obuius factus, multa inter se, de ijs, quæ facienda erant, consilio habito conferentes, Philippum filium Georgij patris cum velocissima sagetia versus Syracusam omnem rem exploratum mandant. Qui iussa fideliter complens, de nocte inter classem Sarracenorū, ac si vnus ex ipsis esset, circumnauigat: nam & lingua eorum ipse, & nauæ omnes qui cum ipso processerant, peritissimi erant: omnibusque prudenter circumspectis, rediens certamen paratum renuntiat: Deo propitio nihil periculi imminere: hostibus audacter occurrendum hortatur. Erat autem sabbathum. Comes autem suos commonens, prima luce illucescente hymnos matutinos, cum missarum sacra executione audiuit: presbyteris confitentur: sacris mysterijs iniantur: per totam diem ibidem moratur. Sequenti nocte mediante, equoris anchoris extractis, cum silentio procedentes, luna illucescente Syracusam, vbi Benaruet acerrime cum classe sua præstolabatur, venerunt: certamen ineunt: vtrunque congregitur. Benaruet instinctu diaboli, qui vitam eius iam misera morte terminare volebat, quo nauē Comitis eminus agnouit, magno impetu grassans illorsum irruit: acriter bellatur: sed acrius excipitur. Nam a Lupino quodam primū iaculo confossus, dum a Comite, qui nauim eius infilierat, minaci ense persequitur, ipse proximam nauem de suis ad fugiendum saltu appetens, in mare cum pondere ferri demergitur. Sicque iniuriam, quam Deo arroganter intulit, diuino iudicio condigna vltione multatur pœnas luendo perpeffus. Reliqui vero dum fugere nituntur, a nostris citato remige persecuti truncantur. Si Iordanus interim urbem oppugnasset, profecto facile debellata succubuisset: sed pater minus prouide interdixerat sibi ne fieret. A Maio igitur vsque in Octobrem obsessio vrbi dedita, ipsa multum recalcitrante, plurima infestatio vtrunque facta est. Ciues vero Christianos plurimos incaptione infra urbem habentes solutos ab vrbe eijciunt: rati nostros sic facile ab vrbe processuros. At dum nihilominus persistere vident, vxor Bernaruet cum filio, & melioribus vrbis, nauibus duabus de nocte, per medias naues nostras rapidissimo remige euadentes se se Notum recipiunt. Reliqui foedere composito, deditioe se, & urbem reddunt: anno Dominicæ incarnationis Millesimo octogesimo quinto.

**C**VM ista geruntur, Pisani, qui apud Africam negotiando proficisce III. bantur, quasdam iniurias passi, exercitu cōgregato, urbem Regiam Regis Tunicij oppugnantes, vsque ad maiorem turrim, qua Rex de-

fendebatur, capiunt. Sed quia sua virtute vrbe expugnata, patriam retinere minus sufficientes erāt, Comiti Siciliensi, quem talibus preualidum cognoscebant, eam si recipere velit, per legatos inuitantes offerunt. Porro ille quia regi Tunitij amicitiam se seruaturum direxerat, legalitatem suam seruans in damno illius assentire distulit. Rex vero Tunitius cum certādo resistere nequit, pretio pacem inercatus, quo armis minus sufficebat, pecunia classe fines Christiani nominis peruasum vterius tentare: & quos eiusdem religionis captiuos tenebat, coactus est absoluerē.

IV. **D**VX autem Rogerius apud Apuliam, & Calabriam sua sapienter disponens, in omnibus strenue, & prouide agebat: & quamuis iuuenili ætate esset, secundum quod agebat, eum non iam iuuenem, sed moribus senissimum iudicare posses. Militiæ assiduus, frequentium militum amans: colloquio affabilis: muneribus largus: labori, vigilijsque indeficiens: Ecclesiarum defensor: pauperum, & mærentium consolator: suis clypeus: hostibus aculeus: iuste iudicans omnia: excepto quod pietatis affectu obuiante, in rigore iustitiæ aliquantulum remissior erat. His artibus in se accrescentibus omnium bonorum fauorem breui obtinuit. Hic Boamū dum fratrem suum ambitione Ducatus a se desciscentem, qui iam urbem, quæ Oria dicitur, traditione ciuium adeptus erat, per quam prouinciam Tarentinam, & Hydruntinam spe prædæ, complicibus vnde quaque sibi alligatis infestabat, minus aduersum se proficere videns, non quod miles elegantissimus non fuerit, sed quia sumptus ad id negotij necessarij minus suppetebant, fraterna pietate commotus, arcessito ad se, & reconciliato partem paternæ hereditatis contulit: annuens ei ipsam Oriam urbem, quam peruaserat: adiiciens Tarentum, & Hydruntum, siue Galipolim cū omnibus appendicijs: & quidquid Gaufridus de Conuersana sub ipso habebat cum famularu eiusdem. Reliquos vero, si qui aduersarij erant, sua strenuitate sternebat: vbi vero minus per se sufficebat, Siciliensi Comite, quasi pro verbere ad alios subiugandos vtebatur: cuius virtute pluribus territis, minus resistere præsumebant.

V. **C**OMES ergo Rogerius omnes potentiores Siciliæ a se debellatos gaudens, & nemine, excepto Chamuto susperstite, ad hoc assidua deliberatione intendit, vt ipso circumueniendo debellato, omnem sibi de cetero Siciliam subdat. Vnde exercitu admoto, ipso apud castrum Iohannis im morante, vxorem eius, ac liberos apud Agrigentinam urbem obsessum vadit anno Dominicæ incarnationis millesimo octogesimo sexto prima die Aprilis: quam vndique exercitu vallans, diutina oppressione lacesiuit: studioque machinamentis ad urbem capiendam apparatus, tandem vicesima quinta die Iulij viribus exhausta imminentibus hostibus patuit: vxor Chamuti cum liberis, Comitis inuersta est captionis. Comes itaque in vrbe pro libitu suo positus vxorem Chamuti omni dehonestatione prohibita, suis custodiendam deliberat: sciens Chamutum sibi facilius reconciliari, si eam absque dehonestatione cognouerit attractari. Urbem itaque pro velle suo ordinans, castello firmissimo munit: vallo gyrat: turribus & propugnaculis ad defensionem aptat: finitima castra incursionibus lacesiens ad deditorem cogit: vnde & vsque ad vndecim auro breui subiu-  
gata



gata sibi alligat: quorum ista sunt nomina. Platono, Missor, Gastaiel, Sauti, Racel, Bifar, Muclose, Garo, Calatenissa, quod nostra lingua interpretatum resoluitur, Castra feminarum: Lerata, Remise.

**C**OMES itaque sibi omnia prospere cedere Dei miseratione cognoscens, adiicit castrum Iohānis sibi aut oppresione, aut certe astu, aliqua composita confœderatione sibi applicare. Vnde & quodam diluculo cum centum militibus versus Castrum Iohannis properans, Chamutum fœdere interposito, locutum inuitat. Quem diuersis verborum circumitionibus attemptans deditioe Castri, & conuersione ad Christi baptismatis regenerationem pulsat. Porro ille cognoscens, experimento de alijs sumpto, Comitem ad quodcūque intenderet, fortuna fauente, nihil frustra niti, aliquantulum etiam de conuersione ad fidem tacito sub pectore inspiratus, clam suis agit, vt statuto termino Comes cum exercitu ante castrum veniens, ipsum cum omni supellectili sua ad se transfugientem suscipiat. Timebat enim ne si in propatulo fieret, quod castrum reddere, vel ad fidem Catholicam transire niteretur, a suis met perimeretur. Comes a tali promissione lætus apud Agrigentum redit: statuto termino silenter exercitu conflato, haud procul a castro Iohannis, loco inter se prænotato insidijs occultatur. Chamut omnibus suis mulis, & equis superpositis, quasi aliquorsum processurus vrbe digreditur: ex industria super insidias nostrorum incidit: a nostris excipitur. Comperto Castrum Iohannis a nostris oppugnatur. Porro ciues tali facto viribus exhausti terrentur: pro re, atque tempore consilium aptant. Fœdere composito Comiti reconciliantur: Castrum deditioe adiicitur. Comes Castrum adeptus lætus efficitur: nostræ genti ad tuendum fortiores turres assignantur. Chamut cum vxore, & liberis Christianus efficitur: hoc solo cōuentioni interposito, quod vxor sua, quæ sibi quadam consanguinitatis linea coniungebatur, in posterum sibi non interdiceretur. Chamut inter suos vltierius cōmorari vel differens, vel diffidens ne Comiti, quasi aliquam fallaciam miscens, suspectus fieret, vel minus crederetur, apud Calabriam in provincia Melitana a Comite terram suis vsibus sufficientem expetit: quod Comes sibi libenter annuens, illuc secessit: sicque postea longo tempore viuens, ab omni fraude versus nostram gentem sese irreprehensibilem deinceps exhibuit.

**C**OMES videns propiciatione Dei omnem Siciliam, excepta Butera, & Noto suæ ditioni subeundo celsisse, ne ingratus tanti beneficij sibi a Deo collati existeret, cœpit Deo deuotus existeret: iusta iudicia amare: iustitiam exequi: veritatem amplecti: Ecclesiam frequentare cum deuotione: sacris hymnis adstare: decimationes omnium reddituum suorum sacris Ecclesijs attribuere: viduarum, & orphanorum, sed & marientium cum ratione consolator. Ecclesias passim per vniuersam Siciliam reparat: ipse pluribus in locis de suo sumptus, quibus facilius fiant, attribuit. In vrbe Agrigentina Pontificalibus infulis cathedram sublimat: terris, decimis, & diuersis copijs, quæ Pontifici, & clero competenter designata sufficiant, hereditaliter chirographis suis dotat: ornamentis, & sacri altaris vtensilibus ad plenum consignatis. Huic Ecclesiæ

clesiæ Gerlandum quendam natione Allobrogum, virum, vt aiunt magna caritatis, & ecclesiasticis disciplinis eruditum Episcopum ordinans, præfecit. Haud secus apud Mazaram facere addens, omnibus quæ rite sufficerent Prælato, & clericis ad plenum designatis Stephanum quendam Rothomagensem, honestæ vitæ virum Episcopum ordinauit. Apud Syracusam vero idem adiiciens Rogerium Decanum Ecclesiæ Trainensis honestæ eruditionis clericum, & boni moris, & affabilitatis virum in Proincia ortum Pontificalibus infulis sublimauit: Trainensibus non minimum de eius amissione dolentibus: quippe cuius doctrina, & exemplo ad meliora semper hortabatur: & consilio, & eloquentia etiam in ipsis secularibus negotijs, quasi pro baculo sustentationis vtebantur: nam & absente Episcopo vices sibi delegatas cum omni prudentia, & moderatione exequabatur. Apud S. Euphemiam vero monachum quendam, natione Britonem, virum religiosum, post Abbatem totam Ecclesiã prudenti-  
 \* moderamine audiens, vt hunc Ecclesię Catanensi impetrare queat, Episcopum ordinare intendit. Quare & per se metipsum illuc accedens, vix tandem monachis hoc carere volentibus, ipso etiam præ ceteris amplius reluctantante obtinuit. Sicq; sollempniter Episcopatum concedens, quod nulli Episcoporum fecisse cognoscitur, totam urbem sedi suæ cū omnibus appendicijs suis sub chirographo, & testibus hereditaliter possidendam assignauit. Porro ille Ecclesiam minus cultam, vt pote a faucibus incredulæ gentis erutam suscipiens, iuris studijs primo studiosius inhærens, breui Ecclesiam omnibus necessarijs prouehens, ad Mariæ vices cum Martha exequendum transijt: monachorum turbam non modicam sibi coadunans, di-  
 strictæ regulæ iugo, verbo, & exemplo subesse, vt fidelis pastor coegit.

- IIIX. **E**A tempestate Philippus Rex Francorum vxorem habens legitimam, & præclari generis Bertam nomine, ex qua susceperat filium nomine Leudouifinu, cui etiam ab omnibus curialibus regnum post se habere designauerat, contra ius legitimæ coniunctionis exosam habere fecit: & a se contra Canonum statuta libello repudij conatur repellere: nihil criminis obiecto: excepto quod sanguinitatem falso adnumerare tentabat: nec poterat. Hic legatos apud Siciliam ad Comitem dirigens, filiam eius nomine Eminam, quam de prima vxore speciosam puellam habebat, sibi in matrimonium copulandam expetit. Comes vero fraudis, quam versus legitimam vxorem habebat, ignarus, cum multis sponfalibus se sibi daturū concessit: statutoque termino, nauibus apparatus eam vsque ad S. Egidium cum pluribus thesaurorum enxenijs, quo Rex se obuium fieri dixerat, maritimo cursu transmittit. Habebatque fiduciam in Comite eiusdem prouinciæ Raimundo, quod eam Regi honeste consignaret: nam & ipse aliam filiam Comitis iam dudum duxerat. Rex vero prauorum cōsilio vsus, ad hæc nitebatur, vt thesauris susceptis, Comitem de filia, non ducendo ludificaret. Porro Comes Raimundus regia fraude comperta, cœpit & ipse nihilominus aliam fraudem cōiecturare: videlicet vt puellam dissimulata fraude cum honore suscipiens, alteri probo viro in matrimonium consignaret: ipse vero omnem pecuniã vsurparet. Sed prudentes viri, quos Comes cum familia miserat, prece puellæ pecunia exportata, fraudem que agebatur comperientes, anchoris extractis, vela ventis committentes,  
 puella

puella cum sororis marito relicta, placida aura sufflante, cum pretiosioribus thesauris ad Comitem in Siciliam reuertuntur. Comes vero Raimundus fraude, quam machinabatur, ex parte frustratus, puellam Comiti Claramontis legalibus nuptijs copulauit: sicque sola Dei dispensatione sollemniter maritata, & pater opprobrio, quod rex machinabatur, & filia in ordinata, & contra ius quauis legali copulatione liberatur.

**M**IHERA vero filius Hugonis Foloch vir magnæ leuitatis, sed elegantissimus miles, læua, pro dextera utens, Roberto Duce defuncto in insolentiam prorumpens, vicinos circumquaque prædis, & diuersis incursionibus laceſſendo appetere cœpit. Possidebat enim tunc temporis castra sibi a patre hereditatiter relicta Catantiarum, & Roccam: plus vero armis ambiens, in ipso etiam Duce præsumens, castrum, quod Maia dicitur, traditione ciuium sibi vsurpans irrumpit. Sed suis viribus auxilia addere volens, Boamundi fratris Ducis, qui iam fœdere rupto aduersus fratrem conspirauerat, homo efficitur. Maiam, quam peruaserat, & omnem terram, quam hereditatiter a patre sibi relictam sub Duce possidebat, ipso Duce renuntiato, & sacramentis confœderatus Boamundus ab ipso recipitur. IX.

**A**T Boamundus ambitione nanciscendarum, peruaſione super fratrem urbium audus, cum Consentinis secreto, de traditione urbis agit: promittens se castellum, quod Dux illis inuisum in eadem urbe firmauerat, si eorum auxilio capere possit, funditus dirutum iri. Quæ promissione illi ad fraudem procliue illecti, Boamundo assentientes, illum infra urbem cum sua virtute suscipiunt. Sacramentis sibi confœderantur. Castellum vallantes oppugnatum vadunt. Quod cum Duci in Apuliam, ubi tunc morabatur, nuntiatum fuisset, exercitum admouens illorsum accelerat: auunculumque sibi in auxilium inuitans, ut sibi apud Cusentum obuius fieri non differat, mandat. Nam ut diximus, contra omnes sibi aduersantes illo, quali pro flagello ad terrendum alios, utebatur. Comes vero militaribus, & peditum copijs apparatus inuitanti se nepoti obuius fieri accelerat. Sed antequam ab utroque exercitu, Ducis videlicet, siue Comitis illuc peruentum est, castrum quod oppugnabatur, dum pro posse repugnat, machinamētis appositis, viribus exhaustum hostibus cessit: funditusque, ut a Boamundo promissum erat, dirutum fit. Porro Dux sibi Comitem obuiam habēs, Rossanam, quæ Consentinis in fraude assentiebat, oppugnans capit: incendio omnia percurrans. Boamundus itaque, ne obsidione infra urbem clauderetur, deuitans Hugonem Claramontis, qui Consentinos in sua fidelitate retineat, apud Cusentum relinquens, Roccam secessit. Dux vero, & Comes putantes eū apud Maiam digressum, illuc præoccupare volentes accedunt, Sed cum non ibi esse comperiunt, versus Roccam properantes, loco, qui Lucus Calupnij dicitur, tentoria figunt: ubi per internuntios, pace quidem ab utrisque partibus interposita, apud Sanctam Euphemiam conueniendi, & plenius reconciliandi terminum statuunt. Sed Mihera huic termino assensit: non autem Boamundus. Ipse enim reconciliari differens, iam Tarentum recesserat. Instante itaque die præfixo, Mihera conductum, quo fœdere accedere, vel recedere liceat, expetit. Conceditur: accedit. Boamundo inconsulto, Duci reconciliatur. Maia reddita, Duci, cui iure competebat,

reconsignatur. Fratres itaq; post biennij dissensionem consilio vtrorumque fidelium reconciliantur. A Duce, vt semper viro largissimo Boamundo Cusentum, & Maia conceditur: sed breuissimo interuallo, quia Boamundus Consentinis iurauerat, castrum ibi se non facturum, & Dux idem se Barenfibus, cambio inter se facto, Dux Cusentum recipit: Barum fratri mutua vicissitudine concedit: vt saluo quisque in suo iure libera potestate quod volet faciendi vtatur. Sicque amicitiam suam testibus, & chirographo confirmantes, deinceps indiuisam tenuerunt.

XI. **M**IHERA ergo Comiti Rogerio, & Radulfo Loracelli sibi instantibus diu rebellis, videns offensas suas modum reconciliatio- nis excessisse, vltius ferre non valens Adæ filio suo omnem terram suam assignat: putans eum auxilio ex parte matris parentum facilius resistere hostibus, aut certe reconciliari: ipse vero Beneuentum secedens monachice consociatus habitum induit. Nam neque Dux, neque Boamundus, quia vicissim vtrumque foedere rupto ludificauerat, amici erant: ob quam rem Comes, & Robertus Loracelli iam a Duce terram eius sibi datam iri expetentes, facilius obtinuerant. Comes vero milites suos Rodulfo Loracelli ductore super Adam mittens, diutinis incurfionibus aliquanto tempore repugnantem, tandem penuria afficit: qui cum videt se vltius ferre nequire, palatium suum, & omnes meliores domos nocte vbi oppugnabatur incendio destruens, castro relicto hostibus, recessit anno Verbi incarnati Millesimo Octogesimo sexto. Comes vero, & Rodulfus Loracelli terram eius, vt a Duce concessum erat, inter se diuidentes deinceps vt pote sua sunt.

XII. **I**GITUR Comes Rogerius omni Sicilia aduersum se foedere composito sedata, excepto quod Notenses, quo vxor Benaruet cum filio transfugerat, & Buterenses adhuc pro posse in cassum recalcitrabant, exercitu admoto Buteram obsessum vadit: anno Dominicæ incarnationis Millesimo octogesimo octauo: inchoante Aprili.

XIII. **P**RVDENTERQVE armata manu, hostiliter vndiq; vallans, aliquanto tempore inclusos diuersis calamitatibus afflixit. Sed dum machinamentis ad castrum affligendum apparatus attentius insudaret, Legatus Papæ Urbani cum litteris ab ipso sigillatis adueniēs nuntiat eundem Apostolicum virum Siciliam intrasse: eique, vt apud Trainam sibi locutum accedat, mādare: eum longo itinere fatigatum, a Terracina enim digrediens adueniebat, præ lassitudine corporis, & montosis saltibus ad huc interpositi itineris progredi nolle. Comes vero quid potissimum ageret sollicitus, nam sedem belli deserere dānosum ducebat, Papæ vero, qui a tanto interuallo locorum ad se veniebat, non occurrere, modico itineris interposito indignum, vt Catholicus vir æstimabat. Tandem consilio vir prudens accepto, agit, vt neque sedem belli deserat, neq; Apostolico non occurrendo inobediens exiltat. Exercitu nempe fidelibus suis prudentibus viris, & talibus negotijs peritis delegato, hostes infestare instruit: ipse cum paucis se inuitanti Apostolico obuius apud Trainam occurrit: lætique ad inuicem alter ab altero cum summa veneratione excipitur. Hic ab illo

ab illo Apostolica benedictione sub vice Mariæ, ille ab isto in his, quæ corpori necessaria erant, obsequijs Marthæ: in crastinumque summo diluculo conuenientes agunt ad inuicem de negotio, quod Apostolicum accessisse compulerat. Nam idem Apostolicus ante paucos dies Alexium Imperatorem Constantinopolitanum per Nicolaũ abbatem Cryptæ feratæ, & Rogerium diaconum cõueniens paterna increpatione cõmonuerat: quod Christianis Latinis, qui in sua prouincia morabantur, azyimo immolari interdixerat: præcipiens in sacrificijs more Græcorum fermentato uti: quod nostra religio omnino non habet. Imperator vero increpationem eius humiliter suscipiens, inuitat eum per eosdem legatos chartulis, aureis litteris scriptis, ut veniens cum eruditis catholice viris Latinis, Constantinopolitano Concilio congregato, disputatio fieret inter Græcos, & Latinos: ut communi definitione, in Ecclesia Dei illud scinderetur: quod Græci fermentato, Latini vero azyimo immolabant: vnaque Ecclesia Dei vnum morẽ teneret: dicens se libenter Catholice discussioni assentire: & quod authenticis sententijs, presentibus Græcis, & Latinis assentiri definitur, siue azymo, siue fermentato immolandũ esset, se deinceps obseruare velle. Terminum etiam, quo Papa accedere deberet, statuit: anni videlicet, & dimidij. Comes vero, ut tantum schisma ab Ecclesia Dei amputetur, eundi consilium dedit. Sed impediens inimicis sanctæ Dei Ecclesiæ, qui Romæ sibi infesti persistebant, iter prohibitum est. Comes itaque Papam pluribus donarijs honoratum a se dimisit: ipse vero Buteram rediens, hostibus infestus tandem ad deditorem coegit: sicq; castro potitus pro libitu suo disponit: potentioresque in Calabriam mansuros mittit: ne sibi ibidem manentes, aliquã fraudem machinãdo, commotionẽ facerent.

**A**NNO igitur incarnati Saluatoris MLXXXIX, Comes Rogerius XIV, vxore Eleburga filia Guilielmi Comitis Mortonensis defuncta, aliam duxit Adalaidem nomine, neptem Bonifacij famosissimi Italorum Marchionis: filiam videlicet fratris eius iuenculam honestæ ad modum faciei: duasque sorores eiusdem puellæ, duobus filijs suis Gofredo videlicet, & Iordano in matrimonium copulauit: sed Gofredus antequam nubiles annos attigisset, quod dolor est dicere, morbo prohibente minime eam cognouit: Iordanus autem sollempnibus nuptijs duxit.

**P**ORRO Notenses videntes omnem Siciliam sub Comite curuatam, seseque vterius in casum resistere, consilio inter se habito, Comiti reconciliari vtile ducunt. Denique de se ipsis legatos eligentes ad Comitem dirigunt: qui apud Melitum, vbi tunc Comes morabatur, accedentes, pacem faciunt anno Dominicæ incarnationis MXC: Februarii mense. Comes itaque censum duorum annorum illis condonans, Iordanum filium suum, cui etiam terram, & vxorem dederat, ut urbem ipsis deditibus recipiat, cum ipsis mittit: qui a patre edoctus, vrbe suscepta castello munit: proque libitu suo in patris fidelitate disponit: vxor autem Benaruet cum filio in Africam transfugit. Sedata itaque omni Sicilia, Comes Rogerius collati sibi a Deo beneficij non ingratus existens, omnimode secundũ quod mundiales cure, quibus occupabatur, permittebant, Deo cœpit se se deuotũ exhibere: & quanto ampliori honore terreno se a Deo prouectum cognosce-

cognoscebat, tanto ampliori studio agebat: vt in perfectæ humilitatis statu persistens gressum mentis figat. Militibus itaque suis, quorum auxilio tanti honoris culmen adeptus fuerat, arcescitis, gratias cum omni mansuetudine referens, quibusdam terris, & largis possessionibus, quibusdam vero alijs diuersis præmijs laboris sui sudores recompenfat.

XVI.

**S**IC itaque omni Sicilia pro libitu suo sapienter composita, Comes militaribus exercitijs assuetus, quietis impatiens, laboris appetens, lucris inhians, corpus ab assuetis exercitijs minime defuescere passus est: sed quæ transmarina regna prima potissimum sibi subiuganda attento animo, iugi meditatione tractat. Vnde & Melitam insulam, a referentibus viciniorē ceteris sibi cognoscens, classem, qua eam attenter, accelerare imperat: militibus suis, vt se ad id exercitij aptent, præcipiendo denuntiat. Dum ista geruntur, Mainerius Gerentia a Comite, vt sibi locutum veniat inuitatus accedere differt: cum arrogatione, præfente adhuc legato Comitatus respondens: se nūquam ipsum, nisi vt damnum si possit, inferat, visum velle. Quod referente legato, qui missus fuerat, Comes audiens, plurimū indignatus, festinus mari transmeato, a Sicilia in Calabriā venit: Petrum Moritonensem, cui vices suas plurimum cōmiserat, vt per Siciliam exercitum commouens post se acceleret, mittit: qui prudenter iniuncta perficiens, infra octo dies ab omni Sicilia copioso exercitu congregato in Maio ad Comitem adduxit. Sicque Comes versus Gerentiam accelerans, castrum terribili obsidione vallauit. Qua de re Mainerius territus se stulte, & fecisse, & locutum cognoscens, supplex ad misericordiam Comitatus venit: equos, mulos, thesauros, & omnia quæ habebat, veniam petens in eius dispositione ponit. Comes super his, quæ fecerat, eum pœnitere videns, vt semper pij cordis omnia condonauit: excepto quod, quasi pro disciplina, potiusquam ambitione, mille aureos solidos de suo accepit: vt eum a tali præsumptione coerceat: sicque per ardua adiacentium montium inde digrediens Cusentum venit: & quia incolæ prouinciæ illius Duci recalciabant, triduo vinera, & oluieta eorum extirpans, inde aratam secessit: vbi cum suis consilium captans exercitum breui tempore soluit: præcipiens, vt vnusquisque ad expeditionem versus Melitam domi aptatum recedat: termino quindecim dierum interposito: quo sibi apud Resacrambam, illuc enim classem suā conuenire fecerat, obuij fiant. Portus autē in ariditate naturæ a ceteris differt: ita vt si quis experientiæ causa cannam, vel aliquid concauum accipiens, cubita duo a ripa in mare terræ tenuis palmo tantummodo profunditatis figat, tantæ longitudinis, vt desuper vndas concaua summitas quantum volet attingat: cum mare salissimum sit, dulcissimas, & potabiles aquas per concauitatem in altum ebullire vident. Hic die terminato ab omni Sicilia, & Calabria plurimo exercitu Iulio mense conflato, quodam vespere Comes naues aggredi accelerat. Porro Iordanus filius Comitatus cum classis aptatur, semper suspicans erat, Comitatem quidem versus Melitam non iturum: sed sibi, vt ipse exercitum illorsum conduceret, comissurum: Comes autem in ipso ingressu nauium arcescitis imperat, vt cum designatis, quos sibi placuerit, Siciliam procuratum remaneat. Urbem nullam, vel castrum ingredi, donec ipse a Melita reuertatur, præsumat: sed in tentorijs habitans, vbi cumque per

que per Siciliam ad succurrendum necesse sit, paratus eius regressum sustineat. Porro ille aliter quam ratus erat, patrem præcipientem audiens, totus admiratione attonitus fit: patremque ab ijs, quæ dicebat dehortatū nifus, cum lachrymis proclamat: dignum potius, si placeat patri esse, se iuuenem tanto labori ascribi: patrem iam quasi emeriti stipendij virum a laboribus plurimum passum corpus recreando quietis oblectamentis vti. Minus damnosum si ipse minoris pretij iuuenis in tanto discrimine pereat, quam vir tantæ auctoritatis, tantive consilij. Comes vero ad verba filij indignatus eum, quamplurimum conuiciatus in audientia omnium retulit, se numquam vel filium, vel aliquem, quo ipse primus esse non audeat, missurum: & sicut primus esset in possidendis, vel distribuendis, ita conueniens esse, vt prior fieret in acquirendis. Sic pluribus remeantibus pietate abeuntis, deinde lachrymantibus Comes naues ingressus buccinis ex eius edicto concrepantibus, & diuersi generis musicæ artis pluribus, vt quisque doctus erat, instrumentis modulantibus, anchoris extractis vela ventis plurimo apparatu committunt: auraque prospera suffragante, secundo die applicant apud Milerum. Nauis vero Comitæ ceteras velocitate præcedens, vt primum terram attingit, Comes nauis digressus, cum tredecim tantum militibus equos ascendens plurimam incolarum multitudinem, quæ vt impedirent, ad ripam obuiam fuerat, aggrediens, multos sternit: reliquos fugat: extremos quoque cædendo per longum insequitur. Vesperè autem ab insequendo regrediens in litore maris cum omni exercitu suo illa nocte hospitium sumpsit. Crastino vero illucescente propius urbem accedens obsidione vallauit: circumquaque per insulam suos prædatum mittens. Porro Gaytus, qui vrbi, & insulæ principabatur, ceterique ciues bellicis exercitationibus minus assueti, præsentia hostium deterriti, pacem libere, ad colloquium cum Comite accedendi expetunt: quæ a Comite concessa, ad tentorium Comitæ sibi locutum, vt pacem faciat, accedunt. Diuersisque circumlocutionibus vsi, tandem cum calliditatem Principis minus se fallere posse perpendunt, pro libitu Comitæ, primo captiuos Christianos, quorum plurimam multitudinē infra urbem tenebant, reddūt: & equos, mulos, & arma omnia, quæ habebant, cum infinita pecunia Comiti offerunt. Datam vno quoque anno perfoluendo determinantes, urbem de Comite se seruiendā promittunt: sicque more legis suæ sacramentis datis Comiti cõfoederati sunt. Videns autem captiuos Christianos ab vrbe progrediētes, præ gaudio suæ insperatæ liberationis ab vno quoque cordis lachrymis profundi, ligno, vel calamis, prout quisque primo inueniebat, cõpositas cruces in dextris ferentes Chyrieleison proclamando, ad pedes Comitæ prouolui, nros vero ad talē intuitū pietatis affectu lachrymoso rote perfundi. Comes ergo taliter vrbe sibi cõfoederata, captiuos, vt asportet, per naues ordinās, reditum cū magno timore, præ nimio pondere captiuorum submersionē veritus, accelerat: sed dextera Dei, vt credimus ex euentu patuit, naues per vndas subleuans, cubitu vno liberiores super mare ferebat, quam in aditu suo: cum eas minus onus grauabat. At cum mare sic reditū accelerat, eminus insulā, quæ Golfani dicitur, intuēs, illorsum, vt debellet, vela dirigi imperat. Quo applicans prædis aggrediens deuastat: sicque secū fœdus inire cognoscens suæ ditioni assignat. Vndique impune per equora vela diri-

vela dirigens, Siciliam reuersus desiderantibus se fidelibus suis plurima præda onustus repræsentat. Captiuos autem, quos captione erutos secum reducerat, omnes conuocans liberos facit: offerens eis si secum in Sicilia remanere velint, villam vnã suis sumptibus, loco, quo eligerent, construere debere: & de suis sumptibus necessaria ad lucrandum subministrare: villam etiam eandem Francam, idest liberam villam, eo quod omni vctigali, vel seruili exactiõne libera in perpetuum foret, subtitulare: sed & illis desiderantibus proprios agros, amicosque visere, liberam facultatem quo vellent, abeundi concessit: per totam terram suam necessaria, & absque pretio Phari transitum tribuens. Porro ipsi cum gaudio, & Comiti de sua liberatione gratias referentes quisque in loca sua recedunt: per diuersa regnorum spatia, prout nationis erant, nomen Comitis magnificando dilatantes.

XVII. **A** NNO ergo Millesimo nonagesimo primo, Rogerius Dux contra Consentinos diu rebelles indignatus, exercitu ab omni Apulia coadunato, fratre Boamundo secum accepto ipsos mense Maio obsessum ire disponens, auunculum Comitem a Sicilia, vt sibi auxilium ferendo illuc occurrere non differat, inuitat. Ille amore nepotis ab omni Sicilia multa Sarracenorum millia excitans, sed & militum copias conducens, quo inuitabatur haud segniter accelerat. Consentini, hostes versum se accelerare audientes, se ipsos vallo, & muris muniunt: arma, & quæ defensionis necessaria erant, aptant: sumptus naturæ necessarios infra urbem comportant: defendere, potiusquam succumbere inuicem cohortantur. Dux, & Comes se se inuicem apud Cusentum obuiantes urbem vndique vallant. Dux planiciem obsidione occupat. Comes montana conscendens, quo maior labor, & hostis infestior imminebat, castris suorum urbem gyrare imperat. Consentinis itaque ex consilio, & edicto Principis vallo, & sepibus vndique clausis, ingrediendi, vel egrediendi, vel quidlibet introducendi facultate sublata, plurimum deterrentur. Siciugis decertatio: certamen asiduum. Sed Consentinis maior spes defensionis in fundibulis, & sagittis erat. Propius accedere, vt ense tenus cum nostris decertarent, periculosum ducebant. Porro Comes interdum ad deditiõnem mulcendo blandiri, frequentius interminando detertere, suos instare, hortari, omnia circumire, nil intentatũ relinquere: quæ facienda erant, prior adire, ad certamen suos præcedere, in recedendo subsequi: omnia prudenti ordinatione prouidere studebat: exemplo sui, ad quæ facienda erant, omnes vigilantiores reddens. Consentini itaq; constantiam Comitis iam pridem cognoscentes, & hostes a finibus suis spe arcendi decidentes, consilio inter se habito, urbis deditiõnem, si forte de offensione suæ rebellionis veniam a Duce, & Comite mereantur, aptant. Primo quod Comitem prudentioris consilij virum sciebant, & cuius ordinatione omnia regebantur, conuentiones, se, suumque consilium supplices ei committunt: sine ipso nihil acturi: a quo sciebant, postquam promitteret sine fraude, vel sui detrimento, vbi vitari posset, sibi consiliũ dari. Ille vero eorum verba, vt semper pius, & pacis amator suscipiens, ita prudenter rem ordinauit, vt & Dux pro libitu suo vrbe potiretur: & Consentini Ducis gratia reconciliari non fraudarentur. Dux auunculi sui strenuitate vrbe potitus, antequam expeditio



expeditio soluat, arte cæmentaria castrum ad urbem, a tali præsumptione ulterius prohibenda, in altiori urbis iugo firmat. Comiti autem pro re-compensatione seruitij sibi exhibiti medietatem Paufemitanæ urbis assignat: sicque expeditione mense Iulio soluta, Dux in Apuliam, Comes vero in Siciliam digrediuntur. Comes autem in sua parte castrum firmat: urbemque, cum iam communis esset, ita ordinat, vt plus ex medietate post modum Duci perueniret, quam primo cum sine comparticipa, totius urbis redditus possideret.

**H**IS itaque peractis, quia per successionem temporum ea, quæ gesta sunt, vel acciderunt, prout fuerunt, nos scripturos repromissimus, ordo temporis damnosum dolorem Siciliae, & Calabriae, nos quin huic libro inferamus prætergredi vetat: quamuis pluribus in præsentia sui, hoc idem ad memoriam reuocare, onerosum, quasi dolorem renouando, videatur. Nam sunt nonnulli, qui præ nimio affectu, quem erga ipsum, de quo sermo fit, habuerunt, vt si in eorum præsentia quod accidit, recitatur, a lachrymis minime se possunt continere: ac si recens sit quod narratur. Iordanus enim filius Comitis propter strenuitatem suam omnibus amabilis, quem plures, quia iam Gaufredum, quod dolorem non minuit, morbus Elephantinus peruaferat, Comitis heredem futurum suspicabantur, nam neque alium masculum habebat, apud Syracusam sui iuris urbem febris typo percussus est. Quod cum patri nuntiatum fuisset illorsum præuenire mortem accelerat: sed morbo ingrauescente, vltima determinatio vitæ Iordani patre velocior fuit. Comes autem urbem ingressus, vt funus filij conspexit, intolerabili dolore corripitur: omnesque, qui cum ipso aduenerant, doloris participes facti lachrymoso planctu rapiuntur: pluresque patris dolor, quam Iordani mors ad lachrymas pertrahebat. Vrbs tota lachrymoso vlulatu ventilatur: in tantum, vt ipsos Sarracenos nostro generi inuisos, non quidem ex amore, sed ex mærore, quo nostros affici videbāt, pietatis affectus peruadens ad lachrymas vsque pertraheret. Comes itaque funus decenter ordinans, Trainam per portam S. Nicolai sollempniter humanandum deducit. Multa beneficia eidem Ecclesie, sed & alijs pro redemptione animæ eius conferens anno Dominicæ incarnationis millesimo nonagesimo secundo. Porro ciues urbis Peutargæ, quæ iuris Iordani hætenus fuerat, mortem Iordani, quem plurimum pertimescebant, audientes, casto gaudio rapiuntur: atque in insolentiam prorumpentes, iugum nostræ gentis, rebellando a se excutere frustra nituntur. Nam Comes filio humato nil remoratus, cum sola familia sua illos obsessum vadit: expeditionem ab omni Sicilia se illuc subsequi imperans. Sicque vi superas, illos, qui tam inepti consilij auctores fuerant suspensos extinxit: reliquos tormentis diuersis afficiens, urbis stultitiam sedat.

**P**ATRE orbo, graui morbo sic sublato filio, XIX.  
Vnde doleret, quod careret hereditali gaudio,  
Ditat prole, quasi flore superna prouisio.  
Imprægnatur, ac grauatur: matris gaudens vterus  
Intumescit. Infans crescit naturæ successibus.  
Orat pater; sed & mater Deum, vt sit masculus.

H Implet

Implet vota forma tota, dum semen coagulat.  
 Fiat natura iam secunda: infra matris viscera.  
 Nonus mensis spe suspensus. Sic partus accelerat.  
 Infans prodit. Nullus odit. Fit cunctis lætitia.  
 Obstetrices sunt felices a matris lætitia.  
 Nuntiat puer natus noua præstat gaudia.  
 Mater audit, vnde plaudit fit doloris nescia.  
 Festinatur: nuntiat hæc patri lætitia.  
 Qui congaudens, atque plaudens tura precum cælitus  
 Supplex litat: atq; dicit legatum muneribus.  
 Plura iubet, prout lubet largiri pauperibus.  
 Dolor mortis grauis fortis iam sublato filij  
 \* Fit lucitus: & oblitus spe nascentis gaudium.  
 Simon fonte, pictus fronte in unctioe chrisimatis  
 Heredatur: solidatur Dux futurus Siculus.  
 Calabrenses suos enses sibi optant adijci.  
 Pater totum implet votum. Dux concessit fieri.

XX. **P**ORRO Dux Rogerius vxorem habens præclaræ nobilitatis, neptem videlicet Francorum Regis Philippi, filiam Flandrensiū Marchionis Roberti, quem Frisium appellabant, Adalam nomine, de qua duarum sobolum pater existerat, apud Melfam Apuliæ urbem febre correptus acriter torquebatur anno Verbi incarnati millesimo nonagesimo tertio. Morbo itaque ingrauescente, iam pæne vitalibus interclusis, cum  
 \* ipsi in partibus peritissimi sic medici attestantur, natura contra vsu attonita oberrabat: vt ab ipsis medicis nec pulsu, nec vrina, sed neque alijs prognosticorum indicijs infirmitas determinate posset comprehendi. Quare cum de ipso etiam ab ipsis medicis desperari videretur, fama, quæ iam obijisset, totam Apuliam, sed & Calabriam turbauit. Ea tempestate Boamundus apud Calabriam morabatur: qui cum fratrem, fama referente iam obijisse audisset, credulus castra, quæ iuris fratris fuerant, irrumpens, sacramentis sibi confœderare persuadet: ita tamen discernens, vt si frater, quod se nolle protestabatur, iam obijisset, salua fidelitate legalium heredum suorum, videlicet fratris, sibi quasi fideli eorundem heredum patruo, vsque ad intelligibilem ætatem, qua ipsi legitime terram regere cognoscerent, fideles persisterent. Comes autem Rogerius eum talia facere audiens indignatione commotus, quod talia se inconsulto præsumpserit, veritus etiam, quamuis hanc fidelitatem honeste discernens susciperet, pictis verbis fraudem occultans in posterum, contra nepotes ambitione captus aliquid fraudis machinaretur, a suis insequi præcipiens a tota Calabria arcet.

XXI. **P**LVRES etiam audita fama mortis Ducis in insolentiam prorumpentes, de ijs quæ Duci competebant, distrahendo sibi vsurpare moliebantur. Vnde & Guilielmus de Grantemaniol, summa cupidine correptus, in insolentiam procliuis declinans, Rossanam Calabriæ urbem peruadens intrat: dicens sibi iure competere: vt qui sororem Ducis, filiam Guiscardi Mabiliam nomine vxorem habebat: hereditatisque particeps fieret.



uium sibi obfides adduxerat, minus sibi assentientes offendit. Sed quia ipse Dux iam ante annum, contra voluntatem Græcorum, qui eidem maxima ex parte principabantur, Græco Archiepiscopo eiusdem sedis defuncto, successorem Latinum eligendo, subrogauerat, sed nec dum sacramento, aut sacra vnctione firmatus erat, electione Latini frustrata, dum a Duce conceditur, vt de sua gente Archiepiscopum sibi Græci prolibitu eligerent, fauorem illorum adeptus, urbem quoque illorum deditioe obtinuit: sed castrum oppugnans, fidelibus Guilielmi renitentibus minime præualuit. Porro Comes cum exercitu veniens, de Duce, qui iam tantum profecerat, gauisus iuxta castrum Tarfæ super fluuium qui a S. Marco defluit, quo iam Dux tentoria fixerat, castrametatus est. Hic Guilielmus a Comite inuitatus, vt securus ad colloquendum veniat, accessit. Multisque circumuentionibus vsus, dū & fraudē suam operiret, quæ peruaserat, Duci restituit. Dux autem iussum expetendo, Guilielmum exequens reconciliari sibi, vt iudicio Comitis, ceterorumque prudentum, qui intererant virorum ius teneat, quod sibi tandiu iniurius extiterat, sacramento, & fide promissa obtestatur. Qui sui reatus conscius, & iudicio pregrauari timens, dū renuit, licētia abeundi accepta, Castrum villā impune redit. Quē Dux, & Comes in crastinum cum omni exercitu subsequenti castrū obfidiōne vallant: sicque ligno, & armatorum copijs sepiendo cingentes, vt nulla ex parte aditus ingrediendi, vel aliquid introducendi Castrivillensibus esset: sed infra muros modicum victus habentes, dum per tres hebdomadas imminente hoste premuntur: exhaustisque, quæ ad victum habebant, Guilielmus, quod vt faceret primo expetebatur, vt si susciperetur expetens, se ius Ducis tenere repromittit. Ad quod exequendum, dum fideiussores ad placitum Ducis non habet, quæ de ipso habebat, pro plegio ponit. Duci, in sua virtute, vsque ad determinatū diem: quo ius teneatur deliberatū, per manum Comitis securus factus, quod ius exequi præualeat, castra sua sibi reddat. Instāte itaq; termino iuris tenendi, loco determinato conueniētes, querimonias suas aduersus Guilielmū exponit. Sed ille modicū iuris habens, dū minus rhetorice argumētatur, iudicio, his, quæ sub Duce habet, priuatur. At dum iudicio contradicere molitur, minus facultatis, vel iuris habens, terris priuatus cum vxore ad Imperatorem Constantinopolitanum transiuit: vbi aliquantisper commoratus, tandem cum multa pecunia rediens, Duci, vt pio, & misericordi viro reconciliatus, terram, quā amiserat, excepto castro, quod S. Mauri dicitur, recipit.

XXIII. **C**VM autem inter Vrbanum Apostolicum, & Henricum Teutoniarum Imperatorem dicerentur dissensiones efferbuisse, quibusdā controuerhsis, inter Conradum eiusdem Henrici filium, ac patrem, quod seriatim longum est enarrare, insurgentibus: Conradus irato animo a patre discedens ad Apostolicum, & Malthildem Marchisam, quæ ei ex fidelitate adhærebat, se contulit: eorum auxilio plurimum per Italiam rebellis existēs. At cum iuuenis & sine vxore esset, & sumptibus, ad id quod cœperat, necessarijs minus abundaret, cōsilio Apostolici, & præfatæ Marchisæ Malthildis per Conradum Comitem, quem ad id legationis peragendum direxit, filiam Siculorum, Calabriensiumve Comitis sibi in matrimonium concedendam expetiit. Apostolicus etiam litteras suas committit, vt sibi

vt sibi familiari, & amico: ad hoc idem dirigens, ad cōcedendum hortatur: dicens sibi magno honori, & proficuo futurum, si filia, filio Regis futuro sponso iungatur: & iuuenis S. Romanæ Ecclesiæ fidelitate adherens, sed sumptibus quibus contra patrem, qui eum iniuste oppugnabat, minus sufficiens, quos pater cum filio daret, viribus victus ad debellandos inimicos sanctæ Dei Ecclesiæ præualeret. Comes autem hac legatione percepta, & suaforijs litteris Apollolici viri perlectis, vsus consilio fidelium suorum, & maxime Roberti Trainensis Episcopi: per quem omnem conuenientiam Conradi acquirit: nam Italus erat, & illarum partium gnarus, quod expe- tebatur concedit: & ab vtrisque partibus exequendum sacramentis firmare fecit. Nuptiarum itaque die determinato Conradus Comes a Comite Rogerio pluribus munificentijs honoratus, reditum vnde venerat accelerat: anhelumque de relatione legationis dominū, nuptias concessas accelerans plurimum lætificat. Porro Comes Rogerius apparatus his, quæ ad effectum congruebant, plurima classe Episcopum Trainensem, & alios Barones suos filiam multis thesaurorum enxenijs ditatā Pisam, vsque conduce re facit: vbi filius Regis obuius cum omni honorificentia suscipiens, auctē- tice dispensata sollempnes nuptias celebravit anno Verbi incarnati Mille- simo Nonagesimo quinto.

**P**ORRO Dux Rogerius adhuc iuuenis, & nil malę suspicionis aduer- XXIV.  
sus aliquem habens, sed ex sui cordis puritate aliorum mentes diiudi- cans, Longobardos æque, vt Normannos, quia ex parte matris ex eorum gente erat, sibi fideles credens, & eorum genus, nostræ genti inuisum minus discernens, castra sua tuenda eis haud secus, ac Normannis delegabat. Vnde accidit, vt dum apud Malfam idem faciendo, minus sibi prospiceret, Malfetani vrbe, & castris, quæ Guiscardus ad perfidiam eorum comprimendam ibidem fecerat, pro libitu suo vtētes, liberam facultatem fraudis suæ exercendæ nacti, iugum gentis nostræ, & Ducis, quia moris nostri executor erat, a se excutere, nec tributum, & seruitium statutum persolueret, sed & ipsi Duci ad eandem urbem accedendi, omnibus fidelibus suis exclusis aditum denegarent. Dux autem videns tantum damnum sibi illatum, de credulitate, quam erga eos habuerat, sero pœnitens, a Comite, & fidelibus suis consilium subiugandi eos requirit. Sicq; auunculo Comiti, vt sibi attentissime succurrat, medietatem vrbis sibi, si subiugare possent, concedens: ab omni Apulia, & Calabria nauali, & equestri exercitu admotum, peditum etiam copijs certatim accelerat: anno incarnationis Domini Millesimo Nonagesimo sexto. Vrbe itaque a procinctu maris nauibus cingentes, per præcipitia circum adiacentium montium equitum, & peditum copias prudenter ex consilio, & opere Comitis ordinantes, vndique obsidione vallant. Sic itaque urbem opprimendo, profecto, vt credimus obtinuissent, nisi infortunium tale, quale subtitulando adnotabimus, intercessisset. **BOAMUNDVS** namque Ducis auxilio simulato, & ab ipso submonitus adueniens, plus fratri ad damnum, quam ad proficuum, non tamen, vt credimus, ex industria factus est. Ipso anno ex edicto Urbani Pape expeditio versus Hierusalem ab vndique terrarum feruentissima erat. Boamundus autem, qui iam dudum cum Guiscardo patre Romaniam peruaserat, & semper sibi iubiugare cupiens erat, videns plurimam multitudi-

nem per Apuliam, sed sine Principe illorum accelerare. Princeps, exercitus sibi eos alligando, fieri volens, signum eiusdem expeditionis, crucem videlicet vestibus suis apponit. Porro iuuentus bellica totius exercitus, tã Ducis, quam Comitis, nouarum rerum, vt in tali ætate assolet, appetens, vifa cruce Boamundi, & ab ipso submoniti ad id faciendum certatim concurrunt: sicque crucibus sumptis, fines Christiani nominis vltius non attemptare, donec paganorum fines peruadant, absque contatione voto obligantur. Dux autem, & Comes exercitum suum maxima ex parte sibi taliter defecisse videntes, tristes expeditionem soluunt. Sicque vrbe, pene vsque ad deditioem vexata, tali infortunio priuantur. Boamundus mare transijt. Dux in Apuliam secedit, Comes Siciliam reuertitur. Vrbs oppressionem gaudens liberatur.

XXV. **A**LAMANVS autem Rex Vngarorum audiens famam Siculorum gloriosi Comitis Rogerij, legatos dirigens filiam suam in matrimonium concedi expostulat. Ille vero quamuis honesti viri, qui ad hoc venerant, essent, tamen illos honeste a se dimittens, de suis etiam, ne fallatur, cum ipsis dirigens remandat: vt si exeeutum, quod ceperat velit, alicuius auctoritatis gradus, vel ordinis personas, quibus facilius credatur, ad id confirmandum mittat. Qui anhelus exequi Arduinum Iouiensem Episcopum, & Thomam Comitem idem expostulatum mittit. Comes autem eos honeste accipiens, secum detinuit: de suis honestos, & callidos viros apud Pannoniam mittens, in eorum presentia a potentioribus regionis illius exequenda postulabatur iuramento firmare cogi. Quod Rex libenter annuens per suum Ducem nomine Aliuum, & reliquos non minoris dignitatis viros, omnia, quæ mandauerat, exequenda iuramento firmavit. Sicque legatos Comitis, vt pactum firmatum renuntiant, munificos a se dimittit. Comes autem relatione suorum accepta, haud secus & ipse legatos Regis a se dimittens, pluribus honoribus a se compilauit: Regi terminum, quo sibi filiam suam mittat, statuit. Anno itaque incarnationis Millesimo Nonagesimo septimo, apparatus, quæ necessaria erant, mense Maio cum trecentis militibus vsque Thermas conducere facit Henricum Lescastrensem Episcopum: & quosdam de fidelibus suis ab inde, maritimo cursu vsque Pannoniam, cum puella procedere faciens: qui nauibus apparatus, puellam cum multis sponsalibus intromittentes, velis vento commissis, prospera aura flante per equora feruntur: vsque dum in portu Albæ, qui iuris Regis Vngarorum est, impune applicat. Hic Vincurius Comes Bellegratæ missus cum quinque millibus armatorum obuius fuit: eamque cum his, qui cum ea venerunt, decenter excipiens, vsque ad Regem perduxit. Per totam Pannoniam nuptiæ Regis præconizantur. Vndique cum enxenij concurrunt. Et cum semper frequens, & numerosa manus ex more cum Rege innumerabilem turbam plus solito nuptiarum, & nouæ Reginae visendæ appetitis confluit, die terminato, presentibus Archiepiscopis, & Episcopis, & diuersis ordinibus dos puellæ legali more in publico protestatur. Rex, & Regina catholice pariter desponsantur: sollemnesque nuptiæ in tentorijs, & ex virentibus ramis tabernaculis factis celebrantur. Nam nullæ domustantæ multitudini sufficiebant. Nuptijs itaque regalibus expletis, Rex Episcopum

pum Lescatrensem, & qui cum ipso reuersuri aduenerant, aliquantisper secum commorari faciens, vt videt de egressione fessinos, legaliter munitos a se dimisit. Illi ad portum venientes, maritimo cursu regredi accelerant. Iamque nostrę gentis fines appropiantes, cum terram eminus conspiciunt, nauicula, in qua Episcopus erat, socijs armis carentibus, a duabus piratarum nauibus, quas galeas appellant, hostiliter aggreditur. Nauclerus qui nauim regebat, iaculo confossus colliditur: nauis remige carens submerisionem minatur. Episcopus nullum refugium armorum habens, sed neque hostibus deditionem subire volens, Dei auxilium implorans, socios hortatur. Ipse idem faciens inter alia subiungit. Deus inquit, si meis peccatis exigentibus minus mereor exaudiri, exaudiar saltem per gratiam, quam erga progeniem Tancredi te habere multotięs ostentasti. Hic enim interceptus sum pro seruitio filij sui. Nondum dixerat: & ecce aura intercurrente, nauis in qua erat, ab hostibus auulsa securiores reddit: videns nauim absque remige directo cursu, ad iacentem insulam tanta velocitate, per rapidas equoris vndas ferri, vt hostiles naues remige, & velis insequentibus minus aduersus illam velocitatem pręualeant. Sicque directo cursu diuinitus, vt credimus, regebatur: vt cum idem portus condensis syrtibus insitus arto, & periculoso aditu, nisi a peritis nautis attentetur ad insulam pateat, impune scopulosas vndas placito portu applicarent. Hostibus itaque frustratis recedentibus, ipsi prospero equore, in quo disponebant applicantes ad Comitem perueniunt: ordinem actionis suę exponentes. Quis dubitet progeniem hanc diuinitus quadam felicitate denotam? cum in suis vtilitatibus vbi (.) putes fuisse narratur tot felicibus successibus: fortuna etiam in suis fidelibus, vbi sua negotia exequabatur, defuisse passa non sit. Ad nationem quippe gratiosę fortunę eorum, nauis hęc erepta est ab impugnatione hostium.

**C**OMES ergo totius progeniei suę sustentator, citra Romam versus Siciliam, sicuti maria ab vndique cingunt, abundantia rerum, & industria callentis sapientis consilij præcallebat: vnde & omnes sua negotia ad ipsum conferebant: vt sua prudentia, vt ferrum cote a Comite resumpto ad sua disponenda prudentius callerent: & eius, vbi necesse foret, auxilio potirentur. Porro ipse omnes, quemadmodum gallina pullos sub alas, clypeo suę protectionis, & consilij fouens, vt pius patronus re, & cõsilio, pro vt poterat, omnibus omnimode fauebat. Vnde accidit, vt Ricardus Iuuenis, Jordanis Principis filius, Princeps & ipse Auersę defuncto patre orbis pusillus superstes, fraude Longobardorum vrbe Capuana iniuste iam dudum priuatus, cum iam ad intelligibilem ætatem peruenisset, damnum sibi illatum videns, & dolens, ac de auctõribus vltionem petere disponens, ad sibi consanguineum Comitẽ prudentes viros supplex illorsum, vt sibi auxiliũ laturus accelerare non differat, cũ seruitio suo: vice recõpensationis NEAPOLIM, quę sibi similiter recalcitrabat, si pręualere posset, fiducialiter concedens. Dux, vt qui parti cõsanguinei Principis fauebat, non viliori legato, quã laterali coniuge Adala, videlicet Marchionis Fladręsis filia, ne cũ exercitu venire differat, ac sibi met auxiliũ laturus summopere inuitat. Princeps causa auxiliij, quod ab ipso

sperabat, homo Ducis factus fuerat: quod nūquam Guiscardus, cum mul-  
 tarum artium, & virium esset, a Iordano Principe, quamuis hic auuncu-  
 lus, ille autem nepos, sororis videlicet filius esset, vel vi, vel blandimentis  
 extorquere potuit: cum sapissime attentatus fuerit. Comes autem pieta-  
 te consanguinei Principis, & multis verbis Ducis sibi a Duce delegatæ,  
 legatione deprecatoris, & humilitate exponentis illectus, & persuasus,  
 exercitu, qualem nūquam antea habuisse dignoscitur, ab omni Sicilia, &  
 Calabria forti imperio conflato, prima hebdomada Aprilis, secunda pace  
 Pharam transiens, illorsum accelerat: sed in prato Marco aliquantisper  
 \* commoratus, exercitum maris transmeatione, & arto scopulorum mon-  
 tium transitu tardantem, dum veniat, sustinet: videns iuga montium Ca-  
 labriæ gregibus armentorum, & pecorum, sed & caprarum in vsus Sarra-  
 cenorum, quorum maxima pars exercitui intererat, occupati: vt merito a  
 collatione similis argumenti, gregum Laban, & Iacob, si legisses, vel certo  
 deferente, didicisses, recordari poteras. Congregato exercitu, quis armato-  
 rum millia enumeret? cum ipsa tentoria bitumine palliata vix vllō nume-  
 ro concludi potuerunt. Tam pomposo plus solito exercitu Comes Apu-  
 los fines visum intendit: maxime quia Apuli expeditionibus aliquo an-  
 norum curriculo desueti, corpus nullis plagis, & diutinis laboribus fatigā-  
 do, quin recreando, sibi potius indulgere, quam expeditionibus iterum  
 affuescendo insudare nitebantur: vnde & ipsum Ducem, quasi Principis  
 præsentialiter auxilio destitutum minus verebantur: sed per loca aduer-  
 sus eum insurgendo, in insolentiam prorumpentes eius iussa minus exe-  
 quebantur. Dux quoque simili argumento, de eius versus Apuliam expedi-  
 tionaliter aduentu minus credulus, nam cupienti nihil satis festinatur,  
 vt se ipsum submouendo extrahat, versus Calabriam accelerat. Versus  
 Apuliam proficiscenti apud Lisicum iuxta castrum Orioli occurrit: Mul-  
 tumque ad inuicem lætati, Dux quidem versus Melfam exercitum sub-  
 mouendo accelerat: Comes autem ne greges sui deficerent, iter conficiens  
 Beneuentum venit: ibique in planicie super fluminis ripam Calorij, ad pon-  
 tem S. Valentini castrametatus est. Beneuentani autem eius aduentū per-  
 timescentes, pacem expostulantes iam triduo occurrunt. Comes autem  
 \* sciens urbem iuri Apostolici Urbani, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ com-  
 petere, susceptis mille quingentis aureis, & sex ambulatorijs vrbi, & mes-  
 sibus suis parcendum indicit: indeque pertransiens super fluuium, quod  
 Sabbatum dicitur, tentoria figens Pentecosten celebrauit. Ipse quidem le-  
 gatos iam pridem Capuanis honestos viros præmiserat, submonendis hor-  
 tando, vt ab inepto incepto desisterent. Se illis nil mali inferre velle: sed  
 potius, si cum Principe suo ius exequi velint, eorum parti cum iustitia su-  
 stentata tutamento esse. At vbi legatis regredientibus eos nil moliri, sed  
 potius in malitia sua superbe persistere audit, inde commouens Capua-  
 nos fines peruadit: quo diluculo cum mille armatis exercitum præcedens  
 ad urbem accedit: extractos plurimos militariter deiectos damnose ludifi-  
 cavit: multosque amplius læsisset, ni puluis equorum pedibus excitatus,  
 & a vento condensissime agitatus intercessisset. Sic ad castra sua reuersus  
 in crastinum cum toto exercitu, vrbi se viciniorem conferens a meridiana  
 plaga obsidione vallando, a ripa orientali, vsq; in occidentalē cingit. Dux  
 autem, & Princeps cū suo exercitu ab Aquilonari parte obsidētes urbem  
 tendunt



tendūt prægaurari. Porro Comes, cuius consilio omnes incedebant, quia sollicitior, quia prudentior in omnibus agendis vigilantia cura erat, pontē ex lignis erigēs, ita trans flumen ordinauit, vt suo exercitui, & Ducis, libero aditu patente, fieret transitus. Sicq; vrbs ab vtroq; exercitu in tantū oppressa est, vt nulla ex parte arida, vel liquida egrediendi tuto, vel ingrediēdi aditus pateret: ipse autem omni diluculo ante lucem surgens, vtrumq; exercitum, pōtem transeundo inuisens, vtrum attentī essent ad excubias visum ibat: Ducemque, & Principem adhuc somno oppressos inueniens, ludibrio habebat. Porro ipsi rubore perfundebantur: quod iuuenes ipsi, & ad quos peculiarius negotium attinebat, segniores forent: Comite prouectioris ætatis, & corporis plagarum, laborumque asperitatis viro vigilantiore existente. Nam & ab omni exercitu eius vigilantia admirationi erat: omnesque in eius exemplo vigilantiores reddebantur. Anno Dominicæ incarnationis M X C V I I ibi se imprægnavit Comitissa Adalasia de Comite Rogerio.

**C**VM ista aguntur Papa Vrbanus colloquium Ducis & Comitis de **XXVII.** considerans, a Roma progrediens, apud Capuam, vbi obsessionem tenebant, venit: Comesque sex tentoria illi deliberans ad hospitandum, sumptus necessarios abundantissime ministravit. Porro ipse sciens scriptum; Beati pedes euangelizantium pacem, & Beati pacifici, quoniam filij Dei vocantur, & alibi scriptum est, Pacem habete, & Deus pacis, & dilectionis erit vobiscum: & maxime quia sciebat, se totius Christianitatis curam suæ provisioni delegatam, de pace inter ipsos reformanda primo Ducem, & Comitem, Principemque pariter conueniens attentare cepit. Qui consilio Comitis prudenti responsione vsi, in præsentia Apostolici, copia beati Petri dicunt se ius inire: si a Capuanis pari discrimine idē exequatur, cōcedunt. Papa infra urbem idem de Capuanis rescitū vadens, dū ab vtrisque partibus conceditur, spe conficiendæ pacis frustra gaudens, renuntiat. Dies disputandi statuitur. His opponētib; & illis, prout se se res habebat, respondentibus, graui syllogismo Capuanis, a iudicibus legaliter conclusio determinatur. Capuani audientes se iudicio prægaurari, vel oppositione, vel rationabili contradictione contra iudices vsi, publice se iniuriosos ostentantes, exequi vel nolle, vel non posse denuntiant. Quod audiens vir Apostolicus, & quia hæc ab illis exequendi internuntius fuerat, aliquantulum erubescens, gladio beati Petri, animaduertens in terminatur: parti nostrorum ex toto fauendo se contulit: constantiam Comitissæ in fortia exercenda per plurimum laudans: vitamque eius omni cura Romæ, & Italiæ per necessariam asserens. Nam timor eius plures ab insolentia, plusquam zelus honestatis compescebat. Apostolicus itaque ecclesiasticis negotijs, plusquam expeditionalibus exercitijs intentus, totalibus tumultibus mente declinatis, his tribus Principibus, sed, & omni exercitui Apostolica benedictione concessa, Beneuentum secessit.

**C**OME Sautem cum Duce, & Principe in oppugnatione vrbs at- **XXIIX.** tentissime persistentes, machinamenta ad urbem capiendam artificiosissime aptant. Capuani primo ludibrio habere, contemnere, ad defensionem se se ad inuicem cohortari. Duci tamen, vel Comiti se, si retinendo recipere velint, urbem reddere attentant. Sed nobilissimi Prin-  
cipes

cipes hanc fraudem sibi nullatenus assumere volentes, nisi vt Principi reddantur, adquiescere passi non sunt. At vbi Capuani machinamenta appa- rata versus vrbe[m] appropriare vident, quæ prius ludibrio habebant, exhorrescentes, deditio[n]e vrbis sese, consilio Comit[is] committunt. Sicque ipso mediatore vsi, vix suæ fraudis impunitas impetratur. Principi pro libitu suo vrbs Capuana restituitur. A Principe Duci, & Comiti gratiæ referuntur. Dux, & Comes apud Salernum pariter digrediuntur. Princeps vrbe[m] suo libitu vindicans, in altiori turri triumphaliter hospitatur.

XXIX. **P**APA vrbe[m] redditam, & pacem inter ipsos factam audiens, & gaudet de fraude compressa, & de pace confecta: sed quia Ducem, & Comitem Salernum secessisse audiuit, nolens Comitem, donec sibi loquatur, versus Siciliam remeare, illorsum accelerat. Veniensque cum Archiepiscopis apud Sanctum Matthæum, vt cum debito honore eum acciperet, cum processione præstolatur: & tamen propter amicabilem venerationem, quam versus Comitem habebat, primum ad eius hospitium cum amabiliter visum vadit: diuque eius colloquio vsus, ad processionem, quæ præstolabatur, suscipiendus accessit: in crastinumque conuenientes, alter alterius colloquio cum maxima dilectione fruuntur. Sed quia ipse Apostolicus iam dudum Robertum Episcopum Trainensem, Comite inconsulto, legatum in Sicilia, ad exequendum ius sanctæ Romanæ Ecclesiæ posuerat, perpendens hoc Comitem graue ferre, & nullo modo, vt stabile permaneat, assentire: cognoscens etiam ipsum Comitem in omnibus negotiis ecclesiasticis exequendis zelo diuini ardoris exferuescere, cassato, quod de Episcopo Trainensi fecerat, Legationem beati Petri super Comitem per totam Siciliam, vel habendam hereditaliter ponit: ea discretione, vt dum ipse Comes aduixerit, vel aliquis heredum suorum zeli paterni ecclesiastici executor superstes fuerit, legatus alius a Romana sede, ipsis inuitis nullus superponatur: sed si qua Romanæ Ecclesiæ iuris exequenda fuerint, chartulis a Romana sede in Siciliam, vel Calabriam directis, per ipsos consilio Episcoporum earundem prouinciarum auctentice definiantur. Quod si Episcopi ad Concilium inuitati fuerint, quot, & quos ipsi Comiti, vel suis futuris heredibus visum fuerit, illuc dirigant: nisi forte de aliquo ipsorum in Concilio agendum sit, in Sicilia, vel Calabria in præsentia sua auctentice definiri nequie[ri]t: & ad hoc commissum perpetualiter permanendum, priuilegio suæ auctoritatis firmavit: cuius sententiam subtitulamus.

**V**RBANVS Episcopus seruus seruorum Dei carissimo filio R. Comiti Calabriæ, & Siciliæ salutem, & Apostolicam ben[ediction]em. Quia prudentiã tuam supernæ maiestatis dignatio multis triumphis, & honoribus exaltauit: & probitas tua in Saracenorum finibus Ecclesiam Dei plurimum dilatauit, sanctæq; sedi Apostolicæ deuotam se multis modis semper exhibuit, nos in specialem, atque carissimum filium eiusdem vniuersalis Ecclesiæ assumpsimus, idcirco de tuæ probitatis sinceritate plurimum confidentes, sicut verbis promissimus, ita etiam litterarum auctoritã firmamus: quod omni vitæ tuæ tempore,

tempore, vel filij tui Simonis, aut alterius, qui legitimus tui heres exstiterit, nullum in terra potestatis vestræ, præter voluntatem, aut consilium vestrum legatum Romanæ Ecclesiæ statuemus: quinimmo, quæ per legatum acturi sumus, per vestram industriam legati vice exhiberi volumus: quando ad vos ex latere nostro miserimus ad salutem videlicet Ecclesiarum, quæ sub vestra potestate existant, ad honorem beati Petri, sanctæque eius sedis Apostolicæ, cui deuote hæctenus obedisti: quamq; in opportunitatibus suis strenue, ac fideliter adiuuisti. Si vero celebrabitur concilium tibi mandauero, quatenus Episcopos, & Abbates tuæ terræ mihi mittas: quot, & quos volueris mittas: alios ad seruitium Ecclesiarum, & tutelam retineas. Omnipotens Dominus actus tuos in beneplacito suo dirigat: & te a peccatis absolutum ad vitam æternam perducatur. Dat. Salerni per manum Iohannis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi III. Nonas Iulij. Indictione VII. Pontificatus Domini Urbani Secundi XI.

EXPLICIT OPVS GAUFREDI  
MONACHI.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

EXPLICIT OPVS GAVRIDI

MONACHI



ROGERII SICILIAE  
 REGIS RERVM GESTARVM  
 LIBRI QVATTVOR: ALEXANDRO  
 CELESINI COENOBII ABBA-  
 TE AVCTORE.



ALEXANDER CELESINI COENO-  
 bij immeritus Abbas vniuersis in Christo posi-  
 tis salutem. Non ab re esse reor, si res olim geste,  
 in memoria scripto habeantur. Nam in eis pluri-  
 mum fertur commodum: in quibus quid tenen-  
 dum, quidve sit cauendum satis agnoscitur. Si  
 quidem ipsa bellica acta, cum bona non esse cer-  
 nantur, ideo tamē cōscribuntur, quia, vt nō fiant,  
 quodammodo innuunt: immo iubent: vt & pa-  
 cis vinculum desiderabilius deinceps perseueranter in nobis vigeat: faci-  
 liusque non queat dissolui: Quam ob rem merito me quis culpāre nō de-  
 bet, si militaria gesta, quæ modernis temporibus acciderunt, ad posterorū  
 notitiam stylo comprehensa monachus retulerim: cum etiam in sacris ve-  
 teribus historijs, videlicet Saul, & David, ceterorumque Regum multa his  
 similia narrātur: quæ in cunctis per orbem Ecclesijs ad proficuum audien-  
 tiū legi non prohibentur. Malui igitur a Cœnobialibus ad tempus curis,  
 & sine quolibet segregari damno, quam ea inutili suppressa silentio, tali-  
 ter infructuosa manerent. Ad perficiendum tamen opusculum istud im-  
 portuna me valde Comitissæ Mathildis sororis Regis Rogerij, cōiugisq;  
 Ranulphi Comitatis precatio impulit: cuiusquidē petitionem, etiam si pri-  
 mo propter ordinis rigorem, subterfugere volui, postmodum vero me ei  
 non assensisse pœnituit. Conijciebam enim futuris temporibus, quod ab  
 ea poscebatur, indubitanter profuturum non deesse. Nunc igitur eiusdē  
 Regis gesta ad perpetuam conscribenda memoriam assumantur: qui pri-  
 mo quales pueriles gesserit actus, qui que post Siciliensis Comitatus ho-  
 norem, qualiter ad Ducalem apicem, deinde quomodo ad Regiam proue-  
 ritus fuerit dignitatem: seu quanta diebus nostris in hoc sæculo excellue-  
 rit potentia: quanto etiam terrore prouincias omnes a Sicilia, Romam  
 vsque conterens in breui sibi subdiderit: summa tantum carpando in hoc  
 propaletur volumine. Cuius quoque præcellentissima virtus, etsi in vin-  
 dicandis tot regionibus sibi satisfacere gestiuit, tamen, vt quæ in ipsis mul-  
 tum superfluebat iniquitas, iam finem acciperet, huius quoque erat occul-  
 to Dei iudicio conterenda flagello. Nam sicut ipso Deo disponente, vel  
 permittente, vicens Longobardorum nequitia superuenientium Nor-  
 mannorum violentia olim comprimenda fuit, ita & nunc certum est Ro-  
 gerio cælitus datum, vel permissum fuisse, harum scilicet regionum im-  
 mensam gladio suo coerceri malitiam. Quid enim tunc mali non in ipsis  
 exercebatur? Quippe omni timore abiecto, cædes hominum, furta, rapi-  
 næ, sacrilegia, adulteria, periuria, necnon Ecclesiarum, monasteriorū op-  
 pressiones,

preſiones, virorum Dei contemptus: pluraque his ſimilia fieri non deſinebant. Peregrinorum quoque pro Deo itinerantium alij prædabantur, alij vero, pro rebus eorum diripiendis, in abditis locis perimebantur: quibus facinoribus plurimum Deus offenſus idcirco Rogerium de vagina provinciæ Siciliae extraxit, vt eundem qualiſi gladium acutum in inanu tenens, harum perpetratores iniquitatum, per eum percutiendo comprimeret: atque ad viam iuſtitiae, quos incorregibiles valde diu ſuſtinuerat, eius conterriti terrore reuocarentur. His ergo in præſatione paullulum prælibatis, ad narrandum eius initium iam veniamus.

**I**GITUR Vvilielmus Dux Apuliae poſtquam humanis rebus morte interceptus exceſſit, qui nepos Roberti Viſcardi robuſtiſſimi fuerat Ducis, videlicet genitus a filio ipſius Rogerio, qui ſecundus ei ad ſuſcipiendum Ducatus ſucceſſerat apicem, contigit: vt hæc ipſa iam facta provincia, aliaque circumquaſque poſita regione ingenti poſſiderentur calamitate: vt pote quæ abſque regiminis Ducalis habena fuerant poſta poſita. Quippe Dux ipſe legitima carens prole, heredem iure ſibi ſuccedentem moriens non reliquerat: vnde accidit, vt & ipſarum Ducalium vrbium ſcilicet Salerni, Troiae, Melſiæ, Venuſij, ceterarumque, quæ ſine domino, & Duce relictae fuerant, quædam illius, quædam illius tyrannica ambitione ſurriperentur. Sed & ſingulis quibuſque, quod placitum erat in oculis ipſorum, nemine contradicente agere liceret. Nemo quippe tunc vlla corporis punitate exterrebatur: ideoque ad malum operandum magis ac magis vniuerſi effrenabantur: ita vt non ſolum viatoribus iugis fieret metus, verum etiam agricolis ad excolendum agrum exire cupientibus ſecuritatæ quies deeſſet. Quid plura? niſi Deus Guiſcardinae pertinens proſapiae reliquiſſet ſemen, per quod cito Ducatus recuperaretur monarchia, omnis pene ſiquidem terra nequiſſimis inuoluta facinoribus inhumanæ mentis præcipitium ruitura periret. Quis itaque illud fuerit ſemen nunc ſubiungendo manifeſtetur. Semen inquam illud fuit Rogerius filius Rogerij Siculorum Comitæ: fratris prædicti Guiſcardi: qui tempore, quo ſupra memorata gerebantur, Sicilienſium debebat Comitatu: cuius quidem qui, & quales in ſe pueriles fuerint actus, hic primo, licet ſummatim, recolare digniſſimum duxi.

**H**VIC quippe vnicus erat frater primogenitus nomine Simon: qui patri obituro ad ſuſcipiendum ipſius provinciæ dominium ſucceſſurus erat: quem quidem, vt moris eſt puerorum, nummo ad bellum ludendo prouocabat. Hic namque ludus ei præ ceteris ludis ſpecialiſſimus inerat. Cum ergo vterque cum ſingulis puerorum cateruis, ad hoc accitis præliarentur, ſuperabat minimus Rogerius: vnde deridens fratrem ſuum Simonem aiebat. Me quidem ſic triumphare dominatus honore poſt funera patris potius condecet, quam te. Quapropter cum id poſitus fuero, te aut Episcopum, aut vel Romæ Papam, quod magis tibi competit, conſtituturus ero. Cumque crebro ſic ſuperando talia in eum inſultantius verba proferret, iam in ſe portendebat, quod vere dominus ipſe poſt patrem futurus eſſet: quodque nonnullas, vt in ſequentibus apparebit, pluribus longe, lateque terris ſubactis, conſecuturus eſſet victorias.

FACTVM

**F**ACTVM est autem dum Simon, genitorque Rogerius vi nūminis ad extrema peruenissent, Rogerius minimus ad potiendum prouinciae ipsius Comitatum heres succedit. Sed quia adhuc tenera comprimebatur aetate, nec poterat hac praepeditus, dominatus exercere curas, genitrix illius Adalesia nomine mulier prudentissima, quousque ad aetatem ipse pertingeret legitimam, regimen sub se peragendum ipsius Comitatus accepit. Hic namque dum adhuc puer sub matris tutela degeret, persaepe tanta mouebatur pietatis gratia, ut non pauper, vel peregrinus ab eo vix sine stipe recederet. Plerumque enim cum quid dare non haberet, genitricem adiens petebat, quatinus sibi conferret, quod inopi largiturus esset: cui etiam, quatinus a se ad ipsum fieret, magnopere fulsis precibus suggerebat.

**C**VM autem adoleuisset, factusque miles dominatus iura per se agere deberet, tanta utebatur industria, tantaque virtutis fulciebatur gratia, ut totam Siciliae prouinciam optime, strenueque regens sub omni terrore constringeret: adeo ut non fur, non latro, aut raptor, siue quislibet malefactorum ex latebris suis prodiens apparere auderet. Aurō vero, vel argento, ceterisque rebus ita opulentissimus erat, ut cunctis praegrādem ex hoc ipso stuporem ingereret: vnde non solum a suis, verum etiam ab alienis, seu longe positis quammaxime timeretur. Inuaserat enim & alias insulas: quarum vna Malta vocabatur: cumque ad alias iterū occupandas insulas, terrasque attentius persisteret, repente audiuit praefatum Ducem Guilielmum ab hac luce Salerni decessisse: qui doluit valde, quod se ignorante defunctus sit: quodque se, ut sibi viuens statuerat, si filium non haberet, heredem non fecisset. Vnde moram non patitur: sed praeparato nauali itinere, quantocyus Salernum tetendit.

**C**VMQUE non procul ab vrbe, nauibus infra mare fixis constitisset, delegatis nuntijs Salernitanis ciuibus misit: quatinus eidem subderentur: nam potius sibi, quam alteri dominatus eiusdem ciuitatis, generis successione competeat: quod & Guilielmus Dux si ex coniuge nato cariturus esset herede, viuens ei concesserat. Quibus illi respondentes, Nos nullo modo inquit, nullave ratione ei subdemur: quoniam plura malorum a Guilielmo Duce, eiusque praedecefforibus perpessi sumus: quae etiam ab eodem ipso nobis inferri, si dominatus culmen super nos susceperit, formidamus. Cumque haec, & his similia ab eis superbo ore proferrentur, atque magnas quidam Sarolus nomine, vnus ex illis, qui ex parte Comitis verba detulerant, dura contra eos pro hoc ipso verba reddidisset, mox illis in eum furore concitatis, dum fugam euadendi infelix ageret, ferro ab ipsis succissus interiit.

**Q**VAE VIDELICET cum Rogerio relata fuissent, licet cordis dolore intrinsecus quam plurimum tangeretur, animi sui impetum pro tempore grauitate obuoluens, rursus mittebat: exorans eos, quatinus, quod sibi iustum ad habendum erat, non denega-

rent. At illi super hoc iterum, atque iterum multipliciter secum conferentes, tandem talia respondentes dixerunt. Concedatur nobis munitio turris maioris ad custodiendum: sicque post dominio ipsius subdemur. Quo audito ille, quamquam super hoc pernimum aggrauaretur, subdicionem tamen civium accepturus, prædictam arcem eis pro nutu ipsorum conferendam annuit.

**I**NTE RE A Comes Ranulphus, qui eius iam sororem nomine Mathildim in coniugium duxerat, audiens illum Salernum aduenisse, continuo pergens inuenit eum in mari, in eodem adhuc loco, quo prius subsisterat, persistentem: ubi cum post multa verborum Rogerius eius hominum subdendum postulasset, illeque, nisi forte quid sibi ab eo daretur, pro quo id fieri deberet, recusaret, percunctatur mox, quid sibi per hoc ab eo conferri gestiret. At ille volo inquit, quatinus si mei submissione hominij honorem consequeris, sic versa vice Rogerij Orianensis Comitis me subdicione honores: quod cum audisset grauiter accepit: abnuens parem pari submitti. Vnde dum vterque post inter se vicaria durorum prolatione verborum altercarentur, Comesque deinceps Ranulphus animi indignatione motus penitus recedere vellet, tandem Rogerius eum abire non possus, tam pro coniugali Mathildis copula, qua ei propinquus existerat, quam pro strenuitatis suæ nomine, quam sibi in acquirendo Apuliam omnino profuturam sperabat, eius suscepto hominjo, subdidit ei præfatum quem poposcerat Comitem: deinde cum accepta fidelitate Salernum ingreditur. Amalfitani deinde videntes Salernitanos Comiti colla subdidisse, & ipsi itidem ei retentis munitioibus subijciuntur:

**P**ER idem tempus Romanæ Ecclesiæ Pontificium Honorius Papa secundus administrabat: qui Romæ obitum Guilielmi Ducis percipiens, nec non Siciliensem Comitem Ducale iam ambire regimen cognoscens, doluit valde: atque sine dilatione urbem egressus, Beneuentum properat: deinde missarum celebrans sollempnia, ipsum publica voce anathematis iaculo perculit: si Ducale obtinere culmen vltius conaretur: vel quisquis ei ad id nanciscendum, consilium, auxiliumve tribueret. Vnde factum est, vt & ipse Ranulphus Comes ab eo, quāquam male consultus, penitus auerteretur: modis omnibus nitens præpedire eum, ne Ducatus quiret conscendere apicem.

**V**ERVM Rogerius Salerni commorans cum audisset, quod Papa Beneuentum petisset, atque in se excommunicationis intorsisset iaculum, misit ad eum orans, vt non ab Ecclesia dominatum, Ducalemque honorem generis iure sibi competentem conscendere prohiberetur: nam ei, prout æquitas imperaret, de eiusdem Ducatus culmine libenter ipse obsecundaturus esset. Papa vero ijs perceptis, nulla ratione, nullo pacto eius precationibus flectitur: immo amplius illum excommunicando feriens expellebat. Porro Rogerius indignationem adhuc illius patienter sustinens, misit iterum, atque iterum, quatinus eum suscipiens, quod se habere iure decebat, non denegaret. At contra Papa eodem modo



modo quo supra in eum, obstinatissimum gerens animum, nullo modo de fiderio ipsius assensum præbere volebat.

**P**OST hæc autem prædictus Præful a Troianis ciuibus accitus, eorum hominum, flagrantibus ipsis accepit: vbi quidem vniuersi Apulia ad se venientes Magnates aduersum Rogerium ita, eodem sollicitante, fœdere ei vniuntur, vt non, nisi aut illum penitus expellerent, aut in bello si possent, de terra necando delerent. Ex quibus fuerunt Grimoaldus Barenium Princeps, Gofridus Comes Andrensis, Tancredus de Conuersano, atque Rogerius Orianensis Comes, alijque complures: quorum scilicet vnanimitati & Robertus Capuanorum Princeps eiusdem Papæ hortatu, Comitisque Ranulphi instigatione consociatur. Nec mora: præfatus Apostolicus Beneuentum repedit: ibique non longa intercedente mora, rursus Troiam reuertitur: qui ibidem Episcoporum celebrans concilium Rogerium iterum, vel quisquis ei ad adipiscendum Ducatum consensurus, seu opem collaturus esset, ab Ecclesia excommunicando eliminavit: cumque his peractis denuo Beneuentum remeasset, Rogerius rursus legatione ad eum directa suppliciter precatur: quatinus anathematis sententia remota, Ducalique sibi dignitate concessa, seruitium eius susciperet. At ille rursus in eodem ipso quo supra, immobili mente persistens, petitioni suæ nullatenus adquiescit.

**R**OGERIVS tantam ipsius insolentiam, animumque eius ita inflexibilem spectans, ad Siciliam transfuctus nauigio redit: quatinus quod humilibus verbis obtinere non poterat, armorum violentia reuertens adipisceretur. Cuius abscessu cognito Papa & ipse Romam quantocyus potuit, repetit: vt inde bellicam aciem ducens aduersus eum, simul cum præmemoratis Principibus obsistere deberet: si forte cum hostili manu Ducatum inuasurus rediret. Multa quidem præterij: quoniam summa tantum, atque extrema, sicut in proœmio iam dictum est, enarrare proposui.

**I**GITVR Rogerius cum apud Siciliam, quousque ad bella solitum est procedi, demoratus fuisset, coacto nimium immenso exercitu fretum Pharense tran-suadavit. Qui inde mouens ad turrim, quæ Hunifredi dicitur, constringendam properat: quam quidem cito comprehensam ad solum vsque subuertit. Deinde Tarentum perueniens, ciuibus se se dedentibus, mox eam obtinuit. Cuius post obsidionem Hydruntini ciues pertimescentes, ciuitatem & ipsi, seseque ei submitunt. Hæ quippe vrbes Boamundi iuris fuerant: quas ipse, omnemque terram suam, cum ad potiendum Principatum Antiochiæ, transmarinum peteret iter, Apostolicæ prius fertur tutelæ commisisse. Verum ille eiusdem ciuitatis decoratus Principali infula, breui intercapedine posita, in loco, quo se tutum omnino cum suis fore putabat, subito a Turcorum interclusus acie, cum multis alijs digladiatus finem vitæ dedit. Deinde super Brundisium urbem prædicti Tancredi veniens, eam nimio obsidionis rigore tamdiu oppressit, donec vrbicolæ non diu tolerantes, ciuitatem ei, seseque dedere: quo facto ad oppidum, quod nominatur Castrum, obsessurus festinat: quod quidem

sine dilatione capitur. Post hæc autem oppidum, quod nuncupatur Oiraadiens, continuo illud aggreditur. Præterea, & alia eiusdem castra capiuntur: quorum nunc nomina nequaquam recoli ignorationis necessitas cogit.

**H**ONORIVS itaque Papa cognoscens Siculorum Comitem mare transisse, terrasque Boamundi, atque Tancredi ex parte iam occupasse, cum militibus ferme trecentis reuertitur: mandans Principi Ruberto, Comiti que Ranulpho, ceterisque per Apuliam præmemoratis Principibus quatenus militaribus collectis agminibus, secum hosti Rogerio iam imminente armis obuiaturi procederent. Comes igitur Rogerius comperiens præfatam expeditionem ad se debellandum properare, mouens se ad fluuium Bradanum, vbi vadus Petrosus dicitur, castra figi præcepit. E contra vero Papa cum omnibus suis appropinquat: in tantum, vt medius inter eos fluuius ipse difflueret. At Rogerius cum dominum Papam expeditioni illi interesse percepisset, reuerentiam illi ita exhibebat, vt vitaret eum contingere: ne contra Deum, spreto ipsius vicario, repugnare videretur. Quin etiam ad eum legatione semel, ac iterum facta flagitabat, vt ei anathematis vinculo absoluto, Ducatum etiam iure generis sibi succedentem liceret accipere.

**C**VM QVE sic hi, & illi sine rerum effectu diutius permanissent, Magnates Principis Roberti, deficientibus sumptuum stipendijs, egere incipiunt adeo, vt & plures illorum chlamydes suas distrahentes, cibos sibi mercari compellerentur. Vnde factum est, vt quidam eorum in eadem non ultra ferentes, latenter recederent. Apostolicus vero cognito quod Baronum, militumque murmur instaret, eo quod multum temporis militare sustinentes exercitium, egestatem pati cogerentur, velentque se se dimisso, recedere, fultos consilio ad Rogerium clam, festinanter præmisit: pollicens illi Ducatum annuendum: ita tamen vt prius Beneuentum petens, suum ei ibi hominum subderet: sicque postea ipsum a se Ducatum ex more acciperet. Hoc quoque illo annuente, simulque ab vtraque parte firmato, Apulienses heroes comperto hoc, mox dissolutis papilionibus, ad sua cum dedecore reuertuntur: culpantes pernimum Papam, quod sine eorum consensu, cum hoste Rogerio concordatus fuisset.

**C**VM ergo Præsul Beneuentum redisset, ecce Rogerius adueniens in montem S. Felicis, haud longe a Beneuento positum ascendit: militari eius cuneo in deuexum eiusdem collocato montis. Post diem vero tertium præfatus Pontifex ab eo accitus paululum ab vrbe progreditur: ipsiusque, vt moris est, hominio suscepto, cum vexillo Ducale eidem tradidit regimen. At Rogerius Apostolica roboratione Dux constitutus, secundum quod inter se iam propositum fuerat, sacramentum ei fidelitatis per omnia seruandum exhibuit: quibus peractis Papa ad palatium reuertitur: Dux Troiam festinus obsessurus pergit: quæ quidem & si strictius ab eo obsessa teneretur, tamen ei a ciuibus omnino resistebatur. Nam Troiani præscientes obsidionem ipsam super se venturam, urbem nimium præmu-

præmunierant: unde eum obsidentem audaciores paruipendebant. Cum ergo Dux ibi aliquandiu moratus ciuitatem etiam munitissimam fore conspiceret, nilque tunc ad capiendum eam, ob hiemem iam imminentem se proficere posse præuideret, remota obsidione, interim ad recipiendum Melfam, aliasque Ducales vrbes festinat: quæ iam legatis præmissis, vltro se se ei subdendas mandauerant: quibus receptis expeditionem bellicam ad propria redire iubet: sicque Salernum reuersus, ibique parumper moratus, ad Siciliam cum multo iterum inde reuersurus exercitu, remeat. Qui dum apud eandem prouinciam morans, Apuliæ absentaretur, Tancredus suis interim persuasionibus Brundisium ciuitatem, & oppida, quæ inuadente eo amiserat, recuperauit.

**F**ACTVM est autem, cum tempus egrediendi in hostem opportunum successisset, Dux Rogerius collecta rursus militari expeditione fretum, quod Pharum dicitur, transmeauit. Exinde moto exercitu cœpit huc, illucque terras sibi omnes militari violentia occupare. Cum ergo ex parte recuperasset oppida, quæ iam Tancredus eo absente resumperat, tandem iterum Brundisium, vt eam recuperet, obfessus vadit: qui cum longa in obsidendo mora traheretur, nilque tunc ad obtinendum eam posse proficere præuidisset, dimittens eam ad tempus, ad alia interim aggrediendum oppida accelerat.

**V**ENIENS itaque super Castrum superius iam memoratum, continuo, quod se ab eo auertens Trancredo adhæserat, illud euerit. Deinde cum Montis alti oppidum ab eo obsideretur, Robertus interim de Grantimania se ei præsentans rogabat eum, vt ei iam ad sua redeundi licentiam largiretur. At ille, quare inquit hoc flagitas? Cui ille respondit: ideo recedere quero, quoniam inedia constrictus exercitus huius, laborem vltra perferre non valeo: nam feudum, quod videor habere, modicum quidem valde est: nec ad sustinendum diu militare sufficit exercitium. Sciatur itaque, quoniam si illud non mihi modo adactum fuerit, ipsum militare opus non amplius tibi seruiens exerciturus ero: sed trans Alpes, ad terram consanguineorum meorum pergam: quo quidem sine inopia ero mansurus. Cui Dux noli inquit, precor rem hanc agere: sed parumper attendere: quousque vniuersa mihi subijciatur Apulia: sicque postmodum quod quæristibi proculdubio adimplendum erit. At ille videns differri quod petebatur, mox more suo, ira succensus ait: Si nunc quod peto non dabitur, iam vltra a te mihi illud dari non præstolabor: nec etiam quæ nunc a me tenetur, terram, eo quod modica sit, amodo tenere cupiam. Cumque hæc, & his similia affatus ei se absentasset, protinus sine ipsius nutu, male consultus ab hoste discessit: quod quidem Duci quantum displicuerit, in sequentibus aperietur.

**C**APTO itaque Monte alto, Rubeam præfati Tancredi urbem inuasurus properat: qua deuicta Alexander Comes, Tancredus, Grimoaldus Barenfis Princeps, nec non Gofridus Comes Andrensis tantam ipsius potentiam experti, saniori consilio inter se habito,

mox ei subijciuntur: vnde Tancredo ipsi Dux animo iam sedatus terras quas cumque abstulerat, reddidit: quibus deinde præcepit, vt post ipsum ad obsidendum secum Troiam celeriter accessuri essent. Porro Troiani percipientes præfatos Magnates Duci colla iam subdidisse, confusi sunt valde: qui etiam ne sine tutore existèrent, miserunt ad Robertum Capuanorum Principem, quatinus cito veniens dominium super se suscipere: atque a Duce, qui iam instare cernebatur, protegeret. At ille nolbat ad eos ire: verens certa pro incertis negligere. Ad hæc Comes Ranulphus iratus respondit: Ego inquit, si tu non vadis, nullo modo agam, quin eis auxiliaturus pergam: qui cum Troiam ingressus fuisset, ciues alloquitur: mutuoque firmata fidelitate, eos se contra Rogerium protecturum firmissime spondet.

**V**ERVM Dux appropinquans venit super Salpin: moxque eam obtinuit: qui audiens Ranulphum Comitem contra se Troianos velle tueri, indignatur valde, dicens: Si Comes Ranulphus terram meam abstulit, ego vadam, relicta interim Troia, suam ei ablaturus. Cumque prætergrediens Troiam, ad castrum, quod dicitur Grenitium peruenisset, Comes Ranulphus putans eum ad terram suam inuadendam, sicut dixerat, velle ire, verensque eam amittere, præmisit legatos suos post eum: per quos cito concordia ipsius secum habenda flagitur. Cumque Dux cum eodem, si Troiam de se tenere vellet, se concordaturum promississet, confestim ille Troianis dimissis, ad castra ipsius, qui in prædicto adhuc loco morabatur, concitus iuit. Deinde seorsum habito vicissim colloquio, pactoque alterutrum concordia constituto, Comes ad propria regreditur. Dux autem Troiam obsessurus redijt: ad quam videlicet obsidionem suprascripti Proceres, vt eis imperatum fuerat, accelerarunt. Quid longius motor? Vrbs quippe obsessa in tantum cōstringitur, vt infra paucos dies vellent, nollēt Duci subderentur. Troia itaque capta, ceteræ vrbes Ducales timore mentis magis deposito, humiliter eidem subijciuntur: atque ita omnis ei Apulia sine vlla contradictione submittitur.

**P**OST hæc autem Rogerius agens exercitum vadit ad oppidū, quod vulgo nominatur Lacupesulum: in quo videlicet loco Robertum de Grantimania reperiens, coram omnibus super eo querimoniam egit: quod sine ipsius nutu cum Montem altum obsideret, ab exercitu abscesserit: profitens id ad damnum sui, ab eo actum fuisse. At ille, absit inquit hoc a me: sed vt trans montes ad terram parentum meorum pergerem, recessi. At Dux: si ergo inquit ad Transalpinas terras festinare desideras, terras quas modo possides, quasque etiam te vltra non velle tenere confessus es, nunc coram omnibus renunties: cui ille respondit: accipe eas cito: eo dumtaxat tenore, vt mihi securiter liceat abire. Quid plura? Dux statim terris ipsius receptis, continuo ei abundi licentiam dedit.

**H**IS QUOQUE peractis Dux Melfiam properans, cunctos Apuliae Optimates ad se conuenire iussit: quibus etiam inter cetera edictum dedit: vt in pace permanentes alterutrum non aduersarentur.

entur. Simulque eos iurare compulit: vt ab ipsa hora, & in antea iustitiam, & pacem tenerent: & adiuuarent tenere: nec manu tenerent homines, qui latrocinium, aut rapinam facerent in terris suis: nec esse consentirent. Et si aliquis ibi huiusmodi malefactor reperiretur, sine fraude, curiæ suæ, in loco a se constituto, vt iustitia ex eo fieret, præsentarent: & quod ecclesiasticis personis, & rebus earum, videlicet Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, monachis, omnibusque clericis, laboratoribus, villanis, & cuncto populo terræ suæ dominationis cum rebus eorum, nec non peregrinis, viatoribus, mercatoribus pacem tenerent: & obseruarent: nec eos inquietarent: nec inquietare ad suum posse permetterent. Vnde non mirum si terras sibi omnes Deo cooperante subijcere poterat: quoniam quidem in omni dominationis loco huiusmodi iustitiæ assiduo rigore promulgato, pax continua, in qua secundum Psalmistam factus est locus eius, perseverare videbatur. Quomodo enim pacis bonum deesse poterat, vbi nullus quidem malefactor, terrore ipsius coercitus prodire auderet? Cum ergo ibi Dux aliquandiu moratus hæc, & his similia ad commune proficuum disposuisset, Baronibus ad sua redeuntibus, Tarentum ipse regreditur: qui verens, ne Robertus supradictus recedens aliquando quidquam ei aduersi moliri satageret: iurare eum ante discessum compulit, quatinus vltra montes abiens, ibi in perpetuum degeret: neque iam amplius Apuliam ad inhabitandum requireret. Quod cum ille iuramento firmasset, hoc modo liber abscessit. Dux post hæc ad Siciliam remeat.

**I**BICUM ad tempus vsque opportunum moratus fuisset, audiens præfatum Robertum violato sacramento reuersum, atque oppidum Orgeolum, nec non Costrum villæ contra se pugnaturum recepisse, iratus fretum Pharense, Siculorum exercitum agens transieuit. Deinde Calabrorum, Apulorumque etiam bellicis adscitis agminibus, cum immensa animi indignatione super illum iuit: quem quidem omnimodis ita obsidione sæuissima constrinxit: vt intra paucos dies sese ei vellet, nollet, subijciens, oppida etiam ipsa cogere dimittere. Deinde Salernum adiens, eam acerrima circumcinxit obsidione: quatinus ei a ciuibus munitio turris maioris, quam eis custodiendam, petentibus ipsis, non corde annuerat, redderetur. Non enim se vrbs illius dominari arbitrabatur: quamdiu arx illa non ei subesse cernebat. At illi videntes se nullatenus posse obsistere, sine dilatione concesserunt quod ab ipso flagitabatur.

**Q**VIBVS ita finitis, non diu post cum ipso exercitu mouens, se in terram Rogerij Orianensis Comitis tēdit: secus oppidum, quod nominatur Apitium, castrametatus: ibique tamdiu ex industria moratur, quo vsque terra eiusdem Comitis pæne omnia suis circumquaq; frumentatoribus depopularetur. In magna nāq; Dux, similitate prædictum Comitem tūc habebat: quem quidem eū erga se non recta fide iam incessisse relatione didicerat. Qua de re coram omnibus post impetiturus, cum se a noxa per iudicium excusari non posse cernebat, Padulum ei propter hoc, atque Montemfufcum, duo scilicet ingentia castra consulti-  
tur vltro

tur vitro dimittere. Quod cum factum fuisset, mox ab animo Ducis sic ex-  
clusa simultas cessauit.

**V**NDE progrediens Troiam iterum obsidione circumfedit durissi-  
ma: cuius ciues, sicut & Salernitani egerant, & ipsi nihilominus  
egere. Nam castrum, quod ab eisdem, Guilielmo Duce ab hac de-  
cedente luce, destructum fuerat, reedificari etiam volentes concedunt.  
Dux ergo tot, tantisque successibus potitus, Troia lætus continuo re-  
cessit: Meliam petiturus. Vbi etiam munitionem, quæ a ciuibus, iu-  
bente eodem Duce, subuersa fuerat, restitui compellit. Tunc temporis  
& Robertus Capuanorum Princeps solo nominis sui terrore constrictus  
suo subditur dominio. Nec multo post Salernum rediens ad Siciliam in-  
de remeauit. Nunc itaque in hoc loco primus de Ducatu claudatur libel-  
lus: quatinus ad ea, quæ iam Rex constitutus gessit, commemoranda sty-  
lus vertatur.

EXPLICIT LIBER PRIMVS.

INCIPIT LIBER SE-  
CVNDVS.



**V**M DVX ROGERIVS PER OM-  
nia lætis potitus successibus, totas Boamundi ter-  
ras, omnemque Ducatum in integrum potentissi-  
me obtinere videretur, nec non Capuanorum Prin-  
ceps, Magisterq; militum NEAPOLITANVS,  
omnisque terra, quæ erat vsque pæne fines Anco-  
nitanae vrbs, bellorum cunctis contrarietatibus so-  
pitis sibi subderentur, sæpissima sibi, ac familiari  
quorundam, maximeque Henrici Comitis auuncu-  
li sui, a quo plus alijs diligebatur, coepit suggeri colloquutione: videlicet, vt  
ipse, qui tot prouincijs Siciliae, Calabriae, Apuliae, ceterisque regionibus,  
quæ pæne Romam vsque habentur, Domino cooperante dominabatur,  
nequaquam vti Ducalis, sed Regij illustrari culminis honore deberet.  
Qui etiam addebant, quod regni ipsius principium, & caput Panhor-  
mus Siciliae metropolis fieri deceret: quæ olim sub priscis temporibus, su-  
per hanc ipsam prouinciam Reges nonnullos habuisse traditur: quæ po-  
stea pluribus euolutis annis, occulto Dei disponente iudicio, nunc vsque  
sine Regibus mansit.

**H**ORVM itaque amica, atque laudanda suggestio, cum infra semet  
ipsum multifarie tractando versaretur, velletque exinde certum,  
ratumq; habere cõsiliũ, Salernũ regreditur: extra quã non lõge cõ-  
uocatis ad se aliquibus ecclesiasticis peritissimis, atq; competẽtioribus per-  
sonis, nec nõ quibusdã Principibus, Comitibus, Baronibus, simulq; alijs,  
qui sibi sunt visi, probatioribus viris, patefecit eis examinadũ secretum: &  
inopinatum

inopinatum negotium: ac illi rem ipsam sollicite perscrutantes vñanimitè tandem vno ore laudant: concedunt: decernunt: immo magnopere precibus insistunt: vt Rogerius Dux in Regiam dignitatem apud Panhormũ Siciliæ metropolim promoueri debeat: qui non tantum Siciliæ paterna hereditate, verum etiam Calabriae, Apuliae, ceterarumque terrarum, quæ non solum ab eo bellica obtinentur virtute, sed & propinquitate generis antecedentium Ducum iure sibi succedere debent. Nam si regni solium in eadem quondam ciuitate, ad regendum tantum Siciliam certum est existisse, & nunc ad ipsum per longum tempus defecisse videtur, valde dignum, & iustum est, vt in capite Rogerij diademate posito, regnum ipsum non solum ibi modo restituatur: sed in ceteras etiam regiones, quibus iam dominari cernitur, dilatari debeat.

**I**STORVM itaque Dux consilijs, atque veridicis assertionibus roboratus, Siciliam repetit: mandans suarum prouincijs vbique terrarum, quatinus omnes cuiuscumque dignitatis vel potestatis, seu honoris essent in die susceptionis eius coronæ, quem Dominici Natalis primo aduenientis sollemnitas susceptrura erat, Panhormi omnes conuenientes adessent. Cũ ergo ad diem constitutum vniuersi illi, simulque & de populis pusilli, & magni absque numero confluisissent, huiuscemodi iterum causa sollempniter, diligenterque inuestigata, atque tractata ab omnibus eodem modo, quo & supra, ad gloriam Dei, eiusdemque Ecclesiæ augmentum regia in vrbe Panhormitana fieri omnino decernitur promotio: cui etiam adeo tanta concessa est virtutis potentia, vt ad exercendam malorum vindictam, & ad conseruationem iustitiæ ipsum genus suum ampliori terrarum acquisitione iam superexcedere videatur.

**C**V Mergo Dux ad Ecclesiam Archiepiscopalem more regio ductus, ibique vnctione sacra linitus regiam sumpsisset dignitatem, non potest litteris exprimi, immo mente æstimari, quæ, & qualis, quantave eius tunc esset gloria: quam magnus in regni decore: quamque etiam in diuitiarum affluentijs admirabilis. Nempe aspicientibus tunc vniuersis ita videbatur, ac si omnes huius mundi opes, honoresque adessent. Inæstimabiliter quidem tota coronabatur ciuitas: in qua non nisi gaudiũ, & lux erat.

**P**ALATIVM quoque regium vndique interius circa parietem palliatum glorifice totum rutilabat. Solarium vero eius multicolorijs stratum tapetis terentium pedibus largifluam præstabat suauitatem. Euntem vero Regem ad Ecclesiam sacrandum, vniuersis eum dignitatibus comitantibus, immensus etiam equorum numerus ex parte altera ordinate procedens sellis, frenisque aureis, vel argenteis decoratus secum comitabantur.

**A**D regiam discumbentibus mensam ciborum, potuumque multimodus, atque affluentissimus apparatus habebatur: vbi quidem non nisi in pateris, seu catinis aureis, vel argenteis ministratum fuit. Seruitor ibi nullus nisi quem serica tegetet vestis: adeo vt ipsi etiam parobsidum

parobfidum reportitores sericis operirentur indumentis. Quid plura? gloria, & diuitiæ in domo Regis tot, & tales, tantæque tunc vitæ sunt, vt omnibus & miraculum ingens, & stupor vehementissimus fieret: in tantum, vt timor etiam non modicus vniuersis, qui de longe venerant, incuteretur. Etenim multo plura in eo conspiciebantur: quam rumor non fuit quem audierant.

**C**VMQVE peractis Regiæ coronationis celebritatibus, ad propria singuli redissent, cœpit Rex sollicitus intra mentis suæ voluerre arcanum, qualiter deinde regnum suum, quod multum desiderabat. perpetua solidaretur pace: nullusque aduersum se resistendi facultatem posset habere. Vnde ab Amalfitanis vehementius, instanterque cœpit exigere, quatinus cunctas suas dimittentes munitiones sibi eas custodiendas traderent: alioquin nullo modo, nulloque pacto vltius pateretur, vt ipsi eas sibi seruandas tenerent: qui cum omnes vno id ei animo cōsentientem contradixissent, atque in hoc ipso obstinatissimo persisterent corde, Rex indignatus illos a fidei suæ consortio dissociauit.

**A**RCESSENS itaque Ammiratum nomine Iohannem, virum scilicet in rebus bellicis prudentissimum, atque strenuissimum præcepit, vt quantocyus pergens, cunctos iussu eius sollicitaret, quatinus ad obsidendum Amalfiam accelerarēt rebellem: qui fretum pertransiens Phari, dum vniuersos Calabrorum, Apulorumque bellatores summouere intenderet, interim Georgius maximus Ammiratus, vir quidem Regi fidissimus, atque in negotijs læcularibus exercitissimus mare iussu eiusdem Regis sollicitus Amalfiam circumgyrando obseruare studet: si forte Amalfitanorum aliquos pelagus peragrantes capere posset: & ne forte quilibet alij vndecūq; per equora accedentes, eis opitulari succurrerēt.

**Q**VI dum sic marinas excubaret semitas contigit, vt oppidulum Amalfitanorum quoddam, quod Guallum nominatur, videlicet infra mare positum violenti caperet manu. Deinde oppidum aliud, quod Capris dicitur, similiter infra mare situm, nauigijs eius circumdatum sine dilatione strage facta multorum aggreditur. In quibus quidem regijs dispositis excubijs, mox Triuētum Amalfiæ oppidum obsessurus vadit: quod iam præfatus Iohannes, regio quem acciuerat, obsidente exercitu, immaniter constringebat.

**C**ONTRA quos Iohannes cognomento Sclauus, qui castro eidem præerat, omni studio, omnibusque viribus eis contrastare satagebat. Verum bellatores regij videntes castrum fortissimum, cōstrueto molimine, tormentis illud vexare insistant. Nouissime vero cum longissima pertica, in cuius summo vncinus ferreus erat, antemurale, quod vulgo Barbacanus dicitur, toto diuellunt conamine. Dumque sic exteri ad illud diuellendum instantius feruescerent, prænominatus Iohannes viso hoc, timore concutitur. Cernensque se demum nullum euadendi vestigium posse reperire, se se regi, castrumque submittit. Capto itaque Triuento, aliud Amalfitanorum oppidum nomine Rabellum regiæ phalanges obsessuræ pergunt. Cumque præparato molimine ligneo instanter ab  
eis ipsum



eis ipsum coereretur, Rex interim non longe post equoris vndis aduectus aduenit: a quo etiam non solum castrum illud, sed & alia quædam Amalfitanorum oppida singula singulis exercitibus obfessa, terribiliter angustiari non desinunt.

**F**ACTVM est autem dum turris Rabelli, in quo præ ceteris oppidis maxima Amalfitanorum spes inerat, petrarum ictibus crebrius quaeretur, pars non modica ex ea obruitur: quo viso Rabellisij, ipsique Amalfitani continuo corde soluti, viribusque præ timore destituti, de pace cum Rege habenda mox consulunt. Quid plura? Rex Rogerius pro velle suo datis, acceptisque dextris recepit Rabellum, Scalam, Gerulam, Pugerulam: ceteraque Amalfitanorum oppida: sicque sibi pro velle suo subiecta Amalfia Salernum victor reuertitur.

**D**VMQVE ibi moraretur, Magister militum ciuitatis NEAPOLIS Sergius nomine, cernens in Rogerio tantam virtutis exercuisse potentiam, non quidem belli rigore, sed solum ipsius timore contritus iuit ad illum: eiusque subiicitur dominatui: quæ videlicet ciuitas, mirabile dictu, post Romanum Imperium vix vquam, a quoquam ferro subdita fuit: nunc vero Rogerio, solo verbo præmisso submittitur.

**D**EINDE Rex quia graue, durumque sibi erat, quod Ricardus Ranulphi Comitis frater tanta inuoluebatur superbia, vt Auellinum urbem, nec non castrum Mercurianum se ita possidere assereret, vt nec ipsum, nec quemlibet alium dominum ex eis habiturus, nec cuiquam vquam seruiturus foret, legatione abinde præmissa, proprio ea subdidit dominatui. Quippe iam erat tantum virtutis ipsius nomen, vt fere cuiusque castro, vel ciuitati solum iussione uerbum dirigeret, sine aliqua dilatione ei subderentur. Cum ergo hoc ipsum Ricardo relatione compertum fuisset, continuo nimio furore succensus, atque bello demens effectus, eundem ipsum, qui uerbum retulerat, mox deiectum in terram, naribus eius sufficis, oculorum lumine priuari iussit.

**V**ERVCOMITISSA Mathildis, cuius iam lōge superius mētio habita est, audiens Rogerium Regem fratrem suum Salernum aduenisse, de Allisis, absente, & ignorante viro suo Ranulpho Comite ad eum profecta est: profitens se nulla ratione, nullo pacto, ad eius torum ulterius redituram: nisi ei dotalia cuncta restituerentur: videlicet tota vallis Caudina cum eius omnibus infra manentibus oppidis. Cuius quidem iustam aduentus causam cum Rex cognouisset, cupiens illi patrocinium impendere, eam apud se pro suo velle manere permisit. Videbatur enim iniustum omnino non esse, quod ipsa poscebat. Neque enim eam aliter suam posse obtinere iustitiam arbitrabatur, nisi ei secum manendi ad tempus daretur facultas.

**C**VMQVE Comes Roma, quo ierat, reuersus uxorem suam recessisse, nec non Auellinum, atque Mercurianum sibi dempta reperisset, immenso animi mærore concutitur: non tantum quod præfatas  
K amiserat

amiserat terras, quantum quod se a cōiuge ita dimissum comperisset. Quā ob rem misit ad Montem fuscum, quo ipse erat, deprecans obnixius, quatinus coniux eius sibi, simulque Auellinum, nec non Merculianum restituerentur. At ille ijs, qui missi fuerant respondens dicebat: Ego quidem vxorem Comitis nec teneo, nec redire cogam: quoniam eam non abstuli: ipsius ergo requiratur voluntas: & si quidem reuertēdi habuerit animum, ego non contradicam. Verumtamen quod quærit, videtur iustum quære: nec esse vti que sibi denegandum: quandoquidem sub horum, quæ dicit, condicione dotalium, eam me concedente, duxit vxorem. Auellinum autem, & Merculianum ea propter non reddere debeo, quoniam Ricardus frater eius ipso audiente, atque omnino tacente fatebatur, ea sibi ita esse propria, vt neminem inde dominum super se cognoscere, nec cuiquā familiariter deberet. Si igitur inquam sui iuris, vt ipse asserit, erant, vt quid cum inde nullum se habere dominum Ricardus ipso audiente testaretur, ea iuris sui esse non ore proprio notificabat? Est & aliud propter quod ei non sunt reddenda, quæ quærit: quoniam cum Panhormi positus essem, & de eius superbia, quod nec mihi, nec vlli alij, ex his, quæ tenere videbatur, subdi volebat, præsentem eodem conquerer, ipse per omnia tacendo potius fratris fallentis verbis, quam ijs, quæ a me dicebantur, consentire videbarur. Attamen veniat ipse Salernum ad me cum proceribus, quos voluerit suis: & quidquid a me recti exigendum fuerit, libenter paratus ero eidem persoluturus: eo tamen interposito pacto, vt & ipse mihi, de quibus iuste eum caufatus fuero, iustitiam faciat.

**R**EDEVNTES itaque nuntij Comitis, quæque perceperant retulerunt. At ille more suo, male consultus, ad eum, sicut mandauerat, ire neglexit: magis eligens mittere ad eum, per quos sibi, quæ videbantur ablata deposceret reddi. Verum Rex grauius indignatus, quod se ita contempto noluerit venire, Mathildim sororem suam post cum filio suo Roberto, quem tunc secum habebat, ad Siciliam nauigio transuetam secum perduxit.

**C**OMES ergo coniugem, filiumque suum tam longe abscessisse audiens, maioris doloris stimulo perurgueri cœpit: certus existens, quod cor Regis vere iam totum contra se versum esset: quodque etiam æstiuo tempore redeunte, super se absque dubio manu belligera irruiturus foret. Quam ob causam munitiones interim suas omnes magis præmunire studuit: regiæque pugna, si forte se aduersus consurgeret, obuiare profus accingitur.

**I**GITUR Rogerius Rex postquam ad Sicularum reuersus est regionem, ibi tam diu moratur, quousque tempus, quo proceditur in hostem, opportunum redisset: qui transito fretu, quod Pharam dicitur, cum viginti bellatrice manu Tarentum peruenit: vbi cum Comes Andrensis Godfridus, in eius, ex more, curiam aduentum fecisset, Rex de quibusdam eum facinoribus impetens, iustitiam ex eis fieri magnopere exigebat. At ille perpendens se per iudicium excusare non posse clarescentibus cul-

pis,

pis ; magnam per hoc terrarum suarum partem ei quietam dimittere censetur.

**P**OST hæc Rex, eo quod Grimoaldus Barensum Princeps, contempta eius fidelitate inimicis suis consenserat, super Barim veniens terra, marique obsedit. Ceterum Comes Ranulphus, vt cognouit Regem Barim obsidione circumfedisse, zelo ipsius ductus collecta equitum multitudine, præfato cupit Grimoaldo subuenire : quem mox Princeps dominus suus accersiens vix ei persuasit, vt a militia ipsa quiescens, terram Regis hac vice, pro quauiscumque causa non proeliaturus introiret : nisi prius per legatos conueniret eum : si forte sibi direpta restituerentur. Cum ergo ad Regem pro hoc ipso mitteretur, Comes equites, quos sibi coadunauerat, adpropiare, sibi que interim quiescere iussit.

**I**GITVR Grimoaldus omni studio, omnique belli conamine ciuitatem contra Regem obsidentem protegere satagebat : sed frustra : nam in tanta agilitate vrbs ipsa, eius obtinente iustitia, capitur, vt non plusquam tres fere in eadem obsidione hebdomades complerentur : quam scilicet Robertus Guiscardus robustissimus Dux per tres continuos annos obsidens, vix aggredi valuit. Captus itaque Grimoaldus vinculis mancipatus in Siciliam dirigitur.

**T**ANCREDVVS ergo de Conuersano, vnus ex magnis Apuliæ Magnatibus, cum Grimoaldum iam victum teneri, magnamque Gofridum terrarum partem suarum, vt iam factum est, amisisse comperisset, cœpit eo magis sibi timere : quo contra Regem eisdem ipsis se male confœderatum fuisse sentiebat. Qui ante quam in curia super hoc impetitus iudicaretur, consulitur, vt potius transmarinum petendi iter, occasionem prætendens, Brundisium, ceterasque vrbes, atque oppida, quorum tunc ipse dominabatur, Regi sponte distraheret : sicque eius cauens iudicium, ab eo hoc modo liberaretur. Quid amplius? Tancredus vigentis fisorum numero a Rege accepto, terris suis omnibus renuntiavit : Hierosolymam, ad terminum statutum properaturus.

**C**VM ERGO supradicti legati Principis ad Regem, iam Bari aggressa, peruenissent, preces, quas per eos Princeps mandauerat, intulere : videlicet vt Ranulpho Comiti Baroni suo Auelinum, & Mercurianum, insuper & vxorem, filiumque suum restitueret : alioquin seruitium suum ei indubitanter esset prohibiturus. Qui audito hoc indignans ait eis. Miror valde quod Princeps de his, que sibi non attinent, me sollicitare audeat. Ideo namque talia mittit, vt occasione inuenta mihi seruire non debeat. Reuertimini ergo ad eum primitus prænuntiantes ei, legatos a me sine mora sibi esse dirigendos : per quos verba mea verbis suis responsura deferenda erunt. Hoc tamen solum vobis referentibus illū pro certo volumus scire, quoniam si pro hoc, vel quolibet alio seruitium meum abstulerit, periurij crimine incunctanter denotandus erit.

**N**EC MORA illis redeuntibus Rex ad præfatum misit Principem, quatinus ipse militari collecto agmine Romam, in hostem, in adiutorium Romanæ Ecclesiæ pergeret: quibus ipse huiusmodi responsum dedit. Ego nullo modo iussis regis obtemperaturus ero, nisi homini meo Ranulpho Comiti sua reddantur. Quo audito nuntij celeri ad Regem reuersi sunt reditu: nuntiaturi omnia quæque præceperat.

**I**NTE RE A Princeps, Comesque Ranulphus verentes ne forte displicitis sibi verbis, quæ ei remissa fuerant, super se armis irruiturus esset, immenso equestri coadunato agmine vallem anticipant Caudinam: ibique interim morari decernunt: quatenus Rex, si forte contra se in surrecturus esset, eos ad proelium imparatos non inueniret. Rex ergo responsis Principis perceptis, non æquo animo ea suscepit: qui etiam comperiens, quod & ipse Comes collecto pedestri, militarique non modico cuneo, contra se ad bellum præpararetur, indignatur valde: mouensque exercitum, ad quoddam oppidum, quod dicitur Crepacorum, venit: ibique castra figi præcepit. At Princeps, Comesque Ranulphus cognoscentes illum tam propinquum adesse, animaduertebant, quod vere contra se properaturus esset: vnde toto animo, totisque viribus se defensuri præparantur.

**V**ER VM Rex iterum castra mouens, ea subtus oppidum Montiscalui fixit: indeque ad Principem, qui iam relicta memorata valle, in loco, qui Cressanta dicitur, cum Comite morabatur, direxit: quatinus per terram suam Romam in hostem sibi ire permitteretur: simulque & ipse secum veniret. At ille tale fertur dedisse responsum. Neque per terram meam Romam ire patiar: neque cum eo simul veniam: nisi Baroni meo, quæ sua sunt, reddantur. Reuertentes itaque nuntij Regij quæque viderant, & audierant, referunt. Rex quoque audito hoc, graue accepit: mortisque castris subtus Padulum oppidum, per deuexum montis metatur. Tunc ad eundem Principem iterum misit: vt consentiret ei prius transire per terram suam: vt Romam in hostem pergeret. Sicque post quindecim dies, postquam reditum fecisset, sibi quod faciendum esset, apud pontem S. Valentini exhiberet. Ceterum ille animo mox indignatus, atque vilipendens, quod sibi fecerat fidelitatis iusiurandum remisit ei: quia nisi ante Comiti Ranulpho Auellinum, & Mercurianum, adhuc autem & uxorem suam, & filium reddiderit, nulla ratione, nullove pacto ei adhæream: nec etiam iussis obauditurus ero: neque Romam, quo ire cupiti per terram meam abire patiar.

**R**EX ergo Rogerius Principis animum ita obstinatissimum contra se haberi considerans, misit Beneuentano rectori nomine Crescentino, atque Archiepiscopo, qui Landulphus dicebatur, quatinus omnem ciuitatis populum, salua tamen fidelitate Apostolici, fidum sibi iuramento statuerent: qui cum nonnullis Regis fautoribus eos ad iusiurandum compellere cœpissent, oritur propter hoc in vrbe ingens seditio: ita vt pene contra eos vniuersa plebs concitaretur: nolentes sacramentum fidelitatis

Regi

Regi persolvere. Pontifex vero, & Rector seditionem populi metuentes, fuga coacti sunt urbem deserere.

**T**VNC ciues ad Principem, Comitemque, qui in prænomato adhuc loco cum expeditione bellica commanebant, legationem fecerunt: quatinus inuicem fidsissimi iureiurâdo facto Regi vnanimiter aduersarentur. Verum Rex percipiens Beneuentanos omnino nolle sibi coherere, Principisque animum, vt iam dictum est, in se obstinatissimum stare, misit ad eundem Principem: arguens eum valde: quod aduersus se dominum suum, nil se lædentem arma mouisset. Sed & ad Ranulphum Comitem, quem contra se Principem ipsum irritasse compererat, diffidando mandauit.

**P**ORRO Princeps, Comesque Regis minas contemnentes consilium habuere: quatinus exercitum illinc mouentes, Beneuentanæ urbi appropinquarent: vt uicinius positi, quod a ciuibus promissum fuerat, facilius consequerentur. Itaque ab eo illo digressi uenerunt: castrametari secus castellum Poconis: non longe a flumine, quod dicitur Calorius: ita vt uterque exercitus ciuitate interposita, alterutrum sese conspicerentur. Deinde Princeps, Comesque Beneuentum ingressi, ciuesque allocuti, quædam inter se posita seruari pacta, itaque se ipsos fieri adinuicem fides aduersus Regem iureiurando statuunt.

**C**ETERVM Rex cum eos alterutrum confederatos, Principemque ipsum seruitium penitus iam denegasse cõperisset, ira permotus iussit signo dato castra moueri: petensque Nuceriam, ingentissimum uidelicet eiusdem Principis oppidum, obsidione circumdedit. Porro Princeps, Comesque ignorantes quo Rex secesserat, consuluntur tamdiu ibi stare, donec quo ipse abscesserat, cognosceretur: & ecce altero die subito percipiunt Regem castrum circumsedere: atque ad ipsum crebris assultibus iam infestare: qui mox moto exercitu abcedunt: succursum obsessis celeriter daturi. Cum ergo ad fluuium Sarni, ubi Scaphatum dicitur, peruenissent, putantes se cito transituros, quoniam aliunde transeundi non erat possibile, inuenerunt pontem ipsum ligneum a Regis exploratoribus iam pridie destructum: cuius etiam ligna in undis proiecta nando fuerant delapsa: qui quoque dolentes quod transuadare nequirent, coacti sunt tamdiu ibi commorari, quousque eodem ponte alijs lignis restituto, facultas eis transmeandi daretur. Ponte itaque reparato, cum Rex hostes se ad transeundum iam præparare comperisset, castrum obsidere desistens iussit suos omnes armari: quatinus celeriter occurrentes cum eisdem prælium inirent.

**V**ERVM Princeps, & Comes audito, quod Rex ad irruendum iam super se accinctus fuisset, ceperunt tanto celerius cum suis fluuiam transire: quâto intuebantur sibi hostium prælium imminere. Cum ergo & ipsi transeuntes armis primitus induti fuissent, dispositis in suis locis more bellico singulis cuneis, ad bellum præparantur. Cumque iam hinc inde moroso gressu appropinquatum fuisset, anterior Regis

acies mox primo cuspidibus dimissis, equisque calcaribus punctis, contra anteriorem aduersæ partis aciem concurrentes, acriter insurgunt: quorum rigido concursu prædicta cohors exterrita terga continuo vertunt. Quod videntes retropositi custodes, & ipsi quidem perterriti per medium hinc inde diuertentes, spatium fugientibus præbent. Quo viso pedites, qui in ordine suo retro pro munitione statuti fuerant, & ipsi eodem timore concussi, nihilominus diuertuntur. Cum ergo qui primo terga verterant, a Regijs militibus insequerentur, pars illorum, dum euasionis successus fugitando petitur, in aquas ipsas flumiales ruentes, videns morituri intercepti: pars vero per campum longum, amnem deuitantes diffugiunt: plerique autem lanceis ipsorum impulsis ab equorum fellis in terram deiciuntur. Peditum autem supradictorum, qui territi fuerant, pars maxima, dum præ timore, ereptionis quæritur locus, cum multis alijs super ripam fluminis consistentibus, in fluuium ipsum suffocandi corruunt.

**C**OMES ERGO Ranulphus, ut erat acerrimus, qui in dextro habebatur cornu, ubi vidit suos ita repulso, hastam manutenens in Regiam aciem antestantem primus profilit: quod videntes sui, qui de dextri, sinistrique lateris erant custodia eius mox animo provocati, cum eodem ipso pariter aduersarios obsistendo premunt: cumque cuspidibus alterutrum impulsis hastas rupissent, enses capiunt: hinc inde feriuntur. Dum ergo Comes fortiter pulsando hastam confregisset, mox, & ipse manum mittens ad pugionem, in capite cuiusdam obstantis sibi equitis ita terribilem super galeam ictum dedit, ut miles ipse ferrea obtusione hebefactus statim dorsum cadenti præberit. Quem cum ceteri, qui hinc, illincque astantes erant, vertentem vidissent, continuo vnus post alium versi illum sequuntur: deinde alij, qui in dextro, sinistroque latere positi erant custodes, cum suos terga dare cernerent, mox exterriti, & ipsi statim cum eisdem terga verterunt.

**P**ERPENDAT itaque in hoc loco apud se prudens lector, quoniam nam Dei iudicio actum sit: ut Rex Rogerius, qui ante in omnibus victor exsisterat, nunc sibi victoria attributa non fuerit. Verum quod mihi videtur, etiam si Regi ipsi durum videatur, ad correptionem tamen eius, cum dilectione dicam: quia idcirco forte in hac parte voluntatem suam ipse inuenire inuitus non est permisus: eo quod secundis semper successibus potitus, supra modum animus eius elatus sit: cum magis ipse humiliari debuisset: hortante scriptura, quæ dicit: Quanto magnus es, tanto magis te humilia. Nam sicut postea relatum est, Rex etiam ipse interdum proprio inde scripto, ore accusans, merito tale contigisse humili voce confitebatur. Qui tamen Salerni commorans ita vultu hilari, menteque constans cernebatur, ac si nil sinistri sibi accidisse videretur: sciens pro certo malum euentum illum feliciori quandoque fortuna, Deo donante penitus euacuandum.

PORRO

**P**ORRO prænominatus Tancredus, cognito quod Rex cum Principe Roberto, Comiteque Ranulpho in plano Nuceria territorio conflictum habuerit, ibique non dignos ei successus fortuna bellando prouiderit, transmarinum iter appetisse, terrasque suas distraxisse, atque abirasse se poenitet. Qui etiam ut sua omnino resumere possit, in Montepiloso, quo monitis indigenarum contra Regem susceptus fuerat, milites coadunare præsumit: quibus terras Regis huc, illucque discurreudo immaniter infestaret. Erat & ciuitas quædam nomine Gilentia non solum opere, sed & natura præcipue munitissima, cuius ciues domino suo, nomine Polutino, eo quod Regi ultra votum illorum subderetur, expulso, Tandredum etiam ipsum, ut eis dominaretur, atque contra Regem tueretur, suscipiunt. Post hæc vero considerans, quod tempus sese ad recuperandum sua valde opportunum sequeretur, ad Gofridum Andrensem Comitem, & Alexandrum perrexit. Qui simul in Regem committentes aperta periuria, iniquum societatis foedus, contra eundem pugnaturi inierunt: qui etiam ad Robertum Capuanorum Principem, Comitemque Ranulphum direxit: quatinus cum Rege nullum sine eo pactum, nullamve concordiam agerent: quoniam & ipse sine eorum assensu nullum quid foederis, vel pacis cum eodem esset acturus.

**P**ORRO Regi inter hæc Salerni moranti nuntiatur, quod Barenenses ciues ab eo se auersuros iam præpararent: eo quod non nullos Saracenos, quos ibi ad ædificium munitionis suæ delegauerat, ira commoti necauerant: quoniam cuiusdam nobilis filius ab eisdem ipsis Saracenis fuerat interemptus. Vnde & opus ipsum, quo castrum regium semotum ab vrbe perficiendum erat, ciuibus ipsis contradicentibus iam dimissum fuerat. Rex autem huiusmodi rumore sollicitatus sinistro, præmunitis oppidis suis, quæ circa Beneuentum erant, Barim petijt: qui pro eo, quod Tancredi, seu ceterorum hostilitas immineret, Barensem ad præsens nolens exacerbare populum, quibusdam eorum petitionibus, prudenti consilio vsus, consensit: sicque eos pro tempore quietos dimisit.

**P**OST HÆC autem Rex militibus dispositis contra Tandredum, eiusdemque coniurationis complices præliaturus, eiusdem omnibus in Apulia urbibus, oppidisque præmunitis, Salernum iterum reuertitur. Qui dein in Montefusco, atque Padulo oppidis amplio rem militum custodiam delegans, iussit ut ipsi Beneuentanos ciues, quod Principi, Comitique, magis quam sibi adhæserant, de foris huc, illucque debacchantes indefinenter arcerent: quibus etiam ut nullum quid de Apulia delatum Beneuenti venundaretur, prohibuit. Post hæc autem non diu post in Siciliam reuertitur: cum expeditione bellica ad suos iterum expugnandum, sibi que subdendum rebelles, opportuno succedente tempore proculdubio reuersurus.

**D**VMERGO moras in eadem prouincia ageret, corde sedulo, quibus modis hostes sui contererentur præmeditari non desinebat. Econtra vero Robertus Capuanorum Princeps, Comesque præci-

pue Ranulphus quomodo, qualiterque contra ipsum essent acturi mente cautissima exquirere non desistebant: qui quoque ad hoc usque inhiabant, ut Regij culminis illum honore priuatum, funditus etiam si possent de terra delerent. Vnde factum est, ut Comes ipse Principis consultu in Apuliam pergens cum Tancredo, Comiteque Gofrido, atque Alexandro Comite, ceterisque Magnatibus, Regis scilicet iam manifeste periuris colloquium haberet: quatinus inuicem foedere vniti in Regem eundem pariter omnino sauirent. Dumque factam adinuicem conspirationem iureiurando firmassent, audiuit Regem Teutonicum Lotharium nomine Romam aduenisse. Quod ere lætus effectus ad sua festinus reuertitur. Dein cum Principe inuito consilio, ambo pariter summa cum festinatione eum adire: auxilium ab eo aduersum Regem Rogerium expeturi: qui licet ab ipso honorifice suscepti fuissent, adiutorium tamen ipsius, uti sperauerant, contra Regem Rogerium nequaquam obtinere potuerunt.

**Q**VI DVM Romæ adhuc apud Regem commorarentur, audientes Regem Rogerium cum immenso militari, pedestrique exercitu fretum Pharense iam transmeasse, petita a Rege, atque accepta, quamquam non grata licentia, quanto cyus ad propria redeunt. Verum Rex Rogerius, eo quod supradictorum aduersum se Principum compererat cum periurio factam conspirationem, tanta quidem contra eos rapitur indignatione, tantoque mentis erupit furore, ut non Comiti, non Magnati, non etiam cui libet militi, qui ita periurantes in eum colla erexerant, penitus parceret. Alexander vero Comes dum ob periarium perpetratum Regem valde pertimesceret, relicto quodam munitissimo oppido nomine Matera filio suo, cui nomen erat Gofridus, ad Comitem Ranulphum profugus aduenit. Interea Princeps Robertus cernens se Teutonico frustratum fuisse auxilio, Pisam citissimo nauigio aduectus perrexit: quatinus inde bellicam manum accitam ad sui contra Regem auxilium secum adduceret.

**C**V Merg Roex terras Gofridi Andrensis Comitis, atque præfati Alexandri suorum periurorum passim occupasset, videlicet Aquam bellam, Coretum, Barulum, Milerbinum, Gruttulam, aliasque nonnullas, tandem ad prænominatum castrum, quo Gofridus filius prædicti Alexandri Comitis inerat, obsidendum se contulit: illudque tandiu obsidione coercuit, quousque Gofridum pro suo velle subiciens sibi, ipsum etiam caperet oppidum. Quo audito Comes Alexander, qui præ timore illius aufugerat, immenso animi mærore diutissime consternatus est: deinde in Dalmatiam profugus iens, non solum exheredatus, verum etiam patria extorris cogitur manere: qui non longe post, ut ad Imperatorem pergeret secedens, cum ad quendam nemorosum peruenisset locum, incidens in latrones, omnino cum suis omnibus deprædatus est: qui dein Auellone positus, ab ijs, qui hæc ipsa eius ab ore audita nobis nuntiauerunt, egenus valde, & pauper visus est manere.

DEVICTA



**D**E VICTA itaque Matera Rex super Armentum munitissimum oppidum, quo Robertus frater prædicti Gofridi inerat, venit: cui Robertus regia compulsus obsidione statim se, & castrum Regi subegit. Dein cum obsidem, qualem Rex poscebat, pro se dare renuisset, Siciliam vinculis mancipandus dirigitur.

**P**OST HAEC vero Rex castra mouens super quoddam arduum, & munitissimum castrum nomine Aufum, quo Gofridus Comes aderat, accelerauit: illudque tamdiu obsidione sæuissima circumfedit, quousque comprehensus in Siciliam exilij retrusionis poena, periurij culpam luiturus destinatur.

**H**IS ITA QVE peractis ad obsidendum Montepilosum festinat. Ceterum Tancredus audiens subito Regem super se venturum, mox relicto quodam municipio nomine Vrfo, quod ab eo tunc obsidebatur, sub omni celeritate percurrens urbem prædictam ruiturus reuertitur: ad quem iam Ranulphus Comes ducente Rogerio de Flenco acerrimo milite, Regique inimicissimo quadraginta, & eò amplius milites in adiutoriam sui direxerat. Monte itaque piloso Regis obsidione circumdato, Tancredus ei ad resistendum totis viribus præparatur. Nam ante eiusdem urbis barbacanum quidam locus, qui Catuella dicebatur, non paruo terræ aggere munitus erat: in quo pæne tota ciuitas ad repugnandum collecta consistebat. Quem videlicet locum, dum regia cohors illis repulsis, violenter irrupisset, Tancredus post cum suis eos pernimum opprimens, terga, relicto aggere, præbere compellit. Deinde Regij bellatores animum resumentes, rursus in Tancredum, suosque impetum facientes, aggerem illis repulsis recuperant. Tancredus ergo, sui que a loco illo funditus reiecti, intra barbacanum recipiuntur.

**C**ETERVM REX perpendens urbem munitissimam, manumque in ea bellatricem consistere, ad ingenium vertitur: videlicet, oppidum, quod præliando adiri non poterat, artis peritia aggrediretur. Itaque molimine constructo, Rex illud paulatim ducendo, quo minus ciuitas muniri conspiciebatur, approximari iubet: quo ita pacto exteri cum ciuibus cominus per eam bellabant: iacula alterutrum intorquentes. Interim autem dum ita utrimque pugnaretur, Sarraceni per illud instrumentum ligna, quibus fossatus repleretur, instanter iactabant: alij autem ferreis rastris ab aggeris summo nisu terram trahentes, ligna ipsa eius iactatione superplānare conabantur.

**T**ANCREDVVS ergo dum fossatū impleri conspiceret, mox ignē, atque fomentum, quo facilius accenderetur, intus immittendum ad comburendum ligna accelerat. E contra autem dum per canalem ligneum aqua deriuata intus deluere, ignis immixtus extinguitur: quo extincto,

tineto, iterum qui erant in machina cum longissima pertica, in cuius summo vncinus ingens ferreus erat, ipsum antemurale, quod & vulgo barbacanus dicitur, diuellere incipiunt. At illi qui barbacanum defendebant, videntes perticam barbacanum diruentem, eam violenter tenentes succidunt. Cumque sic tertio aliæ perticæ ad diuellendum extensæ, tertio etiã ab eis succissæ fuissent, postremo acriter iterum extendentes partem ex eo non modicam diruerunt.

**C**VMQVE hoc viso ciues exterrerentur, vniuersi terga dederunt: portamque ingressi in aliam partem vrbs, quæ munitione tutior erat, se se recipiunt. Euestigio autem phalanx regia continuo porta introeuntes, dum eos insequuntur, quosque ante se inueniunt, vn timer feriendo prosternunt. Ciues ergo qui in præfata se parte ciuitatis receperant, dum viderent se nullum euadendi vestigium posse reperire, hostibus negligenter resistentes, ipsam eos partem vrbs intrare consentiunt.

**C**VM ergo ciuitas sic ingressa a regijs bellatoribus huc, illucque debacchantibus depopularetur, Rogerius de Plenco, qui supra memoratus est, cum alijs comprehensus ad Regem moriturus perducitur. Cumque Tancredus latens Rege summopere iubente quereretur, tandem a quodam proditus, ante conspectum ipsius præsentatur: quo Rex viso, super ipsius inuentione quam maxime lætatus est.

**P**ORRO infelix præfatus Rogerius, qui in Regem iamdiu amarissimo effrenatus animo fuerat, nulla ipsius miseratione præuentus horrida laquei strictione necatus est. Deniq; Tancredus licet sit ei mortis indulta sententia, vinculis tamen constringendus ad Siciliam transmittitur. Ex militibus autem pars, ne putarentur equites, vilioribus indumentis transformati, armis, equisque relictis, per deuia quæque fugitantes euaserunt: pars vero ad Gilentia ciuitatem, quæ Tancredo adhæserat, utcumque fuga adnisi peruenientes, ibi se captionem ipsius euitati recipiunt: alij quoque, qui erant comprehensi quidam huc, quidam vero, illuc vinculis tenendi madantur. Deinde vero ciuitas ipsa rebus funditus exinanita, atque igne succensa, nouissime autem subuertitur. Nunc itaque in hoc prudens lector diligenter consideret, quantum sceleris sit, periurij crimen committere: maximeque illud, cum quis vitam, & membra, seu honorẽ domini iuramento sui, vel ei captionẽ nõ inferendã assecurat: & non custoditur, ut iurat. Vnde Grimoaldus, & Goffridus, Tancredus, atq; Alexander Comes, nec non & alij quoque Rogerij dominatum super se suscipientes, erga eundem fidelitatis sacramentum non seruauerunt, merito vlciscente diuina iustitia, digna pro hoc malorum retributione feriuntur. Etenim ipsis ita accidit sicut & Sedecia Regi demurato constat accidisse. Nã cū ipse quoddam pactum Nabuchodonosor Regi iurasset, ipsumque pactum irritum periurio fecisset, venit Nabuchodonosor Hierusalẽ: qua erat Sedecias: & obsedit eam: qui videns se nullatenus ab eodem posse euadere, dum fugam euadendi egrediens ciuitatem expeteret, a militibus eius exercitus mox insecutus, cum filijs suis, qui se concomitabantur, captus

captus est. Cumque pater, & filij Regi Nabuchodonosor præsentati fuissent, continuo aspiciente patre ipso filij eius iubentur interfici: sicq; demum ipse oculorum priuatus lumine, compedibus constringendus Babylonem cum multis alijs concaptiuis transducitur. Patet itaque miserrima istorum dictante ruina, periurium omnino esse cauendum: quandoquidem, qui illud contemnit vitandum, contemnetur a Deo ita, vt dignam proinde, sicut, & istis contigit, sine dubio quandoque excepturus sit poenam. Nunc itaque ad narrationis seriem, in qua paullulum digressi sumus, redeamus.

**I**GITUR Rex Rogerius Montepiloso succenso, atque subuerso Gilentiam obsessurus properat: qui deinde considerans se nec tunc eam capiendi facultatem posse habere, concordiam eo pacto cum eis habendam spondit: vt præfatus, quem abiecerant, Polutinus in eorum restitueretur dominio: ipsius videlicet dominatui se subditurus.

**V**ERVM Comes Ranulphus comperta Tancredi captione, simulque Rogerij nefanda suspensione, immenso animi mærore afficitur, non tantum pro illorum tristi fortuna, quantum etiam, quia ipsorum magno destitueretur auxilio. Qui quoque perpendens, quod Rex illis deuictis super se sine dubio irruiturus esset, tristitia tandem solatio sopita, ad se tuendum prorsus conuertitur. Pergens itaque Beneuentum, ibique inter se, & ciues vnanimitate, quam iam ad inuicem compacti fuerant, renouata, sine mora reuertitur. Deinde collecto ad vallem Caudinam peditum, equitumque non paruo agmine, Regem, quem super se venturum putabat, ad bellum expectat: cuius etiam expeditioni Sergius Magister militum, Hugoque Boianensis Comes consentiebant.

**I**GITUR Rex super Bisiliam maritimum oppidum veniens, eam sine dilatione aggreditur: cuius muris per gyrum eius dirutis, mouens inde castra super Tranium metatur: quæ videlicet ciuitas tanto ipsius terrore percellitur, vt statim sibi subdita, turres etiam omnes, ipso iubente subuerterentur. Exinde veniens Barim, quam ciuibus, sicut supra expressum est, pro velle ipsorum dimiserat, cunctis turribus eorum euerfis, castrum etiam in ea, quod iam intermissum fuerat, reedificari instituit. Deinde agens exercitum repetit Troiam: quam videlicet ciuitatem, eo quod ipsa munitissima sæpe rebellior ei exstiterat, magna ex parte in plures dispersitam cauales, communit.

**E**T COMES Ranulphus audiens tam propinquum Regis aduentum, suspicans illum vere super se venturum, ad muniendum se acrius accenditur: quam ob rem NEAPOLIM ocyus pergit: ibique Magistrum militum, ciuesque allocutus, in adiutorium sui cunctos sollicitauit: deinde Auerfam reuersus cunctos, qui arma ferre possent, in hostem venire hortatus est. Exinde ad vallem Caudinam, qua exercitum dimiserat, redijt: Magistrum militum, omnesque qui deerant, præstolans.

INTEREA

**I**NTEREA dum Rex Troiæ moraretur, Ricardus Rohelis filius oppidi suum, quod dicitur S. Agathæ, accepto pro eodem cambio, volenti ei contradidit. Si quidem castrum ipsum plurimū optabat: eo quod in arduo posito monte, omni pæne Apuliæ supereminebat: quam sibi per illud ex maxima parte posset tueri.

**T**ROIÀ itaque debilitata, Rex illinc recedens dum Melfiam pergeret, in ipso itinere ciuitatis itidem Asculensis superbiam deposuit: nam illam omnino euerfam plano in cæpo manere instituit: in tres videlicet dispertitam cales. Cum Comes itaque inaduerteret, quod Rex tunc super se venire non esset intentus, sed apud Melfiam demoraretur, cum suo exercitu ad propria recessit.

**V**ERVM Rex Melfia discedens Grauinam urbem petijt: ibique aliquatulum commoratus, Salernum post remeauit: gaudens, & exultans, quod tota Apulia funditus deuicta, solum sibi Beneuentum, ac Princeps Robertus, Comesque Ranulphus, atque NEAPOLIS ad expugnandum supererant. Quam ob rem Rex ipse militibus circa Beneuentum, Capuamque constitutis diligenter præcepit, vt quousque a Sicilia cū hostili manu reuerteretur, eas ipsi de foris incessanter deprædari non desisterent. Posthæc autem, ante quam hiemis importunitas subintraret, nauigio transuectus Siciliam repetit.

**C**VMQVE illic ad tempus vsque progrediendum in hostem moratus fuisset, nauali rursus tramite Salernum aduenit: qui innumeram vndique confluentem armatorum manum ad se accitam prope Apitium oppidum congregari iussit. Cum ergo ipse Beneuentum obsessurus putaretur, repente mota expeditione bellica, quoddam castellum nomine Pratum asiliens ignis incendio dedit: penitusque euertit. Deinde tria alia castella eius timore perterrita, vnum post aliud sese ei deditia comprehendit: quibus tamen, quod se vltro dederant, pepercit: horum siquidē castellorū Radulphus de Frameto sub Ranulphi Comitum dominio dominatus fuerat: quorum vni nomen erat Grinta, alij Simontum, alij vero Alzacunda.

**I**NTEREA Ranulphus Comes in loco, vbi nominatur Cressanta, cum paucis, qui secum erant, comorabatur: cuius spiritus immenso cruciabatur mærore, quod paruo cum bellatorum numero constipatus illum pro velle suo adire non poterat: vnde suis Principibus, Baronibusque instanter omnibus mittens, ad se eos sub nomine prælij festinare hortatur. Dum que eorum successus attonitus expectaret, ecce Rex, cum iterum putaretur ad obsidendum Beneuentum rediturus, subito motis castris, oppidum cuiusdam magnatis Principis Annonij nomine, quod dicitur Palma, sub omni celeritate aggreditur. Post hæc autem repente ad aliud, quod nominatur Sarnum super sedendum castra coegit: cuius quidem optimas eiusdem Principis Henricus nomine dominabatur: quibus Comes perceptis tristitiam cordis animositate contegens, mox ad Marilianum oppidum Roberti de Medana cum suis, qui tunc secum erant, reuertitur: vbi quidem

vbi quidem Principem Robertum, qui iam Pisa reuerfus Pisanorum auxilium expectabat, Sergiumque Magistrum militum, omnesque magnates eiusdem Principis, & suos inhianter præstolari cœpit: quatenus cum eisdem omnibus Sarni fluuio, Regem ab eiusdem captione castri, ad bellum prouocando, amouerent.

**C**V Mergo magna iam pars illic coadunata, nihilominus & ipsi prorsus paucitate alios inhianter præstolarentur, ecce præmemoratum oppidum a Rege comprehensum nūtiatur. Deinde turris, quæ erat in præfato flumine, quod Scaphatum dicitur, cōtinuo turricolis, eius solo terrore contritis eam deditibus capitur: sicque pons ligneus, qui ibidem erat, lignis in vndis proiectis totus destruitur: ne per eundem aqua ipsa a quoquæ contra Regem acturo transmeari posset: per quem videlicet pontem, quia aliunde transeundi facultas non erat, Laboranus exercitus, vt iam supra expressum est, ad obfistendum Regi se transituros putauerant. Vnde quoque non modico afficiebantur dolore: non tantum pro oppidi captione, quantum, quod præfata turre a Rege potita fluminis meatum amiserant. Porro Princeps vbi turrim comperit præfata aggressam, cernensque Pisanorum auxilium, quod sibi sperabat cito adesse, diu differri, iterum puppim ingressus Pisam festinus redijt: eos ad præsidium sui quantocyus secum minaturus: quos iam multarum millium marcarum argenti emolumentis, quas illis promiserat, sibi acciuerat.

**S**ARNO itaque inuaso euestigio Rex Nuceria ingentissimum Principis oppidum obsidione circumdedit: arce quidem præfata, ad coercendum fluuiale transitum, custodibus iam præmunita: quod videlicet oppidum non solum loci situ, munitione roboratur, verum etiam ex pugnantium animo, viribusque mirifice extollebatur. Cum ergo ab exteris tentatum acerrimo fuisset assultu, econtra ab ijs, qui intus erant, opitulante etiam loci ipsius ardua positione, summis nisibus defensabatur.

**V**ERVM Laborana expeditio in loco adhuc præfato commorans expectabat: si quomocumque, vel vndecumque fluuiali transitu, an ne posset Regi obuiare: eumque ab obsidione oppidi proelio prouocatum remouere. Quam ob rem Comes Ranulphus non paucos stipatus numero galearum, ad præmemoratum Scaphatum pergit: exploraturus si illuc sibi, ceterisque omnibus libera transeundi præberetur facultas. Sed quia Regis iam meatus omnes custodijs præmuniti erant, nec posset ipsis vlla transuadio fieri, mox ad suos reuerfus commilitones, cum eisdem multa cordis angebatur mæstitia: quod sine repugnationis effectu sic cogerentur manere.

**I**NTEREA Rex Rogerius perpendens pernitiā aggrēdiendi oppidum difficultatē, ingenij armaturæ sollertia: quatenus quod vi certaminis potiri non poterat, moliminis adipisceretur peritia. Ligneam ergo parari machinam iubens, loco quo aptius, minusque vicinius prospiciebatur, approximari statuit. Cumque iam prope esset, vt per eam lapidibus iactis oppidi mœnia feriri inciperent, mox oppidicolis animo dissolu-

tis timor incutitur: regiaq; pax desideratur. Quocirca quidam ex primoribus eorū vni consilio, ad Regem egressi sunt: postulantē ut sibi, ceterisque indigenis, simulque castrensibus impunitatem, oppidique integritatem conseruandam promitteret: sicque deinde absque dolo ipsi cum eodem oppido ei subijcerentur.

\* **F**ACTA itaque regia super hoc pollicitatione redemit intus adnotatumque Tribunum militum nomine Rogerium de Surrento, cū alijs castrensibus deditioe oppidi faciendae mox consulunt: praesertim Comitis: quod non eis succursus adesse videretur. Nam melius inquit erat eis, ut Regi potius subderentur, quam ut oppido aggresso, atq; subuerso & ipsi periclitarentur. Quibus auditis, omnes primo quidem id fieri contradicunt: postmodum vero terrore regio constricti, loci deditioem consentiunt. Oppido itaque hoc modo a Rege accepto, praenominatus Rogerius, ceterique omnes, qui ad illud defensionis gratia confluxerāt, impunitate eis, ut Rex promiserat, indulta capiuntur: sicque postea fide constricti abire dimittuntur.

**C**APTA itaque Nuceria, militariq; in ea delegata custodia, ad inuadendum Ranulphi Comitis terram Rex prorsus animum figit. Quapropter coacto in vnum exercitu Padulum proficiscitur: indeque motus ad obtinendum oppidum nomine Pontum accelerat: quod quidam Magnās Balduinus nomine sub Ranulphi Comitis dominio tenebat: cuius immensam Pontisij eminens cernentes expeditionē, mox terrore percussū accedentem illam sine vlla repugnatione intrare permittunt. Quo capto ipse continuo ad castrum, quod nominatur Limata, aggrediendum properat: quod cito comprehensum, simulque depopulatum, nouissimi vero ignis crematione omnino deletur. Erat enim & illud alterius praedicti Comitis Optimatis: cuius vocabulū Radulphus de Bernia dicebatur.

**I**NTEREA Ranulphus Comes in praefato Mariliano adhuc morabatur: cumque relatione tot terras ablatas sibi comperisset, cum multo animi maerore ad sua recuperanda galeis comitantibus festinanter egreditur: qui dum secus municipium, quod dicitur Ducenta, figeret gressum, a suis sibi omni consulitur instantia, quatinus priusquam omnibus suis exueretur, regia pace summopere praeueneri studeret. Facta itaque prope ad Regem legatione, rogat ea quae pacis sunt: eique pro velle suo se penitus subdendum promittit. Quibus Rex auditis, mox furori suo frenum imposuit: terras suas ulterius praecipere desistens: denique describens concordiae pactum, misit ad eum, ut secundum quod ab eo calamo praenotatum erat, ita illum in pace suscepturus esset: restituens & sibi uxorem suam, & filium: eo tamen interposito tenore, ut dotalia, pro quibus ipsi ab eo discesserant, ei restitueret: terrasque omnes, quas vi certaminis super eum obtinuerat, omnino quietas sibi dimitteret. Verum ille quamquam de his omnibus plurimum aggrauaretur, tamen ne suorum omnium amissionem incurreret, ad subijciendum se ei, prout ipse mandauerat, potius animatur.

**V**ENIENS itaq; ad eum genibus flexis, pedes eius osculari voluit: quem cum ille proprijs manibus ab osculatione pedum subleuasset, orisque sui osculo vellet suscipere, Comes prius precatur, ut ex corde

ex corde indignationem funditus abijceret. Cui Rex, ex corde inquit, abijcio. Et ille volo iterum, vt sicut deinceps tibi famulatus fuero, ita me diligas. Cui ille, & ego concedo. Iterum ait, istarum sponfionum, quas alternatim fecimus, volo vt testis fit Deus: inter me, & te. At ille, ita inquit fiat. Quibus dictis Rex eum statim osculo suscepit: diuque in amplexu ipsius delectari visus est: ita ex oculis quorundam circumstantium vt præ gaudio lachrymæ effundi viderentur.

**P**RINCIPEM vero in sua pace hoc tenore suscipiendum pepigit: vt delictet, vt si vsque ad dimidium mensis Augusti reditum faceret, suo non priuaretur honore: si tamen iuxta quod in capitulari scripto statutum erat, subditus ei vellet parere: retentis si quidem sub proprio dominio, quæ cumque vi guerræ obtinuisset. Si autem forte ei animus redeundi deesset, eius filio paruulo nomine Roberto Principatum concederet: eo tamen interposito pacto, vt ipse eius tam diu regimen teneret, quousque legitimam idem cõsecutus ætatem exercere militiam posset. Quod si & ipse præfatum absentatione sui, terminum præteriret, Rex deinceps Principatu Capuano, cunctorumque heroum hominio inculpabiliter sub proprio potiretur dominio. At Hugo Boianensis Comes præuidens Regis irâ super se mouendam, quod aduersus illum Principi, Comiti que adhæserat, cum multis precibus veniam ipsius postulaturus aduenit: quam quidem impetrare nullatenus valuit: nisi primo terras suas vniuersas, quas Biferus fluius orientem versus præterfluit, ei reliquisset: nec non Castellum maris: situm scilicet, quo fluius Volturnus cursus sui finem designat. Verum Sergius Magister militum, secundum quod a Rege exigebatur, eius tunc super se dominatum suscipere, atque seruire abnuebat: ad quem postea Ranipotus Tribunus militum Beneuentanus audita Comitis concordia, præ timore continuo ciuitatem deserens, centum, vel ferme constipatus loriceis aufugit.

**I**NTEREA Rex Celestinum cœnobium fore sibi vicinum comperies, voluit visere illud: fratrumque se orationibus commendare. Cum ergo ad monasterium venisset, honorifice, vt illum decebat, a fratribus obuiâ ei progredientibus, cum hymnis, & laudibus suscipitur: qui cum completa ante altare oratione capitulum intrasset, osculatis sigillatim fratribus, sanctam postmodum eorum fraternitatis societatem per manum Alexandri eiusdem congregationis Abbatis humiliter, reuerenterque accepit: qui etiam bona se collaturum deuote eidem monasterio spondens, ad exercitum, quo venerat, valefaciens fratribus, lætus abscessit.

**P**OST tertium vero diem, summo mane secedens Capuam illustrissimam urbem, ciuibus eius, cunctisque terræ Laboris Magnatibus sese deditibus recepit: quæ videlicet vrbs metropolis existens, idcirco, vt ab antiquis traditur, tale sortita est vocabulum, vel quia caput Campaniæ est: vel quia campi planitie longa, lataque gyratur: seu, vt quibusdam videtur, a Capy conditore suo Capua dicitur. Est quidem ampliori situ capacissima: mœnibus, turribusque in circuitu munitissima: cuius quoque muralem ambitum Volturnû flumen medium præterfluit: intra cuius fluenta plurima in aquis supernatantia molendina funibus cannabineis innexa

confistunt. Pons quoque miræ magnitudinis, miroque opere constructus in ipso amne exstat fundatus: qui intrantibus, & ex euntibus meatum præbens, ab vna parte vrbe, ab alia vero burgo valde prolixo obuiatur. Sed & Cerere, Baccho, carnisque edulio, nec non diuerlis cōmercijs ciuitas vberri- ma, populoso nihilominus frequentatur accessu: & quod maius est, Prin- cipali constat dignitate præcellens.

**C**V M ergo ciuitatem ipsam iam sibi subditam Rex introiturus esset, a præordinata clericorum, totiusque populi processione honorifice, prout decebat, suscipitur: atque ad Archiepiscopium vsque, cū hym- nis, & laudibus perducitur. Deinde continuo foras ad expeditionem egres- sus Sergium Magistrum militum præstolabatur: quatenus cito veniens sibi subderetur: alioquin sciret, se sine dubio obsidione constringendum. Verum ille veritus, ne Rex ab eo contemptus super se irrueret, ciuitatem- que eius aggredere, deposita mentis œruice, venit ad eum: qui genibus flexis, manusque suas manibus suis immittens, suum ei hominum subdi- dit: fidelitatemque iurauit. Res inquam valde stupenda: nam vt iam in se- cundo expressum est libro, NEAPOLIS, quæ post Romanum impe- rium vix vniquam ferro potuit subdi, nunc quoque verbo tantum visa est constringi.

**N**E C mora post hæc Rogerius cogens exercitum, castra inter Mor- conium, Pontemque Landulfi metaturus reducit: daturus vniuer- sas terras Roberto Ricardi filio: quas ei Boianensis Comes dimississe supra dictus est: nam dum ipsius, aliorumque irritaretur guerris præmemo- ratas ei terras, cum eas adepto triumpho, potiturus esset, pollicitus fuerat: si tamen, dum guerras suas ageret, non infidelis reperiretur.

**D**V M a Rege mora ibidem fieret, Burrelenses domini eius super se aduentum futurum formidantes, accelerant illum præuenire: vt suum ei hominum quantumcyus subdētes illum placarent. Ex in Be- neuentum reuersus, ibique extra urbem defixis tentorijs, ciues eius sibi fi- deles iuramento, salua Apostolici fidelitate instituit.

**C**ET ERVM supradictus Raimpotus Neapolitanum Magistrum militum cum Rege concordaturum præsciens, mox puppe ascensa, dum fuga vellet petere Pisam, equorea interceptus procella, cum filio suo marinis fluctibus suffocatus interiit. Denique Rex cernens cun- cta ad votum suum prospere sibi accidisse, omnesque pro velle suo ditioni suæ subegisse, suam illic dispersiens expeditionem, singulos ad propria re- dire permisit: retenta sibi sola militia, quam ex proprio sustentabat ærario. Deinde repetens Salernum, ibique paullulum moratus ad Siciliam post triumphali redimitus gloria, ouanter reuertitur. Hic secundus compleat- ur libellus: quatenus paullulum dato silentio, ad inchoandum, & perhi- ciendum tertium, vires loquendi reparentur.

EXPLICIT LIBER SECVNDVS.

INCIPIIT



## INCIPIT LIBER TERTIVS.



**F**ACTVM EST AVTEM CVM REX Rogerius Siciliam repetisset, eodem anno, non multo post corporis langore corripitur. Sed cum Deo tribuente citius conualuisset, ALBERIA Regina cōiux ipsius, mox infirmitatis tacta incommodo, ad extrema peruenit: quæ videlicet mulier dum vixit, religionis gratia, atque eleemosynarum largitione fertur plurimum eni tuisse. Qua defuncta Rex ipse ita mæoris contritus est amaritudine, vt multis se diebus intra cameram recludens, exceptis eius priuatis obsecutoribus non apparuerit: vnde accidit, vt fama paulatim diffusa, non solum ijs, qui longe, verum etiam, qui prope erant, vere obijisse existimaretur. Quo videlicet rumore Princeps Robertus, qui Pisam aufugerat, sollicitatus, cum immensa belligerorum Pisanorum manu nauigio aduectus in NEAPOLIS vrbe excipitur: fauente sibi Sergio eiusdem ciuitatis Magistro militum: qui iam cum eo, præmissis alterutrū nuntijs contra Regem conspirauerat.

**C**OMES autem Ranulphus & ipse eodem rumore deceptus, Regis obitum vere contigisse credebat: qui cum Principem cum ingenti armatorum multitudine reuersum comperisset, corde respirans, lata batur valde: quod Rege defuncto, tempus iam accidisse opportunum videretur, quo & idem Princeps Capuam, Principatus amissi honorem, & ipse terras, quibus deminutus fuerat, recuperare possent. Periurium itaque contra Regem Rogerium perpetrare non timens, sine vlla dierum dilatione, donatio suo milites circiter quadringentos collegit: atque cum eisdem ipsis non longe extra muros Capuæ progressus est: expectans si forte, quo modo ciuitas ipsa Principi restituenda ab ijs, qui ampliori eiusdem amore connecti videbantur, sibi redderetur: cuius quoque prodicionem, cum post ad effectum non euenisse comperisset, immenso animi mæore contritus est. Deinde aurora illucescente, per campos passim discurrens, copiosam animalium, diuersarumque rerum rapinam in suburbanis eius exercuit: sicque Capuam munitissimum eius oppidum, quo iter assumpserat, timido corde regreditur. Guerra itaque hoc modo aduersus Regem incepta est: cui quoque Comiti quidam iuorum Baronum clam, quidam vero manifeste consentientes in Regem periurauere: qui ei utique hoc iusiurandum egerant: videlicet, vt si quando Comes ipse contra eundem Regem vellet insurgere, dierum quadraginta præstolaretur spatium: quo eorum hortationibus ad regiam reuocaretur subdicionem: alioquin exinde tandiu ab eisdem instanter debellaretur, quousque ei nolens etiam subijceretur.

**E**ODEM namque tempore Cancellarius Regis Vvarinus nomine, vir quidem litteris apprime eruditus, & in sæcularibus negotijs prudentissimus, & Iohannes Ammiratus, cuius iam superius summam memini strenuitatem, cunctam Laboris tetram tunc temporis procurantes,

custodiebant: qui comperto Principis reditu, nec non & Comitis subita rebellionem, diligentiori protinus solertia Capuam urbem, Matalonum, Cicalam, Nuceriam, ceterasque terras, ipsam terram Laboris, castra belligerorum viribus munire coeperunt.

**E**RAT autem in eadem terra Laboris ciuitas quaedam nomine Aversa: quam Normanni cum Apuliam aggredierentur, primitus condierunt: quæ licet duodecim Magnatibus, militibus atque immenso populo in se cohabitantibus gloriaretur, tamen potius aggere, quam murali circumcingebatur ambitu: quo contra hostes, si necesse esset, resistere possent: ad quam cum Iohannes Ammiratus, & Vvarinus Cancellarius venissent, coeperunt ipsos Primates, & equites, omnesque in ea cohabitantes diligenter præmonere, quatinus nullo unquam amore, seu timore confusi regiam fidelitatem relinquerent: sed & bonum nomen, quo tunc usque in summa legalitatis obseruatione, fideique puritate vigenti eniterant, qualibet ignominia tempore necessitatis instante obfuscarum non paterentur. Cumque his, & alijs exhortationibus eos sufficienter allocuti fuissent, Iohannes in Apuliam etiam misit sollicitans omnes regio iussu, ut ad tuendum terram Laboris, quam citius possent, accurrerent.

**I**GITUR Princeps Robertus de Regis adhuc obitu non incertus, non definebat intra mentis suæ voluere arcanum quomodo, qualiterve Principalem adeptum apicem resumere posset. Misit itaque ad Rambiphum Comitem, uti ad se quætoctus festinaret: quoniam quidem quod erat acturus, absente eius strenuitate agere nullatenus quiret. Verum & ille cum de Regis morte, ut iam dictum est, nequaquam cunctaretur, mox cum ipsa militari, quam collegerat acie, ad illum NEAPOLIM sitienter properauit: cuius quoque aduentu Princeps ipse, Sergiusque Magister militum ad maiorem resumendum audaciam, vehementer sunt vegetati: putantes per eum, eo quod vir bellicosissimus esset, ad effectum rei, quam desiderabant, feliciter pertingere. Firmata itaque ad inuicem conspiratione, hoc tandem apud se firmiter proposuerunt: ut & princeps, & Comes sua ablata ad integrum sibi restituerent: & magister militum NEAPOLIM & cetera, quæ iure sibi suppetebant, securiter possideret. At Rex sicut & prius, ita & tunc extinctus credebatur: de cuius quoque vita nonnulli etiam fidelium suorum hæsitabant: præsertim cum instantibus hostibus plus solito venire moraretur: sed & si quis veniens eum viuere, vel venisse assereret, iam audiri contemnebatur: cum multis alijs anteuenientibus, atque id ipsum assertantibus in vacuum sit creditum: iam enim Madis mensis cursus sui metam attingebat.

**A**VERSANI heroes, simulque vniuersus populus quamquam certificantibus quibusdam Regem vere viuum, vereque venturum audissent, in tantam tamen deuoluti sunt insaniam, ut oblitis, quæ a Iohanne, & Vvarino præmoniti fuerant, sine vlla præcedente renugnatione, abiecta Regis subditiōe, eiusque contempto dominio, Principis dominio subderentur. Ceterum Cancellarius Vvarinus, & Iohannes Ammiratus præscientes hoc ipsum ab eis agendum, Capuam iam, ne

iam, ne ab ipsis capti, hostibus traderentur, recesserant: vbi cum ad tutandum urbem ipsam cum pluribus equitibus idem Cancellarius remansisset, Iohannes ad præmuniendum Matalonum, Cicalam, ceteraque oppida continuo vadit: ad quem cum Apulienfis militum, peditumque exercitus copiosus, sicut ipse mandauerat, Cicalam conuenisset, morantur ibi: tuituri terram Laboris: præfidente eodem Iohanne, vsq; dum Rex adueniret: inter quos erat Robertus filius Ricardi: fidsimus Regis: qui in superiori proximo libello præscriptus est: & Rogerius Orientalis Comes: alijque quam plures: vnde factum est, vt tam ipse exercitus, quam milites, qui intra Capuam habebantur, præter pedices, fere duo millia supputarentur.

**A**VERS A itaque vrbe a Principe recepta, Pisanus exercitus, qui cum eo venerat, quorum numerus circiter octo millia ferebantur, eidem Principi, & Ranulpho Comiti, Sergioque Magistro militum omnimodis instant, vt ad aggrediendum Capuam quantocyus festinarent. Asserebant enim illam sine dubio quantocyus fore inuadendam. Sed illi cognoscentes urbem militari plurimum protectione fore munitam, impetum eorum, prudentiori consilio cohibent: quatinus circa Clanum flumen, in loco, qui Pons Silicis nuncupatur, castrametentur: paullulum attendentes, vtrum ab ijs, qui plus alijs diligebant Principem, vrbs ipsa ei quo quomodo proderetur. Verum Cancellarius, vt erat cautus, & sollicitus, antequam ipsi ad eundem accessissent locum, quosque Principem plus alijs diligentes perceperat, & in quibus tradendi ciuitatem maior haberetur suspicio, vniuersos comprehendens Salernum custodiendos direxerat.

**D**V M ergo Princeps in illo loco moratus spem prodendæ sibi vr-  
bis amisisset, motus inde, iterum in alium locum, secus eiusdem fluminis decursus aquarum tentoria fixit: stante ex altera parte regio, cui Iohannes prædictus præsidebat, exercitu. Comes vero Ranulphus nimio mentis ardore æstuabat, eo quod in illos ad feriendum, medio stante flumine, furtiuo, subitoque euentu irrumperere non posset. At Iohannes Ammiratus vir sagacissimus e contra, sinistros præcauens euentus, caute agebat exercitum: videlicet ab irruptione inutilis audaciæ eos coercens. Cumque sic ab vtraque parte aliquantisper ibi moratum fuisset, Principis expeditio panis inopia coangustari cœpit: quam non iam sustinere valebat. Tanta namque in eodem loco egestas habebatur, vt vnus panis pusillus vix iam Rothomagenfi nummo mercaretur: quam ob rem derelicta Princeps cum Magistro militum NEAPOLI, recedunt: Comes autem Ranulphus ad custodiendum Aversam delegatur.

**D**V M ergo res ita haberetur, ecce subito Rex Rogerius, quem omnes sui stitenter expectabant, quemque inimici eius non viuum credebant, equoreis vndis aduectus, quinto die intrante Iunio Salernum ingreditur: cui cum de nauis exeunti, vniuersus ciuitatis populus vnanimis occurrissent, tanto excepti sunt gaudio, vt pro eo Deo gratias omnes exclamarent: cuius aduentum, & Beneuentani audientes, ita ipsi immenso sunt exhilarati tripudio, vt in vrbe, me ipso præfente, & audiente Ecclesiarum signa simul pulsarentur: & ab Archie-

piscopio, ad monasterium vsque S. Soplizæ cum hymnis, & laudibus clericalis ordo processerit. Rex denique a præsentibus rerum casus seriatim sciscitans, atque prænoscens, per omnes mox ditionis suæ terras dirigens, ad se omnes, qui arma gerere, eisque ad prælium exerceri possent, accelerare imperat.

**C**V M ergo vndique adueniens exercitus coadunaretur, Rex interim super Auerfanis, quos de legalitate multa, fideique sinceritate iam laudibus suis extulerat, plurimum conquerebatur: quandoquidem, quod in eis laudauerat, necessitatis tempore ingruente, in ipsis non est inuentum. Contristabatur etiam præcipue super Ranulpho Comite: conquerensque aiebat: quomodo Ranulphus Comes a me vltra suscipiendus sit, vel credendus: quem semper ad malum mihi inferendum, nec propinqui sanguinis copula, nec postquam eius hominum accepi, sacramentum fidelitatis cohibuit? Quocirca merito postquam ab eo violatum est iusiurandum, fides ei non est amplius adhibenda: amorque propinquitatis, quo ob coniugium sororinum, vnitusque cum eo ligatus tenebar, penitus dissoluatur. Qui quidem si in mei nunc fidelitate positus gloriam meam, & honorem quæsisset, oblitus omnibus, quæ mihi intulerat, malis, multum a me honorem sine dubio consecuturus foret. Magister vero militum, qui fidelitatem meam, inimicis meis adhærendo dereliquit, nulla vtique super hoc venia dignus habeatur: NEAPOLITANAM quippe dignitatem amittens. Princeps autem, qui iram meam magis delitescendo fugit, quoniam in hoc non multum deliquit, vtique miserendum est ei: suoque ex toto non priuetur honore: si tamen ab inimicis meis, videlicet Magistro militum, Comiteque Ranulpho discedere velit. Vnde mittatur cito ad eum: & experiamur, vtrum verbū istud sibi placuerit: videlicet, vt ab illis discedat. Verum Princeps, Comesque, ex quo aduentum perceperunt, in tantam animi tristitiam corruerunt: vt mori magis, quam viuere vellent: videntes se rumore falso fuisse delusos.

**C**V M ergo Princeps hoc, quod ab eo mandatum fuerat, contemnendum elegisset, Rex illico coacta in vnum, quam collegerat, militū, peditumque innumera expeditione, qua maior nulla alia antea ab eo habita est, ad aggrediendum Auerfam, qua Comes Ranulphus ad custodiendum remanserat, toto animo tendit: cuius aggressione in asperissimam Auerfani formidantes, coeperunt omnes, quicumque citius poterant, fugā arripere: atq; NEAPOLIM, ad se ibi tuendum properare. Comes autem cernens se, ita fugiendo, ab omnibus præ timore derelinqui, bellum sine dubio Regi inferendum sæpe comminatus fuerat, vix tandem cum paucissimis fuga ab eo elapsus est: atq; Neapolitanis mœnibus, quibus tūc Princeps, Magisterque militum adhæserant, se nimis confusus recepit: qui cū ibi intrusus ciuitatis claustra non egredi auderet, intra mentis suæ viscera immaniter torquebatur: pœnitens valde, quod male consultus guerram coeperit: sibiq; ea, quæ pacis sunt, consulentibus nequaquam crediderit. Quid ergo ageret? cum se, etiam terras in proximo iam amissurū cerneret: ad quas tuendum, & fratrem suum Ricardum dimiserat. Sed ille similiter regio perterritus aduentu, etiam filio suo, quæ Regi obsidem dederat, derelicto,

lieto, cum ad fratrem suum Comitem redire nequisset, per occulta trami-  
tum continuo fugam iniuit.

**C**V M ergo Rex super Auersam irruens Comitem fuga euasisse con-  
perisset, doluit valde, quod captionis suæ retia euadens, vltionem ip-  
sius meritam non fuerit expertus: qui deinde tanto mentis furore  
accenditur, vt tota vrbs prius omnino depopulata, ignis post incendio tra-  
deretur: quæ videlicet ciuitas non solum intus, sed etiam de foris abundan-  
tissimo fuerat inhabitata populo: omnibusque inuiduis ita fertilis fuerat, \*  
vt etiam Capuæ, seu NEA POLI, quæ circa se erant, non inuideret. Fru-  
mento, & vino, carnisque edulio ita feracior exsisterat, vt fere nullus in ea  
habitantium in victu egeret: vnde contigit, vt pæne omnes in ea effrenatus  
turpi libidini subderentur: ob cuius piaculum, quo se moderari neclexerunt,  
Deus magis offensus, sic eam, vt æstimo, per Rogerium delere decreuit.

**C**V M ergo sic Auersa deleta fuisset, Rex post modum suburbana ip-  
sius concremari iussit. Deinde appropinquans NEA POLIM, inter  
oppidum, quod dicitur Cuculum, Patriæque lacum castrâ defixit:  
ibique tamdiu moratur, quousque & cuncta suburbana NEA POLIS in  
partibus illis ignis incendium consumeret: segetesque vniuersæ a frumen-  
tatoribus suæ expeditionis depopularentur. At Princeps Robertus, Co-  
mesque Ranulphus, Sergiusque Magister militum ita præ formidine ip-  
sius intra urbem intruduntur, vt nec de porta bellaturi exire auderent.  
Cumque omnia ibi consumpta fuissent, iterum Rex Auersam destructam  
reperit: qui etiam illic diligentius iubet, vt si quid inter Auersam, NEA PO-  
LIM QVE, quod comburendum esset, incombustum remansisset, omni-  
no cõbureretur: vbi quippe moram tamdiu facit, donec & rebus agrarijs,  
quæ superfuerant, vniuersis consumptis, solum telluris omnino vacuum  
dimitteretur.

**D**V M hæc ita gereretur, Rex habito consilio præmisit Cancellarium  
suum Vvarinum cum multitudine militari: quatenus ciuitates, quas  
Comes Ranulphus sub proprio dominio tenuerat, sponte sibi subij-  
cerentur: alioquin si ipse super eas irrueret, sine vlllo miserationis intuitu  
depopulata, ignis quoque concrematione funditus exinanirentur. Veniē-  
te itaque Cancellario ad urbem, quæ dicitur Allifa, ipso die quo venit, vni-  
uersus eius populus Regi, sine vlla refragatione subijcitur: quo facto, po-  
stera die ad oppidum S. Angeli cognomento Rabicanum suscipiendum  
tendit: cuius videlicet Ricardus frater eiusdem Comitis dominatus fuerat:  
quique etiam regio, vt iam fatum est, aduentu perterritus, dimisso eodem  
castro, in Campaniam aufugerat.

**P**OST hæc autem Cancellarius recessit Caiaciam: remotus tamen ab  
ea tertio milliario secus Volturni fluenta. Mandatur exinde Caiacia-  
nis, & præcipue illis, qui castro eius præerant, vt & ipsi Regi super se  
quantocyus suscipiant demanium. At illi sentientes inexpugnabili se ca-  
stro muniri, audacius recusant id fieri: immo si necesse fuerit, se ei repugna-  
turos prænuntiant. Quam ob rem Cancellarius motus inde, castra super  
Sanctam Agatham urbem metatus est: exhortans ciues Regi se vltro sub-  
dendos. Verum illi, sicut & Caiaciani id fieri renuētes, ad resistendum po-  
tius se

tius se parant. Nuntiantur itaque Regi, qui tunc Auerſæ morabatur, hæc omnia: & quia utræque vrbes munitissimæ erant, necesse erat, vt Rex ipse ad expugnandum super eas irrueret.

**P**ORRO Rex audiens illorum superbiam graue accepit: vnde magna expeditionis suæ parte ad custodiendam Capuam, ceteraque oppida circa terram Laboris sita, delegata, ad obsidendum præfatas vrbes iratus festinat. Veniens ergo super S. Agatham eam vndique artissime circumfedit: atque machinas, quibus citius caperetur, fieri iussit. Quo viso ciuitatis habitatores immenso consternantur timore. Vnde nonnulli eorū cito exeuntes Regem præuenire satagunt: pedibusque eius prouoluti precibus instant, vt eorum subditiōem suscipere iam dignaretur: & ne ipsi cum vxoribus, & liberis, rebusque eorum in prædam darentur: essentque in ignominiam cunctis audientibus. Rex itaque precationibus eorum vix flexus, vrbe sic, sine ipsorum discrimine suscepit: atque post tertium diem ad habendum Caiaciam properat: sicque eiusdem vrbes positio ita stare cernitur, vt orientem versus ingens in ea castrum, non solum humano opere, verum etiam montis excellentia naturaliter munitissimum habeatur. Quod quidem castrum ita ab vrbe distat, vt etiam ciues ipsi in nullo quomodolibet contra illud penitus præualere possint. Ceterum & obsidionem ab eo nõ formidare videtur: vt si virtus alimonix, qua tutores eius sustententur, non defuerit, vix vniquam possit captione subdi.

**V**ENIENS itaque Rogerius super illam, mirabile dictu, ita castrenses in primo exterriti sunt, assultu, vt nil aliud, nisi quæ pacis sunt, cogitantes eidem subdi quantocyus euperent. Quippe tantum percrebruerat: in eodẽ assultu spiculorum iactura, vt vix cuiuslibet manus castrensis ad repellendū instantes hostes contrahendi fuerit ausa. Nā defensionis gratia quicūq; inermis positus brachiū extēderet, ictū deforis venientis iaculi statim in se ipso excipiebat. Sic itaque castrum ipsum semel oppugnatum, atque deuictum a Rege accipitur: quod cum postea visendi causa fuisset ingressus, illud quam maxime, pro ipsius ardua, ingentique munitione commendasse fertur: multumque sibi prodesse ad eius defensionem coronæ testatus est.

**P**OST hæc autem quendam ibi heroem Nicolaum nomine, eo quod inimicis suis consentiens periurus eius fuerit, iusto exheredauit examine: qui deinde cupiens in perpetuum solidare pacis bonum, dedit edictum, vt cuncta in terra Comitum subuerterentur oppida: præter munitiora castra: quæ ei sub proprio dominio ad eiusdem pacis tutelam retineri placerent. Post hæc venit Alifam: vt videret eam: qua visa, de ipsius amœnitate loci, lympharumque circumcurrentium magna abundantia fertur valde sibi complacuisse. Quarum videlicet Lympharum tanta erat obsecundationis facilitas, vt quodcumque prius vellet, riuum ex eis productum, in hortum suum vbicumq; esset, posset transducere: eiusque ad irrigandum holera, pro velle suo famularetur.

**P**OST hæc coacto in vnum exercitu, quem secus fluuenta Volturni reliquerat, NEAPOLIM, qua hostes eius contra se suscepti rebellabant, obsellurus properat. Erat autem ciuitas ipsa antiquissima: quam  
Athenas,

quam AENEAS, cum illuc nauigio transuectus applicuisset, primus fertur condidisse: cuius quoque magnitudo prægrandis erat: quæ a parte meridiana non solum murorum altitudine, verum etiam Tyrrheno mari munitur. A ceteris vero partibus, excelsis mœnibus roboratur. Quam ob rem adeo ipsa inexpugnabilis constat, ut nisi famis periculo coartata nullatenus comprehendi queat. Nempe huiusmodi vr̄bis dominus, olim OCTAUIANO AUGUSTO annuente, VIRGILIUS maximus poëtarum exstitit: in qua etiam ipse volumen suum ingens hexametris composuit versibus.

**I**GITUR cum Rex Rogerius a parte Orientis vr̄be hac obsessa, eiusdem captionem diu differendam præuidisset, accidit in cor eius, ut innumeris accitis fossoribus, castrum ingens aggeris circumductione munitissimum super eam firmaret: quatinus ibi incessanter, militaribus excubijs sufficienter expositis, ipso quoque absente NEAPOLIS vicinibus indefinenter ab ipsis constringeretur. Cum ergo posita super NEAPOLIM obfidione agger, pro extruendo castro ipso, terram effodiendo furrigeretur, cœpit agger idem, eo quod ex cæmēto arido terra egesta labilis esset, huc, illucque submergi: propter quod opus ipsum in vacuum assumptum fuisse videbatur: nec poterat castrum ipsum inceptum, dum agger sic submergeretur, ad effectum pertingere. Quo viso Procures ad Regem mox venientes submissis vocibus conqueruntur. In cassum inquam, ad construendum castrum labor iste assumptus est: quoniam quotidie terram effodiendo, agger circumducitur: qui tamen ad expletionem eiusdem castri non proficit: quoniam quod pro aggeris erectione fodiendo egeritur, dilabi profui instabilitate non cessat: quapropter dimisso hoc opere, aliud inueniatur consilium: quo ad vrguendam rebellis vr̄bis superbiam congruentior præstetur facultas. Item est & aliud omnino lugendum: quoniam sunt nonnulli ex hac expeditione, qui in loco isto, dierum æstum Canicularium non ferentes, incipiunt iam infirmari: alij vero intolerabili equorum, qui præ multa aquæ inopia siti moriuntur, cadauerum foetore tabescere. Sed etiam tellus ipsa, qua consistimus, eo quod cæmentum siccum sit, impurum a se prodeuntem calorem. Horum quippe malorum vitia valde veremur: ne forte in tantum procedant, ut totus ab eis exercitus infirmatus, pernitus, quod absit, labefactetur. Vnde hinc, si tuæ non displicet pietati, cito remouendi sumus: ut non morientes, cū salute etiã nostra NEAPOLIM non solum diebus æstiuis, verum etiam in hieme, si necesse fuerit, coercere possimus. Quibus Rex auditis, mox eorum misertus, iussit obsidionem remoueri: cogitans qualiter alio modo, absque suorum discrimine, hostibus suis resistendum esset: quamobrem magnam eiusdem expeditionis partem dispersiens, per singula oppida, quæ NEAPOLI viciniora erant, instituit: uti eam, ipso quoque discedente instanter comprimerent: sui que rebelles, si quando forte vsquam armati progredierentur, vicinibus ab ipsis possent restringi.

**Q**VIBVS ita dispositis perrexit Cuculum: quod dum ipse a Sicilia moram redeundi faceret, a Pisanis, quos secum Princeps duxerat incassum, eo quod Neapolitanis iubente ipso aduerfaretur,

faretur, ex parte etiam fuerat subuersum. Quod videlicet oppidum, quoniam NEAPOLI propinquissimum existeret, ad artandum eam quanto cyus reedificans, melius etiam quam antea fuerat, opere firmari præcepit: deinde præuidens magis Auerſæ restitutione, rebellis NEAPOLIS posse restringi superbiam, perrexit illuc: atque eodem, quo prius fuerat, iussit restaurari situ: atque ad eam inhabitandum, cunctos, qui prius illam inhabitauerant, redire permisit.

**I**NTERIM autem dum Rege ipso cum suo exercitu præſente, eiusdē ciuitatis instanter reparatio fieret, Princeps, & Comes, Magisterque militum Sergius intra moenium NEAPOLIS septa conclusi nesciebant quid agerent: videntes se omnes iam in proximo fore superandos: ni forte vndecumque adueniens succursus citius adesset. Nam & victus inopia indefinenter angebantur: nilque quo ad vitam, cum suis sustentarentur, de foris per terram aduectum, ad eos intrare minime poterat. Militum vero, qui ad stipendia ipsorum militare videbantur, alij verentes plurimum regiam captiōem, urbem quancūque poterant, latenter exeuntes abscedebant: alij autem possessiones proprias nolentes amittere, ad eas resumendum, qui tamen Regis licentiam accipere possent, reuertebantur.

**C**VM ergo prædicti Principes ciuitatis conclusionē ita coercerētur, hoc tandem ab eorum sollertia prouidetur consilium, vt ocyus Pisam dirigentes ciuium aures missis precibus pulsarent: quatenus eorum miserentes, ingentem per mare venientium belligerorum copiam transmitterent: eisque celerrimum in extremo iam politis opitulationis succursum impenderent. Cum ergo immensa acies ab eis directā cum ratibus equora sulcando NEAPOLIM tendissent, istiusmodi præfirmantur consilio: vt urbem Amalfiam inchoante auroræ ortu subito aggredientes aut prædarentur: aut Regi, si fortuna sinistra non eis impedimentum ferret, eriperent.

**E**RAT autem tunc Amalphia omnibus pæne euacuata belligeris viris: quorum iam pars iubente Rege, cum liburnis quattuor armatorum refertis copia, per marinas prædaturi aquas recesserant: pars vero in hostem euntes cum Rege aderant: alij autem Pisanorum tunc nauigia intuentes, quoniam eos putarunt Salernum aggressuros, cito illuc præeuntes eam tuituri, ibi remanserunt. Venientes itaque ipsi Pisani subito inchoante auroræ luce inuaserunt urbem: nulloque resistente eam funditus, impieque depopulantur. Cumque vrbe tota depopulata, vniuersa ad classem spolia transportata fuissent, mox Scala oppido, ceterisque Amalfiæ munitionibus inuasis, nouissime quoddam munimen, quod dicitur Fracta, oppugnare nituntur.

**D**VM ergo Rex Rogérius, vt iam fatum est, ad reparandum Auerſam, bellica constipatus expeditione sedulus intēderet, intimatum est sibi, quod naualis præliantium manus Pisa adueniēs Amalfiam proculdubio inuaserat. At ille cognito hoc concitus, ipsam Auerſæ restitutionem pro tempore dimittens, castra mouit: Amalfiam violenter de manu excullurus.



excussurus. Quid multa? Dum ergo præfatum munimen, sicut iam dictum est, expugnaretur, ecce regius exercitus ex improviso irrupens, partem ipsorum cæde prosterunt: partem vero captivis violentia subdunt: quorum videlicet numerus inter necatos, & captos mille quingenti fuisse referuntur. Ex Cõsulibus autem ipsorum duo capti sunt: tertius vero percussus interijt: qui autem ad puppes remanserant, vel timore coacti ad eas fuerant reuersi, innumeris, quibus onustati fuerant spolijs, fugam arripendo euaserunt. Liburnarum vero numerum quidam afferunt fuisse quadraginta tres: alij vero plures: captiuorum autem multitudinem per diuersa Rex dispersiens loca, vinculis mancipandos direxit.

**C**ETERVM piratæ ipsi NEAPOLIM redeûtes cum Pisanis, quos Princeps secum duxerat, relictis ibi ad custodiam nonnullis ipsorũ, simulque etiam cum eodẽ Principe Pisam ingressi sunt: veris tempore in adiutorium Neapolitanorum denuo reuersuri. Verũ Sergius Magister militum, Comesque Ranulphus cum filio suo Roberto in vrbe defensionis eius causa remanserunt. Ipse autem Robertus in primis adolescentiæ annis miles constitutus, maxime tunc temporis, vt erat adolescens, optimam audaciæ, virtutisque laudem iam consequi incipiebat.

**R**EX denique in vnum rursus collecto immenso exercitu, Neapolitanorum vitiferas arbores, in quantum propius accedere potuit, omnes succisurus regreditur. Succisione itaque eadem circumquaq; perpetrata, Auersam, quam pro tempore, vt iam dictum est, reedificatione inconsummata dimiserat, cõsummaturus reuertitur. Qui postea videns se imminente iam hieme, nõ vltra diu secũ posse retinere exercitũ, sibi que quãto cyus repetendi Siciliam necessarium fore, eius mox disposita, quæ fienda erat, restitutione, ordinatisque vsquequaque per oppida ad tuitionem pedestribus, ac militaribus excubijs, Beneuentum regreditur: figens castra subtus Padulum oppidum: non longe a flumine Caloris: ad quem mox pro parte omnium ciuium nonnulli ex primoribus Beneuentanæ vrbis cum Archiepiscopo exeuntes benigno, ac familiari famine ab eo commoniti sunt, vt de eius penitus amoris nil hæsitarent æquitate: diligenter pacis vinculo connecti studerent: ita vt nullum dissensionis ciuilibis adinuentorem sine iustæ animaduersionis censura dimitterent: simulque fidelitatem ipsius, salua Apostolica fidelitate, deuotissime contra omnes custodirent. Nam animus eius in hoc vere perseuerabat intentus: vt eos semper diligere, benefacere, atque tueri paratus esset: si tamen in ipsa eius fidelitate, vt cœperint, pure deinceps perseueraturi essent. Hæc, & his similia illi ab eius ore audientes, hilariore redditi talia responderunt. Nos inquit, domine Rex cuncta, quæ iubes libenter faciemus: tibi que toto corde adharebimus: nec quidquam, quod sit contra fidelitatem tuam, machinabimur: immo eam illibatam indefinenter seruantes a tuo obsequio, post dominum Papam nullo deficiemus tempore: tantum amor tuus, tuaque dignatio ne auertatur a nobis. Hæc vbi verba darent, recesserunt. Postera die Rex Rogerius filium suum nomine ANEVSVM, bonæ indolis puerum, cum fauore Optimatum, militumq; omnium, Capuani per vexillũ sublimauit Principatus honore. Deinde continuo ipso die generum suum no-

M mine

mine Adam Comitali dignitate, qua illustratus fuerat Alexander Comes, cuius superius memoriam egi, magnificauit: virum scilicet iuuenilis ætatis decore fulgentem: affabilem: militemque strenuissimum. Habebat autem Rex & alios duos liberos adolescentiores, forma speciosissimos: morumque honestate præclarissimos: nec non ad suscipiendum militiæ cingulum iam utrosque adultos: quorum vnum, qui erat primogenitus omnium fratrum, Rogerium nomine iam Ducali honore, alium autem Principatu Barenfi prouexerat. Erant autem & ei duo filij minimi: qui sub tenera adhuc pueritiæ ætate degentes sic in regia aula manebant.

**R**EX denique quos familiariores habebat, secum retentis, ceteros omnes illic ad propria remeare permisit. Post hæc motus inde regreditur: visurus quoddam municipium, quod nuncupatur Gardia: nec non arcem quandam, quæ dicitur Draconum: quæ erat in supremo montis valde ardui sita: ut sciret, quali, quantouue, vtraque præstarent muniminis robore. Ad quam tamen arcem antequam accessisset, dum iter ageret, dominum oraturus ad monasterium S. Saluatoris Celefni diuertitur: cui cum Abbas Alexander prænominatus, omnisque congregatio fratrum obuiam processissent, honorifice, ut decuit, ab eisdem susceptus, Deo laudes concinendo in Ecclesiam vsque introducit. Qui cum genibus positus ante altare orationem consummasset, ad capitulum ipsorum pergens, breuitunc allocutione Abbatem, omnesque fratres familiariter ibidem excepit. Post hæc filius eius præfatus ANFVSVS sanctam eorundem fraternitatem per manus ipsius Abbatis præfente Rege accepit: quam Rex ipse, ut supra memoratum est, altera vice veniens susceperat.

**D**EINDE Rex cameram expetens, atque refectus, supplicante eodem Abbate montem ipsum monasterio supereminentem, qui per multa annorum curricula amissus fuerat, ei restituendum promisit: nec non argenti tantum, quo calix, duoque turibula fierent: quibus tunc fratres ad seruitium Dei præcipue indigere videbantur, pollicitus est: quibus etiam vicissim dedit, ut ex his promissionibus, Salerni cum esset, requireretur. Itaque indigentia, quam ob causam contigerit, breuiter hic referatur. Quippe Cœnobium ipsum Comes Ranulphus, ut cum Rege guerram continuam agere posset, post multas diuersarum rerum eiusdem oblationes ita constrinxerat, ut & altare ipsum, vniuerso eius substracto ornamento, denudare non timuerit. Vnde factum est, ut ex hoc & Deum offenderet, & Rogerio, peccato ipso præpediente, præualere non potuisset. Male itaque vsus est consilio: cum putaret, diuina furripiendo vasa, contra Rogerium sibi diuinitus subueniri.

**R**EX igitur præfata Guardia, arceque Draconi curiosissimo intuitu perspectis, simulque quantum, vel vbi magis in eisdem roborandum esset præsignans, Caiaciam regreditur: qui castrum ipsius ascendens, totum in circuitu perspicacius considerat: atque vbicumque in eo amplius muniendum esset, præuidens, absque temporis dilatione præmuniri instituit: itemque disposuit, ut cuncti Procures, qui in vicino positi erant, degentes, cum vniuersis subiectiuis suis militibus, qui terrestres erant, Caiaciæ circa castrum domibus suis constructis perpetuas haberent man-

fiones:

fiones: videlicet vt castrum ipsum, quod naturali, & humano opere fortissimum cernebatur, cohabitationis etiam militaris numerositate roboraretur: vbi etiam nonnulli tunc de clero Capuanæ ciuitatis, & de ciuibus laicis aliqui aduenientes cum consilio Regis quendam clericum nomine Guilielmum, virum vtiq; in diuinis & humanis rebus scientia præditum, ad Archiepiscopatus officium elegerunt: nam antecessor eius in Simoniaca re pertus prauitate, depositaria fuerat plexus censura.

**P**OST hæc autem Rege Capuam redeunte primitus eidem electo, deinde eiusdem Regis filio, qui supradictus est, ANFVSO clerus, & populus singulas processiones facientes in urbem introduxerunt: vbi scilicet omnes Principatus Capuani proceres conuenientes nouo Principi submissi, hominio suo fidelitatem iurauere: salua tamen sua, filijque eius Rogerij fidelitate: qui ei in regnum successurus erat. Deinde, vt omnibus iniusta patientibus exhiberetur iusticia, præfatus electo, simulque Magnati cuidam, qui vocabatur Haymon de Argentia, imposuit. Verum & super vniuersam terram, quæ sub proprio erat dominio, quendam strenuum, cui nomen erat Cancellinus, virum vtiq; in sæcularibus sollertissimum rebus, procuratorem constituit. Militiæ vero, quæ pro defensione terræ Laboris delegata fuerat, quosdam, in quibus magis cõfidebat, Comites, dũ ipse a Sicilia reuenteretur, per vices statutas sibi successuros, iam antea, cũ esset Auerfæ, præposuerat.

**E**X quibus videlicet vicibus primo accepit agendam præfatus gener Regis Adam. Secundam vero post eum acturus erat Comes Robertus filius Ricardi: tertiam autem post illum Simon Comes S. Angeli Montis Gargani: sicque ceteri per ordinem: qui Simon consobrinus frater regis erat: scilicet valentissimus miles: filiusque Henrici Comitis: eiusdem Regis auunculi. Hic quoque Henricus omni tunc probitate decoris, totiusque affabilitatis dulcedine splendidus, in consilio prouidus, rebusq; bellicis strenuissimus: immensæ laudis gratia, ex hoc quam maxime efferebatur, quod etiam Regi ipsi, vt Ducalem denique coronam regni consequeretur, consilij prudentia, seu factò, præ omnibus affuisse fertur.

**C**V Mergo hæc, & alia ab eo statuta fuissent, motus est inde: Siciliam quanto cyus repetiturus: dumque iter agens Argentium appropinquasset, viso eo placuit sibi subuerti: quandoquidem non admodum idoneum pro defensione fore cernebatur. Post hæc quoque gradens, Vallem Caudinam expetit: eius cupiens qualiter se haberent oppida, videre: Appadium scilicet: Montemque Sartium: nam cetera iubente ipso iã fuerant subuersa: a qua videlicet Mathildam sororem suam remotam, in Siciliam, saniori vsus consilio, elongauerat: ne quando forte vir eius quolibet modo eam seducens, per eius consensum aditum inueniret: quo contrariũ sibi in futurum ingerere posset.

**I**GITVR prædictis oppidis præuisis, ordinatisque, quæ ibidem videbantur ordinanda, ad Castrum, quod dicitur Coreum præuisurus festinat: quod cum præuisum amplius præmuniri iussisset, Cipparunum

etiam oppidum præuidendum properat: qui & ipsum quomodo, qualiter ve fortius muniendum esset, instituens, Salernum tandem peruenit.

**V**ERVM præfatus Alexander Abbas audiens Regem Salernum aduenisse, promissionis eius non immemor, misit continuo Priorem Cœnobij sui Stephanum nomine, aliumque fratrem cum eo: qui ei quæ promiserat, ad mentem reuocarent. At ille mox aduenientibus eis lætanti animo, tantum argenti, quo calix, duoque turibularia fierent, dedit: scriptoque Cancellino eius Vicedomino direxit: quatenus montem præfatum Celefino Abbati, quod iuris monasterij esset, assignaret. Cancellinus ergo cum mandatum ipsius accepisset, illico montem ipsum, sicut per litteras mandauerat, per Minanum Vicecomitem eidem Abbati assignari fecit: de cuius quoque assignatione Abbas ipse, eiusdemque congregatio gauisi sunt gaudio magno valde: gratias agentes Deo, qui ipsum eundem montem, per tot tempora amissum, monasterio per Rogerium recuperari fecit. Vnde mox prænominatus Abbas ad Missam matutinalem pro salute, & vita ipsius, filiorumque eius sollempnem orationem in conuentu quotidie fieri instituit. Quoniam itaque bona semper sunt recolenda, idcirco hanc ipsam Regis beneficentiam conscribi dignum duximus: vt aut ipse Rex reminiscens ad melius peragendum prouocetur: aut alius eius exemplo, ad simile quid exercendum excitetur. Rex itaq; postea mare ingressus Siciliam, cum immensa expeditione, veris tempore ad expugnandum rursus NEAPOLIM reuersurus repetit. Tertius in hoc loco finiat libellus: vt paullulum mente refoti, vires dicendi, ad inchoandum quartum resumamus.

EXPLICIT LIBER TERTIVS.

INCIPIT LIBER QVARTVS.

**P**OST DISCESSVM REGIS IN SICILIAM, secundum vices, sicut iam dictum est, quæ ab eo constitutæ fuerant, præmemoratus Comes Adam ad regendum Auerfam, militiam primus ingreditur: qui dum se in eadem viriliter, optimeque ageret, magnam de se, in militari strenuitate famam tunc diuulgauit. Nam sæpissima discursio ne, eiusdem vrbs exteriora ita circumquaque militando coercuit, vt non iam ad portam eius vsque vereretur accedere: verum ciuitas ipsa tanta panis inopia iam agebatur, vt vix duovalde pusilli panes de milio Rothomagensi nummo met carentur. Porro milites, quibus Adam ipse præerat, circiter mille erant: ex quibus ad arcendum NEAPOLIM, alij in oppido, quod dicitur Suma, alij Acerris, nonnulli in munitione Cuculi, quam plures Auerfæ excubare iubentur.

NEAPO-

**N**EA POLI vero tam præ timore Regis, quam pro cibi penuria, militum post non pauco numero abscedente, vix trecenti remanserant: qui interdium, & si pro paucitate sui aperte resistere non poterant, per noctis tamen silentium exeuntes, ignorantibus illis incendia, prædæque agebant. Cum ergo huiuscemodi infestationibus & illi præliando alternarentur, Comes Adam appropinquante vicis suæ termino, ad sua rediit: cui successit Comes Robertus filius Ricardi: scilicet fidelissimus Regis: virque bellicosissimus: qui pro summa, quam erga eundem Regem habuit, fidei sinceritate, tanto ab eo donatus est munere: vt Boianensis Comitatus sit magnificatus honore. Habebat namque Rex hanc laude dignam consuetudinem: vt quemcumque penes se potiori, atque sinceriori fide præditum cerneret, non solum ampliori circa se dilectione haberetur, verum etiam eiusdem gratia non frustraretur. Infidum vero si quemlibet semel reperiret, ei pro huiuscemodi nota, ad ipsius amoris dulcedinem pertingere, aut vix, aut numquam possibile erat.

**S**ED quoniam se in hoc loco occasio præbuit, eius boni mores qui, & quales in eo existerint significare, ad laudem, & memoriã ipsius prætereundum non est. Erat quippe amator iustitiæ: atque defensor: vltorque malorum seuerissimus. Mendacium autem loquentem per omnia ita exosum habebat, vt si quis, cum verum dicturus esset, falsum protulisset, ei vltra ad credendum animus eius aut vix, aut numquam flecteretur. Ecclesiarum quoque, seu monasteriorum munificus: atque protector erat. Otio, vel vacationi vix vnumquã subdebatur: in tantum, vt si quando a ceteris utilioribus occupationibus sibi vacare contingeret, aut publicis exactationibus inuigilaret: aut datorum, siue dadorum, seu eorum, quæ accipienda erant, reminisci, vel quæ recensenda erant, recensere satageret: quatenus melius de suotribuendum ærario, vel vbi adeundum esset, sub chirographorum ratiocinijs semper habebatur: & vt amplius dicam: nullum quid sibi erat, quod non sub scripti ratione seruarietur: aut erogaretur: nil tamen cuiquã per inanem largitatem tribuebat: vnde in nullo vnumquã egere poterat: qui tanta sollertia, tantaque cautelæ diligentiã sua curabat: verens in illud, quod vulgo dicitur, incidere: qui non viuit ad numerum, victurus erit ad dedecus.

**S**TIPENDIA vero militaria, vel quidquid ex conuentione, seu promissione dandum esset, incunctanter persoluebat. Numquam vero quod daturus, vel dandum non esset, polliceri volebat. In faciendis non præceps existerat: sed priusquam eorum quid inchoaretur, semper prudentiæ oculo præmuniri studebat. Neminem quoque ex præiudicio puniri, vel sua auferri quærebat. Cui vero aliquid pro merito bonum, vel malum promitteret, seu comminaretur, firmum, ratumque erat. Sed & hoc in eo erat valde mirabile, quia cum in hostem positus esset, ita provide bellica acta disponebat, vt semper, & vbique sine sanguinis effusione superans, exercitus etiam sui vitaret discrimen. Erat autem & in loquella velox, prudentia pollens, consilij grauitate præditus, sermone luculentus: atque repentinis responsionibus semper sapienter respondere paratus. Sed quia familiaritas solet parere contemptum, ita ipse publice, & priuatim in fa-

militaritate, vel affabilitate, seu iucunditate habebatur modestus, vt numquam etiam desisteret timeri. In tantum enim profuit metus ipfius, vt de cunctis, Deo cooperante, regni sui finibus, omni penitus eliminata iniquitate, non nisi quæ iustitiæ, & pacis erant, sectarentur: ita vt illud Psalmistæ in eo videretur compleri: iustitia, & pax osculatae sunt.

**Q**VONIAM ergo egregios Regis mores differentes paullo longius euagati sumus, nunc ad narrationis ordinem stylus reuertatur. Robertus itaq; præmemoratus Comes, cum recedente Adam, militia Regis apud Auersam regimen suscepisset, ita omni militaris virtutis, & strenuitatis instantia Neapolitanos constringebat fines, vt numquã per eos, ad malum inferendum hostibus exire daretur: nisi forte in nocte cum videri non possent. Sergius vero Magister militum, ex quo Rex in Siciliam discessit, Pisam nauigio transuectus abiit: si forte inde sibi, ceterisque suis excursions opem collaturus esset: cum Rex ipse NEAPOLIM obsessurus rediret. Ipse autem Rex Natalis Dominici subsequenti die adueniente, duos liberos suos ad militiam promouit: Rogerium scilicet Ducem: & Tancredum Barensem Principem: ad quorũ videlicet laudem, & honorem quadraginta equites cum eisdem ipsis militari cingulo decorauit. At Robertus Comes, qui toties iam supradictus est, completis in sorte vicis suæ apud Auersam, duobus mensibus, Nouembri scilicet, & Decembri ad sua reuertitur: cui successit Simon Comes S. Angeli: cuius superius memoria habita est: vir scilicet, vt iam dictum est, potens in armis: follertisque ingenij.

## ALLOQVIVM AD REGEM ROGERIVM.

**H**UIC DOMINE MI REX ROGERI LIBELLUM istum nemini potius destinandum putauimus, quam tibi ipsi: ad cuius quoque gloriam, & honorem editus constat. Quod quidem idcirco fieri volumus, quatenus gesta famosissimæ victoriæ tuæ sapiissime relegens, memor sis Domini Saluatoris tui Regis æterni: eique placere studeas: cuius beneficij munere te triumphasse, regnumque obtinuisse non dubitamus. Cuius etiam propter hoc gratias agere non cesses: atque cum Psalmista decantes dicens: Non nobis: sed nomini tuo da gloriam. Tanto namque perseuerantius, firmitusque te regnaturum, non ambigimus: quãto ab ipso & triumphum gratiam, & regni decorem te accepisse cognoueris: quantoque etiam eius imperijs, mente te ipsum subdideris. Præterea tuam precamur magnificentiam, vt labor noster, quem huic, pro honore tuo, impendimus opusculo, huiusmodi muneri recompensatione subleuetur: quatinus, videlicet nobis in Dei seruitio iugiter existentibus, sustentationem, quietem, pacem, seu libertatem continuo præstes: quibus amplius, liberius, securiusque diuinum exequentes famulatum, pro tua, tuorumque filiorum capessenda salute, attentius, deuotiusque orare debeamus. Nam si Virgilius maximus poëtarum,  
apud

apud Octavianum Imperatorem tantum promeruit, vt pro duobus, quos ad laudem sui ediderat, versibus, Neapolis ciuitatis, simulque prouinciæ Calabriae dominatus caducam ab eo receperit retributionem: multo melius credimus nos apud te, his recompenfari, quæ ad diuinum peragendum obsequium poscimus: non tantum quidem pro opusculo hoc, quantum etiam pro mercede animæ tuæ: nec non & pro Domino Salvatore nostro: in cuius quoque nomine, hic congregati sumus: & per quem tu ipse huc vsque saluus factus præfens consecutus es regnum. Oramus præterea ipsum Salvatorem nostrum, vt illud in te modo regnante efficiatur operis, per quod & præfens, & futurum promerearis possidere regnum: quorum alterum, id est futurum, sine dubio quandoque adipisceris, si bene, recteque administraueris istud. Quid enim profuit Sauli Israeliticum diuina voluntate possedisse regnum, cum postea contemptis eius imperijs, vtrumque amiserit regnum? Aut quid etiam profuit Romanis Imperatoribus, Octauiano scilicet Augusto, Domitiano, & Maximino, ceterisque, vniuerso imperasse Mundo: cum modo in inferno sepulti in æternum cruciantur? Vt igitur generalia caueri valeant tormenta, de regni honore, quo nunc inlustratus es, Deum ipsum magnificare, ipsique seruire, eidemque placere studeas, qui dedit. Nam sicut condecet, vt quis tibi seruitutis debitum soluat, ex ijs, quæ a te tenere videtur: ita & oportet, vt & tu domino Deo pro ijs, quæ tibi contulit, immo commisit, placitum ei exhibeas famulatum. Quod si forsitan quæretur, quæ sint ea, quibus bene, & recte præfens administrari debeat regnum, Domino concedente breuiter aperiemus. Regnum igitur bene, recteque administrare est, cū vtrumque tempus & belli, & pacis recte gubernatur: dum & per legum tramites rerum iniquitates expellas, atque armis, victis hostibus sis triumphator. Memento itaque te idcirco Regis nomine censerī, vt omnes sub ditione tua positi, & iustitiæ censura, & pacis vinculo regantur. Vt ergo huiusmodi pacis, atque iustitiæ bonum in regno tuo perpetuari valeat, multum prodest, si tu solus munitiores, & inexpugnabiles vrbes, ac fortiora, & inexpugnabilia oppida proprio subdideris domino. Reuocetur itaque ad mentem tuam laudabilis Constantinopolitani Imperatoris prudentia: qui pro conseruatione eiusdem pacis, atque iustitiæ, validioribus terris sibi retentis, ceteris vero, quæ sub eo sunt planiores, immo debiliores terras ad sibi subdendum, & obsequendum dimittit. Dum itaque ad ipsum simili cautione prouidendum studueris: eris, sicut dicit Salomon, tamquam leo fortissimus bestiarum: qui ad nullius pauebit occursum: siquidem innocentium dormieris securus: quiesces in die anteuigilans: ipsas etiam vigilias sine trepidatione pertransies. Huiusmodi ergo saluberrimum consilium omnia te desiderio amplectetur: & caue ne vniquam ipsius oblitus prætereas: quoniam scio illud Deo omnino esse placitum: & ab eius voluntate non discrepare. Præterea votis omnibus suademus Serenitati tuæ, vt memor conditionis tuæ, in mente habeas Dominum conditorē tuum: ipsumque Regem tuum fore cognoscas: qui est Rex Regum omnium: Dominus dominantium: in cuius etiā manu omnes fines terræ, & corda Regum constituit: cuius solius est disponere tempora: regna distribuere: eaque auferre quando

voluerit: vnde solus ipse est colendus: metuendus: & adorandus: a quo nimirum præueniente nos eius gratia, cum non essemus: habemus esse, viue re, & intelligere: atque moueri. Vnde dicit Apostolus: Quid enim habes, quod non accepisti? aut quid gloriaris tamquam non acceperis? Caue ergo, ne quando in corde tuo cogitatio subrepens persuadeat tibi: aliquid si ne eo posse haberi: ipse enim, qui dedit corpus, & animam, te nil operante, nec etiam sciente, ipse quippe dedit & cetera quæcumque habes: etiam si quid in eis visus es operari. Vnde in Euangelio discipulis suis Veritas dicit: Sine me nihil potestis facere. Si ergo discipuli Petrus, & Paullus, Andreas, ceteriq; Apostoli sine ipso nil potuisse facere credendi sunt: quanto magis omnes nos, qui ad comparisonem illorum præne nihil sumus? Multi quippe Deo volente, aut permittente pro suo velle, in hoc sæculo prosperati sunt: qui postmodum euanescentes in cogitationibus suis, hoc ipsum non Deo, sed sibi imputantes altius corruerunt. Ex quibus existit vnus Nabuchodonosor Rex Babylonis: qui dum ambularet in aula regia, subito eleuatū est cor eius valde dicens: Nonne hæc est Babylon magna? quæ ædificauit in domum regni: in robore fortitudinis: & in gloria decoris mei? His itaque verbis satis manifestū est, illum nimis contra Deum superbisse: cum Babylonem non in eius robore, atq; fortitudine, sed in sua ædificatam fuisse virtute asseruit. Vnde merito statim ipse in amentiam versus, de regno suo eiectus est. Atque per septem annos cum bestiis agri, ad instar ipsarum permansit degens. Postea vero Deo volente ad sensum suum reuersus, se seque per superbiam errasse cognoscens, tandem honori prædicto restituitur: atque Regem Cæli laudauit: glorificauit: atque magnificauit: quia omnia opera eius vera: & viæ eius iudicia: & omnes ambulantes in superbia potest humiliare. Vt possit igitur superbiæ lapsus præcaueri, omnem gloriam, & honorem, regnum, virtutem, diuitias, sapientiam, prudentiam, & cetera omnia ab ipso te accepisse non dubites: & vt breuius totum comprehendam, nullus omnino Angelus in Cælo, neque homo in terra existit, qui sine eius datione non solum aliquid, sed nec ipsum esse aliquando, habere potuerit. Ipse namque solus Deus a se habet, quidquid habet: quia a se, & non ab alio est. Veniat denique ad memoriam Dauid sanctus Rex: eiusque imitator fieri, studeas: qui dum Israeliticum regnum sine vlla contradictione possideret; in cunctis se tamen despicit: suisque in oculis humilem esse confitetur: dum coram arca Domini saltando diceret: Ludam: & vilior fiam: plusquam factus sum: & ero humilis in oculis meis. Constat itaque, quia dum Rex Dauid se primum conspicit per humilitatem, a Deo quippe magnus æstimatur: atque in regno, quo exaltatus fuerat, magis meruit confirmari. Sic etiam Constantinus Imperator, dum post baptismatis perceptionem, per vniuersum imperaret Orbem, tantæ subiectionis erga Deum existit, vt eius non defereret imperium: & idcirco cum Dauid de Regno, ad Regnum, & Imperio, ad Imperium cæleste meruit transferri: ad quod videlicet regnū, & imperium suo tempore, & tu transferaris cum eisdem regnaturus præstante Domino nostro Iesu Christo: qui cum Patre, & Spiritu sancto viuit, & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

EXPLICIT OPVS ALEXANDRI ABBATIS.



DOMINICVS A PORTONARIIS  
DE VRSINIS LECTORI.



**I**N EDITIONE HORVM LIBRORVM  
Gaufredi Monachi, & Alexandri Abbatis vetustorum aucto-  
rum, qui Normannorum Principum res gestas conscripserunt,  
vt Indicibus rerum ab Aragoniæ Regibus gestarum adijceren-  
tur, in eo potissimū hæsimus, & ab initio cœpimus subdiffidere, quod vni-  
cū exemplar nactis alterius codicis præfidiū deerat: quod maxime con-  
suevit esse adiumento: vt inuestigatione certa, ac veluti quadam indagine  
menda librariorum tollantur. Nam qui corrigendorum librorum operam  
rite nauare instituunt, accurata consideratione permoti summopere ab-  
horrent: ne cōiecturis, partim ingenio, & confidentia quadam impulsī in  
varias non modo partes, sed in contrarias plerumque dilabantur: neve fœ-  
de auctores, quos corrigere contendunt, misere dilacerentur. Propterea,  
ne hac corruptela his auctoribus grauiores plagæ infligerentur, qui tametsi  
minime videbantur vetustatem habituri, digni tamen fuerant, compensa-  
tione rerum posteris traditarum, vt debitus eis honos haberetur, satius du-  
ximus ad deprauatos locos notam adponere: vt pro se quisque, quo inge-  
niosior, & sollertior, quo ad eius fieri possit, vitiosis particulis, & corruptis  
incisis excæcis, ac reliqua structura apposite interpuncta medeatur. Per-  
æquum enim visum est: ne vulnera, quæ ad incorruptam sanitatem a no-  
bis redigi nequeunt, non modo exulcerentur: sed ne attrectentur quidem:  
vt suum munus, pensumq; ijs relinquatur incolume, qui faciliori, & com-  
modiori iudicio, desperatis etiam vlcibus opem, & incolumitatem ferre  
valent: & nobis satis, superq; sit, lucis vsuram his auctoribus attulisse: qui  
nostra opera consecuti sumus, vt eis salus, atque pristina valetudo ab alijs  
quandoque reddi, restituique posset. Præterea rem minime dubiam arbi-  
tramur: eos rerum scriptores in sua patria priuatis beneficijs, & eorū Prin-  
cipum amicitiæ decore floruisse: qui eorum hortatione res gestas posteris  
tradiderunt: quorum neque veterum quempiam, neq; recentiore mem-  
oria Abbatem Trithemium, qui bibliothecas omnes incredibili diligentia  
excussit: mentionem fecisse mirum videri debet: & cum supra quadringen-  
tos annos delituerint, fartos tectos pæne ab omni periculo fuisse conser-  
uatos. Gaufredus magna cum cura, & diligentia in notandis certis tempo-  
rum intervallis, quod magnopere non solum delectat, sed sine fastidio, &  
satiæte res plena oblectamenti est, in ea laude creber fuit: Alexander ve-  
ro Abbas adeo in eo negligens est, vt seriem ipsam rerum gestarum cum  
arbiter interfuerit, & viderit præsens ferme labefecerit. Illud vero nolim  
a me esse omissum: Alberiam Reginam Rogerij Regis vxorem, quam in-  
signis religionis feminam, digna laudis commendatione idem scriptor ex-  
tulit: Alfonso Regis maximi Hispaniarum Principis filiam fuisse: qui To-  
letum regiam urbem, & Carpetanorum, Oretanorumque ciuitates ab im-  
pio Sarracenorum dominatu eripuit: quam Rudericus Simenius Toleta-  
nus Antistes Geloiram, nostri Eluiram nominat: vt filius eius, quem Ale-  
xander Ansum vocat, cui Campani Principatus honos est attributus,  
Alfonso Regis aui materni nomen ediderit.

PTOLEMAEI LVCENSIS  
EXTRACTA DE CHRONICA FRA-

TRIS PTOLEMAEI DE LVCA ORDINIS  
fratrum Prædicatorum: quam scripsit de gestis summorum  
Pontificum: & occurrentibus tempore eorundem super  
genealogia Roberti Guiscardi: & successorum  
suorum: ac aliorum Regum Sicilia: vs-  
que ad tempora ista: per alios  
scientes generationem  
ipforum.



**A** NNO DOMINI MILLESIMO SEPTVA-  
gesimo Secundo, tempore domini Victoris Papæ II, vt scri-  
bit N. Archiepiscopus Cusentinus historiographus, Capua  
obsidetur a Sarracenis: contra quos vadit Robertus Guiscar-  
di: & ipsos fugat abinde. Quis autem fuerit iste Robertus  
Guiscardi diuersi diuersa dicunt. Ricardus enim Monachus Cluniacen-  
sis, sed origine Pictauensis historiographus dicit ipsum fuisse militem de  
Normania: tamen sua sapientia, & probitate factus est magnus. Vnde ad-  
iuncta sibi militia Normannorum venit in Apuliam: ipsamque subiuga-  
uit: expulsis inde Græcis, qui ipsam occupauerant: pro Imperatore Con-  
stantinopolitano: qui tunc erat, vocato Nicephoro Buranich. Martinus au-  
tem historiographus scribit ipsum Robertum fuisse de genere Ducis Nor-  
mannorum: qui primus baptismum suscepit: qui vocatus est Robertus.  
Robertus autem genuit Guilielmum: Guilielmus Ricardum, Ricardus  
autem Ricardum secundum, & Robertum Guiscardi: de quo agitur nunc  
ad præsens: vnde quartus fuit a primo Duce Normannorum: quando vi-  
delicet Normanni concordauerunt cum Karolo Grasso VI ab Imperato-  
re Karolo magno: & baptismum receperunt: cum primum per longa tem-  
pora totam Galliam vexauerunt. Quid autem fecerit dictus Robertus, in  
fra dicitur: quia gloriose operatus est: sicut virtuosus Princeps: & non si-  
cut pauper miles.

**T** E M P O R E Alexij Imperatoris Constantinopolitani prædictus  
Robertus Guiscardi totam occupauit Apuliam: expulsis inde Græ-  
cis. Tradunt etiam historiae, quod in pugna dictum Alexium deuic-  
cit. Postmodum autem dictus Imperator mortuus est. Robertus vero ma-  
gnam stragem fecit de Sarracenis: & magnas pugnas habuit cum diuersis:  
semper tamen virtuosus.

**A** NNO Domini MLXXV, tempore domini Benedicti Papæ X.  
prædictus Robertus Guiscardi suam virtutem dilatat: & in magna  
forma crescit. Expulsis enim Græcis de Apulia, totam Apuliam, &  
Calabriam sibi subiugat: transit in Siciliam cum fratre suo Rogerio: ibiq;  
pugnat cum Sarracenis: qui ipsam occupauerant: magnamq; de ipsis stra-  
gem facit. Sicque ipsis inde fugatis, Siciliam occupat: cumque iam dictam  
insulam pacifice possiderent ambo fratres, Robertus inde recessit cum ali-  
qua parte suæ gentis: reliqua dicto suo dimissa germano: vocaturq; dictus  
Rogerius Comes in Sicilia: & Robertus Dux in Apulia. Nondum enim  
Sicilia sortiebatur nomen regni.

VENIENS

**V**ENIENS autem prædictus Robertus Lucaniam cum suo exercitu, ipsam vi gladij subiecit sibi. Deinde venit Salernum: pugnatque cum Principe eiusdem loci nomine Gisulpho: ipsumque in bello vincit: & captiuat: ac ciuitatem sibi quasi peculiarem facit: vbi & Ecclesiã fabricauit sub honore S. Matthæi: quæ est metropolitana: & mater omnium Ecclesiarum ibidem. Deinde ad alias ciuitates Campaniæ antiquæ: quæ modo vocatur terra Laboris, accedit: ipsasque occupat summorum Pontificum beneplacito, & mādato. In dicta autem Campania erant duo Principes: videlicet prædictus Salernitanus, & Capuanus: quos deuicit: & eorum terras occupauit: ac etiam Ducem Beneuentanum: & suam prouinciam: quæ alias Samnia vocabatur: quibus deuictis prædictus Robertus suo motu proprio, totam terram per eum adquisitam a Romana Ecclesia recognouit: sciens ipsam ad eandem Ecclesiam iuridice pertinere: & Nicolaus Secundus Romanus Pōtifex dictum Robertum de eisdem terris pro se, & pro dicto Rogerio fratre suo, eorumque heredibus inuestiuit.

**A**NNO Domini MLXXVII Gregorius VII. in Papam eligitur: cuius tempore Henricus III. Imperator, qui coronatus fuerat per dictum Nicolaum Papam II. venit in Italiam: & apud Brixiã congregans Episcopos Lombardiæ, fecit eligi in Antipapam Archiepiscopum Kauennatē: qui vocabatur Gilbertus: & postea vocatus est Clemēs: & accedens idem Imperator Romam fecit ibidem dictum Antipapam consecrare: & ab eo coronam Imperij iterato suscepit: & capto prædicto Papa Gregorio cum collegio Cardinalium ipsos in castro S. Angeli incarcerationi. Hæc autem sciens præfatus Robertus Guiscardi cum esset in Romania ad expugnandas regiones Græciæ, relicto ibidem suo maiore filio, nomine Boamundo, ipse cum parte sui exercitus venit in Apuliam: indeque assumpta maiore militia venit versus Romam: quod audiens Imperator, recedit ab vrbe cum suo Antipapa, suisque secacibus cognoscens se odiosum Romanis: destructa tamen prius parte Capitolij: ac ciuitate Leonina. Prædictus autem Robertus ipsa die veniens Romam cum militia Comitissæ Mathildis ipsam capit: ac ferro, & igne fautores Henrici Imperatoris persequitur: & Gregorium Papam in sua sede reponit: cum suo collegio Cardinalium.

**H**IC autem Robertus tres filios habuit: videlicet Boamundum de prima vxore: & Robertum: ac Rogerium: de secunda vxore: quæ fuit filia Principis Salerni. Robertus autem parum patri superuixit: Rogerius vero remansit solus in Ducatu Apuliæ.

**D**E prædicto autem Roberto Guiscardi historiæ magna dicunt: videlicet, quod intendebat ad Imperium pro præfato filio suo Boamundo: cum fauore, & adiutorio prædicti Papæ Gregorij: & ipse adspirabat ad regnum Persarum. Sed cum eæ cogitationes essent fixæ in corde suo, zelo tamen fidei, & honore, in isto medio peragrato suo dominio, & dispositis ijs, quæ pertinebant ad animæ suæ salutem, moritur apud Salernum, anno vitæ suæ LX anno Domini MLXXXIIX tempore domini Victoris Papæ III: sepeliturque apud Venusium in Apulia in monasterio monachorum nomine Sanctæ Trinitatis: quod nunc est Hospitaliariorum: quod quidem monasterium ædificauerat ipse Guilielmus. Tanti autem dicitur fuisse zeli in fide Christi, tantæ reuerentiæ

uerentia ad Romanam Ecclesiam, tantæque pietatis ad pauperes, & ad pia loca, vt post mortem suam etiam miraculis coruscauerit.

**P**RAEDICTVS autem Boamundus præfati Roberti filius transiit vna cum Gottifrido de Buillon, & alijs Principibus Franciæ in terram sanctam: & propter suam strenuitatem Princeps Antiochenus est factus: habuitq; filiam Philippi Regis Franciæ in vxorem. Moritur autem: & sepelitur in Apulia: in Canusio: in sollempnissimo sepulchro.

**P**RAEDICTVS vero Rogerius præfati Roberti filius, & qui sibi successit in Ducatu Apuliæ in concilio celebrato Melfiæ, tempore domini Vrbanus Papæ Secundi, eidem Papæ præstitit fidelitatis iuramentum pro terris Apuliæ: & se hominem ligium Ecclesiæ confitetur. Hic autem Rogerius filium habuit nomine Guilielmum: qui sibi successit in dicto Ducatu Apuliæ.

**A**NNO Domini MCIPaschalis Papa II. in summum Pontificem assumitur: cui prædictus Guilielmus Dux Apuliæ fidelitatem iurauit: & ab ipso per vexillum recepit totam terram Apuliæ: & antiquæ Campaniæ: quæ dicitur Terra Laboris apud pontem Ceperani.

**A**NNO Domini MCXIX Gelasius Papa II. in summum Pontificem est assumptus: cui prædictus Guilielmus Dux Apuliæ audiens ipsum Papam aduenisse in Apuliam, more solito suorum prædecessorum fidelitatem iurauit: & omnia fecit, quæ ad bonam fidelitatem pertinebant.

**A**NNO Domini MCXX Calixtus II. sedit in cathedra Beati Petri: cui existenti in Beneuento, præfatus Guilielmus Dux Apuliæ eandem renouat fidelitatem. Tempore autem istius Pontificis prædictus Guilielmus moritur: nullis filijs ab eo relictis.

**A**NNO Domini MCXXVI. Honorius II. natione Bononiensis in summum Pont. est assumptus. Hic ad requisitionem Baronum Apuliæ scribentium sibi, vt se opponeret ad defensionem dicti Ducatus, quem occupare volebat Rogerius Comes Siciliæ, filius Rogerij fratris Roberti Guiscardi: quia prædictus Guilielmus filius Rogerij filij Roberti Guiscardi sine filijs decesserat, venit in Aquilã. Tandem idem Papa dictorum Baronum fraudem cognoscens, prædictum Rogerium recepit ad gratiam: & facto homagio per eundem Rogerium prædicto summo Pont. ac fidelitate cum iuramento firmata, ipsum Rogerium idem Pontifex de dicto Ducatu Apuliæ inuestiuit: & sic factum est de Sicilia, & Apulia vnũ dominium: licet sub duobus nominibus dignitatum: videlicet Comitatus, & Ducatus: nondum enim nomẽ Regis erat sortitus: sed cõiuncto dominio: tunc prædictus Rogerius se Regem vocari mandauit. Et quia suũ propriũ dominium erat Sicilia, inde motus est, vt nomen regni ipsa Sicilia optineret: Apulia in suo antiquo nomine, & Principatibus remanente.

**A**NNO Domini MCXXXI Innocentius II. natione Romanus in summum Pont. est electus. Hic perrexit contra prædictum Rogerium Regem Siciliæ, & Ducem Apuliæ: eo quod fauisset Petro Leonis:

Leonis : qui se Papam faciebat : cum tamen esset electus a minore parte : Innocentius vero a maiore : & saniore : sed non bene sibi celsit : quia prædictus Rogerius præualuit.

**A** N N O IV. Pontificatus dicti Innocentij Lotharius coronatus in Imperatorem, per eundem Pontificem, tamquam verus Catholicus, & aduocatus vires Imperij excitauit : & contra prædictum Rogerium Regem Siciliae, occasione prædictæ fautoriaë guerram mouet. Vnde congregato exercitu, vna cum præfato Innocentio Apuliam potenter intrauit : & fugato abinde dicto Rogerio in Siciliam, dictum Ducatum Apuliae auferunt ab eodem.

**A** N N O Domini MCXLIV tempore Cælestini Papæ II prædictus Rogerius Rex est reconciliatus Ecclesiæ : & restitutus eidem præfatus Ducatus Apuliae : congregansque naualem exercitum vadit in Africam contra Sarracenos : & Regem Tunicij tributarium sibi facit. Dicitur autem Rex Rogerius filium habuit nomine Guilielmum : qui sibi in prædicto regno successit.

**A** N N O Domini MCLV Hadrianus III in summum Pontificem est assumptus : cui prædictus Guilielmus homagium faciens, regnum prædictum Siciliae ab eo sub fidelitatis iuramento recepit. Hic autem Guilielmus filium habuit nomine etiam Guilielmum : qui sibi in regno præfato successit : ac filiam dominam Constantiam : quam dictus Guilielmus Rex pater suus in Panhormo monialem effecit : ex certa visione, quam super hoc dicitur habuisse.

**H** I C vero Rex Guilielmus Secundus mortuus est sine liberis : quo mortuo consobrinus eius, & naturalis Tancredus, cuius tamen filius fuerit, non scribitur : tempore domini Clementis Papæ III. qui incepit Anno Domini MCLXXXIIX & sedit annis tribus, & diebus sedecim, occupauit sibi regnum prædictum : quod tenuit sua vita durante : mortuusque est per eum liberis non relictis. Et sic ex genere supra dictorum Roberti Guiscardi, & Rogerij fratris sui non remansit, nisi solum dicta domina Constantia monialis.

**T** V N C Barones suprascripti regni Siciliae supplicauerunt prædicto Clementi III. tunc summo Pontifici, vt cum dicta domina Constantia, contemplatione suorum progenitorum dispensaret : vt nuptui traderetur : quod factum est : copulataque est in matrimonio Henrico V. Imperatori : filio Frederici Imperatoris : dicti Barbarossæ : qui ipsam in vxorem recepit.

**E** X prædictis autem Henrico, & domina Constantia natus est Fredericus II. Anno Domini MCXCI : & nullus alius : quia dicta domina Constantia quasi in senectute sua quodammodo concepit eundem. Hic autem Henricus suo tempore multa fecit : & cum Ecclesia se bene non gessit : immo aliquando est ipsam grauiter persecutus : moriturque Panhormi anno Domini MCXCIIIX.

**M** O R T V O vero prædicto Henrico eligitur in Imperatorem Otho IV. filius Ducis Saxonie : qui male se habuit cum Ecclesia : propter quod dictus Fredericus II. missus est in Alamanniam contra ipsum : fuitque idem Otho suis exigentibus demeritis, per Innocentium

centium Papam III depositus ab Imperio anno Domini MCCXI. & sequenti anno, videlicet MCCXII prædictus Fredericus II in Imperatorem est electus: & tempore Honorij Papæ III, qui incepit sedere anno Domini MCCXVI, & sedit vsque ad annos XI. menses II. dies XIII. fuit idem Fredericus per ipsum Papam in Imperatorem coronatus anno Domini MCCXX: Pontificatus dicti Honorij anno V: & ætatis ipsius Frederici XXXIX.

**H**IC autem Fredericus quattuor filios habuit: videlicet Henricum primogenitum: quem in carcerem posuit: & hoc ut aliqui dicunt, quia ipse Henricus fauebat Ecclesiæ: quam dictus Fredericus persequebatur: in quo carcere Henricus ipse decessit. Secundogenitum vero habuit Conradum: tertio genitum autem Entium: qui captus fuit a Bononiensibus: & ab eis in carcere toto tempore suæ vitæ detentus: qui omnes ex filia Regis Iohannis Hierosolymitani, quam dictus Fredericus accepit vxorē, procreati fuerunt. Quarto genitum vero habuit Manfredum: quem ex filia Principis Antiocheni suscepit. Idem enim Fredericus prædictam suam vxorem fingens mortuam, prædictam filiam Principis sibi in matrimonio copulauit: constituitque ipse Fredericus prædictum Conradum filium suum Regem Alamania: de facto potius quam de iure: cum tam dicto regno, quam Imperio, & regno Siciliæ priuatus fuerat: exigentibus de meritis suis: & delictis per eum commissis.

**M**ORITVR præfatus Fredericus in Fogia in Apulia anno Domini MCCL. Modum autem mortis suæ tradit Martinus: quia sine sacramentis, & poenitentia, & in vinculo anathematis. Quem infirmantem prædictus Manfredus filius ipsius naturalis ambiens regni Siciliæ dominium, & thesauros, vno secretario eiusdem Frederici conscio, timens ne conualesceret, cussino super faciem ipsius posito, suffocauit: sicque idē Manfredus assumit dominium sub quibusdam causis: & rationibus simulatis: sed non in toto: propter prædictum Regem Conradum fratrem suum.

**P**OST mortem autem prædicti Frederici Imperatoris Conradus filius eius Rex Alamania: intrat regnum Apulia: anno Domini MCCLI.

**S**EQVENTI vero anno, videlicet MCCLII, dictus Conradus Rex moritur. Reliquit autem vnum filium paruulum nomine Conradinum: qui erat cum matre sua in Teutonia: & tempore mortis dicti Conradi, erat duorum annorum. Tradunt autem aliquæ historiæ dictum Conradum fuisse venenatum: in quadam venatione per prædictum fratrem suum Manfredum. Hic autem Manfredus post mortem prædicti Regis Conradi, curam gessit regni Siciliæ: pro prædicto Conradino pupillo: & sub isto prætextu assumpsit sibi dominium ipsius regni.

**A**NNO Domini MCCLIV, tempore domini Alexandri Papæ IV prædictus Manfredus simulata morte præfati Conradini, factoque super hoc planctu, accepit coronam supradicti regni Siciliæ: & tamquam ipsius Regem se gerit: ac se Regem vocari mandauit: quod durauit a dicto anno LIV, vsque ad LXV.

PRAEDI-

**P**RAEDICTVS autem Manfredus primo fuit Princeps Tarentinus: & vxorē habuit n. sororē n. Comitis Sabaudia: ex qua filiā habuit nomine Constantiam: quā post modum Petro Regi Aragonum fuit matrimonio copulata.

**A**NNODomini MCCLXIII. Pontificatus Domini Urbani Papæ IV. anno Secundo, idem Papa videns partem Ecclesiæ in Italia deficere, & prædictum Manfredum in suis peruersis actibus prosperari, de consilio Cardinalium Comitem Prouinciæ nomine Karolum, fratrem Ludouici Regis Francorum, in suum aduocat auxilium: & vt ad adiuuandam Ecclesiam esset feruentior, prædictum regnum Sicilia, a quo præfatum Manfredum antea priuauerat, sibi contulit: cum suis annexis.

**A**NNODomini MCCLXV Clemens Papa I V. existens Viterbij, Pontificatus sui anno primo prædictum Karolum in Ecclesia Sancti Iohannis de Laterano in Regem Sicilia coronare mandauit.

**E**ODEM anno præfatus Rex Karolus in planicie Beneuenti bellum habuit cum prædicto Manfredo: in quo bello idem Manfredus succubuit: & fuit occisus: cuius habitæ victoriæ causa, præfatus Rex Karolus fecit ædificari monasterium ordinis Cisterciensis quod vocatur S. Maria de Regali valle in diocesi Nolana: quæ coniuncta est diocesi Beneuentanæ. Non enim ædificari fecit in loco vbi habuit victoriam: quia territorium non erat suum: sed Ecclesiæ Romanæ.

**A**NNODomini MCCLXIX. Pontificatus prædicti Domini Clementis anno III prædictus Conradinus filius præfati Regis Conradi cum militia Teotonicorū, & Lombardorū subito intrat Italiam: & deinde confinia regni Sicilia: cum quo tunc erat Henricus frater Regis Castellæ: & nepos Regis Karoli supradicti: qui quidem Henricus occupauerat Urbis senatum. Contra quos venit præfatus Rex Karolus cū magna gentium armorum comitiua: diuque pugnato per ambas partes in die S. Bartholomæi in introitu prædicti regni prope castrum, quod dicitur Talliacocium, tandem gentes prædicti Conradini succumbunt: & idem Conradinus aufugiens captus fuit in Astura: in plagia Romana: & in plagis Neapolitanis: postmodum decapitatus. Fuit etiam in dicto bello captus prædictus Henricus frater Regis Castellæ: & per præfatum Regem Karolum in Apulia carceri mancipatus. In eo autem loco vbi idem Rex Karolus prædictum Conradinum deuicit, fecit idem Rex ædificari solenne monasterium monachorum ordinis Cisterciensis vocatum S. Maria de Victoria: quod hodie propter terremotum quasi totaliter est destructum. In ipso vero monasterio, & alio supradicto de Regali valle, monachi nulli nisi Gallici existere possunt. Decapitato igitur, vt præfertur Conradino prædicto, de genere supradicti Frederici Imperatoris nullus remansit superstes.

**P**RAEDICTVS autem Rex Karolus vxorem habuit filiam Rainūdi Berengarij Comitis Prouinciæ, nomine Beatricem: quæ fuit vltima filia, & heres dicti Comitis: & habuit dictum Comitatum Prouinciæ: ex qua vxore prædictus Rex filium habuit nomine etiam Karolum: qui in

vita dicti sui patris vocabatur Princeps Salernitanus. Ipsa autem domina sepulta est Aquis: in Prouincia vna cum patre: & sorore Regina Francia in Ecclesia Hospitaliariorum.

**A**NNO Domini MCCLXXXIII. praedictus Rex Karolus moritur: & in maiori Neapolitana Ecclesia sepelitur: cui in dicto regno, & Comitatu Prouinciae successit praefatus Karolus filius suus: vocatus postea Rex Karolus Secundus.

**H**IC Rex Karolus Secundus vxorem duxit dominam Mariam filiam Regis Vngariae: quae suo patri successit in regno Vngariae: ex qua praedictus Rex Karolus multos filios & filias habuit: quorum primogenitus fuit Karolus cognominatus Martellus Princeps Salernitanus: qui viuentibus suis patre, & matre, est in Regem Vngariae coronatus: Praemortuus est autem dictis suis patri, & matri. Secundogenitus vero dicti Regis Karoli fuit S. Ludouicus Episcopus Tolosanus. Tertiogenitus Robertus Dux Calabriae: qui patri successit in dicto regno Siciliae. Quartogenitus Philippus Princeps Tarentinus. Vltimogenitus dominus Iohannes Princeps Achaiae: deinde Dux Duracij. De alijs vero filijs per dictum Regem Karolum habitis, hic non fit mentio, quia sine prole decesserunt,

**P**RAEDICTVS autem Karolus Martellus Rex Vngariae, & Princeps Salernitanus vxorem duxit filiam Rodulphi Regis Alamaniae: ex qua duos filium, & filiam habuit: videlicet karolum, qui patri successit in regno Vngariae: & dominam Clementiam, quae copulata fuit matrimonio Regi Ludouico filio Philippi pulchri Regis Francorum. Ex praedicta autem domina Clementia natus est filius eius primogenitus vocatus Iohannes anno Domini MCCCXVI: sed parum vixit: nam VII die a natiuitate sua migravit ad Dominum: regnumque Franciae existit modum ad collaterales translatum.

**P**RAEDICTVS praeterea karolus II Rex, & dicta Maria eius vxor Regina Siciliae miserunt in Vngariam Karolum Principem praedictum Princeps Salernitanum filium praedicti karoli Martelli Regis Vngariae: & ei dictum regnum conferunt: & titulum ipsius, vt suo patri concedunt. Dictum enim regnum Vngariae tunc ab infidelibus multum vexabatur: & Barones ipsius regni pro maiori parte tunc inobedientes erant praedictae Reginae Mariae: aliqui tamen fideles, licet pauci venerunt in Apuliam pro dicto Rege karolo: qui tunc erat nouem annorum: ipsumque secum in Vngariam conduxerunt: qui infra plures annos dictum regnum Vngariae recuperat & augmentat.

**S**VPRADICTVS autem Rex karolus II Rex Siciliae pater dicti Roberti Ducis Calabriae, & auus praefati karoli pupilli Regis Vngariae petijt a domino Bonifacio Papa IX. declarari, quis post mortem suam esset sibi in praedicto regno Siciliae successurus: an videlicet praedictus Robertus filius suus, vel dictus karolus Rex Vngariae nepos eius. Praefatus autem summus Pontifex declarauit in breuibus: dictum Robertum esse praedicto suo patri, in praefato regno Siciliae successurum. De S. autem Ludouico tunc primogenito non fit mentio, quia iam effectus erat frater Minor: & Episcopus Tolosanus.

ANNO



**A**NNO vero Domini MCCCIX v. die introitus Maij obiit supradictus Karolus II. Rex Sicilia: anno regni sui computando ab obitu patris xxv.

**A**NNO Domini MCCCIX. Dominica prima mensis Augusti coronatus est praedictus Robertus Dux Calabriae in Regem Siciliae per dominum Clementem Papam V. in Auenione.

**H**IC autem Robertus duas vxores habuit: primam cum adhuc esset Dux: dominam Violantem filiam Regis Aragonum: ex qua habuit filium Karolum Ducem Calabriae: aliam vero dominam Sanctiam filiam Regis Maioricarum: ex qua nullus ei heres superuixit.

**S**VPRADICTVS Carolus II. Rex Vngariae vxorem duxit Elizabethi sororem n. Ducis Poloniae: qui post modum factus est Rex: & vocatus Rex Poloniae, seu Cracouiae: ex qua vxore tres filios habuit: primogenitum Ludouicum: praesentem Regem Vngariae: Andream Secundogenitum: & Stephanum tertio genitum.

**A**NTE DICTVS Karolus Dux Calabriae, filius praedicti Roberti Regis Siciliae duas vxores habuit: primam n. sororem n. Ducis Austriae: ex qua nullam prolem procreauit: secundam dominam Mariam filiam Domini Karoli de Valoys: ex tertia vxore: quae fuit filia Comitis S. Paulli: ex qua dictus Dux duas filias habuit: primam dominam Iohannam: praesentem Reginam Siciliae: & dominam Mariam: quae nata est post mortem dicti sui patris.

**P**RAEDICTVS autem Dux Calabriae mortuus est anno Domini MCCCXXIX. in die beati Martini: viuentem adhuc patre suo Roberto Rege praedicto.

**V**IVENTIBVS vero praedictis Roberto Siciliae, & Karolo Vngariae regibus contractum est matrimonium, inter praefatum Andream secundogenitum supradicti Karoli Regis Vngariae, & praedictam dominam Iohannam filiam suprascripti Ducis Calabriae: Duxque, & Ducissa Calabriae nuncupantur: & ordinatum est contrahi matrimonium inter praefatum Ludouicum primogenitum Regis Vngariae, & praedictam dominam Mariam secundogenitam Ducis Calabriae supradicti: ad hoc, quod omnino praenominatum regnum Siciliae ad heredes Regis Vngariae deueniret.

**A**NNO Domini MCCCXLIII in festo beatae Agnetis obiit praefatus Robertus Rex Siciliae: anno regni sui XXXII: cui successit in regno praedicta domina Iohanna filia Ducis Calabriae: & fuit vocata Regina: & dictus Andreas maritus suus vocatus Rex Siciliae: ipsa vero domina Iohanna tunc coronata non fuit.

**A**NNO Domini MCCCXLV interemptus fuit praedictus Rex Andreas in Auerfa: de mense Septembri: dicta domina Iohanna Regina eius vxore pragnate: ex qua natus est postmodum filius dictus Karolus Martellus.

**P**RAEDICTVS Stephanus tertio genitus Regis Vngariae vxorem duxit & filiam Ducis Bauariae: ex qua vnicam filiam habuit nomine Elizabeth. Ipse autem Stephanus post haec modicum superuixit.

**S**UPRADICTVS Philippus Princeps Tarentinus filius Caroli II Regis Siciliae duas vxores habuit: primam filiam, & heredem & Despoti Romaniae: ex qua vnicum filium habuit: qui in titulabatur Despotus. Hic autem Despotus vxorem duxit & filiam Regis Maioricarum: neptemque Reginae Sanctiae vxoris supradicti Regis Roberti: qui Despotus suo praemortuus est patri: liberis nullis ab eo relictis. Secunda vxor dicti Principis vocata est Catharina filia supradicti Karoli de Valois: quam habuit ex secunda vxore sua: quae fuit filia Balduini Imperatoris Constantinopolitani: & dicto Balduino in titulo dicti Imperij successit: dictaque Catharina praefata suae matri successit: & vocata est Imperatrix Constantinopolitana. Ex dicta autem Catharina Imperatrice praedictus Princeps tres filios, & vnam filiam habuit: videlicet Robertum, Ludouicum, & Philippum, & Margaritam.

**D**ICTVS autem Robertus successit suis patri, & matri: vocatusque est Imperator Constantinopolitanus: & Princeps Tarentinus: qui recepit in vxorem dominam Mariam filiam Ducis Borbonij: quae antea vxor fuerat Conestabuli primogeniti & Regis Cypri. Ex ipsis autem Roberto, & domina Maria nulli filij superuixerunt.

**S**UPRADICTVS dominus Iohannes Dux Duracij filius praenominati Karoli II Regis Siciliae vxorem duxit dominam Agnetem filiam & Comitis Petragoricensis: ex qua tres filios habuit: videlicet Karolum: qui sibi successit in Ducatu Duracij: & Ludouicum, ac Robertum: mortuusque est idem Dux eius vxore, & filiis relictis.

**C**VM vero tractaretur matrimonium inter praenominatum Ludouicum, tunc primogenitum Regis Vngariae, & de perficiendo ipsum inter eundem Ludouicum, & dominam Mariam secundo genitam supradicti Karoli Ducis Calabriae, ipsa domina Maria, operante quadam domina, quae erat in societate ipsius, absque consensu praedictae dominae Iohannae Reginae sororis suae, contraxit matrimonium cum praefato Karolo Duce Duracij: & repente vna cum matre dicti Ducis recedens de Castro regio Neapolis, vbi cum praedicta domina Regina sua sorore manebat, & accedens ad domum ipsius Ducis ibidem vicinam, dispensatione super hoc a domino Clemente Papa VI obtenta, & per dominum Talayrandam Cardinalem Petrogoricensem fratrem matris dicti Ducis procurata, illico matrimonium consummauit.

**D**E ipsis autem karolo, & domina Maria natae fuerunt quattuor filiae: videlicet Iohanna primogenita, quae in dicto Ducatu successit, Agnes, Clementia, & Margarita.

**A**NNO Domini MCCCXLVII, praedictus Ludouicus Rex Vngariae in trauit praedictum regnum Siciliae: pro exercenda vindicta Regis Andreae fratris sui: vt praemittitur interempti: ad quem cum esset in ciuitate Aversa accesserunt praedicti Robertus Imperator Constantinopolitanus, & Princeps Tarenti: ac Philippus frater suus: necnon Karolus Dux Duracij, & Ludouicus, ac Robertus fratres sui: qui per dictum

Etum Regem Vngariæ fuerunt in principio satis bene tractati: & accepti: non tamen multum honorati: nec fraternaliter pertractati: nam ultimo fuerunt carcerati: & prædictus Karolus Dux Duracij decapitatus: in loco, vbi prælibatus Rex Andreas fuerat interemptus: non tamen tamquã idem Dux fuisset conscius mortis dicti Regis Andree: sed tamquam ille, qui receperat in vxorem suprædictam dominã Mariam: quæ debebat con trahere cum ipso Rege Vngariæ, vt præfertur: anhelans idem Dux posse ad sæpe dictum regnum Siciliae, ratione dictæ dominæ Mariæ suæ vxoris deuenire.

**P**RÆDICTVS autem Ludouicus Rex, & domina Iohanna Regi na Siciliae, cum præfatus Rex Vngariæ esset in Auerfa, cum diuersis nauigijs recesserunt per mare de Neapoli: & venerunt in Prouinciã: & deinde Auenionem: vbi præfatus dominus Clemens Papa VI cum sua curia residebat: & ibi per ipsum Papam fuit facta dispensatio inter ipsum Regem, & Reginam. Ibidem autem prædicta Regina peperit quandam filiam nomine Katharinam: quæ infantula est defuncta: aliam vero filiam post dictam factam dispensationem habuit vocatam Franciscam.

**P**RÆFATA vero domina Maria vxor prænominati quondam Karoli Ducis Duracij, sciens mortem dicti sui mariti, recessit prægnas de Neapoli in habitu fratris Minoris: & trãsiens prope Auerfam, vbi tunc erat prædictus Rex Vngariæ, per terram venit vsque Tusciam: deinde per mare in Prouinciã: stetitque in castro Bocacij: vbi peperit prædictam suam filiam Margaritam. Aliæ vero filiæ suæ remanserunt in prædicto regno Siciliae: vbi per suas nutrices fuerunt in diuersis locis secrete, & salubriter conseruatae.

**S**VPRADICTIS Roberto, & Philippo de Tarento, ac Ludouico, & Roberto de Duracio per prædictũ Regem Vngariæ captis, vt præ fertur, ipsi per eundem Regem, vna cum prædicto Karolo Martello filio prænominati Regis Andree, quem præfata domina Iohanna Regina dimiserat Neapoli in Castro Nouo, vt assignaretur dicto Regi Vngariæ, missi sunt in Vngariã: vbi dictus Karolus Martellus modicum superuixit. Dicti autem quattuor regales in satis arto carcere fuerunt per plures annos detenti.

**A**NNO domini MCCCXLIX suprædictus Rex Vngariæ a prædicto regno Siciliae repente recessit: dimissis tam in castris Neapolitanis, quam in quibusdam alijs locis dicti regni, qui ipsa castra sui nomine custodirẽt: & gentibus alijs armigeris, tam Vngaris, quã Teutonicis, in numero satis magno: qui dictum regnũ pro ipso Rege tenerẽt.

**E**ODEM anno prædicti Ludouicus Rex, & domina Iohanna Regi na Siciliae a Prouincia Neapolim sunt reuersi: ac præfata domina Maria Ducissa Duracij: qui Rex, & Regina statim fuerunt in regno recepti, vt domini: & in satis breui tempore, quasi totum ipsum regnum recuperauerunt.

**A**NNO Domini MCCCCL suprædictus Rex Vngariæ in sæpe dictum regnum Siciliae est reuersus: & obsedit ciuitatem Auerfæ distantem a Neapoli per octo milliaria: operante illo, qui custodiebat castrum ciuitatis ipsius: qui quidem proditorie se gerens tam castrum, quam ciuitatem dicto Regi dedit. In dicto autem regno tunc prædictus

Quãuis in vetusto codice continens scriptio sit, tamen deesse videtur: Iohannam Reginam Ludouico Tarentino nupsisse.

Rex resistentiam magnam reperit: & de perditis pauca recuperavit. Fuerunt tandem habita pacta inter praedictos Ludouicum Vngariae, & Ludouicum Siciliae Reges: ac dominam Iohannam Reginam de accedendo ad Curiam Romanam: & stando de iure successionis dicti regni Siciliae declarationi summi Pont. dictusque Rex Vngariae his pactis habitis iuit ad Urbem: & praedicti Rex, & Regina Siciliae Caietam: ex certis autem causis nullus ipsorum ad praedictam Curiam dicta de causa accessit.

**D**VRAVIT autem guerra inter praedictos Reges Vngariae, & Siciliae a praedicto anno MCCCLVII, vsque ad annum MCCCLII: quo anno de mandato praedicti domini Clementis Papae VI. fuerunt supradicti Ludouicus Rex, & domina Iohanna Regina Siciliae die XXVI mensis Maij in festo Pentecostes Neapoli sollemniter coronati: & declarata ipsa domina Regina esse vera domina dicti regni. Fuitque ordinatum per eundem Papam, quod omnia loca, quae tenebantur in praedicto regno per praefatum Regem Vngariae assignarentur domino Petro de S. Martiali nuntio Apostolico: qui ipsa restituit dictis Ludouico Regi, & dominae Iohannae Reginae: & etiam procurauit dominus summus Pontif. quod praedicti quattuor regales, qui detinebantur captiui in Vngaria facerent liberari: & magna summa pecuniae, quam pro sui redemptione dicto Regi Vngariae dare promiserant, fuit eis contemplatione dicti summi Pontif. per eundem Regem remissa. Infra vero sex dies post coronationem praedictam mortua est praedicta Francisca filia ipsorum Regis, & Reginae: & ex tunc ipsa Regina non concepit.

**P**RAEDICTI quattuor regales ab Vngaria de carcere liberantur: & tres ex eis videlicet Robertus Imperator Constantinopolitanus, & Philippus frater suus, ac Ludouicus de Duracio in regnum Siciliae reuertuntur. Dicitur vero Robertus de Duracio vadit in Franciam: & coram Rege Franciae praefatum Regem Vngariae de duello inuitat: dicens ipsum Regem Vngariae non fecisse iuridice, decapitari faciendo praedictum Karolum Ducem Duracij fratrem suum: quod duellum effectum non habuit: & praedictus Robertus postea mortuus est in bello: in territorio Pictauiensi in quo, & praefatus Rex Franciae per Principem Valiae captus fuit.

**A**LIQVO praecedente tractatu praedictus Philippus de Tarento repente rapit praedictam dominam Mariam: olim Ducissam Duracij consobrinam suam: atque in triplici consanguinitatis gradu coniunctam: & de facto matrimonium contrahit cum eadem. Pro habendo vero super hoc dispensatione idem Philippus venit ad curiam: & per plures annos laborauit, antequam posset eam habere. Ex ipsis autem Philippo, & Maria ante, & post dictam dispensationem fuerunt multi filij, & filiae procreati: aliqui ex eis nati mortui: qui autem superuixerunt, omnes muti fuere, & claudi: absque dentibus, & capillis: ex quo apparuit, quod dictum matrimonium Deo gratum non fuit.

**A**NNO Domini MCCCLXII. die XXVI mensis Maij, qua die fuit festum Ascensionis Domini, obiit praedictus Ludouicus Rex Siciliae Neapoli: coepletis x. annis integris a die suae coronationis.

ANNO

**A**NNO Domini MCCCLXIII completo anno obitus prædicti Regis Ludouici supradicti, domina Iohanna Regina contraxit matrimonium cum domino Iacobo Rege Maioricarum: cum quo nupta manet ad præsens.

**P**RAEDICTVS Ludouicus de Duracio vxorem duxit dominam Margaritam de Sancto Seuerino: natam domini Roberti de S. Seuerino: de genere Comitis S. Seuerini nobilis de regno Siciliae: ex qua vni cum filium habuit nomine Karolum: quæ domina Margarita postquam dictum filium peperit, per modicum tempus superuixit.

**A**NNO Domini MCCCLXII. dictus Ludouicus obiit Neapoli in castro Oui: in quo ex certa causa detinebatur arrestatus infra duos menses post mortem supradicti Regis Ludouici.

**A**NNO Domini MCCCLXIV. obiit Neapoli supradictus Robertus Imperator Constantinopolitanus, & Princeps Tarenti absque liberis: cui successit in dictis Imperio, & Principatu prænominatus Philippus frater suus.

**A**NNO Domini MCCCLXVII. dominus Ludouicus de Nauarra recepit in vxorem dominam Iohannam Ducissam Duracij primogenitam Karoli Ducis præfati. Agnes vero soror dictæ Ducissæ antea contraxerat cum Canelignore domino Veronæ. Clementia autem tertio genita soror dictæ Ducissæ obiit virgo Neapoli anno Domini MCCCLXIII.

**A**NNO Domini MCCCLXIIIX. obiit Neapoli prædicta domina Maria vxor supradictæ Philippi Principis Tarentini: & post modum Imperatoris Constantinopolitani.

**A**NNO Domini MCCCLXX prædictus Philippus Imperator Constantinopolitanus, & Princeps Tarenti accessit Vngariæ: & matrimonium contraxit cum domina Elizabeth filia Stephani fratris Regis Vngariæ: & secum duxit prædictam dominam Margaritam filiam prænominati Ducis Duracij: quæ cum dispensatione domini Urbani Papæ V. contraxit cum Karolo filio prælibati Ludouici de Duracio consobrino suo: qui cum supradicto Rege Vngariæ comoratur.

**S**VPRADICTA Margarita filia supra nominati Philippi Principis Tarentini filij Karoli II. Regis Siciliae, & dominæ Catharinæ Imperatricis Constantinopolitanæ vxoris eius, matrimonium ex se ipsa contraxit cum Francisco de Baucio Duce Andriæ: absque consensu tamen fratrum suorum: ex qua filium, & filiam habuit: dominum Iacobum: & dominam Antoniam.

**H**AEC est generatio Roberti Guiscardi: & descendentium ab eo Regum Siciliae: & aliorum Regum: ac regalium: qui a dicto tempore, vsque modo in dicto regno successerunt: prout in chronicis inuenitur: & a scientibus, & videntibus declaratur.

## A Q V I L A E V R B I S O R I G O .



**Q**UANTA IN IGNORATIONE RERVM A Principibus Normannis fratribus in Apulia, Calabria, & Campania gestarum versati fuerint veteres auctores, nō Ptolemæus modo Lucensis, sed & Martinus multo vetustior, quem Ptolemæus ipse laudat auctorem, liquido testantur: quæ me res impulit, vt vetustissimis illis auctoribus, ex Ptolemæo decerpta adiunxerim: præsertim cum qualiacūque ea sint, alicuius vtilitatis fructum præbeant: si Dyrhachinorum Principum stirpis seriem respicias: in qua deducēda, plures sunt alucinati. Præterea cum idem Ptolemæus prodiderit Honorium II. Pont. Max. Aquilam venisse, vt procerum Apuliæ consilio, Rogerio Siciliae Comiti, qui postea regalem dignitatem est assecutus, eam prouinciā ductu suo asserere conanti obuiam iret: ea res aperte indicat Alexandrum eius rei certum auctorem minime legisse: qui Beneuentum, non Aquilam Pontificem aduētasse memoriæ prodidit. Neque intra centum proximos annos Aquilam urbem conditam fuisse satis constat: de cuius origine cum disunctissima, maximeque diuersa Io. Iouianus Pontanus vir vndecumque doctissimus Neapolitani belli libro. v. tradiderit, & de nomine fontis Aquilæ factam esse Aquilam urbem ciuibus, & opibus claram asserat, libet certam eius urbis originem adponere: ex litteris Clementis III. Pont. Max. erutam: ne tanti viri auctoritas rem gestam a veritate demoueat: aut vetustate obruta in posterum obliteretur.

» **C**LEMENS Episcopus seruus seruorum Dei: K. Siciliae Regi  
 » illustri. Clamant ad aures maiestatis Regiæ variæ regni tui, &  
 » partium vicinarum Ecclesiæ: clamat multitudo nobilium de im-  
 » minentis oppressionis incurfu, eo grauius stupida, quo dudum  
 » maiora ipsius grauamina est experta: thronum tuæ gratiæ suppliciter ad-  
 » eunt: ad auxilium misericordiæ tuæ recurrunt: opem tuæ pietatis implo-  
 » rant: & vt ipsorum pia petitio prōptius ad gratiam exauditionis introeat:  
 » de innata tibi fili carissime ad Ecclesias, ecclesiasticas personas, & nobiles,  
 » & a progenitoribus tuis in te propagatione laudabili radicata clementia  
 » concipientes non indigne fiduciam, tibi confidenter veritatem instantis,  
 » & vrguentis ad hoc necessitatis exponunt. Dudum si quidem multitudi-  
 » nis hominum eisdem Ecclesijs, & nobilibus subditorum de diœcesi Reati-  
 » na, & alijs vicinis partibus, ex diuersis castris, villis, & locis conspirantis  
 » in vnum factiosa præsumptio, in eam spirauit, & tandem prorupit teme-  
 » ritatis audaciā, quod ijdem satagentes iugum originariæ conditionis abij-  
 » cere, & Ecclesias, & nobiles prædictos, quibus tenebantur ad varia, non so-  
 » lum debitis defraudare seruitijs, verum etiam de multitudine cōfidentes,  
 » sicut euidentis indicauit effectus, opprimere: illisque præesse: quibus & diu  
 » subfuerant: & subesse, de suæ conditionis debito tenebantur: a quondam  
 » Conrado nato quondam Frederici olim Romanorum Imperatoris, qui  
 » regnum Siciliae post sententiam depositionis, & priuationis latam in Im-  
 » peratorem eundem, occupatum tunc temporis detinebat, iniquis, & frau-  
 » dulentis per suasionibus obtenta licentia, ciuitatem cōstruere præsumpse-  
 » runt: cui A Q V I L A imposto nomine, se pullos Aquilæ opibus exhibentes,

bentes lamberunt Ecclesiarum, & nobilium sanguinem: non solum Eccle-  
 fias, & nobiles ipsos spoliantes, & ad pauperiem deducentes extremam:  
 immo sacerdotes, & alios varios clericos, nobiles quoque, suos etiam do-  
 minos immaniter, vt multorum habet assertio, trucidantes. Hæc fili tanta  
 iniquitatis congregatio, tam iniquis vacabat operibus, tam scelestis nego-  
 tiationibus intendebat, propter quod colligationes impietatis, vt firmiter  
 creditur, potētia diuina dissoluit: & ciuitas eadem redacta est in cinerem,  
 & fauillam. Nunc autem pro ipsius reparatione, sicut asseritur, apud tuā  
 serenitatem instatur. Instant quidem ipsius olim incolæ, vt in Ecclesias, &  
 nobiles eosdem, eo truculentius insurgant: quo auidius sumerent, vel ma-  
 nifestam, si facultas concederēt, vel saltem occultam de prædicta dissolu-  
 tione vindictam. Ad tuam igitur clementiam Ecclesiæ, & nobiles memo-  
 rati confugiunt: te solum confugium, in articulo tantæ necessitatis agno-  
 scunt. Sperant proculdubio, quod nō desit Ecclesijs, & nobilibus tua pro-  
 tectio: cum de illis Christianissimis, & illustribus sis progenitoribus edi-  
 tus, qui præ cunctis dignitatis Regiæ participibus, trabea Christianitatis,  
 & nobilitatis ornati, & singulari fauore manu tenuerunt Ecclesias: & no-  
 biles fauorabiliter protexerunt. Nos itaque, qui prædicta referimus, sed  
 non asserimus, serenitatem Regiam pio, & paterno rogamus affectu,  
 quatenus circumstantijs tanti discriminis prouida deliberatio-  
 ne discussis, quod animæ tuæ salubrius, famæ consultius,  
 & patriæ utilius fore putaueris, prudentia  
 Regia prosequatur.



- Pagina 123. Ita ex oculis quorundam. Lege, Ita vt ex oculis quorūdam.  
 Ranipotus Tribunus militum Beneuentanus. Legendum  
 Raimpotus: quemadmodum in sequenti pagina 124.  
 130 Alifa vitiose est excusum: cum in superiore pagina 129 Alli-  
 fa haberetur: quod Allifarum vrbs, & Allitanorum populi  
 nomen duplici L, & vnica F, ex præcis inscriptionibus lapi-  
 deis, & vetustis Plinij, & Antonini libris, & Græcis Strabo-  
 nis in sculpi, & describi appareat.  
 135 Cancellini nomen hæc pagina, & alibi semper legitur: cum  
 Gaucellini legendum videatur.

CAESARAUGVSTAE,

Ex officina Dominici a Portonarijs de Vrfinis, Sacræ  
 C. M. & Regni Aragoniæ Typographi.

M D L X X I I X

A. D. II. NON. IVN.





DOMINICVS A PORTONA-  
RIIS DE VRSINIS REGIVS  
TYPOGRAPHVS.











TU  
In  
La